
BREVIARIUM

MIRAPISCENSE

PARS VERNA

N° 11111



44452

# BREVIARIUM
# *MIRAPISCENSE*,

Illustrissimi ac Reverendissimi in Christo Patris D. D. Joannis-Baptistæ *DE CHAMPFLOUR*, Episcopi Mirapiscensis, jussu & auctoritate, ac venerabilis ejusdem Ecclesiæ Capituli consensu editum.

*PARS VERNA.*








*PARISIIS*,

Apud { Joannem-Baptistam GARNIER, Reginæ necnon Sereniſſimæ Delphinæ Typographum & Bibliopolam, viâ Citharæ, ſub ſigno Providentiæ, ad angulare viæ Pupæ.
Petrum-Alexandrum LE PRIEUR, Regis Typographum, viâ San-Jacobeâ, ad inſigne Crucis Aureæ.

M. DCC. LIII.
*CUM PRIVILEGIO REGIS.*

# BREVIARIUM MIRAPISCENSE,

Illustrissimi ac Reverendissimi in Christo Patris D. D. JOANNIS-BAPTISTÆ DE CRAMP, ROUTE, Episcopi Mirapiscensis, jussu & auctoritate, ac venerabilis cujusdam Ecclesiæ Capituli concordi editum.

PARISIIS.



Apud { JOANNEM-BAPTISTAM GARNIER, Regiæ necnon Serenissimæ Delphinæ Typographum & Bibliopolam, via Citharæ, sub signo Providentiæ, ad angulum viæ Hyacinthi. PETRUM-ALEXANDRUM LE PRIEUR, Regis Typographum, via Sancti-Jacobi, ad insignia Cruris Aureæ.

M. DCC. LIII.

CUM PRIVILEGIO REGIS.

# JOANNES-BAPTISTA

## DE

# CHAMPFLOUR,

Providentiâ Divinâ, & Sanctæ Sedis Apostolicæ auctoritate Episcopus Mirapiscensis, Regi à Consiliis, &c.

## *CLERO MIRAPISCENSI*

Salutem & Benedictionem in Christo Jesu.

*Ecclesiæ Catholicæ per universum orbem diffusæ, Fratres carissimi, semper fuit & est una fides.* Regula fidei, *inquit Tertullianus*, una omnino est, sola immobilis & irreformabilis. *Sunt etiam quædam in quibus omnes Ecclesiæ particulares conveniunt: nempe* Lib. de vel. Virg.

*ſemper ubique in uſu fuit Pſalmorum modulatio, vel recitatio, lectio ſacræ Scripturæ, precatio pacis, preces diverſæ, gratiarum actio, & ſi qua alia ſunt ejuſdem generis. Modus autem & ritus, quibus hæc omnia peraguntur, verba quibus preces concipiuntur, ordo ceremoniarum, & reliqua minoris momenti diverſis Eccleſiis diverſa, & peculiaria fuerunt & ſunt: nec ita ab Apoſtolis & Apoſtolicis viris inſtituta fuerunt, ut perpetua forent & immutabilia.* Cetera jam diſciplinæ, *addit Tertullianus*, & converſationis admittunt novitatem. *Ideo in illis varietates apparent, & mutationes, quæ unitatem Eccleſiæ non ſcindunt, nec fideles offendunt.*

*Nicolaus I. Epiſtolâ ſecundâ ad Photium, eâ de re ſic habet:* De conſuetudinibus, quas nobis opponere viſi eſtis ſcribentes per diverſas Eccleſias diverſas eſſe conſuetudines, ſi illis canonica non obſiſtit autoritas, pro qua obviare debeamus, nihil judicamus, vel eis reſiſtimus. *Fulbertus Carnotenſis:* Nos, *inquit*, non

offendit obſervantiæ diverſitas, ubi fidei non ſcinditur unitas. *Et Socrates dicit cujuſque regionis varios eſſe ritus, licèt in eâdem fide conſentiant. Sanctus Gregorius Magnus Auguſtino quem in Angliam miſit, interroganti:* Cur una cum ſit fides, ſunt Eccleſiarum conſuetudines tam diverſæ? *Sic reſpondet*: Mihi placet, ut ſive in ſancta Romana, ſive in Galliarum, ſive in qualibet Eccleſia aliquid inveniſti, quod plus Omnipotenti Deo poſſit placere, ſollicitè eligas, & in Anglorum Eccleſia, quæ de multis Eccleſiis colligere potuiſti, infundas. Non enim pro locis res, ſed pro rebus loca nobis amanda ſunt. *Anſelmus Cantuarienſis habere nos à ſanctis Patribus ait, quod ſi unitas ſervatur caritatis in fide Catholica, nihil officit conſuetudo diverſa. Natas autem varietates aſſerit ex humanorum ſenſuum diverſitate, qui quamvis in unitate non diſſentiant, in aptitudine tamen & decentia adminiſtrationis non concordant; quia quod unus aptius eſſe judicat, alius ſæpe minus aptum æſtimat. Unde pro*

Epiſt. 2. ad Finard. Lib. 5. cap. 21.

*temporis tractu ad ceremonias pro vario Antistitum pietatis affectu alia atque alia addita, multa etiam mutata, videre est. Solus fidei Canon inconcussus, & immutabilis, cetera quæ ad ritus, & disciplinam pertinent, justa interveniente causa, sine reprehensione mutari possunt.*

*Dubitari autem non potest, Fratres carissimi, nihil cultui & officio divino magis congruere quam si Domino loquamur ipsius verbis in sacra Scriptura contentis.* Amica, *inquit sanctus Cyprianus*, & familiaris oratio est Deum de suo rogare. *Quid autem utilius quam duorum Testamentorum consonantiam dignoscere, cum sibi semper invicem respondeant juxta exemplar nobis monstratum à sancto Thoma Aquino in Officio sanctissimi Sacramenti?* In veteri Testamento, *ait sanctus Augustinus*, est occultatio novi, in novo Testamento est manifestatio veteris.

Lib. de orat Domin.

De Cath. Rud. cap. 4. num. 8.

*Certè sacris Ministris nihil salubrius esse potest quam intra diversa anni tempora, in*

*quibus diversa commemorantur divina Mysteria & diebus in quibus festivitates Sanctorum celebrantur, his incumbere Scripturæ sacræ locis ex quibus, si mentis aciem defigant, facillimè excitentur ad orationem mentalem, quæ nisi præcedat & subsequatur, commissum telluri semen facilè exaresçet. Si autem pietas hac meditatione nutriatur & crescat, hinc etiam divini verbi dispensatores virtutum incitamenta reperient quibus fideles populi sufficienter instituantur.*

*Quam sit utilis immò & necessaria sanctorum Canonum cognitio nemo non novit. In his, Fratres carissimi, & Ecclesiæ disciplinam & morum regulas docebimini. In his etiam recitationem totius Psalterii per unamquamque Hebdomadam, divisiones longiorum Psalmorum, aliasque regulas in hoc-ce Breviario observatas, à majorum nostrorum institutis & Conciliorum decretis, derivasse cognoscetis.* Fer. 5. Hebd. 18 post Pentec. & seqq.

*Ceterùm Eccleſiam noſtram peculiare Officium habuiſſe & proprios ritus priſcis Eccleſiæ Gallicanæ ritibus conformes, conſtat ex libris antiquis qui adhuc extant. Hos ritus, de Conſilio venerabilium Fratrum Noſtrorum Dignitatum & Canonicorum Eccleſiæ noſtræ, & quibuſdam adjuvantibus, in quantum fieri potuit, renovavimus.*

*Concedat omnipotens & miſericors Dominus nobis, Fratres cariſſimi, & omnibus his qui in poſterum hoc-ce orationum libro utentur; ut quotidiana hujus Officii divini recitatio pietatem nutriat & augeat: confirmet in omni opere & ſermone bono: mentem illuminet: cor in meditatione accendat igne illo cœleſti quem Chriſtus venit mittere in terram: doceat ſcientiam ſanctorum & ad omne bonum opus inſtruat.*

*MANDAMUS itaque omnibus ſinguliſque hujuſ-ce Diœceſis Mirapiſcenſis Clericis, qui ad Officii divini recitationem tenentur, ſive Beneficii ratione, ſeu ſacrorum Ordinum,*

*ut tam in officio publico quam in privata recitatione, hoc Breviario ſemper utantur.*

*Datum Mirapiſci in Palatio noſtro Epiſcopali, die vigeſima-quinta menſis Martii anni milleſimi ſeptingenteſimi quinquageſimi-tertii,*

† JOAN. BAPT. Epiſcopus Mirapiſcenſis.

De Mandato Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi
D. D. Epiſcopi Mirapiſcenſis,
BORN, *Secret.*

# TABULA TEMPORARIA

| Anni Domini. | Aureus Nu. | Epactæ. | Indictio. | Litt. Domin. | Domin. post Epiph. | Septuagesima. | Dies Cinerum. Simplex. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 1753 | 6 | xxv | 1 | g | 6 | 18 Febr. | 7 Mart. |
| 1754 | 7 | vj | 2 | f | 4 | 10 Febr. | 27 Febr. |
| 1755 | 8 | xvij | 3 | e | 2 | 26 Jan. | 12 Febr. |
| 1756 | 9 | xxviij | 4 | d c | 5 | 15 Febr. | 3 Mart. |
| 1757 | 10 | ix | 5 | b | 4 | 6 Febr. | 23 Febr. |
| 1758 | 11 | xx | 6 | A | 2 | 22 Jan. | 8 Febr. |
| 1759 | 12 | j | 7 | g | 5 | 11 Febr. | 28 Febr. |
| 1760 | 13 | xij | 8 | f e | 3 | 3 Febr. | 20 Febr. |
| 1761 | 14 | xxiij | 9 | d | 2 | 18 Jan. | 4 Febr. |
| 1762 | 15 | iv | 10 | c | 4 | 7 Febr. | 24 Febr. |
| 1763 | 16 | xv | 11 | b | 3 | 30 Jan. | 16 Febr. |
| 1764 | 17 | xxvj | 12 | A g | 6 | 19 Febr. | 7 Mart. |
| 1765 | 18 | vij | 13 | f | 3 | 3 Febr. | 20 Febr. |
| 1766 | 19 | xviij | 14 | e | 2 | 26 Jan. | 12 Febr. |
| 1767 | 1 | xxx | 15 | d | 5 | 15 Febr. | 4 Mart. |
| 1768 | 2 | xj | 1 | c b | 3 | 31 Jan. | 17 Febr. |
| 1769 | 3 | xxij | 2 | A | 2 | 22 Jan. | 8 Febr. |
| 1770 | 4 | iij | 3 | g | 4 | 11 Febr. | 28 Febr. |
| 1771 | 5 | xiv | 4 | f | 2 | 27 Jan. | 13 Febr. |
| 1772 | 6 | xxv | 5 | e d | 5 | 16 Febr. | 4 Mart. |
| 1773 | 7 | vj | 6 | c | 4 | 7 Febr. | 24 Febr. |
| 1774 | 8 | xvij | 7 | b | 3 | 30 Jan. | 16 Febr. |
| 1775 | 9 | xxviij | 8 | A | 5 | 12 Febr. | 1 Mart. |
| 1776 | 10 | ix | 9 | g f | 4 | 4 Febr. | 21 Febr. |
| 1777 | 11 | xx | 10 | e | 2 | 26 Jan. | 12 Febr. |
| 1778 | 12 | j | 11 | d | 5 | 15 Febr. | 4 Mart. |
| 1779 | 13 | xij | 12 | c | 3 | 31 Jan. | 17 Febr. |
| 1780 | 14 | xxiij | 13 | b A | 2 | 23 Jan. | 9 Febr. |
| 1781 | 15 | iv | 14 | g | 5 | 11 Febr. | 28 Febr. |
| 1782 | 16 | xv | 14 | f | 2 | 27 Jan. | 13 Febr. |
| 1783 | 17 | xxvj | 15 | e | 5 | 16 Febr. | 5 Mart. |
| 1784 | 18 | vij | 1 | d c | 4 | 8 Febr. | 25 Febr. |
| 1785 | 19 | xviij | 2 | b | 2 | 23 Jan. | 9 Febr. |
| 1786 | 1 | * | 3 | A | 5 | 12 Febr. | 1 Mart. |
| 1787 | 2 | xj | 4 | g | 4 | 4 Febr. | 21 Febr. |
| 1788 | 3 | xxij | 5 | f e | 1 | 20 Jan. | 6 Febr. |
| 1789 | 4 | iij | 6 | d | 4 | 8 Febr. | 25 Febr. |
| 1790 | 5 | xiv | 7 | c | 3 | 31 Jan. | 17 Febr. |
| 1791 | 6 | xxv | 8 | b | 6 | 20 Febr. | 9 Mart. |
| 1792 | 7 | vj | 9 | A g | 4 | 5 Febr. | 22 Febr. |

# FESTORUM MOBILIUM.

| *Anni Domini.* | *PASCHA.* Sol.I.Ord. | *Ascensio Domini.* Sol.II.Or. | *Pentecostes* Solemne I.Ordinis. | *Fest. Corp. Christi.* Sol.II.Or. | *Dom. post Pent.* | *Domin. prima Adven.* |
|---|---|---|---|---|---|---|
| 1753 | 22 April. | 31 Maii. | 10 Junii. | 21 Junii. | 24 | 2 Dec. |
| 1754 | 14 April. | 23 Maii. | 2 Junii. | 13 Junii. | 25 | 1 Dec. |
| 1755 | 30 Mart. | 8 Maii. | 18 Maii. | 29 Maii. | 27 | 30Nov. |
| 1756 | 18 April. | 27 Maii. | 6 Junii. | 17 Junii. | 24 | 28Nov. |
| 1757 | 10 April. | 19 Maii. | 29 Maii. | 9 Junii. | 25 | 27Nov. |
| 1758 | 26 Mart. | 4 Maii. | 14 Maii. | 25 Maii. | 28 | 3 Dec. |
| 1759 | 15 April. | 24 Maii. | 3 Junii. | 14 Junii. | 25 | 2 Dec. |
| 1760 | 6 April. | 15 Maii. | 25 Maii. | 5 Junii. | 26 | 30Nov. |
| 1761 | 22 Mart. | 30 April. | 10 Maii. | 21 Maii. | 28 | 29Nov. |
| 1762 | 11 April. | 20 Maii. | 30 Maii. | 10 Junii. | 25 | 28Nov. |
| 1763 | 3 April. | 12 Maii. | 22 Maii. | 2 Junii. | 26 | 27Nov. |
| 1764 | 22 April. | 31 Maii. | 10 Junii. | 21 Junii. | 24 | 2 Dec. |
| 1765 | 7 April. | 16 Maii. | 26 Maii. | 6 Junii. | 26 | 1 Dec. |
| 1766 | 30 Mart. | 8 Maii. | 18 Maii. | 29 Maii. | 27 | 30Nov. |
| 1767 | 19 April. | 28 Maii. | 7 Junii. | 18 Junii. | 24 | 29Nov. |
| 1768 | 3 April. | 12 Maii. | 22 Maii. | 2 Junii. | 26 | 27Nov. |
| 1769 | 26 Mart. | 4 Maii. | 14 Maii. | 25 Maii. | 28 | 3 Dec. |
| 1770 | 15 April. | 24 Maii. | 3 Junii. | 14 Junii. | 25 | 2 Dec. |
| 1771 | 31 Mart. | 9 Maii. | 19 Maii. | 30 Maii. | 27 | 1 Dec. |
| 1772 | 19 April. | 28 Maii. | 7 Junii. | 18 Junii. | 24 | 29Nov. |
| 1773 | 11 April. | 20 Maii. | 30 Maii. | 10 Junii. | 25 | 28Nov. |
| 1774 | 3 April. | 12 Maii. | 22 Maii. | 2 Junii. | 26 | 27Nov. |
| 1775 | 16 April. | 25 Maii. | 4 Junii. | 15 Junii. | 25 | 3 Dec. |
| 1776 | 7 April. | 16 Maii. | 26 Maii. | 6 Junii. | 26 | 1 Dec. |
| 1777 | 30 Mart. | 8 Maii. | 18 Maii. | 29 Maii. | 27 | 30Nov. |
| 1778 | 19 April. | 28 Maii. | 7 Junii. | 18 Junii. | 24 | 29Nov. |
| 1779 | 4 April. | 13 Maii. | 23 Maii. | 3 Junii. | 26 | 28Nov. |
| 1780 | 26 Mart. | 4 Maii. | 14 Maii. | 25 Maii. | 28 | 3 Dec. |
| 1781 | 15 April. | 24 Maii. | 3 Junii. | 14 Junii. | 25 | 2 Dec. |
| 1782 | 31 Mart. | 9 Maii. | 19 Maii. | 30 Maii. | 27 | 1 Dec. |
| 1783 | 20 April. | 29 Maii. | 8 Junii. | 19 Junii. | 24 | 30Nov. |
| 1784 | 11 April. | 20 Maii. | 30 Maii. | 10 Junii. | 25 | 28Nov. |
| 1785 | 27 Mart. | 5 Maii. | 15 Maii. | 26 Maii. | 27 | 27Nov. |
| 1786 | 16 April. | 25 Maii. | 4 Junii. | 15 Junii. | 25 | 3 Dec. |
| 1787 | 8 April. | 17 Maii. | 27 Maii. | 7 Junii. | 26 | 2 Dec. |
| 1788 | 23 Mart. | 1 Maii. | 11 Maii. | 22 Maii. | 28 | 30Nov. |
| 1789 | 12 April. | 21 Maii. | 31 Maii. | 11 Junii. | 25 | 29Nov. |
| 1790 | 4 April. | 13 Maii. | 23 Maii. | 3 Junii. | 26 | 28Nov. |
| 1791 | 24 April. | 2 Junii. | 12 Junii. | 23 Junii. | 23 | 27Nov. |
| 1792 | 8 April. | 17 Maii. | 27 Maii. | 7 Junii. | 26 | 2 Dec. |

*In sequenti Calendario, quantùm licuit, notatum est tempus quo quisque Sanctus obiit:* ann. *significat anno:* c. ann. *circa annum:* s. *seculo:* c. med. s. *circa medium seculi:* c. fin. s. *circa finem seculi.*

*Festa quæ majusculis notantur caracteribus, feriantur apud populum.*

---

# JANUARIUS.

| Cycl. Epact. | Litt. Dom. | Dies Mensis. | | |
|---|---|---|---|---|
| * | A | Cal. | 1 | CIRCUMCISIO DOMINI, FESTUM S. NOMINIS JESU, ET OCTAVA NATIVITATIS EJUS. *Solemne II. Ordinis.* |
| xxix | b | iv | 2 | Basilii magni, Cæsarienſis in Cappadocia Epiſcopi, & Eccleſiæ Doctoris, *Duplex II. Ordinis:* obiit 1. Januarii, ann. 379. |
| xxviij | c | iij | 3 | Genovefæ, Virginis Pariſienſis, *Simplex:* ann. 512. |
| xxvij | d | Prid. | 4 | Titi, Cretenſis Epiſcopi, *Semiduplex:* 1. s. |
| xxvj | e | Non. | 5 | Vigilia Epiphaniæ Domini, *ſine jejunio.* cum *commemor.* S. Simeonis Stylitæ, Anachor. prope Antioch. c. ann. 460. |
| 25. xxv | f | viij | 6 | EPIPHANIA DOMINI. *Solemne II. Ordinis.* *Si inciderit in Dominicam, hac die nihil fit de Dominica.* |
| xxiv | g | vij | 7 | De Octavâ Epiphaniæ, *Semiduplex:* cum *commem.* SS. Juliani & Baſiliſſæ, Martyrum in Ægypto, init. iv. s. |
| xxiij | A | vj | 8 | De Octavâ Epiphaniæ, *Semiduplex.* |
| xxij | b | v | 9 | De Octavâ Epiphaniæ, *Semiduplex.* |
| xxj | c | iv | 10 | De Octavâ Epiphaniæ, *Semiduplex.* cum *commemor.* ſancti Pauli, Eremitæ Theb. c. an. 341. |
| xx | d | iij | 11 | De Octavâ Epiphaniæ, *Semiduplex.* |
| xix | e | Prid. | 12 | De Octavâ Epiphaniæ, *Semiduplex.* |
| xviij | f | Idib. | 13 | Octava Epiphaniæ, & Baptiſmus Domini, *Duplex I. Ordinis.* |
| xvij | g | xix | 14 | Hilarii, Pictavienſis Epiſcopi & Eccl. Doct. (è 13.) *Duplex II. Ordinis:* c. ann. 368. cum *commem.* S. Felicis, Preſbyt. Nolani, c. ann. 265. |
| xvj | A | xviij | 15 | Mauri, Glannofolienſis Abbatis, *Semidupl.* c. fin. vi. s. |
| xv | b | xvij | 16 | |
| xiv | c | xvj | 17 | Antonii, Ægyptii Abbatis, *Semid.* ann. 356. cum *commem.* S. Sulpicii, Bituricenſis Epiſcopi, c. ann. 644. |

| Cycl. Epact. | Litt. Dom. | Dies Mensis. | | JANUARIUS. |
|---|---|---|---|---|
| xiij | d | xv | 18 | Pontificatus, seu Cathedra S. Petri Apostoli, quà Antiochiæ primum sedit, deinde Romæ, *Duplex I. Ordinis.* |
| | | | | [ *Prima Sedes Septuagesimæ.* |
| xij | e | xiv | 19 | Fulgentii, Episc. & Doctor. *Semid.* ann. 533. ( è 1. ) |
| xj | f | xiij | 20 | Sebastiani, Romæ Martyris, *Duplex II. Ordinis :* c. ann. 288. cum *commem.* sancti Fabiani, Papæ & Martyr. ann. 250. |
| x | g | xij | 21 | Agnetis, Romæ Virginis & Martyr. *Semid.* c. ann. 304. |
| ix | A | xj | 22 | Vincentii, Cæsarauguſtani Diaconi Valentiæ in Hispania Martyris, *Semiduplex :* ann. 304. |
| viij | b | x | 23 | |
| vij | c | ix | 24 | Timothei, Ephesini Episcopi & Martyris, *Semiduplex :* ann. 97. |
| vj | d | viij | 25 | Conversio sancti Pauli, Apostoli, *Duplex I. Ordinis :* ann. 34. vel 35. |
| v | e | vij | 26 | Polycarpi, Smyrnensis Episcopi & Martyr. *Semiduplex :* c. med. II. s. |
| iv | f | vj | 27 | Joannis Chrysostomi, Constant. Episcopi & Ecclesiæ Doctoris, *Duplex II. Ordinis :* ann. 407. ( è 14. Sept. ) Translatio hâc die 438. |
| iij | g | v | 28 | |
| ij | A | iv | 29 | Francisci Salesii, Genevensis Episcopi, *Duplex II. Ordinis* : ann. 1622. ( è 28. Decemb. ) |
| j | b | iij | 30 | Bathildis, Reginæ Francorum, Viduæ, *Semiduplex :* c. ann. 680. |
| * | c | Prid. | 31 | Petri Nolasci, Cœnobitæ, institut. Ordin. B. Mariæ de Mercede, *Semiduplex :* ann. 1256. |

| | | | | FEBRUARIUS. |
|---|---|---|---|---|
| xxix | d | Cal. | 1 | Ignatii, Antiocheni Episcopi & Martyris. *Semiduplex :* ann. 107. ( è 20. Decemb. ) |
| xxviij | e | iv | 2 | *PRÆSENTATIO DOMINI ET PURIFICATIO BEATÆ MARIÆ VIRGINIS. Solemne II. Ordinis.* |
| xxvij | f | iij | 3 | Blasii, Episcopi Sebastiæ in Armenia minori, & ibid. Martyris, *Simplex :* c. init. IV. s. |
| 25. xxvj | g | Prid. | 4 | *Prima Sedes diei Cinerum.* |

| Cycl. Epact. | Litt. Dom. | Dies Mensis. | |
|---|---|---|---|
| xxv. xxiv | A | Non | 5 | Agathæ, Catanensis Virginis & Martyris, *Simplex*: ann. 251. [ In Quadragesimâ *commemoratio.* ] |
| xxiij | b | viij | 6 | |
| xxij | c | vij | 7 | |
| xxj | d | vj | 8 | Joannis de Matha, Presbyt. Ordin. SS. Trinitatis Fundat. *Semid.* ann. 1213. ( è 21. Decemb. ) [ In Quadragesimâ *commem.* ] |
| xx | e | v | 9 | Apolloniæ, Alexandrinæ Virginis & Mart. *Simpl.* an. 249. [ In Quadrag. *commem.* ] |
| xix | f | iv | 10 | |
| xviij | g | iij | 11 | Benedicti, Anianensis Abbatis, *Simplex*: ann. 821. [ In Quadragesf. *commemor.* ] |
| xvij | A | Prid | 12 | |
| xvj | b | Idib. | 13 | |
| xv | c | xvj | 14 | |
| xiv | d | xv | 15 | |
| xiij | e | xiv | 16 | |
| xij | f | xiij | 17 | Sylvini Tolosæ nati, Episcopi, *Semiduplex*: ann. 728. [ In Quadrag. *commemor.* ] |
| xj | g | xij | 18 | Simeonis, Hierosolymitani Episcopi & Martyris, *Simplex*: ann. 107. [ In Quadragesimâ *commem.* ] |
| x | A | xj | 19 | |
| ix | b | x | 20 | Cyrilli, Alexandrini Episcopi & Doctoris, *Semiduplex*: ann. 445. [ Intrà Quadragesimam *commemoratio.* ] |
| viij | c | ix | 21 | *Ultima Sedes Septuagesimæ.* |
| vij | d | viij | 22 | |
| vj | e | vij | 23 | |
| v | f | vj | 24 | } Matthiæ, Apostoli, *Duplex I. Ordin.* 1. cl. } *In anno Bissextili.* |
| iv | g | v | 25 | |
| iij | A | iv | 26 | |
| ij | b | iij | 27 | |
| j | c | Prid. | 28 | |
| * | * | * | 29 | *In anno Bissextili tantùm: ceteri anni hac die carent.* |

---

*In annis Bissextilibus* ( *ii sunt quibus in Tabula temporaria Festorum mobilium, assignatur duplex littera Dominicalis*) *additur dies intercalcaris, & bis dicitur* Sexto Calendas Martii, *nempe*, die 25. & 26. *unde illi anni Bissextiles vocantur: & Festum S. Matthiæ, quod in aliis annis celebratur die* 24, *in anno Bissextili die* 25. *celebratur. Littera Dominicalis quæ fuit assumpta mense Januario mutatur in præcedentem.*

# MARTIUS.

| Cycl. Epact. | Litt. Dom. | Dies Mensis. | | |
|---|---|---|---|---|
| * | d | Cal. | 1 | |
| xxix | e | vj | 2 | |
| xxviij | f | v | 3 | |
| xxvij | g | iv | 4 | |
| xxvj | A | iij | 5 | |
| 25. xxv | b | Prid. | 6 | |
| xxiv | c | Non | 7 | SS. Perpetuæ & Felicitatis, Carthaginenſium Martyrum, *Simplex*: [ In Quadrageſimâ *commemor.* ] c. ann. 204. [ Feſtum S. Thomæ Aquinatis fit die 18. Julii. ] |
| xxiij | d | viij | 8 | *Prima Sedes Novilunii Paſchalis.* |
| xxij | e | vij | 9 | |
| xxj | f | vj | 10 | *Ultima Sedes diei Cinerum.* |
| xx | g | v | 11 | |
| xix | A | iv | 12 | [ De S. Gregorio Papa fit 3. Septembr. ] *Feriâ* VI. *poſt Dominicam Paſſionis fit Officium de Compaſſione B. Mariæ Virginis, Duplex II. Ordinis.* |
| xviij | b | iij | 13 | |
| xvij | c | Prid. | 14 | *A Dominica Palmarum incluſivè uſque ad Dominicam in Albis incluſivè Officium Semiduplex aut Simplex occurrens omittitur; Duplex verò & ſupra tranſfertur.* |
| xvj | d | Idib. | 15 | |
| xv | e | xvij | 16 | |
| xiv | f | xvj | 17 | |
| xiij | g | xv | 18 | |
| xij | A | xiv | 19 | Joſeph, ſponſi B. Mariæ Virginis, *Duplex I. Ordinis.* I. ſ. |
| xj | b | xiij | 20 | |
| x | c | xij | 21 | |
| ix | d | xj | 22 | *Primum Paſcha.* |
| viij | e | x | 23 | |
| vij | f | ix | 24 | |
| vj | g | viij | 25 | *ANNUNTIATIO ET INCARNATIO DOMINI. Solemne I. Ordinis.* ( cum Octavâ, quando Paſchâ occurrit die 22. vel 23. Martii. ) |
| v | A | vij | 26 | |

| Cycl. Epact. | Litt. Dom. | Dies Mensis. | | MARTIUS. |
|---|---|---|---|---|
| iv | b | vj | 27 | |
| iij | c | v | 28 | |
| ij | d | iv | 29 | |
| j | e | iij | 30 | |
| * | f | Prid. | 31 | [ De Octavâ Annuntiationis, quando Paſcha occurrit die 22. Martii, *Semiduplex.* ] |

## APRILIS.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| xxix | g | Cal. | 1 | Octava Annuntiationis, *Duplex I. Ordinis.* [ modò Paſcha occurrat die 22. vel 23. Martii. ] |
| xxviij | A | iv | 2 | Franciſci de Paula, Inſtit. Ordin. Minim. *Semiduplex:* an. 1507. [ In Quadrageſima *commem.* ] |
| xxvij | b | iij | 3 | |
| 25. xxvj | c | Prid. | 4 | Iſidori, Hiſpalenſis Epiſcopi & Doctoris, *Semiduplex:* an. 636. [ In Quadrageſima *Commem.* ] |
| xxv. xxiv | d | Non | 5 | Vincentii Ferrerii, Preſbyteri Ordinis Prædicat. *Semiduplex:* ann. 419. [ In Quadrageſ. *commemor.* ] |
| | | | | *Ultima Sedes Novilunii Paſchalis.* |
| xxiij | e | viij | 6 | |
| xxij | f | vij | 7 | |
| xxj | g | vj | 8 | |
| xx | A | v | 9 | |
| xix | b | iv | 10 | |
| xviij | c | iij | 11 | |
| xvij | d | Prid. | 12 | |
| xvj | e | Idib. | 13 | Juſtini, Martyris, *Semiduplex:* ann. 167. [ Intrà Hebdomadam Paſſionis *commemoratio.* ] |
| xv | f | xviij | 14 | |
| xiv | g | xvij | 15 | |
| xiij | A | xvj | 16 | |
| xij | b | xv | 17 | |
| xj | c | xiv | 18 | |
| x | d | xiij | 19 | |
| ix | e | xij | 20 | |
| viij | f | xj | 21 | Anſelmi, Cantuarienſis Epiſcopi & Doctor. *Semid.* ann. 1109. |
| vij | g | x | 22 | |
| vj | A | ix | 23 | Georgii, Martyr. in Oriente, *Simplex:* c. ann. 303. |
| v | b | viij | 24 | |

Marci

| Cycl. Epact. | Litt. Dom. | Dies Mensis. | | APRILIS. |
|---|---|---|---|---|
| iv | c | vij | 25 | Marci, Evangeliſtæ, *Duplex I. Ordinis* ann. 68. |
| | | | | *Ultima Sedes Paſchæ.* |
| iij | d | vj | 26 | Cleti (ſeu Anacleti) Papæ & Martyris, *Simplex* : c. ann. 91. |
| ij | e | v | 27 | Hermenigildi, Martyris, *Semiduplex* : (è 13.) ann. 586. |
| j | f | iv | 28 | |
| * | g | iij | 29 | Mariæ Ægyptiacæ, Pœnitentis, *Semiduplex* : c. ann. 421 |
| xxix | A | Prid. | 30 | Eutropii, Santonenſis Epiſcopi & Martyris, *Simplex* : 111. ſ. |

## MAIUS.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| xxviij | b | Cal. | 1 | Philippi & Jacobi (Alphæi) Apoſtolorum, *Duplex I. Ordinis* : 1. ſ. |
| xxvij | c | vj | 2 | Athanaſii, Alexandrini Epiſcopi & Eccleſiæ Doctoris, *Duplex II. Ordinis* : ann. 373. |
| xxvj | d | v | 3 | Inventio ſanctæ Crucis, ann. 326. *Solemne III. Ordinis* : cum *commemor.* ſancti Alexandri, Papæ & Martyris, c. ann. 119. |
| 25. xxv | e | iv | 4 | Monicæ, Viduæ Tagaſtenſis, *Semid.* ann. 387. |
| xxiv | f | iij | 5 | Martyrum pro Solemnitate Paſchali occiſorum, *Semiduplex* : ann. 459. |
| xxiij | g | Prid. | 6 | Joannis, Apoſtoli & Evangeliſtæ, ante Portam Latinam, *Duplex II. Ordinis* : c. ann. 95. |
| xxij | A | Non | 7 | |
| xxj | b | viij | 8 | |
| xx | c | vij | 9 | Gregorii Nazianzeni, Conſtantinop. Epiſc. & Eccleſiæ Doctoris, *Duplex II. Ordinis* : ann. 391. |
| xix | d | vj | 10 | *Prima Sedes Pentecoſtes.* |
| xviij | e | v | 11 | Mamerti, Viennenſis Epiſcopi, *Simplex* : ann. 475. |
| xvij | f | iv | 12 | Epiphanii, Salaminæ Epiſcopi & Doctoris, *Semid.* an. 403. |
| xvj | g | iij | 13 | |
| xv | A | Prid. | 14 | Pachomii, Tabennæ in Thebaïde Abbatis, (è 9.) *Simpl.* cir. ann. 350. |
| xiv | b | Idib. | 15 | |

| Cycl. Epact. | Litt. Dom. | Dies Mensis. | | MAIUS. |
|---|---|---|---|---|
| xiij | c | xvij | 16 | Germerii, Episcopi Tolosani, *Semiduplex*: c. ann. 560. *Dominicâ prima post Pentecosten, fit Officium de SS. TRINITATE*, Solemne II. Ordinis. |
| xij | d | xvj | 17 | Joannis Nepomuceni, Canonici Pragensis Presbyt. & Martyr. *Simplex*: xi. sec. |
| xj | e | xv | 18 | |
| x | f | xiv | 19 | Petri Cælestini, Papæ, Congregat. Cælestin. Instit. *Semid.* ann. 1296. cum *commemor.* S. Yvonis, Presbyter. init. xiv. sec. |
| ix | g | xiij | 20 | |
| viij | A | xij | 21 | |
| vij | b | xj | 22 | |
| vj | c | x | 23 | |
| v | d | ix | 24 | Francisci Regis, Presbyt. è Societate Jesu, *Semid.* ann. 1642. |
| iv | e | viij | 25 | |
| iij | f | vij | 26 | Philippi Nerii Presbyteri, Congreg. Oratorii Rom. Institut. *Simplex*: ann. 1595. |
| ij | g | vj | 27 | |
| j | A | v | 28 | Guillelmi Aquitaniæ Ducis, Comitis Tolos. demum Monachi, *Semiduplex*: ann. 812. cum *commem.* sancti Germani, Parisiensis Episcopi, ann. 576. |
| * | b | iv | 29 | |
| xxix | c | iij | 30 | |
| xxviij | d | Prid. | 31 | |

## JUNIUS.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| xxvij | e | Cal. | 1 | |
| 25. xxvj | f | iv | 2 | Pothini, Lugdunensis Episcopi, Blandinæ, Virginis, & Socior. Mart. *Semid.* an. 177. *comm.* SS. Marcellini & Petri, Mart. ann. 304. |
| xxv. xxiv | g | iij | 3 | Clotildis Francorum Reginæ, Viduæ, *Simpl.* ante med. vi. s. |
| xxiij | A | Prid. | 4 | |
| xxij | b | Non | 5 | |
| xxj | c | viij | 6 | Norberti, Magdeburgensis Episcopi, Instit. Ord. Præmonstratensis, *Semid.* ann. 1134. |
| xx | d | vij | 7 | |
| xix | e | vj | 8 | |
| xviij | f | v | 9 | |
| xvij | g | iv | 10 | |
| xvj | A | iij | 11 | Barnabæ, Gentium Apostoli, *Duplex I. Ordinis*: 1. sec. |

| Cycl. Epact. | Litt. Dom. | Dies Mensis. | JUNIUS. |
|---|---|---|---|
| xv | b | Prid. 12 | |
| xiv | c | Idib. 13 | *Ultima Sedes Pentecostes.* |
| xiij | d | xviij 14 | |
| xij | e | xvij 15 | |
| xj | f | xvj 16 | Ciryci & Julittæ matris ejus, Tharsi in Sicilia Martyrum, *Simplex* : init. iv. sec. |
| x | g | xv 17 | |
| ix | A | xiv 18 | |
| viij | b | xiij 19 | Gervasii & Protasii, Mediolanensium Martyrum, *Simplex* : i. vel ii. sec. |
| vij | c | xij 20 | |
| vj | d | xj 21 | |
| v | e | x 22 | Paulini, Nolani Episcopi, *Semiduplex* : ann. 431. |
| | | | Vigilia, *cum jejunio.* |
| iv | f | ix 23 | |
| iij | g | viij 24 | Nativitas S. Joannis Baptistæ, *Solemne II. Ordinis*, cum *Octavâ.* |
| ij | A | vij 25 | De Octavâ, *Semiduplex.* |
| j | b | vj 26 | De Octavâ, *Semiduplex* : cum *commemor.* SS. Joannis & Pauli, Romæ Martyr. c. ann. 362. |
| * | c | v 27 | Irenæi, Lugdunensis Episcopi & Doctoris, & Sociorum ejus, Martyrum, *Semidup.* c. ann. 202. *cum commemor.* Octavæ. |
| xxix | d | iv 28 | Vigilia SS. Apostolorum Petri & Pauli, *cum jejunio.* cum *commem.* Octavæ sancti S. Joannis Baptistæ. |
| xxviij | e | iij 29 | Petri & Pauli, Apostolorum, *Solemne II. Ordinis* : ann. 66. vel 67. cum *comm.* de Octavâ S. Joann. |
| xxvij | f | Prid. 30 | Commemoratio S. Pauli, Apostoli, *Duplex I. Ordinis* : cum *commem.* S. Petri Apost. Octavæ S. Joann. & S. Martialis, Lemovicensis Episcopi, iii. sec. |

## JULIUS.

| | | | |
|---|---|---|---|
| xxvj | g | Cal. 1 | Octava Nativitatis sancti Joannis Baptistæ, *Duplex II. Ordinis* : cum *commem.* Octavæ SS. Apostolorum. |
| 25. xxv | A | vj 2 | Visitatio B. Mariæ, Virginis, *Solemne III. Ordinis* : cum *commem.* Octavæ SS. Apost. |
| xxiv | b | v 3 | De Octavâ SS. Apostolorum Petri & Pauli, *Semiduplex.* |
| xxiij | c | iv 4 | De Octavâ SS. Apostolorum, *Semiduplex.* |
| xxij | d | iij 5 | De Octavâ SS. Apostolorum, *Semiduplex.* |

# JULIUS.

| Cycl. Epact. | Litt. Dom. | Dies Mensis. | | |
|---|---|---|---|---|
| xxj | e | Prid. | 6 | Octavâ SS. Apostolorum Petri & Pauli, *Duplex II. Ordinis.* |
| xx | f | Non | 7 | |
| xix | g | viij | 8 | |
| xviij | A | vij | 9 | |
| xvij | b | vj | 10 | Septem Fratrum, ac S. Felicitatis eorum matris, Romæ Martyrum, *Simplex:* (è 23. Novemb.) cir. ann. 164. cum *commem.* SS. Rufinæ & Secundæ, Martyrum, ann. 252. |
| xvj | c | v | 11 | Benedicti, Cassinensis Abbat. (è 21. Mart.) *Duplex II. Ordinis:* ann. 543. Translatio hâc die: c. ann. 653. |
| xv | d | iv | 12 | |
| xiv | e | iij | 13 | Sylæ, socii Apostoli Pauli, *Simplex:* 1. s. |
| xiij | f | Prid. | 14 | Bonaventuræ, Albanensis Episcopi & Doct. *Semid.* ann. 1274. |
| xij | g | Idib. | 15 | Jacobi, Episcopi Nisibeni, *Semiduplex:* IV. s. |
| xj | A | xvij | 16 | Henrici, Imperatoris, Justi, *Semiduplex:* ann. 1024. |
| x | b | xvj | 17 | Sperati & Sociorum ejus Martyrum, *Simplex:* ann. 200. |
| ix | c | xv | 18 | Thomæ Aquinatis, Doctoris, (è 7. Mart.) *Duplex II. Ordinis:* ann. 1274. *Canonisatio hâc die:* ann. 1323. cum *commemor.* S. Symphorosæ & septem Filiorum ejus Martyrum. |
| viij | d | xiv | 19 | Vincentii à Paulo, Presbyt. Congr. Missionis Fundat. *Duplex II. Ordinis:* ann. 1660. cum *commem.* S. Arsenii Diaconi, Anachoretæ, an. 445. |
| vij | e | xiij | 20 | |
| vj | f | xij | 21 | Victoris, Martyr. *Simpl.* cir. ann. 290. |
| v | g | xj | 22 | Mariæ Magdalenes, *Duplex II. Ordinis:* 1. sec. |
| iv | A | x | 23 | |
| iij | b | ix | 24 | |
| ij | c | viij | 25 | Jacobi (Zebedæi) Apostoli, *Duplex I. Ordinis:* ann. 44. |
| j | d | vij | 26 | Joachim & Annæ parentum B. Mariæ, Virginis, *Duplex I. Ordinis.* |
| * | e | vj | 27 | |
| xxix | f | v | 28 | Nazarii & Celsi, Mediolan. Martyr. 1. vel 11. s. *Simpl.* |
| xxviij | g | iv | 29 | Lazari, (è 17. Decemb.) Marthæ, (è 17. Octob.) & Mariæ (è 17. Mart.) sororum ejus, Christi hospitum: *Duplex II. Ordinis:* 1. s. cum *commem.* sancti Lupi, Trecensis Episcopi, c. ann. 479. |
| xxvij | A | iij | 30 | Germani, Autissiodorensis Episcopi, *Simpl.* ann. 448. cum *commem.* SS. Abdon & Sennen, Martyrum, ann. 250. |

| Cycl. Epact. | Litt. Dom. | Dies Mensis. | JULIUS. |
|---|---|---|---|
| 25. xxvj | b | Prid. 31 | Ignatii Loyolæ, Presbyt. Institut. Societat. Jesu, *Semiduplex* : ann. 1556. |

## AUGUSTUS.

| | | | |
|---|---|---|---|
| xxv. xxiv | c | Cal. 1 | Petri ad Vincula, *Duplex II. Ordinis* : ann. 44. cum *commem.* S. Felicis, Mart. ann. 304. |
| xxiij | d | iv 2 | Stephani, Papæ & Martyris, *Simplex* : ann. 257. |
| xxij | e | iij 3 | Inventio Corporis S. Stephani, Protomart. *Semid.* ann. 415. cum *commem.* Septem Fratrum Machabæorum, & eorum Matris, Martyr. c. ann. 167. ante Christ. |
| xxj | f | Prid. 4 | Dominici, Presbyt. Instit. Ordinis Fratrum Prædicat. *Duplex II. Ordinis* : ann. 1221. (è 6.) |
| xx | g | Non 5 | |
| xix | A | viij 6 | Transfiguratio Domini, *Solemne III. Ordin.* ann. 32. cum *commemor.* S. Sixti, Papæ & Martyr. ann. 258. |
| xviij | b | vij 7 | Justi & Pastoris, Martyrum Complut. *Semid.* c ann. 282. |
| xvij | c | vj 8 | |
| xvj | d | v 9 | |
| xv | e | iv 10 | Laurentii, Diaconi & Martyris, *Duplex I. Ordinis* : ann. 258. |
| xiv | f | iij 11 | |
| xiij | g | Prid. 12 | Claræ, Virginis, Clariss. Abbatissæ, *Semiduplex* : 1253. |
| xij | A | Idib. 13 | Radegundis, Francorum Reginæ, Viduæ; *Semiduplex* : ann. 587. |
| | | | Vigilia, *cum jejunio.* |
| xj | b | xix 14 | |
| x | c | xviij 15 | *ASSUMPTIO B. MARIÆ VIRGINIS*, *Solemne I. Ordinis* : 1. sec. Nona Lectio Officii Nocturni, pro *commem.* de voto Ludov. XIII. |
| ix | d | xvij 16 | De Octavâ Assumpt. *Semid.* cum *commem.* sancti Rochi, apud Montem Pessulanum, Laïci, c. ann. 1327. |
| viij | e | xvj 17 | De Octavâ Assumptionis B. Mariæ Virginis, *Semiduplex.* |
| vij | f | xv 18 | De Octavâ Assumpt. *Semid.* |
| vj | g | xiv 19 | Ludovici, Episc. Tolos. *Duplex II. Ordinis* : c. fin. XIII. s. cum *comm.* Oct. Assumpt. |
| v | A | xiij 20 | Bernardi, primi Claravallensis Abbatis, & Ecclesiæ Doctoris, *Duplex II. Ordinis* : ann. 1153. cum *commem.* Octavæ. |
| iv | b | xij 21 | De Octavâ Assumpt. *Semiduplex.* |

| Cycl. Epact. | Litt. Dom. | Dies Mensis. | | AUGUSTUS. |
|---|---|---|---|---|
| iij | c | xj | 22 | Octava Assumptionis B. Mariæ Virginis, *Duplex I. Ordinis.* |
| ij | d | x | 23 | Helenæ Imperatoris, Viduæ, *Semiduplex:* ann. 328. (è 18.) |
| j | e | ix | 24 | Bartholomæi, Apostoli, *Duplex I. Ordinis:* I. sec. |
| * | f | viij | 25 | Ludovici IX. Regis Franciæ, *Duplex II. Ordinis:* ann. 1270. |
| xxix | g | vij | 26 | Genesii, Romani Martyris, *Semiduplex,* (è 25.) ann. 285. |
| xxviij | A | vj | 27 | Cæsarii, Arelatensis Episcopi & Doctoris, *Semiduplex:* ann. 542. |
| xxvij | b | v | 28 | Augustini, Hipponensis Episcopi & Ecclesiæ Doctoris, *Duplex II. Ordinis:* ann. 430. cum *commem.* sancti Juliani, Brivatensis Martyris, c. ann. 304. |
| xxvj | c | iv | 29 | Decollatio S. Joannis-Baptistæ, *Duplex I. Ordinis:* ann. 32. |
| 25. xxv | d | iij | 30 | |
| xxiv | e | Prid. | 31 | Raymundi Nonnati, Presbyteri, *Simplex:* ann. 1240. |

## SEPTEMBER.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| xxiij | f | Cal. | 1 | Lupi, Senonensis Episcopi, *Semiduplex:* ann. 628. cum *commemor.* sancti Ægidii, Abbatis in Occitania, c. ann. 547. |
| xxij | g | iv | 2 | Antonini, Martyris, Apamiensium Patroni, *Simplex:* III. sec. |
| xxj | A | iij | 3 | Gregorii Magni, Papæ & Ecclesiæ Doctoris, *Duplex II. Ordinis:* ann. 604. (è 12. Mart.) Ordinatio hac die, ann. 590. |
| xx | b | Prid. | 4 | |
| xix | c | Non | 5 | Laurentii Justiniani, Venet. Patriarchæ, *Simplex:* ann. 1455. |
| xviij | d | viij | 6 | |
| xvij | e | vij | 7 | Clodoaldi, Presbyt. *Simplex:* ann. 568. |
| xvj | f | vj | 8 | *NATIVITAS B. MARIÆ VIRGINIS, Solemne II. Ordinis.* |
| xv | g | v | 9 | De Octavâ Nativitatis B. M. V. *Semiduplex.* |
| xiv | A | iv | 10 | De Octavâ Nativitatis B. Mariæ Virginis, *Semiduplex:* cum *commem.* S. Salvii, Albig. Episcopi, ann. 584. |
| xiij | b | iij | 11 | } De Octavâ Nativitatis B. M. V. *Semid.* |
| xij | c | Prid. | 12 | |
| xj | d | Idib. | 13 | |
| x | e | xviij | 14 | Exaltatio sanctæ Crucis, (imperante Constantino, ann. 326. vel 327. imperante Heraclio, ann. 629.) *Duplex I. Ordinis:* cum |

| Cycl. Epact. | Litt. Dom. | Dies Mensis. | | SEPTEMBER. |
|---|---|---|---|---|
| | | | | *commem.* Octav. Nativit. B. Mariæ Virgin. & S. Cornelii, Papæ & Mart. ann. 251. *Feriâ* IV. VI. *& Sabbato post Festum Exaltationis S. Crucis, celebrantur jejunia Quatuor Temporum.* |
| ix | f | xvij | 15 | Octavâ Nativit. B. M. V. *Duplex II. Ordinis.* |
| viij | g | xvj | 16 | Camellæ, Virginis & Martyris, *Duplex I. Ordinis :* XII. sec. |
| vij | A | xv | 17 | Cypriani, Carthaginensis Episcopi Ecclesiæ Doctoris & Mart. *Semiduplex :* ann. 258. |
| vj | b | xiv | 18 | |
| v | c | xiij | 19 | Januarii, Benevent. Episcopi & Sociorum ejus, Martyrum, *Simplex :* IV. sec. |
| iv | d | xij | 20 | |
| iij | e | xj | 21 | Matthæi, Apostoli & Evangelistæ ; *Duplex I. Ordinis :* I. sec. |
| ij | f | x | 22 | |
| j | g | ix | 23 | Theclæ, Virgin. & Martyris, *Simplex :* c. fin. I. S. cum *commem.* S. Lini, Papæ & Martyris, c. ann. 78. |
| * | A | viij | 24 | |
| xxix | b | vij | 25 | *MAURICII ET SOCIORUM EJUS MARTYRUM, ECCLESIÆ CATHEDRALIS ET TOTIUS DIŒCESIS PATRONORUM, Solemne I. Ordinis :* ann. 286. ( è 22. ne occurrat in Feriis Quatuor Temporum. ) |
| xxviij | c | vj | 26 | De Octavâ, *Semiduplex.* |
| xxvij | d | v | 27 | De Octavâ, *Semiduplex :* cum *commem.* SS. Cosmæ & Damiani, Fratrum Martyrum, IV. sec. |
| 25. xxvj | e | iv | 28 | Exuperii, Tolosani Episcopi, *Duplex II. Ordinis :* V. S. cum *commem.* Octavæ. |
| xxv. xxiv | f | iij | 29 | Michaelis Archangeli, & Omnium Angelorum, *Solemne III. Ordinis.* Hoc Festum in Apulia sumpsit exordium V. vel VI. sec. *commem.* Octavæ. |
| xxiij | g | Prid. | 30 | Hieronymi, Presbyt. & Ecclesiæ Doctoris, *Duplex II. Ordinis :* ann. 420. cum *commem.* Octavæ. |

| | | | | OCTOBER. |
|---|---|---|---|---|
| xxij | A | Cal. | 1 | De Octavâ, *Semiduplex.* |
| xxj | b | vj | 2 | Octava SS. Mauricii & Sociorum Martyr. *Duplex I. Ordinis.* |
| xx | c | v | 3 | Angelorum Custodum, *Duplex I. Ordinis.* Hoc Festum Paris. instit. ann. 1680. cum *commemor.* S. Dionysii Areopagitæ, Athenarum Episcopi & Mart. c. fin. I. sec. |

# OCTOBER.

| Cycl. Epact. | Litt. Dom. | Dies | Mensis. | |
|---|---|---|---|---|
| xix | d | iv | 4 | Franciſci, Aſſiſinatis in Umbria, Cœnobitæ, Inſtitut. Ordin. Fratrum Minorum, *Semiduplex*: ann. 1226. |
| xviij | e | iij | 5 | Remigii, Remenſis Epiſcopi, (è 13. Jan.) *Semiduplex*: ann. 533. |
| xvij | f | Prid. | 6 | Brunonis, Monachi, Inſtit. Ordin. Carthuſianorum, ann. 1101. *Semid.* cum *comm.* S. Fidis, Aginnenſis Virginis & Martyr. ann. 287. vel 290. |
| xvj | g | Non | 7 | *Dominica II. Octobris, ſit* ANNIVERSARIUM DEDICATIONIS ECCLESIÆ CATHEDRALIS, ann. 1506. *& Omnium Eccleſiarum totius Diœceſis.* Solemne II. Ordinis: *cum Octava.* |
| xv | A | viij | 8 | |
| xiv | b | vij | 9 | Dionyſii, Pariſienſis Epiſcopi & Sociorum Martyrum, *Semiduplex*: III. ſec. |
| xiij | c | vj | 10 | |
| xij | d | v | 11 | |
| xj | e | iv | 12 | |
| x | f | iij | 13 | Geraldi, Comitis Aureliacenſis, Laïci, *Simplex*: ann. 909. |
| ix | g | Prid. | 14 | |
| viij | A | Idib. | 15 | Thereſiæ, Virginis, Inſtauratricis Ordin. Carmel. *Semiduplex*: ann. 1582. cum *commem.* S. Bertrandi, Convennarum Epiſcopi, ann. 1120. |
| vij | b | xvij | 16 | Gauderici Agricolæ, *Solemne II. Ordinis*: IX. ſ. |
| vj | c | xvj | 17 | De Octavâ S. Gauderici, *Semiduplex.* |
| v | d | xv | 18 | Lucæ, Evangeliſtæ, *Duplex I. Ordinis*: I. ſec. cum *commem.* Octavæ. |
| iv | e | xiv | 19 | De Octavâ, *Semiduplex.* |
| iij | f | xiij | 20 | De Octavâ S. Gauderici, *Semiduplex*: cum *commem.* S. Capraſii, Martyris Aginnenſis, c. fin. III. ſec. |
| ij | g | xij | 21 | De Octavâ, *Semid.* cum *commem.* S. Hilarionis, Abbatis, ann. 371. & SS. Urſulæ, & Sociarum, Virg. & Mart. c. med. v. ſ. |
| j | A | xj | 22 | De Octavâ S. Gauderici, *Semiduplex.* |
| * | b | x | 23 | Octava & Tranſlatio S. Gauderici, *Duplex II. Ordinis.* |
| xxix | c | ix | 24 | |
| xxviij | d | viij | 25 | Criſpini & Criſpiniani Fratrum, Sueſſionenſium Martyr. *Simplex*: cir. fin. III. ſec. |
| xxvij | e | vij | 26 | Revelatio SS. Mauricii & Sociorum ejus Martyrum, *Duplex I. Ordinis.* |
| xxvj | f | vj | 27 | |
| 5. xxv | g | v | 28 | Simonis & Judæ, Apoſtolorum, *Duplex. I. Ordinis*: I. ſ. |
| xxiv | A | iv | 29 | |

| Cycl. Epact. | Litt. Dom. | Dies Mensis. | | OCTOBER. |
|---|---|---|---|---|
| xxiij | b | iij | 30 | Marcelli, Centurionis Martyris, *Simplex* : c. ann. 298. |
| xxij | c | Prid. | 31 | Vigilia, *cum jejunio.* |

## NOVEMBER.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| xxj | d | Cal. | 1 | *OMNIUM SANCTORUM*, *Solemne I. Ordinis.* Institut. IX. sec. |
| xx | e | iv | 2 | Commemoratio Omnium Fidelium Defunctorum, *Duplex I. Ordinis.* Institut. ann. 998. |
| xix | f | iij | 3 | De Octavâ Omnium Sanctorum, *Semidupl.* cum *commem.* S. Papuli, Martyr. III. sec. (Nisi fiat Commemoratio Fidelium Defunctorum.) |
| xviij | g | Prid. | 4 | Caroli, Mediolanensis Episcopi & Cardin. (è 3.) *Duplex II. Ordinis* : an. 1584. cum *commemor.* Octavæ Omnium Sanctorum, & sancti Amantii, Ruthenensis Episcopi, v. s. |
| xvij | A | Non | 5 | } De Octavâ Omnium SS. *Semiduplex.* |
| xvj | b | viij | 6 | |
| xv | c | vij | 7 | |
| xiv | d | vj | 8 | Octava Omnium Sanctorum, & Veneratio SS. Reliquiarum, *Duplex I. Ordinis.* |
| xiij | e | v | 9 | |
| xij | f | iv | 10 | Leonis Magni, Papæ & Ecclesiæ Doctoris, *Duplex II. Ordinis* : ann. circiter 461. |
| xj | g | iij | 11 | Martini, Turonensis Episcopi, *Duplex I. Ordinis* : ann. 397. |
| x | A | Prid. | 12 | Martini, Papæ & Martyris, *Simplex* : ann. 655. (è 16. Sept.) |
| ix | b | Idib. | 13 | Brictii, Turonens. Episcopi, *Simplex* : ann. 444. |
| viij | c | xviij | 14 | |
| vij | d | xvij | 15 | |
| vj | e | xvj | 16 | Eucherii, Lugdunensis Episcopi, *Simplex* : c. ann. 454. |
| v | f | xv | 17 | Gregorii Thaumaturgi, Neocesareæ Episc. *Semiduplex* : ann. 270. cum *commemor.* sancti Gregorii Turonensis Episcopi, ann. 595. |
| iv | g | xiv | 18 | |
| iij | A | xiij | 19 | Elizabeth, Viduæ, *Simplex* : ann. 1231. |
| ij | b | xij | 20 | |
| j | c | xj | 21 | Præsentatio B. Mariæ Virginis, *Solemne III. Ordinis.* |
| * | d | x | 22 | Ceciliæ, Virginis & Martyris, *Semiduplex* : II. vel III. sec. |

| Cycl. Epact. | Litt. Dom. | Dies Mensis. | | NOVEMBER. |
|---|---|---|---|---|
| xxix | e | ix | 23 | Clementis, Papæ & Martyris, *Semiduplex*: ann. 100. |
| xxviij | f | viij | 24 | |
| xxvij | g | vij | 25 | Catharinæ, Alexandrinæ Virgin. & Martyr. *Semiduplex*: IV. sec. cum *commem.* sancti Chrysogoni, Rom. Mart. an. 304. |
| 25. xxvj | A | vj | 26 | Petri, Alexandrini Episc. & Mart. *Simplex*: ann. 311. |
| xxv. xxiv | b | v | 27 | *Prima Sedes Adventûs.* |
| xxiij | c | iv | 28 | |
| xxij | d | iij | 29 | Saturnini, Tolosani Episcopi & Martyris, *Solemne III. Ordinis*: III. s. |
| xxj | e | Prid. | 30 | Andreæ, Apostoli, *Duplex I. Ordinis*: I. s. |

| | | | | DECEMBER. |
|---|---|---|---|---|
| xx | f | Cal. | 1 | Eligii, Noviomensis Episcopi, *Simplex*: ann. 659. (è 30. Nov.) |
| xix | g | iv | 2 | |
| xviij | A | iij | 3 | Francisci Xaverii, Presbyt. è Societ. Jesu, Indiarum Apostoli, *Semidupl.* an. 1552. *Ultima Sedes Adventûs.* |
| xvij | b | Prid. | 4 | Petri Chrysologi, Ravennensis Episcopi & Doctoris, *Semiduplex*: c. med. v. s. |
| xvj | c | Non | 5 | |
| xv | d | viij | 6 | Nicolai, Mirensis Episcopi, *Semiduplex*: ann. 310. |
| xiv | e | vij | 7 | Ambrosii, Mediolanensis Episcopi & Eccles. Doctoris, *Duplex II. Ordinis*: ann. 397. (è 4. Apr.) Ordinatio hac die 374. |
| xiij | f | vj | 8 | *CONCEPTIO B. MARIÆ VIRGINIS*, *Solemne II. Ordinis.* |
| xij | g | v | 9 | De Octavâ Concept. B. M. V. *Semiduplex.* |
| xj | A | iv | 10 | De Octavâ Concept. B. M. V. *Semiduplex.* |
| x | b | iij | 11 | Pauli, primi Narbonensis Episcopi, *Semiduplex*: III. s. cum *commemor.* Octavæ Conceptionis B. M. V. |
| ix | c | Prid. | 12 | Damasi, Papæ, *Semiduplex*: ann. 384. cum *commem.* Octavæ Conceptionis B. M. V. |
| viij | d | Idib. | 13 | De Octavâ Conceptionis B. M. V. *Semidup.* cum *commem.* S. Luciæ, Syracusanæ Virg. & Mart. init. IV. sec. |
| vij | e | xix | 14 | De Octavâ Concept. B. M. V. *Semiduplex.* |
| vj | f | xviij | 15 | Octava Conceptionis B. M. V. *Duplex II. Ordinis.* |

# DECEMBER.

| Cycl. Epact. | Litt. Dom. | Dies Mensis. | | |
|---|---|---|---|---|
| v | g | xvij | 16 | |
| iv | A | xvj | 17 | |
| iij | b | xv | 18 | |
| ij | c | xiv | 19 | |
| j | d | xiij | 20 | |
| * | e | xij | 21 | Thomæ, Apostoli, *Duplex I. Ordinis*: 1. l. |
| xxix | f | xj | 22 | |
| xxviij | g | x | 23 | |
| xxvij | A | ix | 24 | Vigilia Natalis Domini, *cum jejunio. Si dies* 25. 26. 27. *aut* 28. *incidant in Dominicam, illis diebus nihil fit de Dominica, sed tunc de Dominica intr à Octavam Natalis Domini, fit Officium ritu Semiduplici die* 30. *sine Commemoratione Octavæ, ut notatur in Proprio.* |
| xxvj | b | viij | 25 | *NATALE DOMINI, Solemne I. Ordinis.* |
| 25. xxv | c | vij | 26 | *STEPHANI, DIACONI, PROTOMARTYRIS, Duplex I. Ordinis*: finiente ann. 33. cum *commem.* Octavæ Nativitatis Domini. |
| xxiv | d | vj | 27 | JOANNIS, Apostoli & Evangelistæ, *Duplex I. Ordinis.* initio 11. l. cum *comm.* Octav. Nativit. Domini. |
| xxiij | e | v | 28 | Innocentium Martyrum, *Duplex II. Ordinis*: cum *commem.* Octav. Nativit. Domini. |
| xxij | f | iv | 29 | De Octavâ Natalis Domini, *Semiduplex*: cum *commem.* S. Thomæ, Cantuariensis Episcopi & Martyris, ann. 1170. |
| xxj | g | iij | 30 | De Octavâ Natalis Domini, *Semiduplex.* |
| * 19. xx | A | Prid. | 31 | De Octavâ Natalis Domini, *Semiduplex*: cum *commem.* S. Sylvestri, Papæ, an. 335. |

---

* Hæc Epacta 19. numquam est in usu, nisi quando eodem anno concurrit cum aureo numero xix.

# RUBRICÆ GENERALES.

RUbricæ in tres partes dividuntur:

In I. Parte agitur de Officio in genere.

In II. De Horis Officii.

In III. De Partibus Horarum.

## PARS PRIMA.

### *De Officio in genere.*

OFficium quotidie fit vel Solemne primi Ordinis, vel Solemne secundi Ordinis, vel Solemne tertii Ordinis, vel Duplex primi Ordinis, vel Duplex secundi Ordinis, vel de Dominica (quæ omnia novem Lectionum sunt), vel Semiduplex, vel intrà Octavas, vel Simplex, vel de B. Maria in Sabbato, vel de Feria, vel de Vigilia, quæ sunt trium Lectionum tantùm.

### CAPUT I.

### *De Officio Solemni primi Ordinis.*

I. OFficium est solemne primi ordinis in Natali Domini, in Paschа, in Pentecoste, in Assumptione B. Mariæ Virginis, in Festo SS. Mauricii & Sociorum, Martyrum, Patronorum Ecclesiæ Cathedralis & Diœcesis, in ipsa die Dedicationis Ecclesiæ, in Festo Omnium Sanctorum, & in Festo Patroni cujuslibet Ecclesiæ.

II. De Solemni primi Ordinis fit Officium à primis Vesperis usque ad Completorium diei sequentis inclusivè; nisi propter concurrentiam alterius Festi Solemnis ejusdem Ordinis, sed majoris dignitatis in Vesperis aliter fieri debeat, ut videbitur infrà, Capite XIV. hujus Partis. In primis Vesperis (excepto Festo Paschæ) dicuntur Psalmi Feriæ occurrentis, cum Antiphonis Festo propriis. Post Psalmos, dicitur Capitulum, deinde Responsorium, Hymnus cum Versiculo ac Cantico *Magnificat*: post cujus Antiphonam, Vesperæ Oratione propriâ complentur, nisi fit commemoratio facienda de Festo Solemni vel de Dominica. In Completorio Psalmi Feriæ occurrentis, nisi aliter notetur, cum Antiphona propria super Psalmos, quæ etiam dicitur per Octavam Festorum Domini, licet non fiat de Octava, nisi occurrat Festum aliquod solemne quod habeat Antiphonam propriam. In aliis autem solemnibus festis, quæ non sunt Domini observandum quod præscribetur infrà Parte II. Cap. VII. & Parte III. Cap V.

III. Officium noctis, extra tempus Paschale, habet tres Nocturnos; tempore Paschali unum duntaxat. Ante Psalmum, *Venite*, Invitatorium bis dici ur: post quemlibet versum Psalmi repetitur integrum: dicto *Gloria Patri*. repetitur à medio, quod designatur per asteriscum *: postea integrum adhuc dicitur. In Nocturnis Psalmi de Dominicâ, nisi proprii assignentur. In singulis Responsoriis dicitur *Gloria Patri*. Post reclamationem quæ sequitur *Gloria Patri*. ultimum Responsorium cujusslibet Nocturni resumitur ab initio usque ad Versum exclusivè. Tempore Paschali in Solemni primi Ordinis, eodem modo resumitur ultimum Nocturni Responsorium post *Gloria Patri*.

VI. Ad Laudes Matutinas Psalmi Dominicæ, excepto Cantico *Benedicite*, cujus loco dicitur proprium, quod per totam Octavam quoque dici debet, quando fit de Octava, licet adhibeantur Psalmi Feriæ. Ad Primam Psalmi de Dominica cum Antiphona prima Laudum, nisi aliter notetur. Capitulum, Responsorium breve, ceteraque de Dominica ut in Psalterio, nisi ali-

ter notetur : Canon proprius. Ad Tertiam, Sextam, Nonam Psalmi de Dominica. In Responsoriis brevibus additur bis *Alleluia*. A Septuagesima ad Pascha non additur *Alleluia*.

V. Ad secundas Vesperas Psalmi de Dominicâ, nisi sint proprii : non dicitur Responsorium post Capitulum. Ad Completorium Psalmi & Capitulum Dominicæ, cetera ut die præcedenti.

CAPUT II.

*De Officio Solemni secundi Ordinis.*

I. OFficium Solemne secundi Ordinis fit in Circumcisione Domini, in Epiphania Domini, in Præsentatione Domini seu Purificatione beatæ Mariæ, in Annuntiatione B. Mariæ seu Incarnatione Verbi, in Ascensione Domini, in Dominicâ Sanctissimæ Trinitatis, in Festo Corporis Christi, in Nativitate sancti Joannis Baptistæ, in Passione sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, in Nativitate beatæ Mariæ, in Festo S. Gauderici, in Anniversario Dedicationis Ecclesiæ, & in Conceptione B. Mariæ Virginis.

II. Hoc Officium fit ut Solemne primi Ordinis, sequentibus exceptis. In Officio Nocturno non resumuntur ultima Responsoria Nocturnorum, nec in singulis Responsoriis dicitur *Gloria Patri*. sed tantum in ultimo cujuslibet Nocturni. Ad Primam Canon proprius, nisi aliter notetur.

CAPUT III.

*De Officio Solemni tertii Ordinis.*

I. OFficium Solemne tertii Ordinis, fit in Festo Inventionis sanctæ Crucis, in Visitatione B. Mariæ Virginis, in Transfiguratione Domini, in Festo sancti Michaëlis Archangeli & Omnium Angelorum, in Præsentatione B. Mariæ Virginis, in Festo S. Saturnini.

II. Istud Officium fit ut Solemne secundi ordinis, exceptis sequentibus. In toto Officio dicuntur Psalmi Feriæ occurrentis, nisi aliter notetur. Completorium, excepta Antiphona super Psalmos, dicitur ut in Psalterio. Ad Primam dicitur Canon occurrens, nisi aliter notetur.

CAPUT IV.

*De Officio Duplici primi Ordinis.*

I. OFficium Duplex primi Ordinis fit Dominicâ primâ Adventûs, Dominicâ Palmarum, secundâ & tertiâ Feriâ Paschæ, Dominicâ in Albis, secundâ & tertiâ Feriâ Pentecostes, in die Octava Solemnium primi Ordinis, necnon Epiphaniæ, Ascensionis, Corporis Christi, Anniversarii Dedicationis Ecclesiæ, & in aliis Festis quibus apponuntur in Calendario voces, *Duplex primi Ordinis*.

II. Officium Duplex primi Ordinis, fit ut Solemne tertii Ordinis si quæ sequuntur exceperis. Ante Psalmum *Venite*. bis repetitur Invitatorium : post primum ejusdem Psalmi versum, etiam dicitur integrum : post secundum versum dicitur à medio quod Asteriscо * notatur, & sic alternatim integrum & à medio dicitur ad reliquos versus : in fine post *Gloria Patri*. dicitur à medio, & demum adhuc dicitur integrum. Idem servatur in Officio Duplici secundi Ordinis. Ad Horas in Responsoriis brevibus non dicitur *Alleluia*, extra tempus Paschale, nisi aliter notetur. Non habetur Antiphona propria ad Completorium super Psalmos.

CAPUT V.

*De Officio Duplici secundi Ordinis.*

I. HOc Officium fit singulis diebus Dominicis communibus, dictis, Per annum, necnon ipsis Dominicis privilegiatis hactenus non memoratis, in die Octava Solemnium secundi Ordinis nisi aliter notetur, & in omnibus Festis quibus apponuntur in Calendario

hæ voces, *Duplex secundi Ordinis.*

II. Officium Duplex secundi Ordinis non habet Responsorium ad primas Vesperas. Quantum ad cetera fit ut Officium Duplex primi Ordinis.

## CAPUT VI.

### *De Dominicis.*

I. DOminicæ in tres classes dividuntur. Prima claſis est earum quæ excludunt quæcumque Festa etiam Solemnia primi Ordinis : sunt octo quæ sequuntur, scilicet prima Dominica Adventûs, prima Quadragesimæ, Dominicæ Passionis, Palmarum, Paschæ, in Albis, Pentecostes, ac Trinitatis.

II. Secunda classis est earum Dominicarum quæ Solemnia primi ac secundi Ordinis tantùm admittunt: sunt novem, nempe Dominica secunda, tertia, quarta Adventûs, Dominica Septuagesimæ, Sexagesimæ, Quinquagesimæ, Dominica secunda, tertia, & quarta Quadragesimæ. Omnes supradictæ Dominicæ dicuntur privilegiatæ.

III. Tertia classis continet ceteras anni Dominicas, quæ Dominicæ communes ac per annum vocantur. Hæ Dominicæ cedunt Festis Solemnibus, ac Duplicibus primi Ordinis, necnon diebus Octavis quæ fiunt ritu Duplici primi Ordinis. Cedit etiam solitum earum Officium Officio speciali quod habent quando incidunt intrà Octavas Solemnium primi Ordinis vel Solemnium Domini secundi Ordinis. Quoties verò non fit Officium Dominicæ, toties nisi transferatur, aut anticipetur, fit de ea Commemoratio in utrisque Vesperis & Laudibus, atque in Officio Nocturno, in quo, pro ultima Lectione, legenda est Homilia in Evangelium Dominicæ. Quod observabitur etiam Tempore Paschali, in quo tunc prima Lectio erit de Scriptura, secunda de Homilia in Evangelium Festi, (omissâ hoc anno secunda Lectione de Festo) tertia de Homilia in Evangelium Dominicæ occurrentis.

IV. Officium Dominicæ Communis fit ritu Duplici secundi Ordinis, nisi contingat illud transferri, vel anticipari, ut dicetur infrà. Intrà Octavas Solemnium primi ordinis, & Solemnium Domini secundi Ordinis, fiet de Dominica modo speciali qui notatur in Proprio, ut dicetur infrà, Art. X. hujus Capitis.

V. Dominica primas habet & secundas Vesperas. Ad utrumque Completorium & ad Primam in ea non dicuntur Preces. Cetera omnia ut in Duplici secundi Ordinis. Ex excipiendæ sunt Dominicæ privilegiatæ in quibus Officium fit Duplex primi Ordinis aut suprà.

VI. De Semiduplici occurrente in Dominica cujus Officium est Duplex primi vel secundi Ordinis, fit Commemoratio in utrisque Vesperis ac Laudibus : de Simplici verò, in primis Vesperis ac in Laudibus tantùm. In Officio Nocturno Dominicæ legitur nona Lectio de Semiduplici (non tamen de die intrà quamlibet Octavam), duabus, si sint Semiduplici propriæ & ejusdem tenoris, in unam junctis : legitur etiam Lectio Simplicis aut Sancti cujus fit Commemoratio pro nona Lectione, dummodò eodem die non occurrat Semiduplex cujus Lectio legenda sit. Utræque Vesperæ Dominicarum, quando Dominica non concurrit cum Officio superioris gradûs, dicuntur de Dominica. Si Dominica concurrat cum Festo superioris gradûs, Vesperæ sunt de Festo cum Commemoratione Dominicæ. In secundis Dominicæ Vesperis fit Commemoratio de Semiduplici, aut Simplici concurrentibus & in Feriam secundam incidentibus. Dominica non cedit Festo æqualis Ordinis, nec diei Octavæ quæ fit tantùm

Duplex secundi Ordinis : de qua fit solùm Commemoratio in Dominica.

VII. Officium noctis, extra tempus Paschale, tres in Dominica Nocturnos habet : tempore Paschali unum cum tribus Psalmis & tribus Antiphonis eo ritu qui suo loco notatur. Cetera ut in Officio Duplici secundi Ordinis, nisi Dominica notetur Duplex primi Ordinis vel suprà. Officium Dominicale nec transfertur, nec omninò omittitur, nisi in quibusdam casibus de quibus modò. Si in Dominicam incidetit Festum, cui secundùm Regulas supradictas Officium Dominicæ cedere debeat, fiet ut suprà Art. III. hujusce Capitis.

VIII. Si Vigilia Natalis Domini & Epiphaniæ in Dominicam inciderit, fiet ut in propriis locis notatur. Si Nativitas Domini, Natalis Sancti Stephani, sancti Joannis Evangelistæ, ac sanctorum Innocentium in Dominicam incidunt, Officium Dominicæ de quo per quatriduum illud nihil fit, celebratur ritu Semiduplici die 30. Decembris. Si verò Dominica intrà ejusmodi Octavam in diem 29, 30, vel 31 inciderit, celebrabitur ritu Duplici, ut notatur in Proprio.

IX. Si Dominica occurrat die Circumcisionis, hoc ipso die nihil fit de Dominica. Pro Dominica inter Circumcisionem & Epiphaniam ponitur Officium de quo fit secundùm Regulas occurrentiæ, quando Dominica incidit in diem 2. 3. vel 4. Januarii, quemadmodum notatur in Proprio de tempore. Si Dominica incidat in diem 5. Januarii, vel nulla sit Dominica inter Circumcisionem & Epiphaniam, tunc die iij. ad Officium Nocturnum legitur pro tertia Lectione Homilia super Evangelio Dominicæ inter Circumcisionem & Epiphaniam, ne scilicet ejusmodi Evangelii omissione, series & ordo Evangeliorum annî interrumpatur. Si Epiphania Domini evenerit die Dominicâ, Officium Dominicæ intrà Octavam Epiphaniæ fit Semiduplex Sabbato sequenti, ut notatur in eodem Sabbato; & in ipsa die Octava nihil fit de Dominica.

X. Dominicis intrà Octavas Festorum Domini, scilicet Nativitatis, Epiphaniæ, Ascensionis & Corporis Christi, assignatur Officium speciale quod Octavæ simul & Dominicæ congruit, ita ut de neutro fiat seorsim Commemoratio. In Dominicis intrà Octavas Solemnium primi Ordinis de Sanctis quibuscumque, Officium fit ut in propriis locis notatur cum Commemoratione Dominicæ in Vesperis, Laudibus & Officio Nocturno. Intrà alias Octavas totum Officium fit de Dominica ut in Psalterio & Proprio de Tempore cum Commemoratione Octavæ, in utrisque Vesperis & Laudibus.

XI. Assignantur Officia sex Dominicarum inter Epiphaniam & Septuagesimam, & viginti quatuor inter Pentecosten ac Dominicam primam Adventûs. Si aliqua earum suo loco celebrari nequeat, transfertur ab uno tempore ad aliud. Quæ igitur post Epiphaniam propter occursum Septuagesimæ interdum supersunt, ponuntur post vigesimam tertiam post Pentecosten, nempe ante eam quæ semper ultima est, ut notatur in proprio loco. Si autem contingat ut aliquod ex illis Officiis, nec etiam ante ultimam Dominicam post Pentecosten locum habere possit; tunc Sabbato ante Septuagesimam fit Officium de Feria ut in Psalterio, &, omissis Lectionibus ipsius Sabbati, tres Lectiones primi Nocturni illius Dominicæ in duas junctæ leguntur cum duobus primis Responsoriis primi Nocturni, & Homilia in Evangelium ejusdem Dominicæ pro tertia Lectione dicitur cum Responsorio

septimo ejusdem Dominicæ cui *Gloria Patri.* additur. Versus, Antiphona ad *Benedictus.* & Oratio Dominicæ: quæ tamen Oratio non dicitur ad Vesperas hujus diei, nec præcedentis. Ad Horas ut in Sabbato cum Oratione Dominicæ. Idem fit de Officio Dominicæ vigesimæ tertiæ post Pentecosten, quando incidit in diem 20. vel 21. Novembris; tunc enim Sabbato præcedenti ponitur Officium prædictæ Dominicæ vigesimæ tertiæ eodem ritu celebrandum, ut explicatur, pag. 269. Part. Autumnalis. Quod si, in ejusmodi casibus, Sabbatum impediatur Festo Semiduplici aut suprà, si Festum sit Semiduplex, legitur prima Lectio de Scriptura è Dominicâ secundâ post Epiphaniam, aut è vigesimâ tertiâ post Pentecosten, tribus in unam junctis: secunda Lectio de Sancto, è duabus una: tertia de Homilia Dominicæ occurrentis. Responsoria erunt Festi secundum Feriam. Si vero Festum sit Duplex, Lectiones primi Nocturni ex eâdem Dominicâ, & nona Lectio ex Homiliâ ejusdem Dominicæ: & fit Commemoratio Dominicæ ad Laudes tam in Duplicibus quàm in Semiduplicibus.

## Caput VII.

### *De Officio Semiduplici.*

I. Officium fit Semiduplex Feriâ quartâ, quintâ, sextâ, & Sabbato Hebdomadarum Paschæ & Pentecostes, in diebus intrà Octavas, & singulis diebus quibus apponitur in Calendario hæc vox *Semiduplex.*

II. Illud Officium non transfertur. Si ipso die quo cadit fiat Officium Ordinis superioris, de Semiduplici fit tantùm Commemoratio, modò Festum de quo fit ita permittat; alioquin omittitur, ut fusiùs infrà ubi de occurrentia Officii. Pariter in Feriis Quadragesimæ, Quatuor Temporum, Rogationum & in Vigiliis de Semiduplici (etiam dierum, intrà Octavas) fit tantùm Commemoratio. Habet primas Vesperas à Capitulo & secundas integras. Ad Completorium omnia de Psalterio nisi fiat de die intrà Octavas.

III. Ad Officium Noctis, Invitatorium semel integrum dicitur ante Psalmum *Venite.* & semel post primum Versum, semelque post *Gloria Patri.* Post alios Versus, à medio seu à Reclamatione notatâ Asterisco * tantùm resumitur.

IV. Officium Noctis unicum habet Nocturnum, in quo dicuntur extra tempus Paschale novem Psalmi Feriæ occurrentis cum tribus Antiphonis; id est, tres Psalmi sub unaquaque Antiphona; deinde Versiculus, tres Lectiones, & tria Responsoria. Lectiones ordinantur ut notatur infrà in III. Parte, Cap. VIII. de Lectionibus. Versiculus & Responsoria sumuntur de Proprio, vel de Communi Sanctorum hoc ordine; Feriâ secundâ & quintâ de primo Nocturno: Feriâ tertiâ & sextâ de secundo Nocturno: Feriâ quartâ & Sabbato de tertio Nocturno. Si eodem die occurrat Simplex fit de eo Commemoratio. Tempore Paschali dicuntur tantùm tres Psalmi sub una Antiphona ut notatur in Proprio. In Semiduplicibus extrà Octavas dicuntur Preces ad Primam & Completorium cum Suffragiis consuetis in Laudibus ac Vesperis. Cetera ad Horas ut in Duplicibus.

## Caput VIII.

### *De Officio Festi Simplicis.*

I. Officium est Simplex quoties in Calendario, aut Proprio Sanctorum, apponitur hæc vox *Simplex.*

II. Illud Officium nunquam transfertur, fit ipso die quo occurrit, nisi eodem die fiat Officium de Semiduplici, aut suprà: tunc enim de Simplici fit Commemoratio ad primas Vesperas & ad Laudes, & in Officio Nocturno pro ultima

ultima Lectione dicitur Lectio Simplicis : vel si ejus Commemoratio non possit fieri propter gradum & dignitatem Festi occurrentis, tunc omnino omittitur, ut explicabitur infrà Capite XV.

III. Officium Simplex incipit à Capitulo Vesperarum diei præcedentis, & terminatur ad Nonam diei inclusivè.

IV. Ad Nocturnum duæ primæ Lectiones ex Scriptura occurrente, è tribus duæ, junctis secunda & tertia in unam ; unicâ de Festo quovis tempore.

V. Ad Laudes Matutinas, unica Antiphona post quinque Psalmos Feriales, quæ est propria, vel quarta Laudum de Communi Sanctorum. Reliqua ut in Semiduplicibus.

## CAPUT IX.

### *De Officio Feriali.*

I. OFficium Feriale incipit ubi desinit Officium Festi præcedentis, & terminatur ubi Officium Festi sequentis incipit. Officium noctis, ut in Psalterio. Dicuntur, extra tempus Paschale, novem Psalmi sub tribus Antiphonis, cum uno Versiculo, tribus Lectionibus, ac tribus Responsoriis, ut in Proprio de tempore : non dicitur *Te Deum*. Tempore Paschali tres dicuntur Psalmi sub una Antiphona, Versiculo, ac tribus Responsoriis in Proprio de Tempore indicatis : dicitur *Te Deum*. nisi aliter notetur. In Feriis, extra Tempus Paschale, cum dicuntur Suffragia præmittitur Commem. de Cruce : Tempore verò Paschali fit sola Commem. de Cruce sine Suffragiis ut suo loco notatur.

II. Feriæ aliæ sunt Majores, aliæ Minores. Inter Majores aliæ sunt Privilegiatæ, aliæ non Privilegiatæ. Feriæ majores Privilegiatæ sunt Vigilia Nativitatis Domini, Feria quarta Cinerum, Feriæ omnes à Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis, & à Vigilia Pentecostes inclusivè usque ad Dominicam sanctissimæ Trinitatis. His diebus fit Officium ut in proprio loco notatur. Ejusmodi autem dierum Officium nulli cedit Officio etiam Solemni.

III. Feriæ Majores non Privilegiatæ sunt primò, Feriæ Adventûs quæ cedunt Officio Semiduplici ac superiori, in quo de ejusmodi Feriis fit tantùm Commemoratio ad Laudes ac Vesperas. Quando autem per Adventum fit Officium de Feria, fit tantùm Commemoratio Simplicis occurrentis pridiè ad Vesperas, & die ipsa ad Nocturnum Lectione tertiâ & ad Laudes. Secundò, Feriæ Quadragesimæ, IV. Temporum, Rogationum, & Vigiliarum quæ non cedunt nisi Officio Duplici I. Ordinis, ac superiori. Excipe Vigilias S. Joannis Baptistæ, & SS. Apostolorum Petri & Pauli, de quibus, si occurrant in diebus intrà Octavam Corporis Christi, fit tantùm Commemoratio in Officio Nocturno per Lectionem Evangelii, & in Laudibus. Si in supradictis Feriis occurrat Festum Duplex primi Ordinis, & suprà, fit Commemoratio de Feria in Officio Nocturno per Homiliam in Evangelium Feriæ & in Laudibus, & in Quadragesima in Vesperis. Si verò occurrat Festum Duplex secundi Ordinis, transfertur in primam diem non impeditam : si autem transferri nequeat, eo anno omittitur : quando enim Feriâ quartâ Quatuor Temporum incidit in diem 15. Septembris vel Decembris, illa die nihil fit de die Octavâ, & pridiè Vesperæ dicendæ sunt de die intrà Octavam eodem modo, eodemque ritu quo celebratæ sunt reliquis diebus intrà Octavam, sumendo Versiculum & Antiphonam ad *Magnificat*. ex secundis Vesperis Festi. Quando in illas Ferias incidit Officium Semiduplex, de eo fit Commemor. in utrisque Vesperis, in Laudibus, & in Officio Nocturno, in quo legitur pro secunda Lectione

Lectio de Semiduplici. De Simplici fit tantùm Commemor. ad primas Vesperas & Laudes, nisi evenerit die Dominicâ per Quadragesimam: tunc enim legitur in Officio Nocturno nona Lectio de Simplici. Si in Feriis Rogationum occurrat Festum Duplex I. Ordinis, aut suprà, prima Lectio erit de Scriptura occurrente, duabus in unam junctis; secunda de Homilia Festi: tertia de Homilia Feriæ, omissa hoc anno Lectione secunda de Festo. In Feriis Rogationum non dicitur *Te Deum*. quando Officium fit de Feria. Si in Feriam Sextam post Octavam Ascensionis inciderit Festum Semiduplex aut suprà, Officium fiet de Festo cum Commemoratione hujus Feriæ ad Laudes & ad Vesperas. De Festo autem Simplici occurrente fiet tantùm Commem. in Laudibus.

IV. Omnes aliæ Feriæ appellantur Minores: quæ cedunt Officio Simplici & Officio beatæ Mariæ in Sabbato.

V. In hoc differunt Feriæ Majores à minoribus, quod si non fit Officium de Feria Minori, nulla fiat de ea Commemoratio: de Majoribus autem designatis fiat Commemoratio. Feriæ Majores, exceptis Feriis Adventûs, habent etiam Orationem propriam. In omnibus Feriis Majoribus, excepto tempore Paschali, quando fit Officium de Feria Majori, etiam intrà Octavas Preces Feriales dicuntur flexis genibus, nisi aliter notetur, ad omnes Horas, & in Officio etiam Nocturno si separetur à Laudibus: quod Officium tunc terminatur Precibus quæ habentur ad Tertiam cum Oratione Laudum; excipitur Vigilia Natalis Domini, in quâ preces non dicuntur. In Minoribus autem Feriis non dicuntur Preces ad Laudes & Vesperas, nec genuflectitur in Precibus ad Primam & ad Completorium.

VI. A Feriâ quartâ Cinerum inclusivè usque ad Pascha (singulis diebus Dominicis exceptis) Vesperæ dicuntur ante comestionem.

VII. Non congruit incipi Officium quod absolvi non possit; quapropter cùm de Festo Simplici & Semiduplici in Feriam Majorem incidente fiat tantùm Commemoratio, si in die præcedente Feriam Majorem fiat de Feria Minori, vel de Festo alio Simplici quod terminatur ad Nonam, Vesperæ non erunt à Capitulo de Festo Simplici aut Semiduplici in Feriam ejusmodi Majorem incidente, sed de Feria Minore, ut in Psalterio, sine Precibus, cum Commemoratione Festi Simplicis, ad primas Vesperas & Laudes. De Semiduplici autem fiet Commemor. in utrisque Vesperis, etiamsi sint de Feria, in Laudibus & in Officio Nocturno per Lectionem Sancti, quæ erit secunda. De ultimis Feriis ante Natalem Domini dicitur in Proprio.

## CAPUT X.

### *De Officio Vigiliarum.*

I. DE Vigilia fit Officium pridiè Natalis Domini, Epiphaniæ, Ascensionis, Pentecostes, & in diebus quibus apponitur, hæc vox *Vigilia* in Calendario.

II. De Festo quocumque occurrente in Vigiliis Natalis Domini, ac Pentecostes nihil fit. Officium harum Vigiliarum ordinatur in Proprio. De Vigiliis Epiphaniæ, & Natalis Domini, fieri debet Officium etiam die Dominicâ, si in illam inciderint: fit autem earum Officium, ut ordinatur in Proprio. Vigilia Epiphaniæ excludit omne Officium quod die Dominicâ dici non liceat, adeoque illud Officium transfertur, si transferri queat: sin autem de illo fit Commemoratio in Laudibus Vigiliæ, ut si dies Octava Solemnium secundi Ordinis in Vigiliam Epiphaniæ incidat. Quòd si Festum occurrens tale sit, ut die Dominicâ de eo fieri possit Officium, tunc fit de ejusmodi Festo, cum Commemoratione prædictæ

Vigiliæ in Laudibus, ac in Officio Nocturno per Evangelium ejusdem Vigiliæ quæ nunquam anticipatur. In omnibus. Vigiliis, (exceptis Vigiliis Natalis Domini, Epiphaniæ, Ascensionis & Pentecostes) dicuntur Preces Feriales. Vigilia Ascensionis non cedit nisi Officio Duplici primi Ordinis ac superiori: & si occurrat Festum cui cedere debeat, fiet Commemoratio Vigiliæ in Officio Nocturno per Homiliam in Evangelium dictæ Vigiliæ, & in Laudibus; illa enim Vigilia nunquam anticipatur, sed ejus Officium, vel Commemoratio fit suo die.

III. Ubi aliqua Vigilia fortè occurrit in Adventu, Quadragesima aut Quatuor Temporibus, nihil fit de ea.

IV. Si quædam ex Vigiliis de quibus modò Art. II. mentio facta non est, in Dominicam incidat, anticipatur Vigilia die præcedenti. Quod si die præcedenti Officium sit Duplex II, Ordinis, transfertur in primam diem non impeditam. De Semiduplici fit Commemoratio in utrisque Vesperis in Officio Nocturno & Laudibus. De Simplici verò in primis Vesperis & Laudibus tantùm, ut suprà notatum est Capite præcedenti, Art. III. In Officio harum Vigiliarum dicuntur Preces flexis genibus, non autem diebus in quibus fit tantùm earum Commemoratio. In Festis Solemnium primi ac secundi Ordinis, de his Vigiliis nulla fit Commemoratio.

## CAPUT XI.

### *De Officio Octavarum.*

I. OCtavæ aliæ aliis sunt solemniores, & ad tres Ordines seu classes revocari queunt.

II. Ad primum Ordinem pertinent Octavæ Natalis Domini, Paschæ, ac Pentecostes, licèt diverso ritu celebrentur. Intrà Octavas Paschæ & Pentecostes, Officium Feriæ secundæ ac tertiæ est Duplex primi Ordinis, in aliis diebus Officium est Semiduplex. Officium Hebdomadarum Paschæ & Pentecostes ordinatur in Proprio, & terminatur ad Nonam Sabbati sequentis. Intrà Octavam Natalis Domini, in primo triduo non fit de ullo Festo (ne quidem Solemni primi Ordinis) præterquam sanctorum Stephani, Joannis Evangelistæ, ac sanctorum Innocentium. In ultimo triduo fit de Duplici occurrente, aut suprà; ita tamen ut Officium Dominicæ in diem Natalis, vel intrà Octavam incidentis, in aliquo ex his tribus diebus fiat. De Semiduplici, aut Simplici occurrente ultimo triduo fit Commemoratio, nisi solemnitate Festi alicujus occurrentis Commemoratio ejusmodi excludatur. Vesperæ usquè ad Capitulum exclusivè dicuntur de Natali Domini per totam Octavam in quolibet Officio etiam Solemni primi Ordinis, suumque habent ritum, gradum, & privilegium proprium. Officium Octavæ Natalis Domini desinit ad Nonam diei 31. Decembris, Vesperæ sunt propriæ de Officio Circumcisionis, nisi ubi die 31. Decembris fit Officium Festi Solemnis primi, aut secundi Ordinis; tunc enim in Vesperis Psalmi & Antiphonæ sunt de Natali Domini ut intrà Octavam, reliqua de Festo cum Commemoratione Circumcisionis tantùm. In quolibet Officio fit Commemoratio per Octavam de Natali Domini in utrisque Vesperis ac Laudibus.

III. Ad secundam Classem pertinent Octavæ Assumptionis beatæ Mariæ Virginis, sancti Mauricii & Sociorum Martyrum, Festi omnium Sanctorum, Patroni cujuslibet Ecclesiæ, & ipsius diei Dedicationis Ecclesiæ, si aliqua consecretur, licèt hæc Festa sint Solemnia primi Ordinis. Ad eamdem classem pertinent etiam Octavæ Solemnium Domini secundi Ordinis, Ascensionis Domini videlicet, Epiphaniæ,

Corporis Christi, & Anniversarii Dedicationis Ecclesiæ. Intrà has Octavas fit de Duplici occurrente cum Commemoratione Octavæ. De Semiduplici, aut Simplici fit Commemoratio. De Octava Incarnationis, ordinatur Officium in Proprio. De Dominica occurrente intrà Octavas fit Officium, ut ordinatur suo loco.

IV. Ad tertiam Classem pertinent reliquæ Octavæ Solemnium secundi Ordinis. Intrà illas Octavas fit Officium de Duplici etiam translato; & si quod Semiduplex occurrat, fit Officium de eo cum Commemoratione Octavæ. De Simplici fit tantùm Commemoratio.

V. Intrà omnes Octavas cujuslibet Ordinis, nisi aliter notetur, ad omnes Horas dicuntur Psalmi Feriæ occurrentis. In Officio Nocturno Psalmi Feriales sub tribus Antiphonis, Versiculo, ac tribus Responsoriis ex uno de Nocturnis diei secundùm Feriam. Ad Laudes & Vesperas Psalmi dicuntur sub unica Antiphona quæ est quarta Laudum diei Festi & prima Vesperarum, nisi aliter notetur. Reliqua ut in die, excepto ritu Solemni. Dies Octava cujuscumque Ordinis excludit omne Festum ejusdem Ordinis nisi sit Festum Domini, vel B. Mariæ, uno verbo superioris dignitatis, nisi aliter notetur. Si dies Octava cujuslibet classis incidat in unam ex Dominicis privilegiatis, tunc non fit de die Octava nisi Commemoratio in utrisque Vesperis ac Laudibus, non autem in Officio Nocturno.

VI. Si duæ Octavæ ejusdem Classis simul occurrant, fiet Officium de Octava Festi dignioris, cum Commemoratione alterius. Festa Domini, inter quæ numerantur Festa Crucis, Dedicatio Ecclesiæ, Annuntiatio, Præsentatio Domini & Visitatio B. Mariæ digniora sunt Festis quibuscumque: Festa de B. Maria præstant cuicumque Festo de Angelis, & Sanctis: Festa Angelorum, Festis S. Joannis Baptistæ: Festa S. Joannis Baptistæ, Festis Apostolorum: Festa Apostolorum, Festis Evangelistarum: & Festa Evangelistarum, ceteris Festis Sanctorum. Cetera Festa Sanctorum sunt ejusdem inter se dignitatis; ideò Octava Solemnis Domini secundi Ordinis præfertur Octavæ Festi Sancti Solemnis primi Ordinis; ut si verbi gratiâ Octavæ Ascensionis, Epiphaniæ, at Corporis Christi, & Anniversarii Dedicationis Ecclesiæ occurrerent cum Octava Festi Patroni quod est Solemne primi Ordinis, fieret tantùm Commemoratio Octavæ Patroni, & Officium diceretur de Octavis Ascensionis, Epiphaniæ, at Corporis Christi, aut Anniversarii Dedicationis Ecclesiæ: Octava etiam Assumptionis B. M. V. præfertur, si occurrat cum Octava Patroni.

VII. A die 17. Decembris inclusivè usque ad Natale Domini, & à Nocturno Feriæ quartæ Cinerum usque ad Pascha, nullæ fiunt Octavæ, neque fit ampliùs de Octavis nondum absolutis: quod etiam servatur à Vigilia Pentecostes usque ad Festum sanctissimæ Trinitatis. Cum dies Octava occurrit Feriâ quartâ Cinerum, si die præcedenti fiat de Octava, Vesperæ eodem modo eodemque ritu dicuntur quo celebratæ sunt reliquis diebus in quibus Officium factum fuerit de Octava, sumendo Versiculum, & Antiphonam ad *Magnificat.* ex secundis Vesperis Festi: similiter & Completorium cum Antiphona propria. Posteà nihil fit ampliùs de Octava, atque inde colligendum quid in omnibus aliis similibus casibus observandum sit.

VIII. Intrà quascumque Octavas non dicuntur preces ad Primam & Completorium, nisi fiat Officium de Feria Majori: tunc enim dicuntur preces flexis genibus ad Laudes & ad Horas.

## CAPUT XII.

*De Officio Beatæ Mariæ in Sabbato.*

I. IN omnibus Sabbatis per annum, extrà Adventum & Quadragesimam, ac nisi occurrant Quatuor-Tempora, aut Vigiliæ, vel nisi fiat de Feria propter Officium Dominicæ in Sabbato anticipandum, ut dictum est suprà, Cap. VI. de Dominicis, Art. IV. & nisi occurrat Officium Semiduplex, aut suprà, fit Officium Simplex de B. Maria in Sabbato, ut ordinatur in fine Breviarii; in eo de Simplici fit tantùm Commemoratio sine Lectione.

II. Officium incipit Feriâ sextâ à Capitulo: si verò Feriâ sextâ fiat Officium de Semiduplici, aut superiori, in Vesperis fit Commemoratio B. Mariæ, ut in ejus Officio in Sabbato. Ad Completorium, Psalmi & Antiphona de Psalterio: Hymnus proprius; terminatur Officium ad Nonam Sabbati.

## CAPUT XIII.

*De Commemorationibus.*

I. COmmemorationes fiunt hoc modo: Post Orationem diei in Vesperis dicitur Antiphona quæ posita est ad *Magnificat.* & in Laudibus ea quæ posita est ad *Benedictus.* quæ Antiphona, si non sit propria, sumitur de Communi, conveniens ejus Officio de quo fit Commemoratio: post Antiphonam Versiculus, inde sumendus, unde sumpta est Antiphona, scilicet post Hymnum Vesperarum ac Laudum: deinde dicitur Oratio. Si Antiphona & Versiculus Festi, de quo fit Commemoratio, sumenda sint ex eodem Communi unde sumpta sunt in Officio diei, pro Commemoratione variantur, ita ut in primis Vesperis sumantur ex Laudibus, & in Laudibus ex secundis Vesperis. Variandæ etiam Orationes, si non assignentur diversæ; quod aliquando contingere potest cum fit Officium Festi cuidam privatæ Ecclesiæ peculiaris, aut Festi translati, verbi gratiâ, unius Martyris, & Commemoratio alterius Martyris qui Orationem propriam non habeant. Atque in similibus casibus idem semper observandum.

II. Si de Dominica, Vigilia, aut Feria fiat Commemoratio, Antiphona, Versiculus, & Oratio sumuntur ex Proprio de Tempore, nisi aliter notetur. Si Versiculus proprius defuerit, aut Antiphona, sumuntur de Psalterio.

III. Quando contingit fieri plures Commemorationes, præcedit semper Commemoratio Festi de quo, nisi impediret occurrentia, fieret Officium, Commemorationem ejus de quo facienda esset tantùm Commemoratio.

## CAPUT XIV.

*De Concurrentia Officii.*

I. DUo Officia concurrunt tantùm in secundis Vesperis Festi præcedentis cum primis Vesperis Festi sequentis. Officia quæ concurrunt vel sunt æqualia gradu ac dignitate, vel inæqualia. In Officiis attenditur gradus secundùm denominationem solemnitatum: sic Festum Solemne primi Ordinis habet gradum superiorem, respectu Solemnis secundi Ordinis, & sic de ceteris. Dignitas attenditur juxta Ordinem designatum, Cap. XI. de Officio Octavarum, Art. IV. Officium majoris dignitatis præfertur quandoque Festo superioris gradûs, ut jam dictum est ubi de Octavis, & videbitur capite sequenti.

II. Festum Simplex non potest concurrere cum Festo Simplici, quia Officium Simplicis terminatur ad Nonam; neque Feria cum alia Feria quæ nunquam habet primas Vesperas. Semiduplici autem, cum sequente Semiduplici, aut cum die intrà Octavam tertii Ordinis concurrente, Vesperæ sunt integræ de præcedenti cum Commemoratione sequentis, nisi aliter notetur.

Idem est de Duplici secundi Ordinis cum Duplici secundi Ordinis concurrente, & sic de aliis quæ sunt æqualis inter se gradûs, nisi aliter notetur. Vide Caput XI. de Officio Octavarum, Art. VI. ubi de dignitate Festorum.

III. In primis ac secundis Vesperis Epiphaniæ, Ascensionis Domini, Festi Corporis Christi, de Solemnibus etiam primi Ordinis fit tantum Commemoratio.

IV. Quando Dominica in Albis, seu dies Octava Paschæ cum Inventione S. Crucis concurrit, & dies Octava Corporis Christi concurrit cum Visitatione B. Mariæ, Vesperæ dicuntur de Octava, cum Commemoratione de sequenti, quamvis sint hæc Festa Majoris gradûs: quia Octavæ illæ quasi ritu Solemni celebrantur. Dies Octava Corporis Christi cedit tantùm Solemnibus primi aut secundi Ordinis, ut sunt Festa sancti Joannis Baptistæ & Apostolorum Petri & Pauli, & Festa Patronorum si quæ concurrant, & fit semper Commemoratio illius.

V. In primis Vesperis Solemnium primi Ordinis, & Solemnium Domini secundi Ordinis, nulla fit Commemoratio nisi de Solemni, vel de Dominica. In primis Vesperis Solemnium secundi Ordinis, quæ non sunt Domini, fit Commemoratio de Duplici concurrente, & suprà. In primis Vesperis Solemnium tertii Ordinis fit Commemoratio de Semiduplici concurrente, id est præcedenti, nisi aliter notetur. Idem fit in primis Vesperis Duplicium.

VI. In secundis Vesperis Solemnium primi Ordinis & Solemnium Domini secundi Ordinis fit Commemoratio Duplicis concurrentis seu sequentis, non verò Semiduplicis. In secundis Vesperis aliorum Solemnium secundi Ordinis fit Commemoratio Semiduplicis concurrentis; at non Simplicis. In secundis Vesperis Duplicium fit Commemoratio Simplicis sequentis.

VII. Semiduplici concurrente cum Simplici sequente, aut Duplici cum sequente Semiduplici, Vesperæ sunt de præcedente, cum Commemoratione sequentis. Secùs verò Semiduplici concurrente cum Duplici sequente, Vesperæ sunt de sequente, cum Commemoratione præcedentis; & sic in aliis Officiis quæ sunt inæqualis inter se gradûs, nisi aliter notetur.

VIII. Quid faciendum sit in Vesperis quando Dominica concurrit cum Festo, dictum est supra, Cap. VI. Art. VI.

## Caput XV.

### *De Occurrentia Officii, ac ejus translatione.*

I. Occurrentia attenditur inter Officia quæ simul eodem die occurrunt, seu in eumdem diem incidunt. Sæpè sæpiùs enim eodem die occurrunt duo Festa, vel Festum & aliqua Dominica, aut Feria, vel Octava quorum unum excludit aliud; adeoque necesse est illud quod excluditur, in alium diem transferri vel anticipari, si translationis, aut anticipationis sit capax, vel de eo solam Commemorationem fieri, vel prorsus ipsum omitti ut quandoque contingit.

II. Si Festum simplex quod nunquam transfertur, occurrat in Solemnibus primi vel secundi Ordinis, prætermittitur: si in Solemnibus tertii Ordinis, de eo fit Commemoratio ad Laudes tantùm: si in Festo Duplici primi Ordinis, de eo fit Commemoratio non tantùm in primis Vesperis ac Laudibus, sed etiam in Officio Nocturno (extra tempus Paschale) per ultimam Lectionem, nisi ea esse debeat de Homilia in Evangelium Dominicæ, vel Feriæ Majoris eo die occurrentis. Si in Duplici secundi Ordinis, fit Commemoratio de Simplici in primis Vesperis, Laudibus & in

Officio Nocturno ( extra tempus Paschale ) per ultimam Lectionem, nisi legenda sit Homilia Dominicæ antici, atæ, vel translatæ. Si in Semiduplici occurrat, Lectio Semiduplicis secunda & tertia, tunc in unam junguntur si propriæ sint, & insuper diversis Auctoribus non inscribantur, neque ex diversis ejusdem auctoris operibus desumantur; aliàs omittitur Lectio ejusmodi tertia, nisi aliter notetur: ejus autem loco pro ultima Lectione dicitur Lectio Simplicis occurrentis, modò legenda non sit Homilia de aliqua Dominicâ Anticipatâ. In omnibus Feriis Majoribus, exceptis Feriis Adventûs, non legitur ad Officium Nocturnum Lectio Simplicis, sed tantum fit ejus Commemoratio ad Laudes, & pridiè ad Vesperas nisi obstet Officium concurrens.

III. Si Festum Semiduplex quod etiam nunquam transfertur, occurrat eodem die quo Solemne primi Ordinis, aut Solemne Domini secundi Ordinis, de Semiduplici nulla fit Commemoratio. In aliis verò Solemnibus secundi Ordinis, de Semiduplici occurrente fit tantùm Commemoratio in Laudibus sine Lectione in Officio Nocturno. Excipe dies intrà Octavas Solemnium Sanctorum secundi Ordinis, de quibus, si occurrant in Solemnibus Sanctorum ejusdem Ordinis, fit Commemoratio in utrisque Vesperis & Laudibus. In Solemnibus tertii Ordinis & Duplicibus, fit Commemoratio Semiduplicis occurrentis in utrisque Vesperis ac Laudibus, & duæ ejus Lectiones ( si eas uniri congruat ) in unam junctæ ponuntur pro ultima Lectione, nisi legenda sit Homilia in Evangelium ut dictum est, Art. II. hujus capitis. Notandum tamen dierum intrà Octavas, etsi sint Semiduplices, nunquam fieri Commemorationem in Officio Nocturno, sed tantùm ad Laudes & Vesperas. De Vigiliis vide Caput X.

IV. In Feriis Quadragesimæ de Semiduplici non fit Officium, sed de eo fit tantùm Commemoratio pridie ad Vesperas, & ad Laudes & Vesperas diei, necnon ad Officium Nocturnum, in quo prima Lectio erit de Scriptura occurrente, duabus in unam junctis; secunda de Semiduplici; tertia de Homilia in Evangelium Feriæ: tria Responsoria, &c. de Feria. In Feriis Adventûs de Semiduplici fit Officium cum Commemoratione Feriæ. In Feriis Quatuor Temporum & in Vigiliis fit Officium de Duplici primi Ordinis & suprà, & pro nona Lectione dicitur Homilia in Evangelium Feriæ. Excipiuntur Vigiliæ S. Joannis Baptistæ, & sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, quando occurrunt diebus assignatis, Cap. IX. Art. III. In Feriis Rogationem fit etiam Officium de Duplici primi Ordinis, & suprà; & pro tertia Lectione Homilia Feriæ occurrentis, ut dictum est Cap. IX. de Officio Feriali, Art. III. Feriâ sextâ post Octavam Ascensionis fit de Semiduplici, & suprà, omissâ tertia Lectione quæ habetur in Proprio de Tempore, & fit tantum Commemoratio de Feriâ in Laudibus & Vesperis.

V. Si eodem die occurrant duo Festa Solemnia primi aut secundi Ordinis, solemne quod majus est ratione dignitatis, illâ die celebratur, aliud transfertur in diem sequentem, dummodò non sit impedita simili Solemnitate: nam si hoc modo impediretur, de Solemni translato fieret primâ die post ejusmodi Solemnitatem non impeditâ quoque æquali Solemnitate. Quòd si intrà Octavam Solemnitatis superioris fieri non possit de illo Festo, transfertur post Octavam in primam diem non impeditam æquali Solemnitate. Hinc sequitur quod Festa Solemnium Domini secundi Ordinis, ut Epiphania, Ascensio

Domini, Festum Corporis Christi & Anniversarium Dedicationis Ecclesiæ, si occurrant eodem die quo Patronus, præferantur; adeoque transferatur Officium Festi Patroni in diem sequentem.

VI. Si duo Festo Duplicia primi Ordinis eodem die occurrant, si unum à populo festivetur, alteri præfertur. Festum Duplex primi Ordinis occurrens in die Octava quæ sit Duplex primi Ordinis, aut in Dominicis privilegiatis, aut Feriis etiam privilegiatis, transfertur in proximam diem non impeditam Officio Duplici secundi Ordinis & suprà, nisi aliter notetur. Officium Duplex secundi Ordinis occurrens in Dominica per annum, &c. transfertur in proximam diem Officio simili aut suprà, non impeditam. Servetur tamen privilegium earum Octavarum, de quibus Cap. XI. Art. I. & II.

VII. Quodcumque Festum Semiduplex & suprà incidat in Ferias Adventûs, de his Feriis fit Commemoratio in utrisque Vesperis & Laudibus. De Festis autem incidentibus in Ferias Quadragesimæ, Quatuor Temporum, Rogationum & Vigiliarum, vide Cap. IX. de Officio Feriali, Art. III.

VIII. Quodcumque Festum Duplex, aut gradûs superioris à die Palmarum usque ad Dominicam in Albis inclusivè transfertur in Feriam secundam, & sequentes non impeditas post Dominicam in Albis, servatis servandis, & modo præscripto in Articulo præcedenti. A die Palmarum usque ad Dominicam in Albis inclusivè de Semiduplici, aut Simplici occurrente nulla fit Commemoratio. Quodcumque etiam Festum Duplex aut suprà quod occurrit à Vigilia Pentecostes inclusivè usque ad Dominicam sanctissimæ Trinitatis, transfertur in Feriam secundam, aut sequentes non impeditas post dictam Dominicam. In Vigilia Pentecostes ac per Octavam de Semiduplici, aut Simplici occurrentibus nulla fit Commemoratio.

IX. Quod si Officium Compassionis occurrat die vigesimâ quartâ Martii, terminatur ad Nonam: si die vigesimâ quintâ anticipatur in Feriam quartam præcedentem.

X. Si Festum Annuntiationis seu Incarnationis Domini post Pascha transferatur, celebrabitur Feriâ secundâ post Dominicam in Albis ut notatur in Proprio, etiamsi occurreret illo die Festum Solemne cujuscumque Ordinis.

XI. Si Festum S. Joannis Baptistæ occurrat in Solemnitate Corporis Christi, transfertur in Feriam sextam sequentem. Vigilia autem cum jejunio celebrabitur Feriâ quartâ præcedenti. Si occurrat Feriâ sextâ post Octavam dictæ Solemnitatis, Vigilia cum jejunio anticipabitur similiter Feriâ quartâ præcedenti: quod etiam observabitur ubi Festum SS. Apostolorum Petri & Pauli eâdem Feriâ sextâ occurret, scilicet propter celebritatem diei Octavæ Solemnitatis Corporis Christi.

XII. Festum extrà tempus Paschale incidens, translatum ad tempus Paschale, celebrabitur ritu Paschali cum unico Nocturno, ut in Proprio præscribitur: vel, ubi nihil de eo speciatim diceretur, modo sequenti. Si Festum translatum non habeat Lectiones Scripturæ proprias, prima Lectio desumitur ex Scriptura occurrente, tribus in unam junctis; pro secunda legitur prima secundi Nocturni Festi, vel duæ aut tres junctæ si propriæ sint & jungi possint: pro tertia Lectione legitur Evangelium & prima Lectio Homiliæ Festi. Tres autem Antiphonæ, Versiculus & Responsoria in supradictis casibus sumentur ex uno è Nocturnis secundum Feriam, servato ritu unicuique proprio, ut videbitur ubi de Responsoriis.

XIII. Tempore Paschali in quemcumque diem inciderit Festum Patroni, vel aliud Solemne primi vel secundi Ordinis sumuntur tres Psalmi è primo Nocturno Dominicæ, vel è primo Nocturno Festi, si habeat proprios. Prima Lectio erit de Scriptura ut in Proprio, vel in Communi Patronorum (duabus, vel tribus in unam junctis): in Feriis intrà Hebdomadam pro secunda Lectione sumetur prima secundi Nocturni Festi: tertia erit Evangelium Sancti, cum prima Lectione Homiliæ. In Dominicis pro secunda Lectione dicitur Evangelium Festi cum prima Lectione Homiliæ, (omissis hoc anno Lectionibus secundi Nocturni Festi); & pro tertia Lectione Evangelium Dominicæ cum prima Lectione ejus Homiliæ. Pariter in Feriis Rogationum, ut dictum est suprà Cap. IX. de Officio Feriali.

XIV. Quando tempore Paschali incidit Solemne tertii Ordinis, vel Duplex primi Ordinis, tres Psalmi Officii Nocturni dicuntur secundùm Feriam. Prima Lectio erit de Scriptura occurrente, nisi aliter notetur, duabus, vel tribus in unam coactis: secunda & tertia ut dictum est Articulo præcedenti.

XV. Si Festum aliquod à tempore Paschali transferatur extra tempus Paschale, Officium fiet ut extra tempus Paschale, in Proprio & in Communi.

XVI. Cum Festum habens Octavam transfertur, non ideò transfertur ejus Octava, sed ea suo die terminatur, ita ut, verbi gratiâ, si aliquo anno Festum celebraretur eo die, qui, si non transferretur Festum, esset ejus dies sexta, postridiè fieret de die septima intrà Octavam, sequenti verò die fieret de die Octava; quod contingit in Annuntiatione Domini, quoties Pascha in diem 22. Martii incidit. Si autem Festum celebraretur post diem in quam incidit dies Octava, eo anno nullam haberet Octavam. Cetera de Octavis vide Capite XI.

XVII. Si Festum sancti Marci Evangelistæ in diem Paschæ inciderit; Litaniæ cum Orationibus annexis dicuntur Feriâ tertiâ Paschæ, & fit Processio Litaniarum: Officium verò sancti Marci transfertur post Dominicam in Albis.

XVIII. Inter Festa translata illud præfertur, quod superioris est gradûs aut dignitatis; verùm inter Officia ejusdem Ordinis, ac dignitatis fit Officium de primo translato.

## PARS SECUNDA.

### *De Horis Officii.*

OFficium est Nocturnum, vel Diurnum.

I. Officium Nocturnum, quod etiam Vigiliarum nomine nuncupatur, institutum est ut celebretur per noctem.

II. Officium diurnum (sic nuncupatum quod per diem celebretur) in septem Horas dividitur; quæ sunt Laudes, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ & Completorium; de his octo Horis sigillatim agendum.

### CAPUT I.

### *De Officio Nocturno.*

I. IN Officio Nocturno hæc observanda sunt, nisi aliter quibusdam diebus notetur. *Pater. Ave. Credo.* secretò dicuntur: posteà altâ voce celebrans dicit *Domine, labia*, &c. pollice signando sibi os signo Crucis, tùm manu extensâ signando se à fronte ad pectus & à sinistro humero ad dextrum (quod fit initio omnium Horarum) dicit *Deus, in adjutorium.* in cujus fine *Alleluia*, vel *Laus tibi, Domine*, &c. Dicitur Invitatorium conveniens & Psalmus, *Venite.* modo supradicto in I. Parte, & ut rursus explicabitur infrà III. Parte ubi de Invitatorio. Deinde dicitur Hym-

nus: post Hymnum dicuntur Psalmi, Antiphonæ & Lectiones, sed diversâ ratione pro diversitate Officii.

II. Si Officium sit Duplex secundi Ordinis & suprà, extra tempus Paschale, dicuntur novem Psalmi cum novem Antiphonis, tribus Versiculis, novem Lectionibus & novem Responsoriis, per tres Nocturnos distinctis hoc modo. In primo Nocturno dicuntur tres Psalmi cum tribus Antiphonis, scilicet post unumquemque Psalmum Antiphona una: Antiphonam tertiam sequitur unus Versiculus, post quem secretò, *Pater noster*. usque ad *Et ne nos*, &c. quod altâ voce pronuntiatur (quod & in aliis Horis observatur in choro quando in ipsis dicitur Oratio Dominica). Sequitur Absolutio: deinde tres Lectiones, quamlibet præcedit Benedictio, (Absolutiones & Benedictiones habentur post Psalterium ante Proprium de Tempore). Post unamquamque Lectionem dicitur unum Responsorium. In Solemnibus primi Ordinis dicitur *Gloria Patri*. ad singula Responsoria, ut deinde explicabitur Parte III. Capite IX. In Solemnibus verò secundi vel tertii Ordinis & in Duplicibus additur tantùm ultimo Responsorio cujusque Nocturni cum reclamatione Responsorii: excipiendi casus in quibus aliter propriis locis notatur. In secundo & tertio Nocturno idem ordo servandus ac in primo. Post ultimum Responsorium dicitur *Te Deum*. nisi aliter notetur. Post *Te Deum*. vel, quando non dicitur, post ultimum Responsorium, inchoantur Laudes ut infrà, vel terminatur Officium Nocturnum ut dicetur modò Articulo sequenti.

III. In Festis Semiduplicibus, diebus intrà Octavas, Simplicibusque & Feriis post Invitatorium & Hymnum (extra tempus Paschale) dicuntur novem Psalmi sub tribus Antiphonis, tres videlicet Psalmi sub unaquaque Antiphona; ultimam Antiphonam sequitur Versiculus: posteà *Pater noster*, &c. deinde Absolutio & tres Lectiones, sub tribus Benedictionibus: post quamlibet Lectionem unum Responsorium ex Proprio, vel ex Communi. Post tertium Responsorium, in Semiduplicibus, & Simplicibus, dicitur *Te Deum*. in Feriis non dicitur extra tempus Paschale. Post *Te Deum*. vel, quando non dicitur, post ultimum Responsorium si non immediatè sequantur Laudes, terminatur Officium Nocturnum hoc modo. Dicitur Oratio Laudum cum integra conclusione, & ante & post dicitur *Dominus vobiscum*. deinde *Benedicamus Domino*. In Feriis Majoribus (extra tempus Paschale) ante Orationem & *Dominus vobiscum*. dicuntur flexis genibus Preces positæ ad Tertiam.

IV. Tempore Paschali tam in Officio de Tempore quàm de Sanctis, dicitur unicum Nocturnum constans tribus Psalmis cum unâ aut tribus Antiphonis, uno Versiculo, tribus Lectionibus, tribusque Responsoriis. In Duplicibus & suprà dicuntur tres Antiphonæ super Psalmos Nocturni; in Semiduplicibus, diebus intrà Octavas, (excipiendæ Feriæ secundæ & tertiæ Paschæ & Pentecostes, in quibus Officium est Duplex) & in aliis omnibus Officiis unica dicitur Antiphona super Psalmos, cum versu. Si hæc Antiphona sumatur ex Communi, semper erit prima Nocturni quod secundùm Feriam usurpabitur. In triduo ante Pascha, & in Officio Defunctorum Rubricæ in Proprio notantur.

## CAPUT II.

### *De Laudibus.*

I. AD Laudes (dictis *Pater* & *Ave*. si separentur ab Officio Nocturno: si non separentur post ultimum Responsorium aut

post *Te Deum*) Hebdomadarius absolutè incipit, *Deus, in adjutorium.* ut suprà; dicuntur Psalmi & Canticum cum Antiphonis, Officio convenientibus, quæ pro unoquoque Hebdomadæ die in Psalterio; pro Festis verò in Proprio de Tempore, aut in Proprio, vel Communi Sanctorum habentur.

II. In Semiduplicibus, & suprà dicuntur quinque Antiphonæ, quæ si non assignentur Propriæ, sumuntur de Communi: in Simplicibus verò & diebus intrà Octavas omni tempore, nisi aliter notetur, Psalmi dicuntur sub una Antiphona, quæ in Simplicibus si non habetur propria, semper est quarta Laudum illius Communis de quo fit Officium. Intrà Octavas verò est quarta Laudum Festi, nisi propria assignetur. In Feriis Psalmi & Antiphonæ ut in Psalterio.

III. Post Psalmos, nisi aliter notetur, dicitur Capitulum, Hymnus, Versiculus, Canticum, *Benedictus.* cum Antiphona & Oratione pro qualitate Officii.

IV. Quando Preces dicendæ sunt, dicuntur post Antiphonam ad *Benedictus.*

V. Ante Orationem dicitur, *Dominus vobiscum.* vel, *Domine, exaudi.* & *Oremus.* Post Orationem repetitur, *Dominus vobiscum.* deinde, *Benedicamus.* Additur secretò Versiculus, *Fidelium animæ.* &, *Pater noster.* si alia Hora aut Officium statim non sequatur.

VI. Si sint Commemorationes faciendæ, sequuntur immediatè Orationis Officii conclusionem, post quam tunc non dicitur statim, *Dominus vobiscum.* & *Benedicamus.* sed tantum post conclusionem ultimæ Commemorationis.

VII. Tempore Paschali in Officio de Feria Psalmi dicuntur sub una tantùm Antiphona. In aliis Officiis nihil mutatur. Cetera ut alio tempore.

## CAPUT III.

### *De Prima.*

I. AD Primam, à prima diei post solis ortum horâ cui assignatur, sic nuncupatam, (dictis *Pater.* & *Ave.* secretò, si separetur ab Officio præcedenti) dicitur, *Deus, in adjutorium.* & Hymnus, *Jam lucis*, &c. Post Hymnum inchoatur Antiphona conveniens quod fit etiam ad ceteras Horas ante intonationem Psalmorum ut habetur infrà, Parte III. Cap. V. Art. VI. Sumuntur autem Antiphonæ in Festis ad Horas diei ex Laudibus per ordinem, quartâ prætermissâ; in Feriali Officio, Antiphonæ ut in Psalterio, vel Proprio de Tempore pro qualibet Hora. Ad singulas Horas dicuntur tres Psalmi aut divisiones Psalmorum, quibus additur die Dominica ad Primam Symbolum, *Quicumque.* quando fit de Dominica, ut dicetur Part. III. Cap. XIII. In Festis Solemnibus primi ac secundi Ordinis dicuntur Psalmi, qui dici Dominicæ in Psalterio assignantur, excepto Symbolo: in omni alio Officio tam de Tempore quàm de Sanctis, vel de Feria, sumuntur Psalmi Feriales, nisi aliter notetur.

II. Post Psalmos, dictâ integrè Antiphonâ legitur Capitulum ut in Psalterio; quod Capitulum variatur, nempe aliud assignatur Dominicæ, aliud Feriis. Dicitur verò Capitulum Dominicæ *Eratis.* quotiescumque ad Horas dicuntur Psalmi de Dominica: adhibetur etiam in Feriis toto tempore Paschali. Aliis diebus & Officiis ubi dicuntur Psalmi de Feria, dicitur etiam Capitulum Feriæ. Post Capitulum dicitur Responsorium breve, *Christe, Fili.* cujus Versus variatur pro diversitate Temporis ac Festorum. Post Responsorium breve, Versus *Exurge.* deinde in Duplicibus & suprà, & intrà Octavas dicitur continenter, *Dominus vobiscum.* vel, *Do-*

*mine*, *exaudi*. & Oratio, *Domine*, *Deus*. cum integra conclusione, & *Benedicamus*.

III. In Feriis verò, in Simplicibus, & Semiduplicibus extra Octavas, post Versiculum *Exurge*. dicuntur Preces, id est, *Kyrie*. cum Oratione Dominica, Symbolo Apostolorum, Versiculis & Confessione, quæ omnia ex Art. II. jam liquet omittenda in Dominicis & Festis Duplicibus & suprà, atque intrà Octavas quascumque. Hæc eadem in triduo post Circumcisionem, Vigilia Epiphaniæ & biduo ante Pentecosten pariter non dicuntur. Ad Versic. *Adjutorium*. quilibet signat se signo Crucis: in Confessione ad *Mea culpâ*. ter percutitur pectus; qui autem solus Officium recitat, semel tantum dicit *Confiteor*. omissis vocibus, *& tibi*, *Pater*, & *vobis fratres*, & *te*, *Pater*, & *vos fratres*: & pariter semel *Misereatur*. in quo dicit *nostri*, *peccatis nostris*, *perducat nos*. Idem servatur in Completorio.

IV. In Feriis verò quæ Preces habent ad Laudes, Precibus Primæ adjiciuntur Versiculi *Eripe me*. & alii qui sequuntur ante Confessionem, & post Versus qui sequuntur Confessionem, dicitur, *Domine*, *exaudi*. deinde Versus; *Dominus vobiscum*. ultimò *Benedicamus*.

V. Excipitur ab hoc ritu Prima Feriæ quintæ in Cœnâ Domini; tùm novem sequentium dierum & Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, in quibus Horæ dicuntur prout notatur in propriis locis.

## Caput IV.
### *De Officio Capituli.*

POst Primam sequitur Officium Capitulare tribus constans partibus. Primò Lectione Martyrologii (quæ extra Chorum fit ad libitum), Versiculo *Pretiosa*. & Oratione, *Sancta Maria*. Secundò Precibus ad opera diurna, nempe *Deus*, *in adjutorium*. ter, cum Versu *Respice*. & Oratione *Dirige-re*. Tertiò Lectione Canonum cum Versu, *Adjutorium*. & Benedictione.

## Caput V.
### *De Horis Tertiâ, Sextâ & Nonâ.*

I. AD Tertiam, Sextam & Nonam, sic appellatas quòd institutæ sint persolvendæ Horis diei nonâ, duodecimâ & tertiâ, quæ olim Tertia, Sexta & Nona à Judæis nominabantur, (dictis secretò, *Pater*. & *Ave*. si separentur ab Officio præcedenti) dicitur, *Deus*, *in adjutorium*. deinde Hymnus: tum, nisi aliter notetur, Psalmi Feriæ occurrentis, semper excipienda Festa Solemnium primi & secundi Ordinis, in quibus dicuntur Psalmi Dominicæ. Psalmis absolutis, dicuntur Antiphona, Capitulum, Responsorium breve & Versiculus, pro qualitate Officii. Posteà (nisi dicendæ sint Preces) dicitur, *Dominus vobiscum*. vel, *Domine*, *exaudi*. & Oratio quæ habetur in Proprio de tempore; aut si fiat de Sancto, in Proprio, vel in Communi Sanctorum: post Orationem, *Dominus vobiscum*. *Benedicamus*. & si continuò non inchoatur Hora sequens aut Officium, additur secretò: *Fidelium animæ*. deinde *Pater*. In Choro dicitur Antiphona de B. Maria post ultimam Horam, nisi sequatur Missa aut Processio.

II. Excipitur ab hoc ritu triduum ante Pascha, Hebdomada Paschæ, & Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum in quibus dicitur prout notatur in propriis locis.

## Caput VI.
### *De Vesperis.*

I. AD Vesperas, (dictis secretò, *Pater*. & *Ave*. si separentur ab Officio præcedenti) dicitur, *Deus*, *in adjutorium*. deinde quinque Psalmi, & quinque Antiphonæ (nisi aliter notetur), posteà Capitulum, Hymnus, Versiculus,

Canticum *Magnificat.* cum sua Antiphona, demum Oratio, cum *Dominus vobiscum.* vel *Domine, exaudi.* ante & post Orationem: in fine *Benedicamus Domino.* ac secretò, *Fidelium.* & *Pater.* si separentur à Completorio.

II. Excipiuntur Vesperæ à Feriâ quartâ Majoris Hebdomadæ usque ad Sabbatum in Albis exclusivè, & Vesperæ Commemorationis omnium Defunctorum, quæ dicuntur ut in Propriis locis notatur. Excipiuntur etiam Vesperæ dierum intrà Octavas in quibus Psalmi sub una tantum Antiphona dicuntur.

III. In primis Vesperis Duplicium primi Ordinis & suprà, post Capitulum dicitur Responsorium ante Hymnum.

IV. Preces, quando dicendæ sunt, dicuntur post Antiphonam ad *Magnificat.* Si fiant Commemorationes vel dicantur Suffragia, fiunt post conclusionem Orationis Officii eodem ritu quo ad Laudes suprà, Cap. II. Art. VI. & amplius infrà exponetur.

## CAPUT VII.

### *De Completorio.*

I. AD Completorium absolutè dicitur: *Converte nos.* signando pollice pectus; tùm *Deus, in adjutorium.* faciendo signum Crucis. Tres Psalmi Feriæ occurrentis adhibentur, exceptis Solemnibus primi & secundi Ordinis & generatim omnibus diebus in quibus ad Laudes, dicuntur Psalmi de Dominica; nempe in his ad Completorium dicuntur Psalmi Dominicæ ipso die Festo, non verò pridiè, nec per Octavas, nisi aliter notetur. Antiphona vulgò Communis de Psalterio. Propria tamen dicitur super Psalmos in Festis Solemnibus primi, secundi ac tertii Ordinis, necnon pridie illa, licèt Psalmi sint de Feria: item intrà omnes Octavas si Officium fiat de Octavâ. Intrà Octavas verò Solemnium primi Ordinis, & Solemnium Domini secundi Ordinis dicitur semper Antiphona propria, etiamsi Officium non fieret de Octavâ, nisi occurrat Festum Solemne habens Antiphonam Propriam ad Completorium: excipe etiam quodvis Festum Domini, quod intrà Octavam Sanctorum quorumlibet, ritum suum non mutat. Posteà Hymnus, Capitulum, Responsorium *In manus.* Versiculus, Canticum *Nunc dimittis.* cum sua Antiphona, ut habetur in Psalterio pro diversitate temporum. Precum Versiculi Sabbato, diebus Dominicis, Festis Duplicibus ac suprà, intrà Octavas quascumque, tum à Circumcisione ad diem Octavam Epiphaniæ, & Feriâ sextâ ante Pentecosten omittuntur; ceteris verò diebus dicuntur ut in Psalterio. Deinde *Dominus vobiscum.* vel, *Domine, exaudi.* Oratio *Visita. Dominus vobiscum.* vel, *Domine, exaudi. Benedicamus.* Additur submissâ voce: *Gratia. Et Fidelium.* tum dicitur una ex Antiphonis B. Mariæ, ut in Psalterio. Post completum Officium dicitur secretò: *Pater. Ave.* & *Credo.*

II. Excipitur ab hâc regulâ Completorium Feriæ quartæ Majoris Hebdomadæ & dierum sequentium, usque ad Sabbatum in Albis exclusivè; quibus diebus fit ut notatur in propriis locis.

# PARS TERTIA.

### *De Horarum Partibus.*

SIngulæ Horæ, (dicto, si Completorium excipias, *Pater.* &c. ut præscribitur Cap. XII.) inchoantur, nisi notetur aliter, per *Deus, in adjutorium.* Ad Officium noctis præmittitur, *Domine, labia.* ad Completorium, *Converte nos.*

## CAPUT I.

### *De Invitatorio.*

I. INvitatorium dicitur regulariter in omni Officio Nocturno cum Psalmo *Venite.* sed variatur pro Officii qualitate, ut in Psalterio, Proprio de tempore, ac in

Proprio & Communi Sanctorum habetur.

II. Variat quoque pro modo & ordine quo dicitur, tum ante tum post Psalmum, tum post singulos versus Psalmi. In omnibus Solemnibus bis repetitur integrum ante Psalmum: post quemlibet Versum Psalmi dicitur integrum: post *Gloria Patri.* factâ reclamatione Invitatorii ab ejus mediâ parte, adhuc resumitur integrum. In Officiis Duplicibus post secundum & quartum Versus reperitur duntaxat à medio, seu à reclamatione quæ notatur Asteriſco. In Semiduplicibus & aliis omnibus Officiis dicitur semel integrum ante Psalmum *Venite.* & post primum ejus Versum: deinde dicitur à medio seu à Reclamatione duntaxat post alios Versus: demum post *Gloria Patri.* dicitur integrum.

III. Tempore Paschali additur *Alleluia* in fine Invitatorii.

IV. Non dicitur Invitatorium in Epiphania Domini, nec triduo ante Pascha, nec in Officio Defunctorum, excepto Officio Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, die 2. vel 3. Novembris.

## Caput II.

### *De Hymnis.*

I. HYmnus dicitur in qualibet horâ Officii: non dicitur tamen à Vesperis Feriæ quartæ majoris Hebdomadæ usque ad Nonam Sabbati in Albis inclusivè, nec in Officio Defunctorum.

II. Ad Officium Noctis Hymnus dicitur post Psalmum *Venite.*, ad Laudes post Capitulum, ad Horas diei post *Deus, in adjutorium.*, ad Vesperas post Responsorium, si dicatur: alioquin post Capitulum; ad Completorium post Antiphonam Psalmorum.

III. In Officio de Tempore, dicuntur Hymni ut in Psalterio, nisi sint Hymni proprii in Proprio de tempore; in Officio Sanctorum ut in Communi, nisi proprii habeantur in Proprio Sanctorum.

IV. In fine Hymnorum ad Horas diei & Completorium quandoque mutatur Doxologia, prout assignatur in Proprio de tempore aut Sanctorum.

## Caput III.

### *De Psalmis.*

I. PSalmi eo modo, & ordine, quo sunt in Psalterio distributi, dicuntur singulis diebus ad omnes Horas tam diurnas quam Nocturnas, non solùm in Officio de Tempore, sed etiam in Officio de Sanctis, nisi aliter notetur. In primis Vesperis & Completorio omnium Solemnium dicuntur Psalmi Feriales, nisi aliter notetur; sed in die Festo Solemnium primi & secundi Ordinis ad Officium Nocturnum & secundas Vesperas dicuntur Psalmi proprii, vel de Dominicâ, si proprii non assignentur. In Festis B. Mariæ ad Vesperas diei & Officium Noctis Psalmi de Officio ejus parvo sumendi, nisi aliter notetur. In his autem Solemnibus & Festis B. M. dicuntur Psalmi de Dominica ad Laudes & ad Horas diei, nisi aliter notetur. Triduo ante Pascha fit Officium ut notatur in Proprio. Tempore Paschali, ad Nocturnum in omnibus Officiis de Tempore, dicuntur tantum tres Psalmi, qui ubi dicendi sunt de Feria, in Proprio de tempore notantur: ubi sunt proprii, habentur in Proprio de tempore, vel de sanctis. Quod si in Officio aliquo Solemni privatæ cujusdam Ecclesiæ dici debeant de Dominica, sumentur ex primo Nocturno.

II. In fine Psalmorum, & ad quamlibet Psalmorum divisionem dicitur: *Gloria Patri.* non autem triduo ante Pascha. In Officio Defunctorum loco *Gloria Patri.* dicitur *Requiem æternam.*

## Caput IV.

### *De Canticis.*

I. CAntica dicuntur in omnibus Officiis ad Laudes Matuti-

nas, ad Vesperas & Completorium ut in Psalterio distribuuntur, adhibitâ tamen quandoque exceptione de Cantico Laudum.

II. Igitur Canticum quod post tres Psalmos primos in Laudibus dicitur, diversum est pro qualitate Officii. Festa Solemnia habent suum Canticum ut in proprio loco notatur quod in die Festo dicitur, & per Octavam quoties fit de Octava. Officium Defunctorum, Officium parvum B. Mariæ & Officium tridui ante Pascha suum etiam habent Canticum.

III. In aliis Officiis de Sanctis quæ proprium Canticum non habent, inde Canticum sumitur unde sumuntur Psalmi Laudum. Itaque in Solemnibus primi & secundi Ordinis, dicitur tum in die tum etiam per Octavam Canticum de Dominica, ubi aliud non assignatur, putà in Festis quæ Ecclesiis quibusdam peculiaria esse possunt. In aliis Festis dicitur Canticum inter Psalmos Feriales notatum pro Festis. In Officio Feriali dicitur Canticum Feriæ.

III. In fine omnium Canticorum dicitur *Gloria Patri*. Excipitur Canticum *Benedicite*. in cujus fine dicitur *Benedicamus patrem. Benedictus es*, *Domine*. ut ibidem ponitur. In Officio tridui ante Pascha post Canticum, ut post Psalmos, nihil dicitur. In Officio Defunctorum loco *Gloria Patri*. dicitur *Requiem æternam*.

## CAPUT V.

### *De Antiphonis.*

I. IN omnibus Horis Nocturnis, & diurnis dicuntur cum Psalmis Antiphonæ, vel una vel plures pro diversitate Officii & Horarum.

II. Si de tempore fit Officium seu de Dominica seu de Feria, dicuntur in omnibus horis Antiphonæ post Psalmos ut in Psalterio notantur, nisi aliæ assignentur. Antiphona posita ad Completorium super Psalmos in Psalterio non mutatur nisi in Festis Solemnibus cujuscumque Ordinis, ac per eorum Octavas quando fit Officium de Octava. Intrà verò Octavas Solemnium primi Ordinis, ac Solemnium Domini secundi Ordinis, etiamsi Officium non fiat de Octava, dicitur Antiphona de Festo; nisi tamen occurrat aliud Festum habens Antiphonam propriam. Excipienda quoque, ut jam dictum est, Festa Domini occurrentia quæ intrà Octavas Solemnium primi Ordinis SS. ritum suum non mutant.

III. In Festis Semiduplicibus & suprà, Antiphonæ quinque dicuntur ad Laudes & Vesperas sive ex Proprio, sive ex Communi Sanctorum. Diebus intrà Octavas in Laudibus & Vesperis, atque ipso Sabbato in primis Vesperis Dominicæ intrà Octavam, modò Dominica non incidat in diem Octavam, Psalmi dicuntur sub una Antiphona quæ est quarta Laudum & prima Vesperarum Festi, nisi Propria assignetur, aut aliter notetur. Idem pariter servatur ad Laudes Officiorum Simplicium. In Feriis ad Laudes & Vesperas dicuntur Antiphonæ quæ assignantur in Psalterio, vel in Proprio de tempore.

IV. Notandum quod intrà Octavas Paschæ, Pentecostes & Natalis Domini, Laudes & Vesperæ dicuntur ut notatur in propriis locis.

V. Ad Officium Noctis extra tempus Paschale, in Semiduplicibus & diebus intrà Octavas tres Antiphonæ sumuntur ut sequitur. Feriâ secundâ & quintâ, ex primo Nocturno; Feriâ tertiâ & sextâ ex secundo Nocturno: Feriâ quartâ & Sabbato ex tertio Nocturno. Tempore Paschali tam in Officio de tempore quam de Sanctis, Psalmi dicuntur ad Nocturnum sub una Antiphona ut suis locis ponitur, exceptis tamen Duplicibus & suprà in quibus ad Nocturnum dicuntur tres Antiphonæ. Ad alias

Horas in Festis Semiduplicibus & suprà nihil in numero Antiphonarum mutatur : sed in fine omnium additur *Alleluia*. Si tamen tempore Paschali alio modo notatur in aliquo Officio, fiat ut in Proprio præscribitur. Nunquam in fine Antiphonarum additur *Alleluia* in quocumque Officio à Septuagesima ad Pascha.

VI. Antiphonæ in quocumque Officio eodem modo dicuntur : nempe imponuntur, seu inchoantur tantùm ante Psalmos & Cantica : post Psalmos & Cantica integræ dicuntur. Excipiuntur tamen Antiphonæ majores ante Natalem Domini quæ *O* vocantur ; hæ enim integræ dicuntur ante & post *Magnificat*. si fiat de Officio Feriæ ; sin autem pro sola adhibentur Commemoratione, dicuntur semel integræ tantùm ante Versum & Orationem.

VII. In Officio quod absque cantu dicitur, Psalmi & Cantica semper inchoantur sine Antiphonarum impositione. Post Psalmos & Cantica dicuntur integræ. Solæ Antiphonæ *O* tunc etiam integræ recitantur ante, & post *Magnificat*. modo supradicto, licet Officium sine cantu dicatur.

VIII. Cum fit aliqua Commemoratio, Antiphona cum Versiculo ante Orationem dicitur : Antiphona & Versiculus sumuntur ex Officio quod convenit ei de quo fit Commemoratio ; ita ut ex Vesperis sumatur Antiphona quæ ad *Magnificat*. & ex Laudibus quæ habetur ad *Benedictus*. cum Versiculis qui sunt post Hymnum, nisi aliter notetur.

IX. Sabbato in primis Vesperis Dominicæ Septuagesimæ additur *Alleluia* in fine illius Antiphonæ Septuagesimæ, quæ dicitur ad *Magnificat* : deinde usque ad Pascha *Alleluia* non dicitur, & ejus loco post *Deus, in adjutorium, &c.* additur, *Laus tibi, Domine. Rex æternæ gloriæ.*

## CAPUT VI.

### *De Versiculis.*

I. VErsiculus dicitur post Antiphonam ultimi Psalmi cujusque Nocturni, ad Laudes & Vesperas post Hymnum, & ad alias Horas post Responsorium breve.

II. A Vesperis Feriæ quartæ Majoris Hebdomadæ ad Nonam Sabbati in Albis inclusivè non dicuntur Versiculi, nisi in Nocturnis.

III. Nunquam Versiculis prædictis etiam tempore Paschali, additur *Alleluia*, nec Versiculis Precum nec in *Pretiosa* ac sequentibus, nec in Versiculis Responsoriorum quotumcumque.

IV. In Officio trium Lectionum, si ad Nocturnum Versiculus sumatur ex Officio novem Lectionum, Versiculus primi Nocturni dicitur Feriâ secundâ & quintâ : Versiculus secundi Nocturni Feriâ tertiâ & sextâ : Versiculus tertii Nocturni Feriâ quartâ & Sabbato.

## CAPUT VII.

### *De Absolutionibus & Benedictionibus ante Lectiones.*

I. ABsolutiones & Benedictiones dicuntur ut in fine Psalterii ante Proprium de Tempore disponuntur : scilicet post Versiculum dicto *Pater noster*. fit Absolutio & dantur Benedictiones ut ibi notatur, præterquam triduo ante Pascha & in Officio Defunctorum in quibus non dicuntur.

II. Variantur hæ Benedictiones pro diversitate Officiorum ut assignatur post Psalterium.

III. In Officio Sanctorum trium Lectionum Absolutio sumitur secundùm Feriam ; Benedictiones ut notantur pro ejusmodi Officio.

IV. Lector postulans Benedictionem in choro dicit *Jube domne*. qui verò solus recitat dicit *Domine*. & Benedictionem pronuntiat.

V. Quando Dom. Episcopus Lectionem Lecturus est, postquam ipse præmisit ex more, *Jube domne*. dignior chori post ipsum dicit illi :

illi : *Ora pro nobis Pater.* ipse autem dicit Benedictionem : *Oro ut charitas, &c.* & Lectionem. Idem observatur ubi unicus est Presbyter & Officium recitat cum aliis Clericis inter quos non est alius ab ipso Sacerdos. Ad Absolutiones & Benedictiones semper respondetur : *Amen.*

## CAPUT VIII.

### *De Lectionibus.*

I. IN quolibet Nocturno leguntur Lectiones post Psalmos præmisso, *Pater*, &c. In Duplicibus & suprà, extra tempus Paschale leguntur novem Lectiones, tres in quolibet Nocturno : In Festis Semiduplicibus & Simplicibus, in Feriis ac intrà Octavas & toto tempore Paschali in quo unicum est Nocturnum, tres solum Lectiones dicuntur.

II. In primo Nocturno Officii novem Lectionum leguntur tres Lectiones ex Scriptura quæ occurrit quâque die in Officio de Tempore, nisi aliæ assignentur : in secundo Nocturno leguntur ut designantur in Proprio : in tertio Nocturno leguntur de Homilia in Evangelium ut in Proprio assignantur. Primæ Lectioni tertii Nocturni præponitur principium Evangelii quod eo die in Missa legitur. Excipiuntur ab hac regula Officium tridui ante Pascha & Officium Defunctorum in quibus Homiliæ non leguntur. Ubi fit Officium in aliqua Ecclesia privata de Sancto cujus nulla fit mentio in Breviario, Lectiones sumuntur è Communi Patronorum quod post Commune Sanctorum in singulis Breviarii partibus apponitur. Ex eodem Communi Patronorum supplenda erunt, quæ necessaria videbuntur ad complendum Officium alicujus Sancti in Ecclesia privata celebrandum Solemniori ritu quàm in Proprio notetur.

III. Quando legenda est Lectio de Evangelio Dominicæ vel Feriæ Majoris, aut Vigiliæ, vel de Sancto, ponetur loco ultimæ Lectionis Officii hujus diei.

IV. In Officio trium Lectionum leguntur Lectiones, ut sequitur : si Festum duas Lectiones proprias habeat, prima Lectio cōstabitur è Lectionibus Scripturæ occurrentis, tribus in unam junctis ; secunda ac tertia de Festo : si unam tantum Lectionem habeat, prima & secunda erunt de Scriptura ; ita ut prima legatur sola, secunda verò & tertia de Scriptura in unam jungantur : tertia erit de Festo ; quod servatur in Officio beatæ Mariæ in Sabbato, in quo si occurrat Simplicis Commemoratio, de eo omittitur Lectio. In Officio Feriæ tres Lectiones erunt de Scriptura ; si verò legenda sit aliqua Homilia pro tertia Lectione, tunc è tribus Lectionibus Scripturæ fiunt duæ ut suprà.

V. Tempore Paschali, in Festis Duplicibus & supra pro primâ Lectione leguntur Lectiones de Scriptura in unam coactæ, secunda de Historia Sancti, vel de aliquo Sermone in ejus laudem, tertia de Evangelio cum ejus Homilia. In aliis verò Festis, Lectiones ordinantur ut alio tempore cum tres tantùm leguntur Lectiones sine Evangelio.

VI. Si tempore Paschali Officium Commemorationem admittens habeat Evangelium proprium cum Homilia, ut Duplex primi Ordinis, in Dominicam vel Feriam Majorem incidens, prima Lectio erit de Scriptura, ut dictum est Articulo præcedenti : secunda de Homilia in Evangelium Festi, omissâ hoc anno hujusce Festi Lectione : tertia de Homiliâ in Evangelium Dominicæ vel Feriæ Majoris.

VII. Singulis diebus per annum in Officio Nocturno legitur de Scriptura sacra, vel propria, vel occurrente. Initia librorum sacræ Scripturæ nunquam omittuntur :

si in die in qua ponitur initium libri contingat fieri Officium habens Scripturam propriam, tunc initium libri ponitur die sequenti : si die sequenti occurrat initium alterius libri pro prima Lectione legentur tres Lectiones diei præcedentis in unum coactæ : pro secunda Lectione, prima Scripturæ hac die occurrentis, & pro tertia, secunda & tertia in unum coactæ. Si in Officio Semiduplici id occurrat, pro prima Lectione legentur tres Lectiones diei præcedentis in unam coactæ ; pro secunda tres Lectiones Scripturæ hoc die occurrentis, pro tertia verò duæ Lectiones Semiduplicis in unam junctæ. Diebus Dominicis dicuntur semper Lectiones assignatæ, unde fit quod initia librorum quibusdam Sabbatis assignata, si illis diebus dici nequeant, anticipentur Feriâ præcedenti pro aliqua Lectione secundùm occurrentiam ; aliæ Lectiones Scripturæ quæ suis diebus legi non possunt non resumuntur, sed eo anno omittuntur.

VIII. Lectiones primi Nocturni leguntur de Scriptura cum titulo libri de quo sumuntur, nisi aliter notetur. Lectiones secundi Nocturni, si sint ex aliquo Sermone, Tractatu, Epistolâ, aut alio quovis libro sanctorum Patrum leguntur cum titulo & nomine auctoris ; aliàs minimè. Similiter in tertio Nocturno præponitur titulus & nomen auctoris, cujus est Homilia. Excipiuntur ab hac regula Lectiones Scripturæ in Officio Defunctorum.

IX. Lectiones omnes terminantur per annum his vocibus, *Tu autem, Domine, miserere nostri.* Per Adventum, & triduo ante Pascha quæ ex Isaïa & Jeremia desumuntur, terminantur ut notatur in Proprio de tempore.

## Caput IX.

### *De Responsoriis post Lectiones.*

I. Post quamlibet Nocturni Lectionem dicitur Responsorium. In primis Vesperis Duplicium primi Ordinis & suprà, dicitur etiam Responsorium post Capitulum.

II. In Officio de Tempore Responsoria Officii Nocturni ibi primò sunt posita ubi unus ex sacræ Scripturæ libris incipit, repetuntur autem quandiù de hoc libro legitur, nisi alia assignentur.

III. In Officio de Sanctis sumuntur ex Proprio, aut ex Communi Sanctorum. In Officio trium Lectionum tria Responsoria ex Officio novem Lectionum sumenda sunt, secundùm Feriam, id est hoc ordine : Feriâ secundâ & Feriâ quintâ, ex primo Nocturno ; Feriâ tertiâ & sextâ, ex secundo Nocturno ; Feriâ quartâ & Sabbato, ex tertio Nocturno.

IV. In Feriali Officio ( extrà tempus Paschale ) Responsoria sumuntur ex Dominicâ præcedenti, nisi aliter notetur, aut Propria huic Feriæ assignentur. Sumuntur autem hoc modo : Feriâ secundâ, quartâ & sextâ, ex primo Nocturno ; Feriâ tertiâ, quintâ, & Sabbato ( si in isto fit de Feriâ ) ex secundo Nocturno. Cùm autem Responsoria propria cuidam Feriæ assignantur, & eo die dici non possunt propter Festum occurrens, eo anno omittuntur. Responsoria quæ in aliqua Dominica ponuntur, tamdiù adhibentur in Officio seu Feriarum, seu Dominicarum sequentium, quamdiù alia Responsoria non assignantur. In Feriis temporis Paschalis Responsoria dicuntur ut ibidem notatur.

V. In Responsoriis tres partes distingui solent, quarum prima Initium, secunda Reclamatio, tertia Versus dicitur. Reclamatio distinguitur ab Initio per Asteriscum *, & semper post Versum integra repetitur : prætereà post Versum & Reclamationem additur *Gloria Patri.* ad ultimum cujusque Nocturni Responsorium in omni Officio, & ad Responsorium

etiam primarum Vesperarum in Duplicibus primi Ordinis & suprà, & post *Gloria Patri.* iterum repetitur Reclamatio, vel si divisionem habeat, ejus ultima pars, quæ hâc notulâ † signatur. Excipiuntur tamen ab hoc ordine Officia de tempore à Dominicâ Passionis ad Pascha, & Officium Defunctorum in quibus non dicitur *Gloria Patri.* sed in Officio Defunctorum additur, *Requiem æternam.*

VI. In Solemnibus primi Ordinis ad singula Responsoria additur *Gloria Patri.* & repetitur Reclamatio, aut ultima ejus divisionis pars; & ad ultimum Responsorium uniuscujusque Nocturni post iteratam Reclamationem repetitur Responsorium usque ad Versum.

VII. In Dominicis & Duplicibus in quibus *Te Deum* non dicitur, de quibus capite sequenti, statim in ultimo Responsorio, post *Gloria Patri.* omissâ quæ sequi deberet Reclamatione, resumitur Responsorium usque ad Versum exclusivè. In Dominicis autem Passionis & Palmarum & in Officio Compassionis B. Mariæ, & triduo ante Pascha, cùm *Gloria Patri.* non dicatur, resumitur ab initio usque ad Versum Responsorium nonum post Reclamationem quæ Versum sequitur. In Officio quoque Defunctorum Responsorium ultimum *Libera.* repetitur ab initio post ultimum Versum & ejus reclamationem. In Feriis, etsi *Te Deum.* non dicatur, non repetitur ultimum Responsorium ab initio, sed Reclamatio tantùm.

## CAPUT X.

### *De Cantico* Te Deum.

I. IN omni Festo Simplici, & suprà, & intrà quamcumque Octavam per annum, ac in Officio de B. Maria in Sabbato & in omnibus Dominicis à Pascha inclusivè usque ad Adventum exclusivè, sicut à Nativitate Domini inclusivè usque ad Septuagesimam exclusivè, & in omnibus Feriis temporis Paschalis (Feriâ secundâ Rogationum exceptâ) post ultimum Responsorium dicitur *Te Deum.* Non dicitur in Dominicis Adventûs, nec à Septuagesima ad Pascha in Officio de Tempore, nec in Officio Feriali extrà tempus Paschale. Non dicitur etiam in Festo Compassionis B. Mariæ Virginis, cujus Officium pro Quadragesimali habetur.

## CABUT XI.

### *De Collectâ seu Oratione.*

I. ORatio in Officio Nocturno, si separetur à Laudibus; dicitur post *Te Deum.* vel post ultimum Responsorium, si non dicatur *Te Deum.* In Laudibus & Vesperis dicitur post Antiphonas ad *Benedictus.* & ad *Magnificat.* nisi quando dicuntur Preces, quæ dicendæ sunt post Antiphonam, & in fine illarum Oratio. Ad Horas diei collocatur post Versiculum, qui Responsorium breve sequitur, nisi quando dicendæ sunt Preces; tunc enim Oratio dicitur post ultimum Versiculum Precum. In Duplicibus & suprà, & intrà Octavas ponitur ad Primam post Versum qui Responsorium breve sequitur, & ad Completorium post Antiphonam Cantici: in Semiduplicibus verò & infrà, post Preces, nisi aliter notetur.

II. Ad Primam & Completorium non mutatur Oratio quæ habetur in Psalterio, præterquam in triduo ante Pascha, & (quod ad Primam attinet) in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, quibus diebus ut ibi in Proprio. In aliis Horis dicitur Oratio quæ assignatur in Proprio, vel Communi.

III. In Feriali Officio dicitur Oratio Dominicæ præcedentis, cum propria non assignatur. In Quadragesima, Quatuor Temporibus ac Feriis Rogationum, Oratio quæ dicta est in Laudibus dicitur tantùm ad Tertiam, Sextam & No-

nam : in Vesperis autem sequentibus, si fiat de Feria, dicitur vel alia propria ut in Quadragesima, vel Dominicæ præcedentis, ut in aliis Festis.

IV. Ante Orationem dicitur *Dominus vobiscum.* non tamen ab eo qui non est Sacerdos, aut Diaconus : Diacono etiam id non licet presente Sacerdote nisi de illius licentiâ. Ab aliis dicitur, *Domine, exaudi orationem.* deinde *Oremus.* Post Orationem dicto *Amen*, repetitur *Dominus vobiscum.* vel *Domine, exaudi oratio em.* nisi sit aliqua Commemoratio facienda ; tunc enim dicitur post ultimam Orationem Commemorationum tantùm, *Dominus vobiscum.* vel *Domine, exaudi. Benedicamus Domino.* & statim secretò : *Fidelium animæ.* nisi aliud Officium sequatur. Ante quamlibet Orationem Commemorationum dicitur Antiphona & Versiculus, deinde *Oremus :* ultima tantùm Oratio Commemorationum aut Suffragiorum dicitur cum Conclusione, ita ut prima & ultima Oratio Officii dicantur tantùm cum Conclusione, aliæ orationes seu Commemorationum seu Suffragiorum, terminentur ultimâ voce Orationis non additâ Conclusione. Ad Primam non dicitur Versus *Fidelium animæ.* post *Benedicamus.* ante *Pretiosa.* Similiter nec post aliam Horam quamcumque si sequatur Officium Parvum B. Mariæ, vel Officium Defunctorum, vel aliquod aliud. In qualibet Oratione præmittitur *Oremus.* & levis pausa ; præterquam in Officio Defunctorum, & in Litaniis, quando plures Orationes dicuntur conjunctim sub uno *Oremus.* In Orationibus & Versiculis in quibus notatur *N.* nomen Baptismale ejus de quo fit mentio pronuntiatur.

V. Si Oratio dirigatur ad Patrem sic concluditur, *Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum ; qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs sancti Deus, per omnia secula seculorum.* Respondetur, *Amen.* Si dirigatur ad Filium, dicendum est : *Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritûs sancti Deus, per omnia secula seculorum.* Si in principio vel ferie Orationis fiat mentio Filii dicitur : *Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum ; qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum.* Si fiat mentio Spiritûs sancti, dicitur : *In unitate ejusdem Spiritûs sancti Deus, per omnia secula seculorum.* In Orationibus pro Defunctis nisi aliter notetur, dicitur : *Per eum qui venturus est judicare vivos & mortuos, & seculum per ignem.* Respondetur : *Amen.*

## CAPUT XII.

### *De Oratione Dominica & Salutatione Angelica.*

I. ORatio Dominica, *Pater.* & Salutatio Angelica, *Ave.* dicuntur secretò ante Horas quaslibet excepto Completorio, post cujus finem dicuntur. Si Hora jungatur præcedenti Officio, non dicuntur ante illius initium.

II. Quando Oratio Dominica dicitur cum Precibus, dicitur secretò & altâ voce profertur : *Et ne nos inducas, &c.* Quod etiam in quocumque Nocturno observatur, triduo ante Pascha excepto, quo Tempore *Pater.* dicitur totum secretò.

III. In fine uniuscujusque Horæ nisi aliud Officium sequatur, dicto submissiori voce, *Fidelium animæ.* dicitur etiam secretò, *Pater.*

IV. Salutatio Angelica sola dicitur ante Officium parvum B. Mariæ Virginis, quando Officio Canonico non jungitur.

## CAPUT XIII.

### *De Symbolo Apostolorum & Symbolo Quicumque.*

I. SYmbolum Apostolorum, *Credo in Deum.* integrum dicitur secretò post *Pater.* & *Ave.* ante

Officium Nocturnum & post finem Completorii; dicitur etiam secretò post *Pater.* ad Preces Primæ & Completorii: sed in fine tunc altâ voce profertur: *Carnis resurrectionem.*

II. Symbolum *Quicumque.* dicitur ad Primam post Psalmos, omnibus Dominicis in quibus Officium fit de Dominica ut in Psalterio, tempore etiam Paschali, necnon in Festo sanctæ Trinitatis. In fine illius dicitur: *Gloria Patri.* ut in fine Psalmorum. Illud Symbolum non dicitur Dominicis intrà Octavas Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Ascensionis & Corporis Christi, Dominica Resurrectionis ac Pentecostes, nec in iis quæ sunt intrà Octavas Solemnium primi Ordinis.

## CAPUT XIV.

### *De Capitulis & Canone.*

I. CApitula dicuntur ad Vesperas, Laudes & alias Horas post Psalmos & Antiphonas: ad Completorium verò post Hymnum. Nullum legitur Capitulum in toto Officio à Vesperis Feriæ quartæ Majoris Hebdomadæ ad Nonam Sabbati in Albis inclusivè, neque in Officio Defunctorum.

II. Capitula Primæ & Completorii dicuntur semper ut in Psalterio, de Dominica vel de Feria, prout de hac vel illa adhibentur Psalmi. Tempore Paschali semper de Dominica. In Horis omnibus ad Capitulum respondetur: *Deo gratias.*

III. Ad Primam Canon de quo jam dictum est suprà Parte II. Capite IV. legitur de die occurrente, exceptis quibusdam Festis, in quibus proprius assignatur. Potest omitti Canon triduo ante Paschæ. In legendis autem Canonibus per annum semper tenetur ordo Dominicarum & Hebdomadarum quæ occurrunt. Canones qui ejus modi ordinem sequendo aliquando superesse deprehenduntur, ut quandoque intrà Octavam Epiphaniæ contingit, tunc debent omitti.

## CAPUT XV.

### *De Responsoriis brevibus.*

I. REsponsoria brevia dicuntur post Capitulum ad Horas minores tantùm, id est ad Primam, Tertiam, Sextam, Nonam & Completorium, præterquam à Feriâ quintâ in Cœna Domini usque ad Dominicam in Albis exclusivè, & in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum.

II. Cum fit Officium de Dominica, aut Feria per annum, dicuntur Responsoria brevia ut in Psalterio; in Adventu autem, à Septuagesima usque ad Quadragesimam, in Quadragesima, Tempore Passionis, & Tempore Paschali, quibus Temporibus ad Tertiam, Sextam & Nonam, Capitula de Psalterio mutantur, mutantur etiam Responsoria brevia, ut in Propriis locis notatur. In Festis, si propria desint, dicuntur ut in Communi Sanctorum.

III. A Dominica Passionis inclusivè, usque ad Pascha, in Responsoriis brevibus, ut in prolixis Officii cujusque de Tempore, non dicitur *Gloria Patri.* sed post Versum & Reclamationem repetitur ab initio Responsorium breve usque ad Versum.

IV. In Responsorio brevi ad Primam, *Christe.* Versus, *Qui sedes.* qui dicitur per annum, mutatur aliquando in Officio sive de Tempore, sive de Sanctis, prout in propriis locis notatur.

V. In omnibus Solemnibus, iis tantum exceptis quæ à Septuagesima ad Pascha occurrunt; item à Natali Domini ad Octavam Epiphaniæ, ac toto Tempore Paschali, & intrà Octavas Solemnium primi Ordinis etiamsi non fiat de Octava, nisi tamen occurrat aliquod è Festis Domini quæ ritum suum non mutant

intrà quaslibet Octavas Sanctorum; præterea intrà Octavas Solemnium Domini secundi Ordinis, in fine brevium Responsoriorum Tertiæ, Sextæ & Nonæ, ante Versum dicuntur duo *Alleluia*, quæ etiam post dictum Versum, pro Reclamatione repetuntur. Responsorium breve Primæ nunquam mutatur; licet quandoque mutandus sit Versus ei adjunctus, nec *Alleluia* ejusmodi Responsorio unquam adjicitur, nisi Tempore Paschali. Ad Versiculum, qui post *Gloria Patri*. & repetitionem integram cujuscumque Responsorii brevis subjicitur, nunquam additur *Alleluia*, nec ad Responsionem ejus, etiam Tempore Paschali.

## CAPUT XVI.

### *De Precibus,*

I. PRECES constant aliquot Versiculis sive pluribus sive paucioribus, qui pro dierum diversitate dicuntur ante Orationem, præmisso *Kyrie, eleïson.* & *Pater noster.* cui ad Primam & Completorium additur *Credo.*

II. Preces illæ non dicuntur in Dominicis ac Duplicibus quibuscumque & suprà, nec à Vigilia Nativitatis Domini inclusivè, ad diem Octavam Epiphaniæ, nec à Feriâ quartâ majoris Hebdomadæ inclusivè ad Dominicam in Albis, nec ab Ascensione ad Trinitatem, nec intrà quascumque Octavas, licet per eas fiat aliquando de Semiduplici.

III. Preces Feriales ad Laudes & Horas diei dicuntur in Feriis Adventus, Quadragesimæ, & Quatuor Temporum (Quatuor Temporibus Pentecostes exceptis): dicuntur etiam in Vigiliis, exceptis Vigiliis Natalis Domini, Epiphaniæ, Ascensionis & Pentecostes de quibus suprà. Nunquam autem dicuntur Preces ejusmodi in Vigiliis quibuslibet, nec in Feriis majoribus, quando non fit de iis Officium.

IV. Dicuntur etiam hæ Preces ad Vesperas in Feriis Adventûs, Quadragesimæ, & Quatuor Temporum, dummodo Vesperæ sint de Feria: excipiendæ illæ Feriæ Adventûs in quibus dicuntur Antiphonæ *O*, in quibus non dicuntur ejusmodi Preces ad Vesperas.

V. Quotiescumque ad Laudes Preces dictæ sunt, cum dicantur semper flexis genibus, tunc Preces ad Primam & alias Horas diei, dicendæ sunt flexis genibus: aliàs flexis genibus non dicuntur. Nonnisi flexis etiam genibus Preces in Vesperis dicuntur, & cùm in iis dictæ sunt, tunc tantùm ad Preces Completorii genua flectuntur. In ultimis Feriis Adventûs in quibus dicuntur Antiphonæ *O*, ad Preces Completorii genua non flectuntur; sed ritus Semiduplex adhibetur.

VI. Quando dicuntur Preces flexis genibus, ceteris genua flectentibus conversis ad altare, celebrans quoque genua flectit, incipit *Kyrie, eleyson.* & eodem ritu cetera prosequitur usque ad *Dominus vobiscum.*

VII. In Precibus Laudum & Vesperarum celebrans ad Versiculum, *Oremus pro Pastore* N. addit nomen D D. Episcopi: ad Versum, *Dominus vobiscum.* surgit, elevat vocem, & pronuntiat Orationem, ceteris usque ad finem Orationis Officii remanentibus genuflexis & ad altare conversis, & sic ad omnes Horas.

## CAPUT XVII.

### *De Suffragiis.*

I. SUffragia de Sanctis, seu Commemorationes Communes quæ habentur in Psalterio, fiunt post Orationem Officii, vel post Commemorationes, si quæ faciendæ sint: dicuntur autem ad Laudes & Vesperas in Semiduplicibus tantùm, Simplicibus ac Feriis. Omittuntur à primis Vesperis Dominicæ primæ Adventûs inclusivè usque ad diem Festum Præsentationis Domini; & à primis Vespe-

tis Dominicæ Passionis inclusivè usque ad diem Octavam Pentecostes, & intrà omnes Octavas etiamsi aliquando fiat de Semiduplici. In Feriali Officio præmittitur Commemoratio de Cruce, in aliis Officiis omittitur.

II. Tempore Paschali fit propria Commem. de Cruce & ea fit sola, non autem in Duplicibus & suprà.

III. Commemoratio de sancta Maria, non fit cum dicitur ejus Officium Parvum, nec quandocumque fit Officium de ea. Et à die secundâ Januarii usque ad Præsentationem Domini (licet omittantur Suffragia) fit Commemoratio B. Mariæ, ut notatur in Proprio, nisi fiat Officium de B. Maria in Sabbato.

## CAPUT XVIII.

### *De Antiphonis beatæ Mariæ.*

FInito Completorio antequam dicantur *Pater. Ave. Credo.* Semper dicitur una ex Antiphonis B. Mariæ quæ assignatur ad calcem Psalterii cum Versu & Oratione secundùm Tempus, excepto triduo ante Pascha.

## CAPUT XIX.

### *De Officio Parvo Beatæ Mariæ.*

I. OFficium Parvum B. Mariæ (exceptis Feriis Adventûs, Quadragesimæ, & aliis Feriis Majoribus, & etiam omnibus Feriis Minoribus, toto tempore quo omittuntur Suffragia) semel dicitur in Choro per Hebdomadam, scilicet primâ die quâ fit de Feriâ, modò Officium Defunctorum non fit eâdem die recitandum: tunc Officium Parvum B. Mariæ in proximam diem, in qua fiet de Feria, remittitur.

II. Singulæ Horæ Officii Parvi B. Mariæ dicuntur hoc modo. Officium Nocturnum, Laudes & Vesperæ dicuntur inter Suffragia, post Commemorationem Crucis: prima post Primam diei ante Officium Capituli: tertia post *Benedicamus Domino* Tertiæ, & sic de cæteris Horis.

III. Cùm Officium parvum jungitur Officio Canonico, nunquam in illius Nocturno dicitur Hymnus, *Te Deum.* Verùm ab iis qui privatim ejusmodi Officium recitant, & generatim ubi non jungitur Officio Canonico, dicitur ille Hymnus, præterquam tempore Adventûs & à Septuagesima ad Pascha.

## CAPUT XX.

### *De Officio Defunctorum.*

OFficium Defunctorum dicitur in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, ut notatur in Proprio loco. Dicitur etiam in Choro unum Nocturnum Officii Defunctorum secundùm Feriam, cum Laudibus primâ cujuslibet mensis die (extra tempus Paschale, & Tempus Adventûs usque ad diem secundum Februarii) non impeditâ Officio Simplici aut suprà, vel Feriâ Majori. Quando prima dies in Feriam secundam incidit, omittuntur Vesperæ Defunctorum. Idem servatur, cùm pridiè Officii Defunctorum fit Officium Duplex primi Ordinis, vel suprà. Dicitur hoc Officium post Officium diei.

## CAPUT XXI.

### *De Psalmis Pœnitentialibus.*

PSalmi Pœnitentiales dicuntur in Choro, Feriâ quartâ Cinerum post Sextam, ut habetur in Missali.

# TABULA

## *Continens Officiorum gradus & diversitatem.*

*Solemne I. Ordinis.* } *Duplex I. Ordinis.* }
*Solemne II. Ordinis.* } *Duplex II. Ordinis.* } Simplex.
*Solemne III. Ordinis.* } Semiduplex. }

### *SOLEMNIA I. ORDINIS.*

Natale Domini.
Annuntiatio & Incarnatio Domini.
Pascha.
Pentecostes.
Assumptio B. Mariæ Virginis.
Festum SS. Mauricii & Sociorum, Ecclesiæ Cathedralis & Diœcesis Patronorum.
Festum Omnium Sanctorum.
Festum principale Patroni primarii, seu titularis Ecclesiæ.
Ipsa dies Consecrationis, seu Dedicationis Ecclesiæ.

### *SOLEMNIA II. ORDINIS.*

Circumcisio Domini.
Epiphania Domini.
Præsentatio Domini & Purificatio B. Mariæ Virginis.
Ascensio Domini.
Festum SS. Trinitatis.
Festum Corporis Christi, seu SS. Sacramenti Eucharistiæ.
Nativitas B. Mariæ Virginis.
Conceptio B. Mariæ Virginis.
Nativitas S. Joannis Baptistæ.
Natale SS. Petri & Pauli, Apostolorum.
Festum S. Gauderici Agricolæ.
Dies Anniversarius Dedicationis Ecclesiæ.

### *SOLEMNIA III. ORDINIS.*

Inventio S. Crucis.
Festum Visitationis B. Mariæ Virginis.
Transfiguratio Domini.
Festum sancti Michaëlis Archangeli, & omnium Angelorum.
Festum Præsentationis B. M. Virginis.
Festum S. Saturnini.

### *DUPLICIA I. ORDINIS.*

Dominica I. Adventûs.
Dominica Palmarum.
Dominica in Albis depositis.
Feriæ II. & III. Paschæ, II. & III. Pentecostes.
Dies Octavæ omnium Solemnium primi Ordinis, & Solemnium Domini secundi Ordinis.
Exaltatio S. Crucis.
Natale S. Stephani Protomartyris.
Festa Apostolorum & Evangelistarum, excepto Natali Sanctorum Petri & Pauli, qui est Solemne II. Ordinis.
Demum omnia Festa quibus in Calendario apponuntur hæ voces, *Duplex I. Ordinis.*

*DUPLICIA II. ORDINIS.*

Dominicæ per annum ſuperiùs non memoratæ.

Octavæ Solemnium ſecundi Ordinis quæ non ſunt Domini.

Feſtum Compaſſionis B. M. V.

Feſta quibus in Calendario apponuntur hæ voces, *Duplex II. Ordinis.*

*SEMIDUPLICIA.*

Dies intrà Octavas, exceptis diebus II. & III. intra Octavas Paſchæ & Pentecoſtes.

¶ *Dies intrà dictas Octavas Paſchæ & Pentecoſtes nulli cedunt Feſto. Dies verò aliarum Octavarum tam Solemnium I. Ordinis, quàm Solemnium Domini II. Ordinis non admittunt niſi Duplicia & ſupra. Intrà Octavas Solemnium II. Ordinis quæ non ſunt Domini, fit Officium de Semiduplici.* ]

Feſta quibus in Calendario apponitur hæc vox, *Semiduplex.*

*DOMINICÆ PRIVILEGIATÆ quæ excludunt quæcumque Feſta etiam Solemnia I. Ordinis.*

Dominica prima Adventûs.
Prima Quadrageſimæ.
Paſſionis.
Palmarum.
Paſchæ.
In Albis depoſitis.
Pentecoſtes.
Prima poſt Pentecoſten, in qua fit Officium de SS. Trinitate.

*DOMINICÆ PRIVILEGIATÆ quæ admittunt Solemnia I. & II. Ordinis.*

Secunda, Tertia, Quarta } Adventûs.

Dominicæ in { Septuageſima. Sexageſima. & Quinquageſima.

Secunda, Tertia, Quarta } In Quadrageſima.

*DOMINICÆ in quibus fit de Duplicibus primi Ordinis & ſupra.*

Reliquæ Dominicæ per annum.

*FERIÆ MAJORES PRIVILEGIATÆ quæ nunquam omittuntur.*

Vigilia Nativitatis Domini.
Feria quarta Cinerum.
Feriæ Majoris Hebdomadæ.
Vigilia Pentecoſtes.

*FERIÆ MAJORES in quibus fit de Duplici I. Ordinis & ſupra, non verò niſi Commemoratio de Semiduplici.*

Feriæ omnes non privilegiatæ intrà Quadrageſimam.
Feriæ Quatuor-Temporum.
Feriæ Rogationum.
Vigiliæ non privilegiatæ, etiam anticipatæ.

*FERIÆ MAJORES in quibus fit de Semiduplici occurrente, non verò niſi Commemoratio de Simplici.*

Feriæ Adventûs.
Feria VI. poſt Octavam Aſcenſionis.

Ante Orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo qui tentat Deum.


*Ecclesiastici* XVIII. 23.

*Ante recitationem Officii divini*

*Oratio.*

APeri, Dómine, os meum, ad benedicendum nomen sanctum tuum : munda quoque cor meum, ab ómnibus vanis, perversis & aliénis cogitatiónibus; intellectum illúmina, affectum inflamma : ut attentè, reverenter & devótè, hoc Officium recitáre váleam, & exaudíri mérear ante conspectum divínæ majestátis tuæ; Per Christum Dóminum nostrum.

Dómine, in unióne divínæ illíus intentiónis quâ ipse in terris laudes Deo persolvísti, has tibi Horas persolvo.





David in Tabernaculo ad mensam aromatum prostratus orat

Respice et exaudi me, Domine Deus meus psallam nomini Domini altissimi Psal 12.

# PSALTERIUM
## *DISPOSITUM*
## PER HEBDOMADAM.
### *PARS VERNA.*

---

## DOMINICA
### *AD OFFICIUM NOCTURNUM.*

*Ante Officium Nocturnum dicitur secretò:*

PAter noster, qui es in cœlis, sanctificétur nomen tuum: advéniat regnum tuum: fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra: panem nostrum quotidiánum da nobis hódie: & dimitte nobis débita nostra, sicut & nos dimíttimus debitóribus nostris: & ne nos indúcas in tentatiónem; sed líbera nos à malo. Amen.

AVe, María, grátiâ plena, Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus, & benedictus fructus ventris tui Jesus.

Sancta María, mater Dei, óra pro nobis peccatóribus, nunc, & in hora mortis nostræ. Amen.

CRedo in Deum, Patrem omnipotentem, creatórem cœli & terræ: Et in Jesum Christum Filium ejus únicum, Dóminum nostrum: qui conceptus est de Spíritu sancto, natus ex María Vírgine: passus sub Póntio Piláto, crucifixus, mórtuus, & sepultus: descendit ad ínferos: tértiâ die resurrexit à mórtuis: ascendit ad cœlos, sedet ad déxteram Dei Patris omnipotentis: inde ventúrus est judicáre vivos & mórtuos. Credo in Spíritum sanctum, sanctam Eccléfiam cathólicâ, Sanctórum communiónem, remissiónem peccatórum, carnis resurrectiónem, vitam æternam. Amen.

*Deinde altâ voce dicitur:*

DOmine, lábia mea apéries: ℟. Et os meum annuntiábit laudem tuam. *Ps.* 50.

℣. Deus, in adjutórium meum intende: ℟. Dómine, ad adjuvandum me festina. *Ps.* 69.

Glória Patri, & Filio, & Spíritui sancto; Sicut erat in princípio, & nunc, & semper, & in sécula seculórum. Amen.

*Ante Paschа,* Laus tibi, Dómine, Rex æternæ glóriæ. *Post Paschа, loco* Laus tibi, *dicitur:* Allelúia.

*Invitatorium ut in Proprio.*

PSALMUS 94.

*Christus Rex ; ipsi parendum.*

VEníte, exultémus Dómino, jubilémus Deo salutári nostro : præoccupémus fáciem ejus in confessióne, & in psalmis jubilémus ei.

Quóniam Deus magnus Dóminus, & rex magnus super omnes deos : quóniam non repéllet Dóminus plebem suam : quia in manu ejus sunt omnes fines terræ, & altitúdines móntium ipse cónspicit.

Quóniam ipsius est mare, & ipse fecit illud, & áridam fundavérunt manus ejus : veníte, adorémus, & procidámus ante Deum : plorémus coram Dómino qui fecit nos, quia ipse est Dóminus Deus noster ; nos autem pópulus ejus, & oves páscuæ ejus.

Hódie si vocem ejus audiéritis, nolíte obdurâre corda vestra, sicut in exacerbatióne, secundùm diem tentatiónis in desérto, ubi tentavérunt me patres vestri, probavérunt & vidérunt ópera mea.

Quadraginta annis próximus fui generatióni huic, & dixi : Semper hi errant corde ; ipsi verò non cognovérunt vias meas, quibus jurávi in ira mea, si introíbunt in réquiem meam.

Glória Patri, & Fílio, & Spirítui sancto : Sicut erat in princípio, & nunc & semper, & in sécula seculórum. Amen.

*Hymnus ut in Proprio.*

*Tempore Paschali unicum dicitur Nocturnum, ut notatur in Proprio. In Quadragesimâ verò, Officium sit in sequitur.*

## *IN I. NOCTURNO.*

*Ant.* 3. a. Beátus vir.

*Astericus hic * notat mediationem & pausam.*

PSALMUS 1.

*Beatitudo justorum, malorum calamitas.*

BEátus vir qui non ábiit in consílio impiórum, & in via peccatórum non stetit, * & in cáthedra pestiléntiæ non sedit :

Sed in lege Dómini voluntas ejus, * & in lege ejus meditábitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignum, quod plantátum est secus decursus aquárum ; * quod fructum suum dabit in témpore suo.

Et fólium ejus non défluet : * & ómnia quæcumque fáciet, prosperabuntur

Non sic ímpii, non sic : * sed tanquam pulvis quem prójicit ventus a fácie terræ.

Ideò non resúrgent ímpii in judício, * neque peccatóres in concílio justórum.

Quóniam novit Dóminus viam justórum, * & iter impiórum períbit.

Glória Patri, & Fílio, * & Spirítui sancto :

Sicut erat in princípio, & nunc, & semper, * & in sécula seculórum. Amen.

*Hi versus* Glória, *& Sicut erat, dicuntur in fine Psalmorum, Divisionum & Canticorum, nisi aliter notetur.*

*Ant.* Beátus vir qui non ábiit in consílio impiórum ; sed in lege Dómini meditábitur die ac nocte.

*Ant.* 4. E. Servíte Dómino.

PSALMUS 2.

*Christo frustrà principes populique adversantur.*

QUare fremuérunt gentes, * & pópuli meditáti sunt inánia?

Astitérunt reges terræ, & príncipes convenérunt in unum * adversùs Dóminum, & adversùs Christum ejus.

Dirumpámus víncula eórum, * & projiciámus à nobis jugum ipsórum.

Qui hábitat in cœlis, irridébit eos, * & Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira sua, * & in furóre suo conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, * prædicans præceptum ejus.

Dóminus dixit ad me: * Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Póstula à me, & dabo tibi gentes hæreditátem tuam, * & possessiónem tuam términos terræ.

Reges eos in virga férrea, * & tamquam vas figuli confringes eos.

Et nunc, reges, intellígite: * erudímini, qui judicátis terram.

Servíte Dómino in timóre, & exultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplínam, nequando irascátur Dóminus, * & pereátis de via justa.

Cùm exárserit in brevi ira ejus, * beáti omnes qui confídunt in eo.

*Ant.* Servíte Dño in timóre, & exultáte ei cum tremóre.

*Ant.* 8. G. Dicunt.

PSALMUS 3.

*Pia Justi in pœnis querimonia.*

DÓmine, quid multiplicáti sunt qui tribulant me? * multi insúrgunt adversùm me.

Multi dicunt ánimæ meæ: * Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem, Dómine, susceptor meus es, * glória mea, & exaltans caput meum.

Voce meâ ad Dóminum clamávi, * & exaudívit me de monte sancto suo.

Ego dormívi, & soporátus sum: * & exurrexi, quia Dóminus suscépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdantis me: * exurge, Dómine; salvum me fac, Deus meus.

Quóniam tu percussísti omnes adversántes mihi sine causa; * dentes peccatórum contrivísti.

Dómini est salus; * & super pópulum tuum benedíctio tua.

*Ant.* Dicunt ánimæ meæ: Non est salus ipsi in Deo ejus; tu autem, Dómine, susceptor meus es.

*In Quadragesf.* ℣. Ut quid, Dñe, recessísti longe? ℟. Déspicis, in opportunitátibus in tribulatióne. *Ps.* 9.

*Temp. Passionis.* ℣. Eripe me de manu inimicórum meórũ, ℟. Et á persequéntibus me. *Ps.* 30.

*Post Versículum cujuslibet Nocturni, dicitur secretò:* Pater noster. *Altâ voce:* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónẽ; ℟. Sed líbera nos à malo.

*Absolutiones & Benedict. habentur post Psalterium.*

*Lectiones cum Responsoriis, ut in Proprio.*

*IN II. NOCTURNO.*

*Ant.* 6. Díligam te.

PSALMUS 17.

*Gratiarum actio, pro victoriâ de Christi & Ecclesiæ inimicis habitâ.*

DÍligam te, Dómine, fortitúdo mea: * Dóminus firmamentum meum, & refúgium meum, & liberátor meus.

Deus meus, adjútor meus, * & sperábo in eum.

Protector meus, & cornu salútis meæ, * & suscéptor meus.

Laudans invocábo Dóminum; * & ab inimícis meis salvus ero.

Circumdedérunt me dolóres mortis: * & torrentes iniquitátis conturbavérunt me.

Dolóres inferni circumdedérunt me: * præoccupavérunt me láquei mortis.

In tribulatióne mea invocávi Dóminum, * & ad Deum meum clamávi.

Et exaudívit de templo sancto suo vocem meam: * & clamor meus in conspéctu ejus introívit in aures ejus.

Commóta est, & contrémuit terra: * fundamenta móntium conturbáta sunt, & commóta sunt; quóniam irátus est eis.

Ascendit fumus in ira ejus, & ignis à fácie ejus exarsit: * carbónes succensi sunt ab eo.

Inclinávit cœlos, & descendit: * & calígo sub pédibus ejus.

Et ascendit super Chérubim, & volávit: * volávit super pennas ventórum.

Et pósuit ténebras latíbulum suum; in circúitu ejus tabernáculum ejus: * tenebrósa aqua in núbibus áëris.

Præ fulgóre in conspéctu ejus nubes transiérunt, * grando & carbónes ignis.

Et intónuit de cœlo Dóminus, & Altíssimus dedit vocem suam: * grando & carbónes ignis.

Et misit sagittas suas, & dissipávit eos: * fúlgura multiplicávit, & conturbávit eos.

Et apparuérunt fontes aquárum, * & revelátæ sunt fundamenta orbis terrárum.

Ab increpatióne tua, Dómine, * ab inspiratióne spíritûs iræ tuæ.

*Ant.* Díligam te, Dómine, fortitúdo mea, firmamentum meum, & refúgium meum.

*Ant.* 4. A.Ero immaculátus.

*Divisio Psalmi* 17.

MIsit de súmmo (Dóminus,) & accépit me, * & assumpsit me de aquis multis.

Erípuit me de inimícis meis fortíssimis, & ab his qui odérunt me: * quóniam confortáti sunt super me.

Prævenérunt me in die afflictiónis meæ; * & factus est Dóminus protector meus.

Et eduxit me in latitúdinem: * salvum me fecit, quóniam vóluit me.

Et retribuet mihi Dóminus secundùm justítiam meam, * & secundùm puritátem mánuum meárum retribuet mihi.

Quia custodívi vias Dñi, * nec ímpiè gessi à Deo meo.

Quóniam ómnia judícia ejus in conspéctu meo, * & justítias ejus non répuli à me.

Et ero immaculátus cum eo, * & obsérvabo me ab iniquitáte mea.

Et retríbuet mihi Dóminus secundùm justítiam meam, * & secundùm puritátem mánuum meárum in conspéctu oculórum ejus.

Cum sancto sanctus eris, * & cum viro innocente innocens eris;

Et cum electo electus eris, * & cum perverso pervertéris.

Quóniam tu pópulum húmilem salvum fácies, * & óculos superbórũ humiliábis.

Quóniam tu illúminas lucernam meam, Dómine: * Deus meus, illúmina ténebras meas.

Quóniam in te erípiar à tentatióne; * & in Deo meo transgrédiar murum.

*Ant.* Ero immaculátus cum Deo meo, & obsérvabo me ab iniquitáte mea.

*Ant.* 7. a. Déxtera tua.

*Altera divisio Psal.* 17.

DEus meus, impollúta via ejus; elóquia Dómini igne examináta: * protéctor est ómnium sperántium in se.

Quóniam quis Deus præter Dóminum? * aut quis Deus præter Deum nostrum?

Deus qui præcinxit me virtúte, * & pósuit immaculátam viam meam.

Qui perfécit pedes meos tamquam cervórum, * & super excélsa státuens me;

Qui docet manus meas ad prælium: * & posuísti, ut arcum æreum, bráchia mea,

Et dedísti mihi protectiónem salútis tuæ: * & déxtera tua suscépit me.

Et disciplína tua correxit me in finem: * & disciplína tua ipsa me docébit.

Dilatásti gressus meos subtus me, * & non sunt infirmáta vestígia mea.

Pérsequar inimícos meos, & comprehendam illos: * & non convertar donec deficiant.

Confringam illos, nec póterunt stare: * cadent subtus pedes meos.

Et præcinxísti me virtúte ad bellum, * & supplantásti insúrgentes in me subtus me.

Et inimícos meos dedísti mihi dorsum, * & odientes me dispérdidísti.

Clamavérunt, nec erat qui salvos fáceret; * ad Dóminum, nec exaudívit eos.

Et commínuam eos ut púlverem ante fáciem venti: * ut lutum plateárum delébo eos.

Erípies me de contradictiónibus pópuli: * constítues me in caput géntium.

Pópulus quem non cognóvi, servívit mihi: * in auditu auris obedívit mihi.

Fílii aliéni mentíti sunt mihi, * fílii aliéni inveterári sunt, & claudicavérunt à sémitis suis.

Vivit Dóminus, & benedíctus Deus meus: * & exaltétur Deus salútis meæ.

Deus, qui das vindictas mihi, & subdis pópulos sub me, * liberátor meus de inimícis meis iracundis.

Et ab insurgéntibus in me exaltábis me: * à viro iníquo erípies me.

Propterea confitébor tibi in natiónibus, Dómine; * & nómini tuo psalmum dicam.

Magníficans salútes regis ejus, & fáciens misericórdiam christo suo David, * & sémini ejus usque in séculum.

*Ant.* Déxtera tua susscépit me, Dómine; & disciplína tua ipsa me docébit.

*In Quadrages.* ℣. Dómine, defécimus in ira tua: ℟. Posuísti iniquitátes nostras in conspéctu tuo. *Ps.* 89.

*Tempore Passionis.* ℣. In conspéctu tuo sunt omnes qui tribulant me: ℟. Impropérium expectávit cor meum in miséria. *Ps.* 68.

Pater noster.

*IN III. NOCTURNO.*

*Ant.* 2. D. In Deo.

PSALMUS 27.

*Petit Justus ne cum impiis pereat.*

AD te, Dómine, clamábo: Deus meus, ne síleas à me: * nequando táceas à me, & assimilábor descendéntibus in lacum.

Exaudi, Dómine, vocem deprecatiónis meæ, dum oro ad te, * dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum.

Ne simul trahas me cum peccatóribus; * & cum operántibus iniquitátem ne perdas me:

Qui loquuntur pacem cum próximo suo, * mala autem in córdibus eórum.

Da illis secundùm ópera eórum, * & secundùm nequítiam adinventiónum ipsórum.

Secundùm ópera mánuum eórum tribue illis; * redde retributiónem eórum ipsis.

Quóniam non intellexérunt ópera Dómini: & in ópera mánuum ejus * déstrues illos, & non ædificábis eos.

Benedictus Dóminus, * quóniam exaudívit vocem deprecatiónis meæ.

Dóminus adjútor meus, & protector meus: * in ipso sperávit cor meum, & adjútus sum.

Et reflóruit caro mea, * & ex voluntáte mea confitébor ei.

Dóminus fortitúdo plebis suæ, * & protector salvatiónum christi sui est.

Salvum fac pópulum tuum, Dómine, & bénedic hæreditáti tuæ; * & rege eos, & extolle illos usque in æternum.

*Ant.* In Deo sperávit cor meum, & adjútus sum; & ex voluntáte mea confitébor ei.

*Ant.* 1. f. Dómine.

PSALMUS 29.

*Post multa pericula, gratiarum actio: Resurrectio Christi.*

EXaltábo te, Dómine, quóniam suscepísti me, * nec delectásti inimícos meos super me.

Dómine Deus meus, clamávi ad te, * & sanásti me.

Dómine, eduxísti ab inferno ánimam meam: * salvásti me à descendéntibus in lacum.

Psállite Dómino, sancti ejus, * & confitémini memóriæ sanctitátis ejus:

Quóniam ira in indignatióne ejus, * & vita in voluntáte ejus.

Ad vésperum demorábitur fletus, * & ad matutínum lætitia.

Ego autem dixi in abundán-

tia mea : * Non movébor in æternum.

Dómine, in voluntáte tua * præstitísti decóri meo virtútem.

Avertísti fáciem tuam à me, * & factus sum conturbátus.

Ad te, Dómine, clamábo, * & ad Deum meum deprecábor.

Quæ utílitas in sánguine meo, * dum descendo in corruptiónem?

Numquid confitébitur tibi pulvis, * aut annuntiábit veritátem tuam?

Audívit Dóminus, & misértus est meî : * Dóminus factus est adjútor meus.

Convertísti planctum meum in gáudium mihi : * conscidísti saccum meum, & circumdedísti me lætitiâ;

Ut cantet tibi glória mea, & non compungar : * Dómine Deus meus, in æternum confitébor tibi.

*Ant.* Dómine Deus meus, in æternum confitébor tibi.

*Ant.* 5. a. Veníte.

PSALMUS 65.

*Deus laudandus adorandusque propter innumera ejus beneficia.*

JUbiláte Deo, omnis terra, psalmum dícite nómini ejus, * date glóriam laudi ejus.

Dícite Deo : Quàm terribília sunt ópera tua, Dómine! * in multitúdine virtútis tuæ mentientur tibi inimíci tui.

Omnis terra adóret te, & psallat tibi; * psalmum dicat nómini tuo.

Veníte, & vidéte ópera Dei, * terríbilis in consíliis super filios hóminum.

Qui convertit mare in áridam; in flúmine pertransíbunt pede : * ibi lætábimur in ipso.

Qui dominátur in virtúte sua in æternum; óculi ejus super gentes respíciunt; * qui exásperant, non exaltentur in semetipsis.

Benedícite, gentes, Deum nostrum; * & auditam fácite vocem laudis ejus

Qui pósuit ánimam meam ad vitam, * & non dedit in commotiónem pedes meos.

Quóniam probásti nos, Deus; * igne nos examinásti, sicut examinátur argentum.

Induxísti nos in láqueum, posuísti tribulatiónes in dorso nostro; * imposuísti hómines super cápita nostra.

Transívimus per ignem & aquam; * & eduxísti nos in refrigérium.

Introíbo in domum tuam in holocaustis; * réddam tibi vota mea, quæ distinxérunt lábia mea.

Et locútum est os meum * in tribulatióne mea.

Holocausta medulláta ófferam tibi cum incenso aríetu; * ófferâ tibi boves cum hircis.

Veníte, audíte, & narrábo, omnes qui timétis Deum, * quanta fecit ánimæ meæ.

Ad ipsum ore meo clamávi, * & exaltávi sub lingua mea.

Iniquitátem si aspexi in corde meo, * non exáudiet Dóminus.

Proptérea exaudívit Deus, *

& attendit voci deprecatiónis meæ.

Benedictus Deus, * qui non amóvit oratiónem meam, & misericórdiam suam à me.

*Ant.* Veníte, audíte, & narrábo quanta fecit ánimæ meæ.

*In Quadragesí.* ℣. Juxta est Dóminus iis qui tribuláto sunt corde: ℟. Et húmiles spíritu salvábit. *Ps.* 33.

*Tempore Passionis.* ℣. Cogitavérunt supplantáre gressus meos: ℟. Abscondérunt superbi láqueum mihi. *Ps.* 139.

Pater noster.

*Post ultimum Responsorium dicitur* Te Deum. *si dicendum sit.*

TE Deum laudámus, * te Dóminum confitémur.

Te æternum Patrem * omnis terra veneratur.

Tibi omnes Angeli, * tibi cœli, & universæ potestátes;

Tibi Chérubim & Séraphim * incessábili voce proclámant:

Sanctus,

Sanctus,

Sanctus,

Dóminus Deus Sábaoth.

Pleni sunt cœli & terra * majestátis glóriæ tuæ.

Te glorióstus * Apostolórum chorus.

Te Prophetárum * laudábilis número,

Te Mártyrum candidátus * laudat exércitus.

Te per orbem terrárum * sancta confitétur Eccléstia,

Patrem * immensæ majestátis:

Venerandum tuum verum, * & únicum Fílium,

Sanctum quoque * paraclétum Spíritum.

Tu Rex glóriæ, * Christe:

Tu Patris * sempiternus es Fílius:

Tu, ad liberandum suscepturus hóminem, * non horruísti Vírginis úterum:

Tu, devícto mortis acúleo, * aperuísti credéntibus regna cœlórum:

Tu ad déxteram Dei sedes, * in glória Patris.

Judex créderis * esse ventúrus.

Te ergo, quæsumus, fámulis tuis súbveni, * quos pretióso sánguine redemísti.

Æternâ fac * cum sanctis tuis in glóriâ numerári.

Salvum fac pópulum tuum, Dómine, * & bénedic hæreditáti tuæ.

Et rege eos, * & extólle illos usque in æternum.

Per síngulos dies * benedícimus te;

Et laudámus nomen tuum in séculũ, * & in séculum séculi.

Dignáre, Dómine, die ísto * sine peccáto nos custodíre.

Miserére nostrî, Dómine, * miserére nostrî.

Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos, * quemádmodum sperávimus in te.

In te, Dómine, sperávi; * non confundar in æternum.

*Si non continuò sequantur Laudes, hic dicitur:* Dóminus vobíscum, ℟. Et cum spíritu tuo; *vel:* Dómine, exaudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. Orémus, *deinde Oratio propriæ cum conclusione. Postea repetitur*, Dóminus vobíscum,

*vel*, Dómine exaudi. *Additur*, Benedicámus Dómino, ℟. Deo grátias. *Demum secretò dicitur*: Fidelium. & Pater.

*Ante Laudes, cùm separantur ab Officio Nocturno, dicitur secretò* Pater, & Ave. *Quod etiam observatur ante Primam, Tertiam, Sextam, Nonam & Vesperas; ubi separantur ab hora præcedenti.*

AD LAUDES.

DEus, in adjutórium meum intende: ℟. Dómine, ad adjuvandum me festína. *Ps.* 69.

Glória Pátri.

*In Quadragesimâ & Tempore Passionis, Antiphonæ habentur in Proprio; quod etiam servatur ad alias Horas. In Dominicis verò post Octavam Paschæ Antiph. dicuntur ut sequitur.*

*Ant.* 5. c. Allelúia.

PSALMUS 62.

*Ecclesiæ solatium, in deserto hujus sæculi.*

DEus, Deus meus, * ad te de luce vígilo.

Sitívit in te ánima mea: * quàm multipliciter tibi caro mea.

In terra desérta, & ínvia, & inaquósa, sic in sancto appárui tibi, * ut vidérem virtútem tuam & glóriam tuam.

Quóniam mélior est misericórdia tua super vitas: * lábia mea laudábunt te.

Sic benedícam te in vita mea, * & in nómine tuo levábo manus meas.

Sicut ádipe & pinguédine repleátur ánima mea, * & lábiis exultatiónis laudábit os meum.

Si memor fui tuî super stratum meum, in matutínis meditábor in te, * quia fuísti adjútor meus;

Et in velamento alárum tuárum exultábo: adhæsit ánima mea post te: * me suscépit déxtera tua.

Ipsi verò in vanum quæsiérunt ánimam meam; introíbunt in inferióra terræ, * tradentur in manus gládii, partes vúlpium erunt.

Rex verò lætábitur in Deo; laudabuntur omnes qui jurant in eo: * quia obstructum est os loquéntium iníqua.

*Ant.* Allelúia, quóniam regnávit Dóminus Deus noster omnípotens, allelúia. *Ap.* 19.

*Ant.* 3. a. Gaudeámus.

PSALMUS 69,

*Justus sibi opem precatur.*

DEus, in adjutórium meum intende: * Dómine, ad adjuvandum me festína.

Confundantur, & revereántur, * qui quærunt ánimam meam.

Avertantur retrorsùm, & erubescant, * qui volunt mihi mala.

Avertantur statim erubescéntes, * qui dicunt mihi: Euge, euge.

Exultent & lætentur in te omnes qui quærunt te; * & dicant semper: Magnificétur Dóminus, qui díligunt salutáre tuum.

Ego verò egénus & pauper sum; * Deus, ádjuva me.

Adjútor meus & liberátor meus es tu; * Dómine, ne moréris.

*Ant.* Gaudeámus, & exultémus, & demus glóriam ei, allelúia. *Apoc.* 19.

*Ant.* 1. D. Beáti.

PSALMUS 99.

*Ad Dei laudes & cultum adhortatio.*

JUbiláte Deo, omnis terra: * ſervíte Dómino in lætítia.

Introíte in conſpectu ejus, * in exultatióne.

Scitóte quóniam Dóminus ipſe eſt Deus; * ipſe fecit nos, & non ipſi nos.

Pópulus ejus, & oves páſcuæ ejus, introíte portas ejus in confeſſióne, átria ejus in hymnis: * confitémini illi.

Laudáte nomen ejus, quóniam ſuávis eſt Dóminus, in æternum miſericórdia ejus, * & uſque in generatiónem & generatiónem véritas ejus.

*Ant.* Beáti qui lavant ſtolas ſuas in ſánguine Agni, allelúia, allelúia. *Apoc.* 22.

*Ant* 6. Sedenti.

*Canticum trium puerorum.*

Dan. 3.

BEnedícite, ómnia ópera Dómini, Dómino: * laudáte & ſuperexaltáte eum in ſécula.

Benedícite, Angeli Dómini, Dómino: * benedícite, cœli, Dómino.

Benedícite, aquæ omnes quæ ſuper cœlos ſunt, Dómino: * benedícite, omnes virtútes Dómini, Dómino.

Benedícite, ſol & luna, Dómino; * benedícite, ſtellæ cœli, Dómino.

Benedícite, omnis imber & ros, Dómino: * benedícite, omnes ſpíritus Dei, Dómino.

Benedícite, ignis & æſtus, Dómino: * benedícite, frigus & æſtus, Dómino.

Benedícite, rores & pruína, Dómino: * benedícite, gelu & frigus, Dómino.

Benedícite, glácies & nives, Dómino: * benedícite, nóctes & dies, Dómino.

Benedícite, lux & ténebræ, Dómino: * benedícite, fúlgura & nubes, Dómino.

Benedícat terra Dóminum; * laudet & ſuperexaltet eum in ſécula.

Benedícite, montes & colles, Dómino: * benedícite, univerſa germinántia in terra, Dómino.

Benedícite, fontes, Dómino: * benedícite, mária & flúmina, Dómino.

Benedícite, cete & ómnia quæ moventur in aquis, Dómino: * benedícite, omnes vólucres cœli, Dómino.

Benedícite, omnes béſtiæ & pécora, Dómino: * benedícite, fílii hóminum, Dómino.

Benedícat Iſraël Dóminum; * laudet & ſuperexaltet eum in ſécula.

Benedícite, ſacerdótes Dómini, Dómino: * benedícite, ſervi Dómini, Dómino.

Benedícite, ſpíritus & ánimæ juſtórum, Dómino; * benedícite, ſancti & húmiles corde, Dómino.

Benedícite, Anánia, Azária, Miſael, Dómino; * laudáte & ſuperexaltáte eum in ſécula.

*Hic, loco* Glória Patri, *dicitur:*

Benedicámus Patrem, & Fílium, cum ſancto Spíritu; * laudémus & ſuperexaltémus eum in ſécula.

Benedictus es, Dómine, in firmamento cœli; * & laudábilis, & gloriósus, & superexaltátus in sécula.

*Ant.* Sedenti in throno, & Agno, benedictio & honor in sécula seculórum, allelúia. *Apoc.* 5.

*Ant.* 8. G. Laudem dícite.

PSALMUS 148.

*Omnium creaturarum ad Deum laudandum invitatio.*

LAudáte Dóminum de cœlis: * laudáte eum in excelsis.

Laudáte eum, omnes Angeli ejus: * laudáte eum, omnes virtútes ejus.

Laudáte eum, sol & luna: * laudáte eum, omnes stellæ & lumen.

Laudáte eum, cœli cœlórum; * & aquæ omnes quæ super cœlos sunt, laudent nomen Dómini;

Quia ipse dixit, & facta sunt; * ipse mandávit, & creáta sunt.

Státuit ea in æternum, & in séculum séculi: * præceptum pósuit, & non prætericbit.

Laudáte Dóminum, de terra: * dracónes, & omnes abyssi;

Ignis, grando, nix, glácies, spíritus procellárum, * quæ fáciunt verbum ejus;

Montes, & omnes colles, * ligna fructífera, & omnes cedri:

Béstiæ, & universa pécora, * serpentes, & vólucres pennátæ:

Reges terræ, & omnes pópuli; * príncipes, & omnes júdices terræ;

Júvenes & vírgines, senes cum junióribus, laudent nomen Dómini: * quia exaltátum est nomen ejus solíus.

Confessio ejus super cœlum & terram: * & exaltávit cornu pópuli sui.

Hymnus ómnibus sanctis ejus, * filiis Israel, pópulo appropinquanti sibi.

*Ant.* Laudem dícite Deo nostro, omnes servi ejus, & qui timetis eum, allelúia, allelúia. *Apoc.* 19.

*Capitulum, Hymnus, & Versículus, ut in Proprio.*

*Antiph. ut in Proprio.*

*Cantic. Zachariæ.* Luc. 1.

BEnedictus Dóminus Deus Israël, * quia visitávit, & fecit redemptiónem plebis suæ.

Et erexit cornu salútis nobis, * in domo David púeri sui.

Sicut locútus est per os sanctórum, * qui à século sunt, Prophetárum ejus.

Salútem ex inimícis nostris, * & de manu ómnium qui odérunt nos:

Ad faciendam misericórdiam cum pátribus nostris, * & memorári testamenti sui sancti:

Jusjurandum quod jurávit ad Abraham Patrem nostrum, * datúrum se nobis;

Ut sine timóre, de manu inimicórum nostrórum liberáti, * serviámus illi,

In sanctitáte & justítia coram ipso * ómnibus diébus nostris.

Et tu, puer, Prophéta Altíssimi vocáberis: * præibis enim ante fáciem Dómini paráre vias ejus,

Ad dandam sciéntiam salútis plebi ejus, * in remissiónem peccatórum eórum.

Per víscera misericórdiæ Dei nostri, * in quibus visitávit nos Oriens ex alto,

Illumináre his qui in ténebris & in umbra mortis sedent, * ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Glória Patri.

*Ant. & Oratio, ut in Proprio cum conclusione; postea, si nulla sit Commemoratio facienda, dicitur:*

Dóminus vobíscum, ℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

*Si aliqua sit commemoratio facienda, non nisi dictâ ejus Oratione cum conclusione, dicitur* Dóminus vobíscum; *vel* Dñe exaudi, & Benedicámus.

*Si plures Commemorationes occurrant, ultima tantùm earum Oratio terminatur conclusione, nec nisi eâ recitatâ, dicitur:* Dóminus vobíscum; *vel* Dómine exaudi. & Benedicámus.

*Si aliud Officium non sequatur, dicitur secretò:* Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiescant in pace. Amen. *Deinde* Pater noster.

## AD PRIMAM.

℣. Deus, in adjutórium.

*Hymnus.*

Jam lucis orto sidere,
Deum precémur súpplices,
Nostras ut ipse dírigat,
Lux increáta, sémitas.

Nil lingua, nil peccet manus;
Nil mens ináne cógitet:
In ore símplex véritas,
In corde regnet cáritas.

Incœpta dum fluet dies,
O Christe, custos pérvigil
Quas sævus hostis óbsidet,
Portas tuére sénsuum.

Præsta diurnus ut tuæ
Subsérviat laudi labor:
Auctóre quæ te cœpimus,
Da te favente prósequi.

Superba ne nimis caro
Menti licenter ímperet,
Carnis domet supérbiam
Potûs cibique párcitas.

*Ante Paschа:*

Deo Patri sit glória,
Ejusque soli Fílio,
Sancto simul cum Spíritu,
Nunc, & per omne séculum.
Amen.

*Tempore Paschali:*

Da, Christe, nos tecum mori:
Tecum simul da súrgere:
Terréna da contémnere;
Amáre da cœléstia.

Sit laus, Patri, laus Fílio;
Qui nos, triumphátâ nece,
Ad astra secum dux vocat:
Compar tibi laus, Spíritus.
Amen.

*Antiph. ut in Proprio.*

Psalmus 117.

*Gratias agit Ecclesia, quòd post tot rerum discrimina, salutem & Christum sit consecuta.*

Confitémini Dómino, quóniam bonus: * quóniam in séculum misericórdia ejus.

Dicat nunc Israel, quóniam bonus, * quóniam in séculum misericórdia ejus.

Dicat nunc domus Aaron, * quóniam in séculum misericórdia ejus.

Dicant nunc qui timent Dó-

mìnum, * quóniam in séculum misericórdia ejus.

De tribulatióne invocávi Dóminum, * & exaudívit me in latitúdine Dóminus.

Dóminus mihi adjútor: * non timébo quid fáciat mihi homo.

Dóminus mihi adjútor: * & ego despíciam inimícos meos.

Bonũ est confídere in Dño, * quám confídere in hómine.

Bonum est sperâre in Dómino, * quàm sperâre in princípibus.

Omnes gentes circuiérunt me; * & in nómine Dómini quia ultus sum in eos.

Circumdantes circumdedérunt me; * & in nómine Dómini quia ultus sum in eos.

Circumdedérunt me sicut apes, & exarsérunt sicut ignis in spinis; * & in nómine Dómini quia ultus sum in eos.

Impulsus, eversus sum ut cáderem, * & Dóminus suscépit me.

Fortitúdo mea & laus mea Dóminus, * & factus est mihi in salútem.

Vox exultatiónis & salútis * in tabernáculis justórum.

Déxtera Dómini fecit virtútem, déxtera Dómini exaltávit me, * déxtera Dómini fecit virtútem.

Non móriar, sed vivam; * & narrábo ópera Dómini.

Castígans castigávit me Dñs: * & morti non trádidit me.

Aperíte mihi portas justítiæ, ingréssus in eas, confitébor Dómino; * hæc porta Dómini, justi intrábunt in eam.

Confitébor tibi, quóniam exaudísti me, * & factus es mihi in salútem.

Lápidem quem reprobavérunt ædificántes, * hic factus est in caput ánguli.

A Dómino factum est istud, * & est mirábile in óculis nostris.

Hæc est dies quam fecit Dóminus: * exultémus & lætémur in ea.

O Dómine, salvum me fac; ô Dómine, bene prosperáre: * benedíctus qui venit in nómine Dómini.

Benedíximus vobis de domo Dómini: * Deus Dóminus, & illuxit nobis.

Constitúite diem solemnem in condensis, * usque ad cornu altáris.

Deus meus es tu, & confitébor tibi; * Deus meus es tu, & exaltábo te.

Confitébor tibi, quóniam exaudísti me, * & factus es mihi in salútem.

Confitémini Dómino, quóniam bonus, * quóniam in séculum misericórdia ejus.

PSALMUS 118.

*Mandata Dei menti semper obversanda.*

BEáti immaculáti in via, * qui ámbulant in lege Dómini.

Beáti qui scrutantur testimónia ejus, * in toto corde exquírunt eum.

Non enim qui operantur iniquitátem, * in viis ejus ambulavérunt.

Tu mandásti * mandáta tua custodíri nimis.

Utinã dirigantur viæ meæ * ad custodiendas justificatiónes tuas!

Tunc non confundar, * cùm perſpéxero in ómnibus mandátis tuis.

Confitébor tibi in directióne cordis; * in eo quòd dídici judícia juſtítiæ tuæ.

Juſtificatiónes tuas cuſtódiam; * non me derelinquas uſquequáque.

In quo córrigit adoleſcéntior viam ſuam? * in cuſtodiendo ſermónes tuos.

In toto corde meo exquisívi te: * ne repellas me à mandátis tuis.

In corde meo abſcondi elóquia tua, * ut non peccem tibi.

Benedictus es, Dómine: * doce me juſtificatiónes tuas.

In lábiis meis * pronuntiávi ómnia judícia oris tui.

In via teſtimoniórum tuórum delectátus ſum, * ſicut in ómnibus divítiis.

In mandátis tuis exercébor, * & conſiderábo vias tuas.

In juſtificatiónibus tuis meditábor; * non obliviſcar ſermónes tuos.

*Diviſio Pſalmi* 118.

RETríbue ſervo tuo, vivífica me; * & cuſtódiam ſermónes tuos.

Revéla óculos meos, * & conſiderábo mirabília de lege tua.

Incola ego ſum in terra, * non abſcondas à me mandáta tua.

Concupívit ánima mea deſideráre juſtificatiónes tuas * in omni témpore.

Increpásti ſuperbos: * maledícti qui declínant à mandátis tuis.

Aufer à me oppróbrium & contemptum; * quia teſtimónia tua exquisívi.

Etenim ſedérunt príncipes, & adverſùm me loquebantur: * ſervus autem tuus exercebátur in juſtificatiónibus tuis.

Nam & teſtimónia tua meditátio mea eſt, * & conſílium meum juſtificatiónes tuæ.

Adhæſit pavimento ánima mea, * vivífica me ſecundùm verbum tuum.

Vias meas enuntiávi, & exaudiſti me: * doce me juſtificatiónes tuas.

Viam juſtificatiónum tuárum ínſtrue me: * & exercébor in mirabílibus tuis.

Dormitávit ánima mea præ tædio: * confirma me in verbis tuis.

Viam iniquitátis ámove à me, * & de lege tua miſérére mei.

Viam veritátis elégi, * judícia tua non ſum oblítus.

Adhæſi teſtimóniis tuis, Dómine: * noli me confúndere.

Viam mandatórum tuórum cucurri, * cùm dilataſti cor meum.

*Quando ſit Officium de Dominicâ, niſi aliter notetur, dicitur Symbolum ſequens.*

QUicúmque vult ſalvus eſſe, * ante ómnia opus eſt ut téneat cathólicam fidem:

Quam niſi quiſque íntegram inviolatamque ſerváverit, * abſque dúbio in æternum períbit.

Fides autem cathólica hæc eſt, * ut unum Deum in Tri-

nitáte & Trinitátem in Unitáte venerémur;

Neque confundentes persónas, * neque substántiam separantes.

Alia est enim persóna Patris,ália Filii, *ália Spíritus sancti.

Sed Patris, & Fílii, & Spíritus sancti una est divínitas, * æquális glória coætérna majestas.

Qualis Pater, talis Fílius, * talis Spíritus sanctus.

Increátus Pater, increátus Fílius, * increátus Spíritus sanctus.

Immensus Pater, immensus Fílius, * immensus Spíritus sanctus.

Æternus Pater, æternus Fílius, * æternus Spíritus sanctus.

Et tamen non tres æterni, * sed unus æternus.

Sicut non tres increáti, nec tres immensi, * sed unus increátus, & unus immensus.

Simíliter omnípotens Pater, omnípotens Fílius, * omnípotens Spíritus sanctus;

Et tamen non tres omnipotentes, * sed unus omnípotens.

Ita Deus Pater, Deus Fílius, * Deus Spíritus sanctus;

Et tamen non tres dii, * sed unus est Deus.

Ita Dóminus Pater, Dóminus Fílius, * Dóminus Spíritus sanctus;

Et tamen non tres dómini, * sed unus est Dóminus.

Quia sicut singillátim unamquamque persónam, Deum ac Dóminum confitéri christiánâ veritáte compéllimur: * ita tres deos aut dóminos dícere cathólicâ religióne prohibémur.

Pater à nullo est factus, * nec creátus nec génitus.

Fílius à Patre solo est, * non factus, nec creátus, sed génitus.

Spíritus sanctus à Patre & Fílio, * non factus, nec creátus, nec génitus, sed procédens.

Unus ergo Pater, non tres patres: unus Fílius, non tres fílii: * unus Spíritus sanctus, non tres Spíritus sancti.

Et in hac Trinitáte nihil prius aut postérius, nihil majus aut minus; * sed totæ tres persónæ coætérnæ sibi sunt & coæquáles.

Ita ut per ómnia, sicut jam suprà dictum est, * & Unitas in Trinitáte, & Trinitas in Unitáte veneranda sit.

Qui vult ergo salvus esse, * ita de Trinitáte séntiat.

Sed necessárium est ad æternam salútem, * ut Incarnatiónem quoque Dómini nostri Jesu Christi fidéliter credat.

Est ergo fides recta, ut credámus & confiteámur, * quia Dóminus noster Jesus Christus Dei Fílius, Deus & homo est.

Deus est ex substántia Patris ante sécula génitus, * & homo est ex substántia matris in século natus.

Perfectus Deus, perfectus homo; * ex ánima rationáli, & humánâ carne subsístens.

Æquális Patri secundùm divinitátem, * minor Patre secundùm humanitátem.

Qui licet Deus sit & homo, * non duo tamen, sed unus est Christus.

Unus autem non conversióne divinitátis in carnem, * sed assumptióne humanitátis in Deum.

Unus omninò non confusióne substántiæ, * sed unitáte persónæ.

Nam sicut ánima rationális & caro, unus est homo; * ita Deus & homo unus est Christus.

Qui passus est pro salúte nostra, descendit ad inferos, * tertiâ die resurrexit à mórtuis:

Ascendit ad cœlos, sedet ad déxteram Dei Patris omnipotentis; * inde ventúrus est judicáre vivos & mórtuos:

Ad cujus adventum omnes hómines resúrgere habent cum corpóribus suis, * & redditúri sunt de factis própriis rationem:

Et qui bona egérunt, ibunt in vitam æternam; * qui verò mala, in ignem æternum.

Hæc est fides cathólica; * quam nisi quisque fidéliter firmiterque crediderit, salvus esse non póterit.

*Antiphona ut in Proprio.*

*Capitul.* Ephes. 5.

ERátis aliquandò ténebræ; nunc autem lux in Dómino. Ut filii lucis ambuláte; fructus enim lucis est in omni bonitáte, & justítia, & veritáte: probantes quid sit beneplácitum Deo.

℟. *breve.* Christe, Fili Dei vivi, * Miserére nobis. *Repet.* Christe, Fili Dei vivi, * Miserére nobis. *In Quadrag.* ℣. Qui venísti peccatóres salvos fácere, * Miserére nobis. Glória Patri, & Filio, & Spíritui sancto. *Repet.* Christe, Fili Dei vivi, * Miserére nobis. *Matth.* 16. *Tob.* 8. 1. *Tim.* 1.

*Tempore Passionis.* ℣. Qui passus es pro nobis, * Miserére nobis. *Non dicitur* Glória. *Sed repetit.* Christe. 1. *Petr.* 2.

[ *Temp. Pasch.* ℟. Christe. *dicitur speciali ritu qui notatur in Proprio.* ]

℣. Exurge, Dómine, ádjuva nos; ℟. Et rédime nos propter nomen tuum. *Ps.* 43.

℣. Dóminus vobíscum, ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

DOmine Deus omnípotens, qui ad principium hujus diéi nos pervenire fecísti, tuâ nos hódie salva virtúte; ut ad nullum declinémus peccátum, sed semper ad tuam justítiam faciendam nostra procédant elóquia, dirigantur cogitatiónes & ópera; Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Filium tuum, &c. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobíscum, ℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

AD OFFIC. CAPITULI.

*Primò fit lectio Martyrologii, in cujus fine nihil respondetur, sed statim Hebdomadarius dicit:*

℣. Pretiósa in conspéctu Dómini,

Dómini, ℟. Mors sanctórum ejus. *Ps.* 115.

SAncta María, & omnes Sancti ádjuvent nos in oratiónibus suis pro nobis ad Deum; ut secundùm eum qui vocávit nos, Sanctum, & ipsi in omni conversatióne sancti simus. ℟. Amen. *Rom.* 15. 1. *Petr.* 1.

℣. Deus, in adjutórium meum intende: ℟. Dómine, ad adjuvandum me festína. *Ps.* 69.

℣. Deus, in adjutórium meum intende: ℟. Dómine, ad adjuvandum me festína.

℣. Deus, in adjutórium meum intende: ℟. Dómine, ad adjuvandum me festína. Glória Patri, & Fílio, & Spíritui sancto: Sicut erat in princípio, & nunc, & semper, & in sécula seculórum. Amen. Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison. *Secretò*, Pater. *Altâ voce*, ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Réspice in servos tuos, Dómine, & in ópera tua; & dírige fílios eórum: ℟. Et sit splendor Dómini Dei nostri super nos; & ópera mánuum nostrárum dírige super nos, & opus mánuum nostrárum dírige. *Ps.* 89.

Glória Patri.

Orémus.

DIrígere & sanctificáre, régere & gubernáre dignáre, Dómine Deus, Rex cœli & terræ, hódie corda & córpora nostra, sensus, sermónes & actus nostros, in lege tua, & in opéribus mandatórum tuórum; ut hîc, & in æternum, te auxiliante, salvi & líberi esse meeámur, Salvátor mundi; Qui vivis & regnas in sécula seculórum.

℟. Amen.

*Lector*, Jube, domne, benedícere. *(Lectrix dicit*, Domna. *Solus vel sola recitans, dicit*, Dómine.) *Bened.* Det Dóminus leges suas in mentem nostram, & in corde nostro superscríbat eas. ℟. Amen. *Hebr.* 8.

*Tunc fit lectio Canonis quæ pro singulis diebus habetur ad calcem Voluminis. In fine Canonis dicitur:* Tu autem, Dómine, miserére nostrî.

℟. Deo grátias.

*Post Lectionem, Hebdomadarius dicit:* Adjutórium nostrum in nómine Dómini, ℟. Qui fecit cœlum & terram. *Ps.* 123.

*Submissiori voce dicit:* Benedícite. *Lector versus ad eum:* Deus. *Hebdomadarius:* Deus pacis aptet nos in omni bono; ut faciámus ejus voluntátem; fáciens in nobis quod pláceat coram se per Jesum Christum. *Lector:* Amen. *Hebr.* 13.

*Post quamlibet horam, si aliud Officium non sequatur, dicitur secretò:* Et fidéliun ánimæ per misericórdiam Dei requiescant in pace. Amen. *Deinde* Pater.

AD TERTIAM.

℣. Deus, in adjutórium.

*Hymnus.*

OFons amóris, Spíritus;
O sancte donórum parens,
Tuas refúsus íntimis
Accende flammas córdibus.
Qui caritátis vínculo
Cum Patre nectis Fílium;

Et nos amóris mútui
Arctis coapta néxibus.

*Ante Paſcha:*

DEO Patri ſit glória,
Ejuſque ſoli Fílio,
Sancto ſimul cum Spíritu,
Nunc, & per omne ſéculum.
Amen.

*Temp. Paſch.* Da, Chriſte, &c. *ut ſuprà*, 12.

[ *Ad Tertiam, Sextam, & Nonam, Antiph. Capitul. & ℣. ℟. ℟. br. cum Verſiculis, habentur in Proprio, pro diverſitate temporis. Oratio conveniens.* ]

EX PSALMO 118.

*Vitia per legem fugienda.*

LEgem pone mihi, Dómine, viam juſtificatiónum tuárum, * & exquíram eam ſemper.

Da mihi intellectum, & ſcrutábor legem tuam; * & cuſtódiam illam in toto corde meo.

Deduc me in ſémitam mandatórum tuórum, * quia ipſam vólui.

Inclina cor meum in teſtimónia tua, * & non in avarítiam.

Averte óculos meos ne vídeant vanitátem: * in via tua vivífica me.

Státue ſervo tuo elóquium tuum * in timóre tuo.

Amputa oppróbrium meum quod ſuſpicátus ſum, * quia judícia tua jucunda.

Ecce concupívi mandáta tua: * in æquitate tua vivífica me.

Et véniat ſuper me miſericórdia tua, Dómine, * ſalutáre tuum ſecúndum elóquium tuum.

Et reſpondébo exprobrántibus mihi verbum, * quia ſperávi in ſermónibus tuis.

Et ne áuferas de ore meo verbum veritátis uſquequáque, * quia in judíciis tuis ſuperſperávi.

Et cuſtódiam legem tuam ſemper, * in ſéculum, & in ſéculum ſéculi.

Et ambulábam in latitúdine, * quia mandáta tua exquisívi.

Et loquébar de teſtimóniis tuis in conſpectu regum, * & non confundébar.

Et meditábar in mandátis tuis, * quæ dilexi.

Et levávi manus meas ad mandáta tua quæ dilexi, * & exercébar in juſtificatiónibus tuis.

*Diviſio Pſalmi* 118.

*Habenda legis divinæ memoria.*

MEmor eſto verbi tui ſervo tuo, * in quo mihi ſpem dediſti.

Hæc me conſoláta eſt in humilitáte mea, * quia elóquium tuum vivificávit me.

Superbi iníquè agébant uſquequáque; * a lege autem tua non declinávi.

Memor fui judiciórum tuórum a ſéculo, Dómine; * & conſolátus ſum.

Defféctio ténuit me *, pro peccatóribus derelinquéntibus legem tuam.

Cantábiles mihi erant juſtificatiónes tuæ, * in loco peregrinatiónis meæ.

Memor fui nocte nóminis tui, Dómine; * & cuſtodívi legem tuam.

Hæc facta eſt mihi, * quia

justificatiónes tuas exquisívi.

Pórtio mea, Dómine: * dixi custodíre legem tuam.

Deprecátus sum fáciem tuam in toto corde meo; * miserére meî secundùm elóquium tuum.

Cogitávi vias meas, * & converti pedes meos in testimónia tua.

Parátus sum, & non sum turbátus, * ut custódiam mandáta tua.

Funes peccatórum circumplexi sunt me; * & legem tuam non sum oblítus.

Médiâ nocte surgébam ad confitendum tibi * super judícia justificatiónis tuæ.

Párticeps ego sum ómnium timéntium te, * & custodiéntium mandáta tua.

Misericórdiâ tuâ, Dómine, plena est terra; * justificatiónes tuas doce me.

*Divisio Psalmi* 118.

*Dei benignitas.*

BOnitátem fecísti cum servo tuo, Dómine, * secundùm verbum tuum.

Bonitátem, & disciplínam, & sciéntiam doce me; * quia mandátis tuis crédidi.

Priusquàm humiliárer, ego delíqui; * propterea elóquium tuum custodívi.

Bonus es tu; * & in bonitáte tua doce me justificatiónes tuas.

Multiplicáta est super me iníquitas superbórum; * ego autem in toto corde meo scrutábor mandáta tua.

Coagulátum est sicut lac cor eórum: * ego verò legem tuam meditátus sum.

Bonum mihi quia humiliásti me, * ut discam justificatiónes tuas.

Bonum mihi lex oris tui, * super míllia auri & argenti.

Manus tuæ fecérunt me, & plasmavérunt me: * da mihi intellectum, & discam mandáta tua.

Qui timent te, vidébunt me, & lætabuntur, * quia in verba tua superspéravi.

Cognóvi, Dómine, quia æquitas judícia tua, * & in veritáte tua humiliásti me.

Fiat misericórdia tua ut consolétur me, * secundùm elóquium tuum servo tuo.

Véniant mihi miseratiónes tuæ, & vivam; * quia lex tua meditátio mea est.

Confundantur superbi, quia injustè iniquitátem fecérunt in me: * ego autem exercébor in mandátis tuis.

Convertantur mihi timentes te, * & qui novérunt testimónia tua.

Fiat cor meum immaculátum in justificatiónibus tuis, * ut non confundar.

AD SEXTAM.

℣. Deus, in adjutórium.

*Hymnus.*

JAM solis excelsum jubar
Toto coruscat lúmine;
Sinusque pandens áureos,
Ignita vibrat spícula.

Tu, Christe, qui mundum novâ,
Sol verus, accendis face;
Fac nostra plenam cáritas
Crescendo surgat ad diem.

*Ante Pascha:*

DEO Patri sit glória,
Ejusque soli Fílio,
Sancto simul cum Spíritu,

Nunc, & per omne ſéculum. Amen.

*Temp. Paſch.* Da, Chriſte, &c. *ut ſuprà*, 12.

EX PSALMO 118.

*De ſincera divinæ legis veritate.*

DEfécit in ſalutáre tuum ánima mea, * & in verbum tuum ſuperſperávi.

Defecérunt óculi mei in elóquium tuum, * dicentes, Quando conſoláberis me?

Quia factus ſum ſicut uter in pruina: * juſtificatiónes tuas non ſum oblítus.

Quot ſunt dies ſervi tui? * quando fácies de perſequéntibus me judícium?

Narravérunt mihi iníqui fabulatiónes, * ſed non ut lex tua.

Omnia mandáta tua véritas: * iniquè perſecúti ſunt me, ádjuva me.

Paulò minùs conſummavérunt me in terra: * ego autem non derelíqui mandáta tua.

Secundùm miſericórdiam tuam vivífica me, * & cuſtódiam teſtimónia oris tui.

In æternum, Dómine, * verbum tuum pérmanet in cœlo.

In generatiónem & generatiónem véritas tua: * fundaſti terram, & pérmanet.

Ordinatióne tuâ perſevérat dies, * quóniam ómnia ſérviunt tibi.

Niſi quòd lex tua meditátio mea eſt, * tunc fortè periíſſem in humilitáte mea.

In æternum non obliviſcar juſtificatiónes tuas, * quia in ipſis vivificaſti me.

Tuus ſum ego, ſalvum me fac, * quóniam juſtificatiónes tuas exquisivi.

Me expectavérunt peccatóres ut pérderent me: * teſtimónia tua intellexi.

Omnis conſummatiónis vidi finem; * latum mandátum tuum nimis.

*Diviſio Pſalmi* 118.

QUómodò dilexi legem tuam, Dómine! * totâ die meditátio mea eſt.

Super inimícos meos prudentem me feciſti mandáto tuo, * quia in æternum mihi eſt.

Super omnes docentes me intellexi, * quia teſtimónia tua meditátio mea eſt.

Super ſenes intellexi, * quia mandáta tua quæsívi.

Ab omni via mala prohíbui pedes meos, * ut cuſtódiam verba tua.

A judíciis tuis non declinávi, * quia tu legem poſuiſti mihi.

Quàm dúlcia fáucibus meis elóquia tua! * ſuper mel ori meo.

A mandátis tuis intellexi: * proptérea odívi omnem viam iniquitátis.

Lucerna pédibus meis verbum tuum, * & lumen ſémitis meis.

Jurávi & ſtátui * cuſtodíre judícia juſtítiæ tuæ.

Humiliátus ſum uſquequáque, Dómine: * vivífica me ſecundùm verbum tuum.

Voluntária oris mei beneplácita fac, Dómine, * & judícia tua doce me.

Anima mea in mánibus meis semper : * & legem tuam non sum oblítus.

Posuérunt peccatóres láqueum mihi, * & de mandátis tuis non erravi.

Hæreditáte acquisívi testimónia tua in æternum, * quia exultátio cordis mei sunt.

Inclinávi cor meum ad faciendas justificatiónes tuas in æternum, * propter retributiónem.

*Divisio Psalmi* 118.

INíquos ódio hábui, * & legem tuam dilexi.

Adjútor & susceptor meus es tu : * & in verbum tuum superspéravi.

Declináte à me, malígni : * & scrutábor mandáta Dei mei.

Súscipe me secundùm elóquium tuum, & vivam ; * & non confundas me ab expectatióne mea.

Adjuva me, & salvus ero ; * & meditábor in justificatiónibus tuis semper.

Spreviſti omnes discedentes à judíciis tuis, * quia injusta cogitátio eórum.

Prævaricantes reputávi omnes peccatóres terræ : * ideò dilexi testimónia tua.

Confige timóre tuo carnes meas ; * à judíciis enim tuis timui.

Feci judícium & justítiam : * non tradas me calumniántibus me.

Súscipe servũ tuũ in bonũ : * non calumnientur me superbi.

Oculi mei defecérunt in salutáre tuum, * & in elóquium justítiæ tuæ.

Fac cum servo tuo secundùm misericórdiam tuam, * & justificatiónes tuas doce me.

Servus tuus sum ego : * da mihi intellectum, ut sciam testimónia tua.

Tempus faciendi, Dñe : * dissipavérunt legem tuam.

Ideò dilexi mandáta tua * super aurum & topázion.

Propterea ad ómnia mandáta tua dirigébar : * omnem viam iníquam ódio hábui.

AD NONAM.

℣. Deus, in adjutórium.

*Hymnus.*

LABENTE jam solis rotâ,
Inclínat in noctem dies ;
Sic vita suprémam cito
Festínat ad metam gradu.

O Christe, dum fixus cruci
Expandis orbi bráchia,
Amáre da crucem ; tuo
Da nos in amplexu mori.

*Ante Paschа :*

DEO Patri sit glória,
Ejusque soli Fílio,
Sancto simul cum Spíritu,
Nunc, & per omne séculum.
Amen.

*Temp. Pasch.* Da, Christe, &c. *ut suprà*, 12.

EX PSALMO 118.

*Meditationes eloquiorum Dei.*

MIrabília testimónia tua : * ídeò scrutáta est ea ánima mea.

Declarátio sermónum tuórum illúminat, * & intellectum dat párvulis.

Os meum apérui, & attraxi spíritum, * quia mandáta tua desiderábam.

Aspice in me, & miserére meî, * secundùm judícium diligéntium nomen tuum.

Gressus meos dirige secun-

dùm elóquium tuum; * & non dominétur mei omnis injustítia.

Rédime me à calúmniis hóminum, * ut custódiam mandáta tua.

Fáciem tuam illúmina super servum tuum; * & doce me justificatiónes tuas.

Exitus aquárum deduxérunt óculi mei; * quia non custodiérunt legem tuam.

Justus es, Dómine, * & rectum judícium tuum.

Mandásti justítiam testimónia tua, * & veritátem tuam nimis.

Tabéscere me fecit zelus meus, * quia oblíti sunt verba tua inimíci mei.

Ignítum elóquium tuum vehementer; * & servus tuus dilexit illud.

Adolescéntulus sum ego, & contemptus; * justificatiónes tuas non sum oblítus.

Justítia tua, justítia in ætérnum; * & lex tua véritas.

Tribulátio & angústia invenérunt me: * mandáta tua meditátio mea est.

Æquitas testimónia tua in ætérnum: * intellectum da mihi, & vivam.

*Divísio Psalmi* 118.

CLamávi in toto corde meo, exaudi me, Dómine: * justificatiónes tuas requíram.

Clamávi ad te, salvum me fac, * ut custódiam mandáta tua.

Prævéni in maturitáte, & clamávi, * quia in verba tua sperávi.

Prævenérunt óculi mei ad te dilúculo, * ut meditárer elóquia tua.

Vocem meam audi secundùm misericórdiam tuam, Dómine; * & secundùm judícium tuum vivífica me.

Appropinquavérunt persequéntes me iniquitáti: * à lege autem tuâ longè facti sunt.

Propè es tu, Dne, * & omnes viæ tuæ véritas.

Initio cognóvi de testimóniis tuis, * quia in ætérnum fundásti ea.

Vide humilitátem meam, & éripe me; * quia legem tuam non sum oblítus.

Júdica judícium meum, & rédime me: * propter elóquium tuum vivífica me.

Longè à peccatóribus salus, * quia justificatiónes tuas non exquisiérunt.

Misericórdiæ tuæ multæ, Dómine: * secundùm judícium tuum vivífica me.

Multi qui persequuntur me, & tríbulant me: * à testimóniis tuis non declinávi.

Vidi prævaricántes, & tabescébam, * quia elóquia tua non custodiérunt.

Vide quóniam mandáta tua dilexi, Dómine: * in misericórdia tua vivífica me.

Princípium verbórum tuórum véritas: * in ætérnum ómnia judícia justítiæ tuæ.

*Divísio Psalmi* 118.

PRíncipes persecúti sunt me gratis, * & à verbis tuis formidávit cor meum.

Lætábor ego super elóquia tua, * sicut qui invénit spólia multa.

Iniquitátem ódio hábui, & abominátus sum; * legem autem tuam dilexi.

Sépties in die laudem dixi

tibi, * super judícia justítiæ tuæ.

Pax multa diligéntibus legem tuam, * & non est illis scándalum.

Expectábam salutáre tuum, Dñe; * & mandáta tua dilexi.

Custodívit ánima mea testimónia tua, * & dilexit ea veheménter.

Servávi mandáta tua, & testimónia tua, * quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.

Appropinquet deprecátio mea in conspectu tuo, Dómine: * juxta elóquium tuum da mihi intellectum.

Intret postulátio mea in conspectu tuo: * secundùm elóquium tuum éripe me.

Eructábunt lábia mea hymnum, * cùm docúeris me justificatiónes tuas.

Pronuntiábit lingua mea elóquium tuum, * quia ómnia mandáta tua æquitas.

Fiat manus tua ut salvet me, * quóniam mandáta tua elégi.

Concupívi salutáre tuum, Dómine, * & lex tua meditátio mea est.

Vivet ánima mea, & laudábit te: * judícia tua adjuvábunt me.

Errávi sicut ovis quæ périit; * quære servum tuum, quia mandáta tua non sum oblítus.

AD VESPERAS.

℣. Deus, in adjutórium.

*Antiphonæ ut in Proprio.*

PSALMUS 109.

*Christus ad dexteram Dei sedens: ipsius generatio, regnum & sacerdotium.*

DIxit Dóminus Dómino meo: * Sede à dextris meis.

Donec ponam inimícos tuos, * scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emittet Dóminus ex Sion: * dominâre in medio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum: * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, & non pœnitébit eum, * Tu es Sacérdos in æternum secundùm órdinem Melchísedech.

Dñs à dextris tuis, * confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas; * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrente in via bibet: * propterea exaltábit caput.

PSALMUS 110.

*Laus Dei, quòd tot in Ecclesiam beneficia contulerit.*

COnfitébor tibi, Dómine, *in toto corde meo*, * *in* consílio justórum & congregatióne.

Magna ópera Dómini; * exquisita in omnes voluntátes ejus.

Confessio & magnificéntia opus ejus; * & justítia ejus manet in séculum séculi.

Memóriam fecit mirabílium suórum, misércors & miserátor Dóminus: * escam dedit timéntibus se.

Memor erit in séculum testamenti sui: * virtútem ópe-rum suórum annuntiábit pópulo suo,

Ut det illis hæreditátem géntium: * ópera mánuum ejus, véritas & judícium.

Fidélia ómnia mandáta ejus,

confirmáta in ſéculũ ſéculi, * facta in veritáte & æquitáte.

Redemptiónem miſit pópulo ſuo: * mandávit in æternum teſtamentum ſuum.

Sanctum & terríbile nomen ejus: * inítium ſapiéntiæ timor Dómini.

Intellectus bonus ómnibus faciéntibus eum: * laudátio ejus manet in ſéculum ſéculi.

PSALMUS III.

*Timor Domini, gloria eſt & ſecuritas juſtorum.*

BEátus vir qui timet Dóminum: * in mandátis ejus volet nimis.

Potens in terra erit ſemen ejus: * generátio rectórum benedicétur.

Glória & divítiæ in domo ejus; * & juſtítia ejus manet in ſéculum ſéculi.

Exortum eſt in ténebris lumen rectis; * miſéricors, & miſerátor, & juſtus.

Jucundus homo, qui miſerétur & cómmodat, diſpónet ſermónes ſuos in judício, * quia in æternum non commovébitur.

In memória æterna erit juſtus; * ab auditióne mala non timébit.

Parátum cor ejus ſperáre in Dómino, confirmátum eſt cor ejus, * non commovébitur donec deſpíciat inimícos ſuos.

Diſperſit, dedit paupéribus; juſtítia ejus manet in ſéculum ſéculi: * cornu ejus exaltábitur in glória.

Peccátor vidébit & iraſcétur, déntibus ſuis fremet & tabeſcet; * deſidérium peccatórum períbit.

PSALMUS 112.

*Deus excelſus; ipſi omnia cordi.*

LAudáte, púeri, Dóminum, * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedictum, * ex hoc nunc, & uſque in ſéculum.

A ſolis ortu uſque ad occáſum, * laudábile nomen Dómini.

Excelſus ſuper omnes gentes Dóminus, * & ſuper cœlos glória ejus.

Quis ſicut Dóminus Deus noſter, qui in altis hábitat, * & humília réſpicit in cœlo & in terra?

Súſcitans à terra ínopem, * & de ſtércore érigens páuperem:

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli ſui.

Qui habitáre facit ſtérilem in domo, * matrem filiórum lætantem.

PSALMUS 113.

*Dei potentia: ipſe ſolus Deus: idolorum vanitas.*

IN éxitu Iſraël de Ægypto, * domûs Jacob de pópulo bárbaro:

Facta eſt Judæa ſanctificátio ejus, * Iſraël poteſtas ejus.

Mare vidit & fugit; * Jordánis converſus eſt retrorſum.

Montes exultavérunt ut aríetes, * & colles ſicut agni óviũ.

Quid eſt tibi, mare, quòd fugiſti; * & tu, Jordánis, quia converſus es retrorſum?

Montes, exultaſtis ſicut aríetes, * & colles ſicut agni óvium?

A fácie Dómini mota eſt terra, * à fácie Dei Jacob;

Qui convertit petram in stagna aquárum, * & rupem in fontes aquárum.

Non nobis, Dómine, non nobis; * sed nómini tuo da glóriam,

Super misericórdia tua & veritáte tua: * nequando dicant gentes, Ubi est Deus eórum?

Deus autem noster in cœlo; * ómnia quæcumque vóluit, fecit.

Simulácra géntium argentum & aurum, * ópera mánuum hóminum:

Os habent, & non loquentur; * óculos habent, & non vidébunt:

Aures habent, & non áudient; * nares habent, & non odorábunt:

Manus habent, & non palpábunt; pedes habent, & non ambulábunt; * non clamábunt in gúttur suo.

Similes illis fiant qui fáciunt ea, * & omnes qui confídunt in eis.

Domus Israël sperávit in Dómino; * adjútor eórum & protector eórum est.

Domus Aaron sperávit in Dómino; * adjútor eórum & protector eórum est.

Qui timent Dóminum, speravérunt in Dómino; * adjútor eórum & protector eórum est.

Dóminus memor fuit nostri, * & benedixit nobis.

Benedixit dómui Israël; * benedixit dómui Aaron.

Benedixit ómnibus qui timent Dóminum, * pusillis cum majóribus.

Adjíciat Dóminus super vos, * super vos, & super fílios vestros.

Benedícti vos à Dño, * qui fecit cœlum & terram.

Cœlum cœli Dómino; * terram autem dedit filiis hóminum.

Non mórtui laudábunt te, Dómine: * neque omnes qui descendunt in infernum.

Sed nos qui vívimus, benedícimus Dómino, * ex hoc nunc & usque in séculum.

*Capitulum, Hymnus, Versículus & Antiphóna ad* Magn. *ut in Proprio.*

*Cantic. Beatæ Mariæ Virg.*

Luc. 1.

MAgníficat * ánima mea Dóminum:

Et exultávit spíritus meus * in Deo salutári meo:

Quia respexit humilitátem ancillæ suæ; * ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes:

Quia fecit mihi magna qui potens est, * & sanctum nomen ejus.

Et misericórdia ejus à progénie in progénies * timéntibus eum.

Fecit poténtiam in bráchio suo; * dispersit superbos mente cordis sui:

Depósuit potentes de sede; * & exaltávit húmiles:

Esurientes implévit bonis; * & divites dimísit inánes.

Suscépit Israël púerum suum, * recordátus misericórdiæ suæ,

Sicut locútus est ad patres nostros, * Abraham, & sémini ejus in sécula.

*Dicitur deinde Antiph. & Oratio conveniens, atque fiunt Commemorationes, si quæ sint,*

*eodem ritu qui supra præscribitur ad Laudes* 8.

AD COMPLETOR.

COnverte nos, Deus salutáris noster:

℟. Et averte iram tuam à nobis. *Ps.* 84.

℣. Deus, in adjutórium meum intende, * Dómine ad adjuvandum me festína.

*Ante Paſcha, Ant.* 8. G. Miserére.

*Temp. Paſchali, Ant.* 7. *d.* Eripuit.

PSALMUS 4.

*In Deo, non in divitiis, ſpes collocanda.*

CUm invocárem exaudívit me Deus justítiæ meæ: * in tribulatióne dilatásti mihi.

Miserére meî, * & exaudi oratiónem meam.

Filii hóminum, úsquequò gravi corde? * ut quid dilígitis vanitátem, & quæritis mendácium?

Et scitóte quóniam mirificávit Dñs sanctum suum: * Dóminus exáudiet me, cùm clamávero ad eum.

Iraſcímini, & nolite peccáre: * quæ dícitis in córdibus vestris, in cubílibus vestris compungímini.

Sacrificáte sacrifícium justítiæ & speráte in Dómino: * multi dicunt, Quis ostendit nobis bona?

Signátum est super nos lumen vultûs tui, Dómine: * dediſti lætítiã in corde meo.

A fructu frumenti, vini, & ólei sui, * multiplicáti sunt.

In pace in idipsum * dórmiam & requiescam;

Quóniam tu, Dómine, singulariter in spe * constituisti me.

PSALMUS 90.

*Nil timendum iis qui ad Deum confugiunt.*

QUi hábitat in adjutório Altíssimi, * in protectióne Dei cœli commorábitur.

Dicet Dómino: Suſceptor meus es tu, & refúgium meum: * Deus meus, ſperábo in eum;

Quóniam ipse liberávit me de láqueo venántium, * & à verbo áspero.

Scápulis suis obumbrábit tibi, * sub pennis ejus ſperábis.

Scuto circúmdabit te véritas ejus: * non timébis à timóre nocturno.

A ſagitta volante in die, à negótio perambulante in ténebris; * ab incursu, & dæmónio meridiáno.

Cadent à látere tuo mille, & decem míllia à dextris tuis: * ad te autem non appropinquábit.

Verúmtamen oculis tuis considerábis, * & retributiónem peccatórum vidébis.

Quóniam, Tu es, Dómine, spes mea: * altíssimum posuisti refúgium tuum.

Non accédet ad te malum, * & flagellum non appropinquábit tabernáculo tuo.

Quóniam Angelis suis mandávit de te, * ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

In mánibus portábunt te, * ne fortè offendas ad lápidem pedem tuum.

Super áspidem & basiliscum ambulábis, & conculcábis leónem & draconem.

Quóniam in me sperávit, liberábo eum; * prótegam eum, quóniam cognóvit nomen meum.

Clamábit ad me, & ego exáudiam eum: cum ipso sum in tribulatióne; * erípiam eum, & glorificábo eum.

Longitúdine diérum replébo eum, * & ostendam illi salutáre meum.

PSALMUS 133.

*Ecclesiæ cultores Domini ad Dei gloriam hortatur.*

ECce nunc benedícite Dóminum, * omnes servi Dómini.

Qui státis in domo Dómini, * in átriis domûs Dei nostri:

In nóctibus extóllite manus vestras in sancta, * & benedícite Dóminum.

Benedícat te Dóminus ex Sion, * qui fecit cœlum & terram.

*Ante Paschæ, Ant.* Miserére meî, Dómine, & exaudi oratiónem meam.

*Temp. Paschali, Ant.* Erípuit nos Deus de potestáte tenebrárum, & tránstulit in regnum Filii dilectiónis suæ, allelúia. *Coloss.* 1.

*Tempore Quadragesimæ & Passionis,*

*Hymnus.*

O SPLENDOR æterni Patris,
Tu, Christe, qui verus dies,
Et vera lux de lúmine,
Mentis fugas caliginem:
En solis abscessit jubar,
Noctisque succédunt vices;
Qui prósperum donas diem,
Da tuta noctis ótia.
Si clausa torpent lúmina,
Susspíret ad te mens vigil:
Potente, qui te diligunt,
Servos tuére déxtera.
Tu, quos molesti córporis
Gravis retardat sarcina,
Fac mentis alis líbero
Sursum volátu téndere.
O spes salútis única,
Votis adesto súpplicum:
Defende quos mercátus es
Mercéde fusi sánguinis.
DEO Patri sit glória,
Ejusque soli Fílio,
Sancto simul cum Spíritu,
Nunc, & per omne séculum.
Amen.

*Tempore Paschali, Hymnus.*

JESU, redemptor séculi,
Qui tértio post fúnera
Redux ab ínferis die,
Mortem resurgendo necas:
Nox atra jam terras premet,
Mergetque somno lúmina:
Hostis furórem pérfidi,
Arteque cæcas dísjice;
Ut justa dum curas levat,
Et corpus instaurat quies,
Sic membra somnus óccupet,
Ne corda torpor ópprimat.
Da, Christe, nos tecum mori;
Tecum simul da súrgere:
Terréna da contémnere;
Amáre da cœléstia.
Sit laus Patri; laus Fílio,
Qui nos, triumphátâ nece,
Ad astra secum dux vocat:
Compar tibi laus, Spíritus.
Amen.

*In Officiis de Beata, Hymnus* Virgo. *ut in Officio parvo.*

*Capitulum* 1. Thess. 5.

OMnes vos filii lucis estis, & filii diéi: non sumus noctis neque tenebrárum;

ígitur non dormiámus sicut & céteri, sed vigilémus & sóbrii simus.

*Temp. Quadrag.* ℟. *br.* In manus tuas Dómine, * Commendo spíritum meum. In manus. ℣. Redemísti me, Dómine, * Deus veritátis. * Commendo. Glória Patri. In manus. *Ps.* 30.

*Temp. Passion. omisso* Glória. *post reclamationem repetitur* In manus.

℣. Custódi me, Dómine, ut pupillam óculi: ℟. Sub umbra alárum tuárum prótege me. *Ps.* 16.

*Temp. Paschali.* ℟. *br.* In manus tuas, Dómine, commendo spíritum meum, * Allelúia, allelúia. In manus. ℣. Redemísti me, Dómine, Deus veritátis, * Allel. allel. Glória Patri. In manus.

℣. Custódi, &c. *ut suprà.*

*Ante Pascha, Ant.* 3. g. Dómine.

*Temp. Paschali, Ant.* 5. C. Cùm Christus.

*Cantic. Simeonis* Luc 2.

NUnc dimittis servum tuum, Dómine, * secundũ verbum tuum in pace:

Quia vidérunt óculi mei * salutáre tuum.

Quod parásti * ante fáciem ómnium populórum.

Lumen ad revelatiónem géntium, * & glóriam plebis tuæ Israël.

*Ante Pasch. Ant.* Dómine, custódi partem tuam: ut sive vigilémus, sive dormiámus, simul cum Christo vivámus. 2. *Mach.* 1. & 1. *Thess.* 5.

*Temp. Paschali, Ant.* Cùm Christus apparúerit, vita vestra; tunc & vos apparébitis cum ipso in glória, allelúia. *Coloss.* 3.

℣. Dóminus vobiscum, ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

VIsita, quæsumus Dómine, habitatiónem nostram, & omnes insídias inimíci ab ea longè repelle: Angeli tui sancti hábitent in ea, qui nos in pace custódiant; & benedíctio tua sit super nos semper; Per Dóminum nostrum.

℣. Dóminus vobiscum, ℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

*Finito Completorio, submissâ voce dicitur:* Grátia Dómini nostri Jesu Christi, & cáritas Dei & communicátio sancti Spíritûs sit cum ómnibus vobis. 2. *Cor.* 13. ℟. Amen.

Et fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiescant in pace. Amen.

*Posteà dicitur una ex Antiphonis B. Mariæ Virginis, ut sequitur.*

*Antiph. de Beata in Quadragesima.*

AVe Regína Cœlórum; Ave, Dómina Angelórũ; Salve, radix; salve porta Ex qua mundo lux est orta: Gaude, Virgo gloriósa, Super omnes speciósa: Vale, ô valde decóra; Et pro nobis Christum exóra.

℣. Elégit eam Dóminus, ℟. In habitatiónem sibi. *Ps.* 131.

Orémus.

COncéde, misericors Deus, fragilitáti nostræ præsídium; ut qui sanctæ Dei ge-

nitrícis memóriam ágimus, interceſſiónis ejus auxílio à noſtris iniquitátibus reſurgámus; Per eumdem Chriſtum Dóminum noſtrum.

*Tempore Paſchali.*

Regína cœli lætáre, allelúia,
Quia quem meruiſti portáre, allelúia,
Reſurrexit ſicut dixit, allelúia:
Ora pro nobis Deum, allelúia.

℣. Circumdediſti me lætítia, Dómine; ℟. Ut cantet tibi glória mea. *Pſ.* 29.

Orémus.

Deus, qui per reſurrectiónem filii tui Dómini noſtri Jeſu Chriſti mundum lætificáre dignátus es: præſta, quæſumus, ut per ejus genitrícem Vírginem Mariam, perpétuæ capiámus gáudia vitæ; Per eumdem Chriſtum Dóminum noſtrum.

*Poſt completum Officium dicitur ſecretò*, Pater, Ave, Credo.

## FERIA SECUNDA.

Ad Officium Noct.

Dómine, lábia. *ſuprà* 1.

*Invitatorium & Hymnus, ut in Proprio; & ſic in ſequentibus Feriis.*

*In Feriis Quadrageſimæ & Paſſionis, dicuntur pro unico Nocturno novem Pſalmi ad unamquamque Feriam poſiti, ſub una duntaxat Antiphona poſt ſingulos tres Pſalmos.*

*Temp. verò Paſchali, tres tantùm dicuntur, eo ordine qui deſcriptus eſt in Proprio pro unaquaque die.*

### IN I. NOCTURNO.

*Ant.* 4. a. Omnia.

Mir. *Pars Verna.*

Psalmus 103.

*Deus ab opificio & providentiâ celebratur.*

Benedic ánima mea, Dómino: * Dómine Deus meus, magnificátus es vehementer.

Confeſſiónem & decórem induiſti, * amictus lúmine ſicut veſtimento.

Extendens cœlum ſicut pellem, * qui tegis aquis ſuperióra ejus.

Qui ponis nubem aſcenſum tuum, * qui ámbulas ſuper pennas ventórum;

Qui facis Angelos tuos, ſpíritus, * & miniſtros tuos ignem urentem;

Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitátem ſuam; * non inclinábitur in ſéculum ſéculi.

Abyſſus, ſicut veſtimentum, amictus ejus; * ſuper montes ſtabunt aquæ:

Ab increpatióne tua fúgient; * à voce tonítrui tui formidábunt.

Aſcendunt montes, & deſcendunt campi, * in locum quem fundaſti eis.

Términum poſuiſti, quem non tranſgredientur; * neque convertentur operíre terram.

Qui emittis fontes in convállibus: * inter médium móntium pertransíbunt aquæ:

Potábunt omnes béſtiæ agri; * expectábunt ónagri in ſiti ſua:

Super ea vólucres cœli habitábunt; * de médio petrárum dabunt voces.

Rigans montes de ſuperióribus ſuis; * de fructu óperum tuórum ſatiábitur terra:

Prodúcens fœnum jumen-

*

tis, * & herbam servitúti hóminum:

Ut edúcas panem de terra, * & vinũ lætificet cor hóminis.

Ut exhílaret fáciem in óleo, * & panis cor hóminis confirmet.

Saturabuntur ligna campi, & cedri Líbani quas plantávit; * illic pásseres nidificábunt.

Heródii domus dux est eórum: * montes excelsi cervis, petra refúgium herináciis.

Fecit lunam in témpora: * sol cognóvit occásum suum.

Posuísti ténebras & facta est nox: * in ipsa pertransibunt omnes béstiæ sylvæ.

Cátuli leónum rugientes, ut rápiant, * & quærant à Deo escam sibi.

Ortus est sol, & congregáti sunt; * & in cubílibus suis collocabuntur.

Exíbit homo ad opus suum, * & ad operatiónem suam usque ad vésperum.

*Divísio Psalmi* 103.

QUàm magnificáta sunt ópera tua Dómine? * ómnia in sapiéntia fecísti: impléta est terra possessióne tuâ:

Hoc mare magnum, & spatiósum mánibus; * illic reptília, quorum non est número.

Animália pusilla cum magnis; * illic naves pertransibunt.

Draco iste quem formásti ad illudendum ei; * ómnia à te expectant, ut des illis escam in témpore.

Dante te illis, cólligent; * aperiente te manum tuam, ómnia implebuntur bonitáte:

Avertente autem te fáciem, turbabuntur; * áuferes spíritum eórum, & deficient, & in púlverem suum revertentur.

Emittes Spíritum tuum, & creabuntur; * & renovábis fáciem terræ.

*Altera divísio Psalmi* 103.

SIt glória Dómini in sæculum: * lætábitur Dóminus in opéribus suis;

Qui réspicit terram, & facit eam trémere; * qui tangit montes, & fúmigant.

Cantábo Dómino in vita mea: * psállam Deo meo quámdiu sum.

Jucundum sit ei elóquium meum: * ego verò delectábor in Dómino.

Deficiant peccatóres à terra, & iníqui, ita ut non sint; * bénedic, ánima mea, Dómino.

*Ant.* Omnia in sapiéntia fecísti, Dómine: impléta est terra possessióne tuâ.

## *IN II. NOCTURNO.*

*Ant.* 7. d. Mementóte.

### PSALMUS 104.

*Beneficia Israëlitis collata enumerantur.*

COnfitémini Dómino, & invocáte nomen ejus; * annuntiáte inter gentes ópera ejus.

Cantáte ei & psállite ei, * narráte ómnia mirabília ejus.

Laudámini in nómine sancto ejus: * lætétur cor quæréntium Dóminum.

Quærite Dóminum, & confirmámini; * quærite fáciem ejus semper.

Mementóte mirabílium ejus quæ fecit; * prodígia ejus, & judícia oris ejus.

Semen Abraham, servi ejus; * filii Jacob, electi ejus.

Ipse Dóminus Deus noster; * in universa terra judícia ejus.

Memor fuit in séculum testamenti sui; * verbi quod mandávit in mille generatiónes:

Quod dispósuit ad Abraham, * & juramenti sui ad Isaac.

Et státuit illud Jacob in præceptum; * & Israël in testamentum ætérnum,

Dicens, Tibi dabo terram Chánaan, * funículum hæreditátis vestræ;

Cùm essent número brevi, * paucíssimi & íncolæ ejus:

Et pertransiérunt de gente in gentem, * & de regno ad pópulum álterum.

Non reliquit hóminem nocére eis, * & corripuit pro eis reges:

Nolíte tángere christos meos, * & in prophétis meis nolíte malignári.

*Divísio Psalmi* 104. Et VOcávit (Dóminus) famem super terram; * & omne firmamentum panis contrívit.

Misit ante eos virum: * in servum venúndatus est Joseph.

Humiliavérunt in compédibus pedes ejus, ferrum pertránsiit ánimam ejus, * donec veníret verbum ejus;

Elóquium Dómini inflammávit eum: * misit rex, & solvit eum; princeps populórum, & dimísit eum.

Constítuit eum dóminum domûs suæ, * & princípem omnis possessiónis suæ.

Ut erudíret príncipes ejus sicut semetipsum, * & senes ejus prudéntiam docéret.

Et intrávit Israël in Ægyptum, * & Jacob áccola fuit in terra Cham.

Et auxit pópulum suum vehementer; * & firmávit eum super inimícos ejus.

Convertit cor eórum, ut odírent pópulum ejus; * & dolum fácerent in servos ejus.

*Altera divísio Psalmi* 104. MIsit (Dns) Móysen servum suum, * Aaron quem elégit ipsum:

Pósuit in eis verba signórum suórum, * & prodigiórum in terra Cham.

Misit ténebras, & obscurávit: * & non exacerbávit sermónes suos.

Convertit aquas eórum in sánguinem; * & occídit pisces eórum.

Edidit terra eórum ranas * in penetrálibus regum ipsórum.

Dixit, & venit cœnomyía, & cínifes * in ómnibus finíbus eórum.

Pósuit plúvias eórum grándinem; * ignem comburéntem in terra ipsórum:

Et percússit víneas eórum, & ficúlneas eórum; * & contrívit lignum finium eórum:

Dixit, & venit locústa & bruchus, * cujus non erat número rus;

Et comédit omne fœnum in terra eórum, * & comédit omnem fructum terræ eórum.

Et percússit omne primo-

génitum in terra eórum, * primítias omnis labóris eórum.

Et eduxit eos cum argento & auro: * & non erat in tribubus eórum infirmus.

Lætáta est Ægyptus in profectióne eórum: * quia incúbuit timor eórum super eos.

Expandit nubem in protectiónem eórum, * & ignem ut lucéret eis per noctem.

Petiérunt, & venit coturnix: * & pane cœli saturávit eos.

Dirúpit petram, & fluxérunt aquæ; * abiérunt in sicco flúmina:

Quóniam memor fuit verbi sancti sui, * quod hábuit ad Abraham púerum suum:

Et eduxit pópulum suum in exultatióne, * & electos suos in lætitia;

Et dedit illis regiónes géntium; * & labóres populórum possedérunt:

Ut custódiant justificatiónes ejus, * & legem ejus requírant.

*Ant.* Mementóte mirabílium ejus quæ fecit, prodígia ejus, & judícia oris ejus

*IN III. NOCTURNO.*

*Ant.* 1. a. Vísita nos.

PSALMUS 105.

*Bonitas Dei: Judæorum ingratus animus.*

CONfitémini Dómino, quóniam bonus: * quóniam in séculum misericórdia ejus.

Quis loquétur poténtias Dómini, * auditas faciet omnes laudes ejus?

Beáti qui custódiunt judícium, * & fáciunt justitiam in omni témpore.

Memento nostrî, Dómine, in beneplácito pópuli tui: * vísita nos in salutári tuo;

Ad vidéndum in bonitáte electórum tuórum, ad lætándum in lætítia gentis tuæ; * ut laudéris cum hæreditáte tua.

*Divisio Psalmi* 105.

PEccávimus cum pátribus nostris; * injustè égimus, iniquitátem fécimus.

Patres nostri in Ægypto non intellexérunt mirabilia tua: * non fuérunt mémores multitúdinis misericórdiæ tuæ,

Et irritavérunt ascendentes in mare, * mare Rubrum;

Et salvávit eos propter nomen suum; * ut notam fáceret poténtiam suam.

Et increpuit mare Rubrum, & exsiccátum est; * & deduxit eos in abyssis sicut in deserto:

Et salvávit eos de manu odiéntium, * & redémit eos de manu inimici:

Et opéruit aqua tribulantes eos; * unus ex eis non remansit.

Et credidérunt verbis ejus; * & laudavérunt laudem ejus.

Citò fecérunt, obliti sunt óperum ejus; * & non sustinuérunt consilium ejus.

Et concupiérunt concupiscéntiam in deserto; * & tentavérunt Deum in inaquóso.

Et dedit eis petitiónem ipsórum; * & misit saturitátem in ánimas eórum.

Et irritavérunt Móysen in castris; * Aaron sanctum Dómini.

Aperta est terra, & deglutívit Dathan, * & opéruit super congregatiónem Abiron.

Et

Et exarsit ignis in synagóga eórum; * flamma combussit peccatóres.

Et fecérunt vitulum in Horeb; * & adoravérunt scúlptile.

Et mutavérunt glóriam suam * in similitúdinem vituli comedentis fœnum.

Oblíti sunt Deum qui salvávit eos, * qui fecit magnália in Ægypto, mirabília in terra Cham, terribilia in mari Rubro.

Et dixit ut dispérderet eos; * si non Móyses electus ejus stetísset in confractióne, in conspéctu ejus,

Ut avérteret iram ejus, ne dispérderet eos: * & pro níhilo habuérunt terram desiderábilem.

Non credidérunt verbo ejus, & murmuravérunt in tabernáculis suis: * non exaudiérunt vocem Dómini.

Et elevávit manum suam super eos, * ut prostérneret eos in desérto,

Et ut dejíceret semen eórum in natiónibus, * & dispérgeret eos in regiónibus.

Et initiáti sunt Beélphegor: * & comedérunt sacrifícia mortuórum.

Et irritavérunt eum in adinventiónibus suis: * & multiplicáta est in eis ruína.

Et stetit Phínees, & placávit; * & cessávit quassátio.

Et reputátum est ei in justítiam, * in generatiónem & generatiónem usque in sempiternum.

Et irritavérunt eum ad Aquas contradictiónis: * & vexátus est Móyses propter eos,

Quia exacerbavérunt spíritum ejus; * & distínxit in lábiis suis.

*Altera divisio Psalmi* 105.

NOn dispérdidérunt gentes, * quas dixit Dóminus illis.

Et commixti sunt inter gentes, & didicérunt ópera eórum, & serviérunt sculptílibus eórum; * & factum est illis in scándalum.

Et immolavérunt fílios suos * & filias suas dæmóniis:

Et effudérunt sánguinem innocentem, sánguinem filiórum suórum & filiárum suárum, * quas sacrificavérunt sculptílibus Chánaan.

Et infecta est terra in sanguínibus, & contamináta est in opéribus eórum; * & fornicáti sunt in adinventiónibus suis.

Et irátus est furóre Dóminus in pópulum suum; * & abominátus est hæreditátem suam.

Et trádidit eos in manus géntium, * & dominati sunt eórum, qui odérunt eos.

Et tribulavérunt eos inimíci eórum, & humiliáti sunt sub mánibus eórum: * sæpe libérávit eos.

Ipsi autem exacerbavérunt eum in consílio suo, * & humiliáti sunt in iniquitátibus suis.

Et vidit cùm tribularentur, * & audívit oratiónem eórum:

Et memor fuit testamenti sui, * & pœnituit eum secundùm multitúdinem misericórdiæ suæ.

Et dedit eos in misericórdias, * in conspéctu ómnium qui céperant eos.

Salvos nos fac, Dómine Deus noſter; * & cóngrega nos de natiónibus:

Ut confiteámur nómini ſancto tuo, * & gloriémur in laude tua.

Benedictus Dóminus Deus Iſraël à ſéculo, & uſque in ſéculum; * & dicet omnis pópulus: Fiat, fiat.

*Ant.* Viſita nos in ſalutári tuo, Dómine, ad videndum in bonitáte electórum tuórum.

*Verſiculus ut in Proprio.*

*Abſolutio & Benedictiones, ut ordinantur poſt Pſalterium.*

*Lectiones cum* BLRBL. *habentur in Proprio de Tempore; & ſic in ſequentibus Feriis.*

*Non dicitur* Te Deum, *in Feriis, niſi Tempore Paſchali, exceptâ Feriâ II. Rogationum.*

AD LAUDES.

℣. Deus, in adjutórium.

*Temp. Quadrag. ad Hebdomadam ſanctam excluſivè.*

*Ant.* 5. a. Bonum eſt.

[ *Temp. Paſchali, Antiph. ut in Proprio; & ſic in aliis Feriis.* ]

PSALMUS 91.

*Deus magnificus, juſtus vindex, ideo collaudandus.*

BOnum eſt confitéri Dómino: * & pſállere nómini tuo, Altíſſime.

Ad annuntiandum manè miſericórdiam tuam, * & veritátem tuam per noctem.

In decachordo pſaltério, * cum cántico, in cithara.

Quia delectaſti me, Dómine, in factúra tua: * & in opéribus mánuum tuárum exultábo.

Quàm magnificáta ſunt opéra tua, Dñe! * nimis profundæ factæ ſunt cogitatiónes tuæ.

Vir inſípiens non cognoſcet; * & ſtultus non intélliget hæc.

Cùm exorti fúerint peccatóres ſicut fœnum: * & apparúerint omnes qui operantur iniquitátem.

Ut intéreant in ſéculum ſéculi: * tu autem Altíſſimus in æternum, Dómine.

Quóniam ecce inimíci tui, Dómine, quóniam ecce inimíci tui períbunt; * & diſpergentur omnes qui operantur iniquitátem.

Et exaltábitur ſicut unicornis cornu meum, * & ſenectus mea in miſericórdia úberi.

Et deſpexit óculus meus inimícos meos: * & in inſurgéntibus in me malignántibus áudiet auris mea.

Juſtus ut palma florébit; * ſicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Plantáti in domo Dómini, * in átriis domûs Dei noſtri florébunt.

Adhuc multiplicabuntur in ſenecta úberi: * & bene patientes erunt, ut annúntient,

Quóniam rectus Dóminus Deus noſter, * & non eſt iniquitas in eo.

*Ant.* Bonum eſt pſállere nómini tuo, Altíſſime, ad annuntiandum manè miſericórdiam tuam.

*Ant.* 8. c. Bonus Dóminus.

PSALMUS 135.

*Deus mirabilis: ejus in ſuos providentia.*

COnfitémini Dómino, quóniam bonus, * quóniam in æternum miſericórdia ejus.

Confitémini Deo deórum, * quóniam in æternum misericórdia ejus :

Confitémini Dómino dominórum , * quóniam in æternum misericórdia ejus :

Qui facit mirabília magna solus , * quóniam in æternum misericórdia ejus :

Qui fecit cœlos in intellectu , * quóniam in æternum misericórdia ejus :

Qui firmávit terram super aquas, * quóniam in æternum misericórdia ejus :

Qui fecit luminária magna , * quóniam in æternum misericórdia ejus :

Solem in potestátem diéi, * quóniam in æternum misericórdia ejus :

Lunam & stellas in potestátem noctis , * quóniam in æternum misericórdia ejus.

*Ant.* Bonus Dóminus , in æternum misericórdia ejus.

*Ant.* 4. a. Dóminus.

*Divisio Psalmi* 135.

[ Confitémini Dómino , quóniam bonus, * quóniam in æternum misericórdia ejus : ]

Qui percussit Ægyptum cum primogénitis eórum,* quóniã in æternum misericórdia ejus :

Qui eduxit Israël de médio eórum , * quóniam in æternum misericórdia ejus :

In manu potenti, & bráchio excelso , * quóniam in æternum misericórdia ejus :

Qui divísit mare rubrum in divisiónes, * quóniam in æternum misericórdia ejus.

Et eduxit Israël per médium ejus , * quóniam in æternum misericórdia ejus :

Et excussit Pharaónem & virtútem ejus in mari Rubro , * quóniam in æternum misericórdia ejus :

Qui traduxit pópulum suum per desertum , * quóniam in æternum misericórdia ejus :

Qui percussit reges magnos , * quóniam in æternum misericórdia ejus :

Et occídit reges fortes , * quóniam in æternum misericórdia ejus :

Sehon regem Amorrhæórum , * quóniam in æternum misericórdia ejus :

Et Og regem Basan , * quóniam in æternum misericórdia ejus :

Et dedit terram eórum hæreditátem, * quóniam in æternum misericórdia ejus :

Hæreditátem Israël servo suo , * quóniam in æternum misericórdia ejus :

Quia in humilitáte nostra memor fuit nostrî , * quóniam in æternum misericórdia ejus:

Et redémit nos ab inimícis nostris , * quóniam in æternum misericórdia ejus :

Qui dat escam omni carni , * quóniam in æternum misericórdia ejus.

Confitémini Deo cœli , * quóniam in æternum misericórdia ejus.

Confitémini Dómino dominórum , * quóniam in æternum misericórdia ejus.

*Ant.* Dóminus in humilitáte nostra memor fuit nostrî , & redémit nos ab inimícis nostris.

*In Quadragesima , quando fit Officium de Feria , dicitur Canticum sequens.*

*Ant.* 7. d. Quis símilis tuî? *Cantic. Moysi.* Exod. 15.

CAntémus Dómino; gloriósè enim magnificátus est,* equum & ascensórem dejécit in mare.

Fortitúdo mea & laus mea Dóminus, * & factus est mihi in salútem.

Iste Deus meus, & glorificábo eum; * Deus patris mei, & exaltábo eum.

Dóminus quasi vir pugnátor, Omnípotens, nomen ejus; * currus Pharaónis & exércitum ejus projécit in mare.

Electi príncipes ejus submersi sunt in mari Rubro, abyssi operuérunt eos; * descendérunt in profundum quasi lapis.

Déxtera tua, Dómine, magnificáta est in fortitúdine; déxtera tua, Dómine, percussit inimícum; * & in multitúdine glóriæ tuæ deposuísti adversários tuos.

Misísti iram tuam quæ devorávit eos sicut stípulam, * & in spíritu furóris tui congregátæ sunt aquæ.

Stetit unda fluens, * congregátæ sunt abyssi in médio mari.

Dixit inimícus: Pérsequar, & comprehendam; * dividam spólia, implébitur ánima mea.

Evaginábo gládiũ meum, * interficiet eos manus mea.

Flavit spíritus tuus, & opéruit eos mare; * submersi sunt quasi plumbum in aquis vehemèntibus.

Quis símilis tuî in fórtibus, Dómine? * quis símilis tuî, magníficus in sanctitáte, terríbilis, atque laudábilis, fáciens mirabília?

Extendísti manum tuam, & devorávit eos terra; * dux fuísti in misericórdia tua pópulo quem redemísti:

Et portásti eum in fortitúdine tua * ad habitáculum sanctum tuum.

Ascendérunt pópuli, & irráti sunt, * dolóres obtinuérunt habitatóres Philísthiim.

Tunc conturbáti sunt príncipes Edom, robustos Moab obtínuit tremor; * obriguérunt omnes habitatóres Chánaan.

Irruat super eos formído & pavor, * in magnitúdine brachii tui.

Fiant immóbiles quasi lapis, donec pertránseat pópulus tuus, Dómine; * donec pertránseat pópulus tuus iste quem possedísti.

Introdúces eos, & plantábis in monte hæreditátis tuæ, * firmíssimo habitáculo tuo quod operátus es, Dómine,

Sanctuárium tuum, Dómine, quod firmavérunt manus tuæ: * Dóminus regnábit in æternum, & ultrà:

Ingressus est enim eques Phárao cum cúrribus & equítibus ejus in mare, * & reduxit super eos Dóminus aquas maris;

Fílii autem Israël ambulavérunt per siccum * in médio ejus.

*Ant.* Quis símilis tuî, Dómine, magníficus in sanctitáte, fáciens mirabília?

[ *In Festis, & toto Tempore Paschali, nisi proprium assigne-*

*tur, loco superioris Cantici, dicitur sequens.*

*Canticum.* Eccli. 39.

COllaudáte cánticum, * & benedícite Dóminum in opéribus suis.

Date nómini ejus magnificéntiam, * & confitémini illi in voce labiórum vestrórum, & in cánticis labiórum, & cítharis;

Et sic dicétis in confessióne: * Opera Dómini universa bona valde.

In verbo ejus stetit aqua sicut congéries: * & in sermóne oris illíus sicut exceptória aquárum;

Quóniam in præcepto ipsíus placor fit, * & non est minorátio in salúte ipsius.

Opera omnis carnis coram illo, * & non est quidquam absconditum ab óculis ejus.

A século usque in séculum réspicit, * nihil est mirábile in conspectu ejus. ]

*Ant.* 1.g. Laudáte Dóminum.

PSALMUS 134.

*Israël beneficiis cumulatus: idolorum vanitas.*

LAudáte nomen Dómini, * laudáte, servi, Dóminum:

Qui státis in domo Dómini, * in átriis domûs Dei nostri.

Laudáte Dóminum, quia bonus Dóminus; * psállite nómini ejus, quóniam suáve.

Quóniam Jacob elégit sibi Dóminus, * Israël in possessiónem sibi.

Quia ego cognóvi quòd magnus est Dóminus, * & Deus noster præ ómnibus diis.

Omnia quæcumque vóluit, Dóminus fecit, in cœlo, & in terra; * in mari, & in ómnibus abyssis.

Edúcens nubes ab extrémo terræ, * fúlgura in plúviam fecit:

Qui producit ventos de thesauris suis; * qui percussit primogénita Ægypti ab hómine usque ad pecus:

Et misit signa & prodígia in médio tuí, Ægypte; * in Pharaónē, & in omnes servos ejus.

Qui percussit gentes multas, * & occídit reges fortes,

Sehon regem Amorrhæórum, & Og regem Basan, * & ómnia regna Chánaan.

Et dedit terram eórum hæreditátem, * hæreditátem Israël pópulo suo.

Dómine, nomen tuum in æternum: * Dómine, memoriále tuum in generatiónem & generatiónem:

Quia judicábit Dóminus pópulum suum, * & in servis tuis deprecábitur.

Simulácra géntium argentum & aurum, * ópera mánuum hóminum:

Os habent, & non loquentur; * óculos habent, & non vidébunt:

Aures habent, & non áudient; * neque enim est spíritus in ore ipsórum.

Similes illis fiant qui fáciunt ea, * & omnes qui confídunt in eis.

Domus Israël, benedícite Dómino: * domus Aaron, benedícite Dómino.

Domus Levi, benedícite Dómino: * qui timétis Dóminum, benedícite Dómino.

Benedíctus Dñs ex Sion, * qui hábitat in Jerúsalem.

*Ant.* Laudáte Dóminum, psállite nómini ejus, quóniam elégit Israël in possessiónem sibi.

*Capitulum, Hymnus, ℣. & Antiph. ad* Benedictus. *Preces quando dicuntur, &c. ut in Proprio; & sic in aliis Feriis.*

AD PRIMAM.

℣. Deus, in adjutórium.

*Hymnus,* Jam lucis. *& Ant. ut in Proprio; & sic in aliis Feriis.*

PSALMUS 8.

*Christi gloria, & potestas.*

DOmine Dóminus noster, * quàm admirábile est nomen tuum in universa terra!

Quóniam elevàta est magnificéntia tua * super cœlos.

Ex ore infántium & lacténtium perfeciſti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum & ultórem.

Quóniam vidébo cœlos tuos, ópera digitórum tuórum; * lunam & stellas, quæ tu fundasti.

Quid est homo, quòd memor es ejus? * aut filius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuisti eum paulò minùs ab Angelis, glóriâ & honóre coronasti eum: * constituisti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjeciſti sub pédibus ejus, * oves & boves universas, insuper & pécora campi;

Vólucres cœli, & pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dóminus noster, * quàm admirábile est nomen tuum in universa terra!

PSALMUS 76.

*Consolatio spiritualis ex operibus Dei sumpta.*

VOce meâ ad Dóminum clamávi, * voce meâ ad Deum, & intendit mihi.

In die tribulatiónis meæ Deum exquisívi, mánibus meis nocte contra eum; * & non sum deceptus.

Rénuit consolári ánima mea; * memor fui Dei, & delectátus sum, & exercitátus sum; & defécit spíritus meus.

Anticipavérunt vigílias óculi mei; * turbátus sum, & non sum locútus.

Cogitávi dies antíquos; * & annos æternos in mente hábui.

Et meditátus sum nocte cum corde meo; * & exercitábar, & scopébam spíritum meum.

Numquid in æternum projíciet Deus? * aut non appónet ut complacítior sit adhuc?

Aut in finem misericórdiam suam abscindet, * à generatióne in generatiónem?

Aut obliviscétur miseréri Deus? * aut continébit in ira sua misericórdias suas?

Et dixi, Nunc cœpi: * hæc mutátio déxteræ Excelsi.

*Divisio Psalmi 76.*

MEmor fui óperum Dómini; * quia memor ero ab initio mirabílium tuórum;

Et meditábor in ómnibus opéribus tuis, * & in adinventiónibus tuis exercébor.

Deus in sancto via tua: quis Deus magnus sicut Deus noster, * tu es Deus qui facis mirabília.

Notam feciſti in pópulis virtútem tuam; * redemisti

in bráchio tuo pópulum tuum, filios Jacob, & Joseph.

Vidérunt te aquæ, Deus, vidérunt te aquæ; * & timuérunt, & turbátæ sunt abyssi.

Multitúdo sónitûs aquárum; * vocem dedérunt nubes.

Etenim sagittæ tuæ tránseunt: * vox tonítrui tui in rota.

Illuxérunt coruscatiónes tuæ orbi terræ; * commóta est & contrémuit terra.

In mari via tua, & sémitæ tuæ in aquis multis; * vestígia tua non cognoscéntur.

Deduxísti sicut oves pópulum tuum * in manu Móysi & Aaron

*Antiphona, Capitulum, ℟. breve, & Preces, quando dicuntur, habentur in Proprio; & sic in aliis Feriis.*

AD TERTIAM.

℣. Deus, in adjutórium.

*Hymnus*, O Fons. *& Antiphona ut in Proprio; & sic in aliis Feriis.*

PSALMUS 24.

*Justi oppressi, & opem poscentis humilis oratio.*

AD te, Dómine, levávi ánimam meam: * Deus meus, in te confído, non erubéscam:

Neque irrídeant me inimíci mei: * étenim univérsi qui sustínent te, non confundéntur.

Confundántur omnes iníqua agéntes * supervácuè.

Vias tuas, Dómine, demónstra mihi, * & sémitas tuas édoce me.

Dírige me in veritáte tua, & doce me; * quia tu es Deus salvátor meus, & te sustínui totâ die.

Reminíscere miseratiónum tuárum, Dómine, * & misericordiárum tuárum quæ à sæculo sunt.

Delícta juventútis meæ & ignorántias meas * ne memíneris.

Secundùm misericórdiam tuam memento meî tu, * propter bonitátem tuam, Dómine.

Dulcis & rectus Dóminus; * propter hoc legem dabit delinquéntibus in via.

Díriget mansuétos in judício; * docébit mites vias suas.

Univérsæ viæ Dómini, misericórdia & véritas * requiréntibus testamentum ejus & testimónia ejus.

Propter nomen tuum, Dómine, propitiáberis peccáto meo; * multum est enim.

*Divisio Psalmi 24.*

QUis est homo qui timet Dóminum? * legem státuit ei in via quam elégit.

Anima ejus in bonis demorábitur, * & semen ejus hæreditábit terram.

Firmamentum est Dóminus timéntibus eum, * & testamentum ipsius, ut manifestétur illis.

Oculi mei semper ad Dóminum, * quóniam ipse evéllet de láqueo pedes meos.

Réspice in me, & miserére meî, * quia únicus & pauper sum ego.

Tribulatiónes cordis meî multiplicátæ sunt; * de necessitátibus meis érue me.

Vide humilitátem meam, & labórem meum, * & dimítte univérsa delícta mea.

Réspice inimícos meos, quóniam multiplicáti sunt, *

& ódio iníquo odérunt me.

Custódi ánimam meam, & érue me: * non erubéscam, quóniam sperávi in te.

Innocéntes & recti adhæsérunt mihi, * quia sustínui te.

Libera, Deus, Israël, * ex ómnibus tribulatiónibus suis.

PSALMUS 95.

*Ecclesia, pro Christi adventu, Canticum.*

CAntáte Dómino, cánticum novum: * cantáte Dómino omnis terra.

Cantáte Dómino, & benedícite nómini ejus; * annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Annuntiáte inter gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus;

Quóniam magnus Dóminus, & laudábilis nimis; * terríbilis est super omnes deos:

Quóniam omnes dii géntium dæmónia; * Dóminus autem cœlos fecit.

Conféssio & pulchritúdo in conspéctu ejus, * sanctimónia & magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Afférte Dómino, pátriæ géntium, afférte Dómino glóriam & honórem; * afférte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias, & introíte in átria ejus; * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commoveátur à fácie ejus universa terra: * dícite in géntibus quia Dóminus regnávit.

Etenim correxit orbem terræ, qui non commovébitur: * judicábit pópulos in æquitáte.

Lætentur cœli & exultet terra, commoveátur mare & plenitúdo ejus: * gaudébunt campi, & ómnia quæ in eis sunt.

Tunc exultábunt ómnia ligna sylvárum a fácie Dómini, quia venit; * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terræ in æquitáte, * & pópulos in veritáte sua.

*Antiphona, Capitulum, &c. breve, &c. habentur in Proprio; & sic in aliis Feriis.*

AD SEXTAM.

℣. Deus, in adjutórium.

*Hymnus*, Jam solis. *& Antiph. ut in Proprio; & sic in aliis Feriis.*

PSALMUS 46.

*Laudatur Deus, quòd omnes gentes in unum Christi regnum coeant.*

OMnes gentes, pláudite mánibus, * jubiláte Deo in voce exultatiónis.

Quóniam Dóminus excelsus, terríbilis: * Rex magnus super omnem terram.

Subjécit pópulos nobis, * & gentes sub pédibus nostris.

Elégit nobis hæreditátem suam, * spéciem Jacob quam dilexit.

Ascendit Deus in júbilo, * & Dóminus in voce tubæ.

Psállite Deo nostro, psállite; * psállite Regi nostro, psállite.

Quóniam rex omnis terræ Deus: * psállite sapiénter.

Regnábit Deus super gentes: * Deus sedet super sedem sanctam suam.

Príncipes populórum congregáti sunt cum Deo Abraham; * quóniam dii fortes terræ vehementer eleváti sunt.

PSALMUS 97.

*Christus celebrandus, qui se sit omnibus exhibiturus, & orbem judicaturus.*

CAntáte Dómino cánticum novum, * quia mirabilia fecit.

Salvávit sibi déxtera ejus, * & brachium sanctum ejus.

Notum fecit Dóminus salutáre suum; * in conspectu géntiũ revelávit justítiã suam.

Recordátus est misericórdiæ suæ, * & veritátis suæ dómui Israël.

Vidérunt omnes términi terræ * salutáre Dei nostri.

Jubiláte Deo, omnis terra: * cantáte, & exultáte, & psállite.

Psállite Dómino in cíthara, in cíthara, & voce psalmi; * in tubis ductílibus, & voce tubæ córneæ.

Jubiláte in conspectu regis Dómini: * moveátur mare, & plenitúdo ejus; orbis terrárum, & qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu, simul montes exultábunt à conspectu Dómini, * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in justítia, * & pópulos in æquitáte.

PSALMUS 98.

*Christi potestas: ejus vestigia adoranda: exempla patrum.*

DOminus regnávit, iracantur pópuli; * qui sedet super Chérubim, moveátur terra.

Dóminus in Sion magnus, * & excelsus super omnes pópulos.

Confiteantur nómini tuo magno, quóniam terríbile & sanctum est: * & honor regis judícium díligit.

Tu parasti directiónes: * judícium & justítiam in Jacob tu fecísti.

Exaltáte Dóminum Deum nostrum, & adoráte scabellum pedum ejus, * quóniam sanctum est.

Móyses & Aaron in sacerdótibus ejus, * & Sámuel inter eos qui invocant nomen ejus.

Invocábant Dóminum, & ipse exaudiébat eos; * in columna nubis loquebátur ad eos.

Custodiébant testimónia ejus, * & præceptum quod dedit illis.

Dómine Deus noster, tu exaudiébas eos: * Deus, tu propítius fuísti eis, & ulciscens in omnes adinventiónes eórum.

Exaltáte Dóminum Deum nostrum, & adoráte in monte sancto ejus, * quóniam sanctus Dóminus Deus noster.

*Ant.* Elégit nobis hæreditátem suam quam dilexit Dóminus. *Psalm.* 46.

*Antiph. Capitul.* ℟. *br. &c. ut in Proprio, & sic in aliis Feriis.*

AD NONAM.

℣. Deus, in adjutórium.

*Hymnus*, Labente. *& Antiph. ut in Proprio; & sic in aliis Feriis.*

PSALMUS 52.

*Impiorum infinitus numerus: adventus Christi exoptatur.*

DIxit insípiens in corde suo: * Non est Deus.

Corrupti sunt & abominábiles facti sunt in ini-

quitátibus: * non est qui fáciat bonum.

Deus de cœlo prospexit super fílios hóminum, * ut vídeat si est intélligens, aut requírens Deum.

Omnes declinavérunt, simul inútiles facti sunt: * non est qui fáciat bonum, non est usque ad unum.

Nonne scient omnes qui operantur iniquitátem, * qui dévorant plebem meam ut cibum panis?

Deum non invocavérunt: * illic trepidavérunt timóre, ubi non erat timor.

Quóniam Deus dissipávit ossa eórum qui homínibus placent: * confúsi sunt, quóniam Deus sprevit eos.

Quis dabit ex Sion salutáre Israel? * cùm convérterit Deus captivitátem plebis suæ, exultábit Jacob, & lætábitur Israël.

PSALMUS 72

*Improbi in hac vita felices: probi quòd sua quemque præmia maneant, consolatione levantur.*

QUàm bonus Israël Deus, * his qui recto sunt corde!

Mei autem penè moti sunt pedes, * penè effúsi sunt gressus mei;

Quia zelávi super iníquos, * pacem peccatórum videns;

Quia non est respectus morti eórum, * & firmamentum in plaga eórum;

In labóre hóminum non sunt, * & cum homínibus non flagellabuntur.

Ideo ténuit eos supérbia; * operti sunt iniquitáte & impietáte suâ.

Pródiit quasi ex ádipe iníquitas eórum; * transiérunt in affectum cordis.

Cogitavérunt & locúti sunt nequitiam, * iniquitátem in excelso locúti sunt.

Posuérunt in cœlum os suum, * & lingua eórum transívit in terra.

Ideo convertétur pópulus meus hîc; & dies pleni invenientur in eis.

Et dixérunt: Quómodo scit Deus? * &, Si est sciéntia in Excelso.

Ecce ipsi peccatóres, & abundantes in século, * obtinuérunt divítias.

Et dixi: Ergo sine causa justificávi cor meum, * & lavi inter innocentes manus meas.

Et fui flagellátus totâ die, * & castigátio mea in matutínis.

Si dicébam: Narrábo sic: * ecce natiónem filiórum tuórum reprobávi.

Existimábam ut cognóscerem hoc: * labor est ante me,

Donec intrem in sanctuárium Dei, * & intélligam in novíssimis eórum.

Verúmtamen propter dolos posuísti eis; * dejecísti eos, dum allevarentur.

Quómodo facti sunt in desolatiónem, súbitò defecérunt? * periérunt propter iniquitátem suam.

Velut sómnium surgéntium, Dómine, * in civitáte tua imáginem ipsórum ad níhilum rédiges.

Quia inflammátum est cor meum, & renes mei commutáti sunt; * ego ad níhilum redactus sum, & nescívi.

Ut jumentum factus sum apud te, * & ego semper tecum.

*Divisio Psalmi 72.*

TEnuisti [Dómine] manum déxteram meam, & in voluntáte tua deduxísti me, * & cum glória suscepísti me.

Quid enim mihi est in cœlo? * à te quid vólui super terram?

Defécit caro mea, & cor meum: * Deus cordis mei, & pars mea, Deus, in ætérnum.

Quia ecce qui elongant se à te, períbunt; * perdidísti omnes qui fornicántur abs te.

Mihi autem adhærére Deo bonum est, * pónere in Dómino Deo spem meam:

Ut annúntiem omnes prædicatiónes tuas * in portis filiæ Sion.

*Antiph. Capitul. &c. ut in Proprio; & sic in aliis Feriis.*

AD VESPERAS.

℣. Deus, in adjutórium.

*Ante Paschæ, Ant.* 2. D. Convértere.

*Tempore Paschali, Antiph. ut in Proprio; & sic in aliis Feriis.*

PSALMUS 114.

*Christus, mortis Victor.*

DIlexi, quóniam exáudiet Dóminus * vocem oratiónis meæ.

Quia inclinávit aurem suã mihi, * & in diébus meis invocábo.

Circumdedérunt me dolóres mortis, * & perícula inferni invenérunt me.

Tribulatiónem & dolórem invéni, * & nomen Dómini invocávi.

O Dómine, líbera ánimam meam: * misséricors Dóminus, & justus, & Deus noster miserétur.

Custódiens párvulos Dóminus; * humiliátus sum, & liberávit me.

Convértere, ánima mea, in réquiem tuam, * quia Dóminus benefécit tibi;

Quia erípuit ánimam meam de morte, * óculos meos à lácrymis, pedes meos à lapsu.

Placébo Dómino * in regióne vivórum.

*Ant.* Convértere, ánima mea, in réquiem tuam, quia Dóminus benefécit tibi.

*Ant.* 8. G. Levávi.

PSALMUS 120.

*Deus Ecclesiæ custos.*

LEvávi óculos meos in montes, * unde véniet auxílium mihi.

Auxílium meum à Dómino, * qui fecit cœlum & terram.

Non det in commotiónem pedem tuum; * neque dormitet qui custódit te.

Ecce non dormitábit neque dórmiet, * qui custódit Israël.

Dóminus custódit te, Dóminus protéctio tua * super manum déxteram tuam.

Per diem sol non uret te, * neque luna per noctem.

Dóminus custódit te ab omni malo: * custódiat ánimam tuam Dóminus.

Dñs custódiat introítum tuũ & éxitum tuum, * ex hoc nunc, & usque in séculum.

*Ant.* Levávi óculos meos

in montes, auxílium meum á Dómino.

*Ant.* 1.a. Adjutóriũ nostrum.

PSALMUS 123.

*Ecclesia à periculis erepta: gratiarum actio.*

NIsi quia Dóminus erat in nobis, dicat nunc Israël: * nisi quia Dóminus erat in nobis.

Cùm exúrgerent hómines in nos, * fortè vivos deglutíssent nos;

Cùm irascerétur furor eórum in nos, * fórsitan aqua absorbuísset nos.

Torrentem pertransívit ánima nostra, * fórsitan pertransísset ánima nostra aquam intolerábilem.

Benedíctus Dóminus, * qui non dedit nos in captiónem déntibus eórum.

Anima nostra sicut passer erepta est * de láqueo venántium.

Láqueus contrítus est, * & nos liberáti sumus.

Adjutórium nostrum in nómine Dómini, * qui fecit cœlum & terram.

*Ant.* Adjutórium nostrum in nómine Dómini, qui fecit cœlum & terram.

*Ant.* 5.a. Magnificávit Dñs.

PSALMUS 125.

*Apostolorum Martyrumque labores & patientia.*

IN convertendo Dñs captivitátem Sion, * facti sumus sicut consoláti.

Tunc replétum est gáudio os nostrum, * & lingua nostra exultatióne.

Tunc dicent inter gentes: * Magnificávit Dóminus fácere cum eis.

Magnificávit Dóminus fácere nobiscum: * facti sumus lætantes.

Converte, Dómine, captivitátem nostrã, * sicut torrens in austro.

Qui séminant in lácrymis, * in exultatióne metent.

Euntes ibant & flebant, * mittentes sémina sua.

Venientes autem vénient cum exultatióne, * portantes manípulos suos.

*Ant.* Magnificávit Dóminus facere nobiscum: facti sumus lætantes.

*Ant.* 6. Adhæreat.

PSALMUS 136.

*Flebilis captivi populi querimonia.*

SUper flúmina Babylónis, illic sédimus & flévimus, * cùm recordarémur Sion.

In salícibus in médio ejus, * suspéndimus órgana nostra:

Quia illic interrogavérunt nos, qui captívos duxérunt nos, * verba cantiónum:

Et qui abduxérunt nos: * Hymnum cantáte nobis de cánticis Sion.

Quómodo cantábimus cánticum Dómini * in terra aliéna?

Si oblítus fúero tuî, Jerúsalem, * oblivióni detur déxtera mea.

Adhæreat lingua mea fáucibus meis, * si non memínero tuî.

Si non propósuero Jerúsalem * in princípio lætítiæ meæ.

Memor esto, Dómine, filiórum Edom, * in die Jerúsalem.

Qui dicunt, Exinaníte,

exinaníte * usque ad fundamentum in ea.

Fília Babylónis mísera; * beátus qui retríbuet tibi retributiónem tuam, quam retribuísti nobis.

Beátus qui tenébit, * & allídet párvulos tuos ad petram.

*Ant.* Adhæreat lingua mea fáucibus meis, si non propósuéro Jerúsalem in princípio lætítiæ meæ.

*Capitulum, Hymnus, ℣. Ant. ad* Magníficat. *Preces, si dicendæ sint, &c. habentur in Proprio; & sic in aliis Feriis.*

AD COMPLETORIUM.

℣. Converte nos. Deus in adjutórium.

*Ante Paschæ, Ant.* 2. D. Justum.

*Temp. Paschali, Ant. ut in Proprio; & sic in aliis Feriis.*

PSALMUS 6.

*Oratio pœnitentis, Dei misericordiam implorantis.*

DOmine, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me.

Miserére meî, Dñe, quóniam infirmus sum; * sana me, Dómine, quóniam conturbáta sunt ossa mea.

Et ánima mea turbáta est valde; * sed tu, Dómine, úsquequò?

Convértere, Dómine, & éripe ánimam meam; * salvum me fac propter misericórdiam tuam.

Quóniam non est in morte qui memor sit tuî: * in inferno autem quis confitébitur tibi?

Laborávi in gémitu meo, lavábo per síngulas noctes lectum meum; * lácrymis meis stratum meum rigábo.

Turbátus est à furóre óculus meus: * inveterávi inter omnes inimícos meos.

Discédite à me, omnes qui operámini iniquitátem: * quóniam exaudívit Dóminus vocem fletûs mei.

Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam: * Dóminus oratiónem meam suscépit.

Erubescant & conturbentur vehementer omnes inimíci mei: * convertantur & erubescant valde velóciter.

PSALMUS 7.

*Salus justos manet; malos, interitus.*

DOmine Deus meus, in te sperávi: * salvum me fac ex ómnibus persequéntibus me, & líbera me.

Nequando rápiat ut leo ánimam meam, * dum non est qui rédimat, neque qui salvum fáciat.

Dómine Deus meus, si feci istud, * si est iníquitas in mánibus meis:

Si réddidi retribuéntibus mihi mala, * décidam mérito ab inimícis meis inánis:

Persequátur inimícus ánimam meam, & comprehendat, & conculcet in terra vitam meam, * & glóriam meam in púlverem dedúcat.

Exurge, Dómine, in ira tua: * & exaltáre in finibus inimicórum meórum.

Et exurge, Dómine Deus

meus, in præcepto quod mandásti: * & synagóga populórum circúmdabit te.

Et propter hanc in altum regrédere: * Dóminus júdicat pópulos.

Júdica me, Domine, secundùm justítiam meam, * & secundùm innocéntiam meam super me.

Consumétur nequítia peccatórum, & díriges justum, * scrutans corda & renes, Deus.

Justum adjutórium meum à Dómino, * qui salvos facit rectos corde.

* *Divisio Psalmi* 7.

DEus judex justus, fortis & pátiens: * numquid irásceitur per síngulos dies?

Nisi conversi fuéritis, gládium suum vibrábit: * arcum suum tetendit, & parávit illum:

Et in eo parávit vasa mortis; * sagittas suas ardéntibus effécit.

Ecce partúriit injustítiam; * concépit dolórem, & péperit iniquitátem.

Lacum apéruit, & effódit eum; * & incidit in fóveam quam fecit.

Convertétur dolor ejus in caput ejus; * & in vérticem ipsius iniquitas ejus descendet.

Confitébor Dómino secundùm justítiam ejus: * & psallam nómini Dómini altíssimi.

*Ant.* Justum adjutórium meum à Dómino, qui salvos facit rectos corde. *Ps.* 7.

*Hymnus, Capitulum, ℟. breve, Antiph. ad* Nunc dimittis, *& Preces, quando dicuntur, habentur in Proprio; & sic in aliis Feriis.*

## FERIA TERTIA.

### Ad Officium Noct.

*Invitatorium & Hymnus ut in Proprio.*

*Tempore Quadragesf. Antiphona ut sequitur.*

*Temp. Pasch. ut in Proprio.*

### IN I. NOCTURNO.

*Ant.* 7. d. Quis requiescet.

### Psalmus 14.

*Quibus virtutum exercitiis salus obtineatur.*

DOmine, quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiescet in monte sancto tuo?

Qui ingréditur sine mácula, * & operátur justítiam;

Qui lóquitur veritátem in corde suo; * qui non egit dolum in lingua sua;

Nec fecit próximo suo malum, * & oppróbrium non accépit adversùs próximos suos.

Ad níhilum deductus est in conspectu ejus malignus: * timentes autem Dóminum glorificat.

Qui jurat próximo suo, & non décipit; * qui pecúniam suam non dedit ad usúram, & múnera super innocentem non accépit.

Qui facit hæc, * non movébitur in æternum.

### Psalmus 18.

*Deus tum ex operibus, tum ex sanctitate legis cognitus.*

CŒli enarrant glóriam Dei, * & ópera mánuum ejus annúntiat firmamentum.

Dies diéi eructat verbum, * & nox nocti índicat sciéntiam.

Non sunt loquélæ, neque sermónes, * quorum non audiantur voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum, * & in fines orbis terræ verba eórum.

In sole póstuit tabernáculum suum: * & ipse tanquam sponsus procédens de thálamo suo.

Exultávit ut gigas ad currendam viam; * à summo cœlo egréssio ejus.

Et occursus ejus usque ad summum ejus: * nec est qui se abscondat à calóre ejus.

*Divisio Psalmi* 18.

LEx Dómini immaculáta, convertens ánimas: * testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.

Justítiæ Dómini rectæ, lætificantes corda: * præceptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus, pérmanens in séculum séculi: * judícia Dómini vera, justificáta in semetipsa.

Desiderabília super aurum & lápidem pretiósum multum, * & dulcióra super mel & favum.

Etenim servus tuus custódit ea; * in custodiendis illis retributio multa.

Delicta quis intélligit? ab occultis meis munda me: * & ab aliénis parce servo tuo.

Si mei non fuerint dominati tunc immaculátus ero, * & emundábor à delicto máximo.

Et erunt ut compláceant clóquia oris mei: * & meditátio cordis mei in conspectu tuo semper.

Dómine, adjútor meus, * & redemptor meus.

*Ant.* Quis requiéscet in monte sancto tuo, Dómine? qui operátur justítiam, nec fecit próximo suo malũ. *Ps.* 14.

*IN II. NOCTURNO.*

*Ant.* 5. a. Non proponébam.

PSALMUS 71.

*Christi regnum pacificum, amplum, felixque.*

DEus, judícium tuum regi da, * & justítiam tuam fílio regis:

Judicáre pópulum tuum in justítia, * & páuperes tuos in judício.

Suscípiant montes pacem pópulo, * *& colles justitiam.*

Judicábit páuperes pópuli, & salvos fáciet fílios páuperum; * & humiliábit calumniatórem.

Et permanébit cum sole & ante lunam, * in generatióne & generatiónem.

Descendet sicut plúvia in vellus, * & sicut stillicídia stillántia super terram.

Oriétur in diébus ejus justítia, & abundántia pacis, * donec auferátur luna.

Et dominábitur à mari usque ad mare, * & à flúmine usque ad términos orbis terrárum.

Corã illo prócident Æthíopes; * & inimíci ejus terram lingent.

*Divisio Psalmi* 71.

REges Tharsis & ínsulæ múnera ófferent; * reges Arabum & Saba dona adducent.

Et adorábunt eum omnes reges terræ; * omnes gentes sérvient ei:

Quia liberábit páuperem à potente; * & páuperem cui non erat adjútor.

Parcet páuperi & ínopi, * & ánimas páuperum sálvas fáciet.

Ex usúris & iniquitáte rédimet ánimas eórum; * & honorábile nomen eórum coram illo.

Et vivet, & dábitur ei de auro Arábiæ, & adorábunt de ipso semper; * totâ die benedícent ei.

Et erit firmamentum in terra in súmmis móntium, superextollétur súper Líbanum fructus ejus; * & florébunt de civitáte sicut fœnum terræ.

Sit nomen ejus benedíctum in sécula; * ante solem pérmanet nomen ejus.

Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ, * omnes gentes magnificábunt eum.

Benedíctus Dóminus Deus Israël, * qui facit mirabília solus.

Et benedíctum nomen majestátis ejus in æternum; * & replébitur majestáte ejus omnis terra: fiat, fiat.

PSALMUS 100.

*Bene vivendi forma: fugiendi mali.*

MIsericórdiam & judícium * cantábo tibi, Dómine.

Psállam, & intélligam in via immaculáta, * quando vénies ad me.

Perambulábam in innocéntia cordis mei, * in médio domûs meæ.

Non proponébam ante óculos meos rem injustam; * facientes prævaricatiónes odívi.

Non adhæsit mihi cor pravum; * declinantem à me malignum non cognoscébam.

Detrahentem secrétò próximo suo * hunc persequébar.

Superbo óculo & insatiábili corde, * cum hoc non edébam.

Oculi mei ad fidéles terræ, ut sédeant mecum: * ámbulans in via immaculáta, hic mihi ministrábat.

Non habitábit in médio domûs meæ, qui facit superbiam: * qui lóquitur iníqua, non direxit in conspéctu oculórum meórum.

In matutíno interficiébam omnes peccatóres terræ; * ut dispérderem de civitáte Dómini omnes operántes iniquitátem.

*Ant.* Non proponébam ante óculos meos rem injustam: detrahentem secrétò próximo suo, hunc persequébar.

*IN III. NOCTURNO.*

*Ant. 6.* Adjúvit.

PSALMUS 106.

*Deus suos è variis periculis servare, & donis cumulare amat.*

COnfitémini Dómino, quóniam bonus: * quóniam in séculum misericórdia ejus.

Dicant qui redempti sunt, à Dómino, quos redémit de manu inimici: * & de regiónibus congregávit eos.

A solis ortu & occásu, * ab aquilóne & mari.

Erravérunt

Erravérunt in ſolitúdine, in inaquóſo; * viam civitátis habitáculi non invenérunt.

Eſurientes & ſitientes: * ánima eórum in ipſis defécit.

Et clamavérunt ad Dóminũ cùm tribularentur; * & de neceſſitátibus eórum eripuit eos:

Et deduxit eos in viam rectam, * ut irent in civitátem habitatiónis.

Confiteantur Dómino miſericórdiæ ejus, * & mirabília ejus, filiis hóminum:

Quia ſatiávit ánimam inánem, * & ánimam eſurientem ſatiávit bonis.

Sedentes in ténebris & umbra mortis, * vinctos in mendicitáte & ferro:

Quia exacerbavérunt elóquia Dei, * & consílium Altíſſimi irritavérunt.

Et humiliátum eſt in labóribus cor eórum; * infirmáti ſunt, nec fuit qui adjuváret.

Et clamavérunt ad Dóminũ cùm tribularentur, * & de neceſſitátibus eórum liberávit eos.

Et eduxit eos de ténebris, & umbrâ mortis, * & víncula eórum diſrúpit.

Confiteantur Dño miſericórdiæ ejus; * & mirabília ejus filiis hóminum:

Quia contrívit portas æreas, * & vectes férreos confrégit.

*Diviſio Pſalmi* 106.

SUſcépit eos [Dóminus] de via iniquitátis eórum: * propter injuſtítias enim ſuas humiliáti ſunt.

Omnem eſcam abominàta eſt ánima eórum: * & appropinquavérunt uſque ad portas mortis:

Et clamavérunt ad Dóminum cum tribularentur; * & de neceſſitátibus eórum liberávit eos.

Miſit verbum ſuum & ſanávit eos; * & eripuit eos de interitiónibus eórum.

Confiteantur Dómino miſericórdiæ ejus; * & mirabília ejus filiis hóminum:

Et ſacrificent ſacrifícium laudis, * & annúntient ópera ejus in exultatióne.

Qui deſcendunt mare in návibus, * facientes operatiónem in aquis multis;

Ipſi vidérunt ópera Dómini, * & mirabília ejus in profundo.

Dixit, & ſtetit ſpíritus procellæ, * & exaltáti ſunt fluctus ejus.

Aſcendunt uſque ad cœlos, & deſcendunt uſque ad abyſſos: * ánima eórum in malis tabeſcébat.

Turbáti ſunt, & moti ſunt ſicut ébrius; * & omnis ſapiéntia eórum devoráta eſt.

Et clamavérunt ad Dóminum cùm tribularentur; * & de neceſſitátibus eórum eduxit eos.

Et ſtatuit procellam ejus in auram; * & ſiluérunt fluctus ejus:

Et lætáti ſunt quia ſiluérunt: * & deduxit eos in portum voluntátis eórum.

Confiteantur Dómino miſericórdiæ ejus, * mirabília ejus filiis hóminum:

Et exaltent eum in eccléſia plebis, * & in cáthedra ſeniórum laudent eum.

*Altera Divisio Psalmi* 106.

POsuit [Dóminus] flúmina in desértum, * & éxitus aquárum in sitim;

Terram fructíferam in salsúginem, * à malítia inhabitántium in ea.

Pósuit desértum in stagna aquárũ, * & terram síne aqua in éxitus aquárum:

Et collocávit illic esurientes, * & constituérunt civitátem habitatiónis.

Et seminavérunt agros, & plantavérunt víneas; * & fecérunt fructum nativitátis.

Et benedixit eis, & multiplicáti sunt nimis; * & jumenta eórum non minorávit.

Et pauci facti sunt; * & vexáti sunt à tribulatióne malórum, & dolóre.

Effúsa est contémptio super príncipes; * & errâre fecit eos in ínvio, & non in via.

Et adjúvit páuperem de inópia; * & pósuit sicut oves famílias.

Vidébunt recti, & lætabuntur; * & omnis iniquitas oppílábit os suum.

Quis sápiens, & custódiet hæc; * & intélliget misericórdias Dómini?

*Ant.* Adjúvit Dóminus páuperem de inópia: vidébunt recti, & lætabuntur.

*Cetera ut in Proprio.*

AD LAUDES.

*Ant.* 4. a. Qui non accépit.

PSALMUS 23.

*Imperium Christi; ipsius ad cœlos ascensus.*

DOmini est terra, & plenitúdo ejus, * orbis terrárum, & univérsi qui hábitant in eo;

Quia ipse super mária fundávit eum, * & super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus & mundo corde, * qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem à Dómino, * & misericórdiâ à Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas príncipes vestras; & elevámini, portæ æternáles: * & introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus fortis & potens, Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas príncipes vestras; & elevámini, portæ æternáles: * & introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ; * Dóminus virtútum ipse est rex glóriæ.

*Ant.* Qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo, hic accípiet benedictiónẽ à Dño.

*Ant.* 5. a. Audiam.

PSALMUS 84.

*Finis captivitatis; futura Verbi incarnatio.*

BEnedixísti, Dómine, terram tuam, * avertísti captivitátem Jacob.

Remisísti iniquitátem plebis tuæ, * operuísti ómnia peccáta eórum.

Mitigásti omnẽ iram tuã; * avertísti ab ira indignatiónis tuæ.

Converte nos, Deus salutáris noster, * & averte iram tuã à nobis.

Numquid in æternum irascéris nobis? * aut extendes iram tuam à generatióne in generatiónem?

Deus, tu conversus vivificábis nos; * & plebs tua lætábitur in te.

Ostende nobis, Dómine, misericórdiam tuam; * & salutáre tuum da nobis.

Audiam quid loquátur in me Dóminus Deus; * quóniam loquétur pacem in plebem suam.

Et super sanctos suos, * & in eos qui convertuntur ad cor.

Verúmtamẽ prope timentes eum salutáre ipsius: * ut inhábitet glória in terra nostra.

Misericórdia & véritas obviavérunt sibi, * justítia & pax osculáta sunt.

Véritas de terra orta est, * & justítia de cœlo prospexit.

Etenim Dóminus dabit benignitátem; * & terra nostra dabit fructum suum.

Justítia ante eum ambulábit; * & ponet in via gressus suos.

*Ant.* Audiam quid loquátur in me Dóminus Deus; quóniam loquétur pacem in plebem suã, & super sanctos suos.

*Ant.* 3. *a.* Qui dilígitis.

PSALMUS 96.

*Christi regnum: ille solus adorandus.*

DOminus regnávit, exultet terra, * lætentur ínsulæ multæ.

Nubes & calígo in circúitu ejus; * justítia & judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet, * & inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ: * vidit & commóta est terra.

Montes sicut cera fluxérunt à fácie Dómini, * à fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cœli justítiam ejus; * & vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundantur omnes qui adórant sculptília, * & qui gloriantur in simulácris suis.

Adoráte eum, omnes Angeli ejus: * audívit, & lætáta est Sion.

Et exultavérunt filiæ Judæ, * propter judícia tua, Dómine;

Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram: * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odite malum: * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum; de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, * & rectis corde lætítia.

Lætámini, justi, in Dómino, * & confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.

*Ant.* Qui dilígitis Dóminum, odite malum: custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum.

*Ant.* 7. *d.* Vivens.

*In Feriis Quadragesimæ, Canticum Ezechiæ.* Is. 38.

EGo dixi: In dimídio diérum meórum vadam ad portas ínferi: * quæsívi residuum annórum meórum.

Dixi: Non vidébo Dómi-

num Deum in terra vivéntium : * non aſpíciam hóminem ultrà, & habitatórem quiétis.

Generátio mea ablàta eſt, & convolúta eſt à me, * quaſi tabernáculum paſtórum.

Præcísa eſt, velut à texente, vita mea; dum adhuc ordíror, ſuccídit me: * de mane uſque ad véſperam finies me.

Sperábam uſque ad mane, quaſi leo ſic contrívit ómnia oſſa mea: * de mane uſque ad véſperam finies me.

Sicut pullus hirúndinis ſic clamábo, * meditábor ut columba.

Attenuáti ſunt óculi mei, ſuſpicientes in excelſum: * Dómine, vim pátior, reſponde pro me.

Quid dicam, aut quid reſpondébit mihi, * cùm ipſe fécerit?

Recogitábo tibi omnes annos meos * in amaritúdine ánimæ meæ.

Dómine, ſi ſic vívitur, & in tálibus vita ſpíritûs mei, * corrípies me, & vivificábis me.

Ecce in pace amaritúdo mea amaríſſima: * tu autem eruíſti ánimam meam ut non períret:

Projeciſti poſt tergum tuũ * ómnia peccáta mea.

Quia non infernus confitébitur tibi, neque mors laudábit te; * non expectábunt, qui deſcendunt in lacum, veritátem tuam.

Vivens, vivens ipſe confitébitur tibi, ſicut & ego hódie: * pater filiis notam fáciet veritátem tuam.

Dómine ſalvum me fac; * & pſalmos noſtros cantábimus cunctis diébus vitæ noſtræ in domo Dómini.

*Ant.* Vivens, vivens ipſe confitébitur tibi, Dómine: pater filiis notam fáciet veritátem tuam.

[ *In Feſtis, & toto Tempore Paſchali, niſi proprium aſſignetur, dicitur ſequens*

*Canticum* Eccli. 36.

Miſerére noſtri, Deus ómnium, & réſpice nos: * & oſtende nobis lucem miſeratiónum tuárum;

Et immitte timórem tuum ſuper gentes quæ non exquiſiérunt te, * ut cognoſcant quia non eſt Deus, niſi tu, & enarrent magnália tua.

Alleva manum tuam ſuper gentes aliénas, * ut vídeant poténtiam tuam.

Sicut enim in conſpectu eórum ſanctificátus es in nobis, * ſic in conſpectu noſtro magnificáberis in eis;

Ut cognoſcant te, * ſicut & nos cognóvimus quóniam non eſt Deus præter te, Dómine.

Innova ſigna, & immúta mirabília: * glorifica manum, & bráchium dextrum.

Excita furórem, & effunde iram: * tolle adversárium, & afflige inimicum.

Feſtína tempus, & memento finis, * ut enarrent mirabília tua.

In ira flammæ devorétur qui ſalvátur; * & qui péſſimant plebem tuam, invéniant perditiónem.

Cóntere caput príncipum inimicórum , * dicéntium : Non eſt álius præter nos.

Cóngrega omnes tribus Jacob, * ut cognoſcant quia non eſt Deus, niſi tu, & enarrent magnália tua;

Et hæreditábis eos, * ſicut ab inítio.

Miſerére plebi tuæ, ſuper quam invocátum eſt nomen tuum ; * & Iſraël, quem coæquaſti primogénito tuo.

Miſerére civitáti ſanctificatiónis tuæ Jerúſalem, * civitáti requiéi tuæ.

Reple Sion inenarrabílibus verbis tuis, * & glóriâ tuâ pópulum tuum. ]

*Ant.* 1. g. Laudáte Dóminum.

PSALMUS 150.

*Deus omni muſicæ genere laudandus.*

LAudáte Dóminum in ſanctis ejus : * laudáte eum in firmamento virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus : * laudáte eum ſecundùm multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in ſono tubæ: * laudáte eum in pſaltério & cíthara.

Laudáte eum in tympano & choro : * laudáte eum in chordis & órgano.

Laudáte eum in cymbalis boneſonántibus ; laudáte eum in cymbalis jubilatiónis : * omnis ſpíritus laudet Dóminum.

*Ant* Laudáte Dóminum in ſanctis ejus : laudáte eum ſecundùm multitúdinem magnitúdinis ejus.

*Cetera ut in Proprio.*

MIR. *Pars Verna.*

## AD PRIMAM.

PSALMUS 34.

*Chriſtus ab hoſtibus liberari deprecatur.*

JUdica, Dómine, nocentes me, * expugna impugnantes me.

Apprehende arma & ſcutum, * & exurge in adjutórium mihi.

Effunde fráneam, & conclúde adversùs eos qui perſequuntur me; * dic ánimæ meæ: Salus tua ego ſum.

Confundantur & revereantur * quærentes ánimam meam.

Avertantur retrorsùm & confundantur * cogitantes mihi mala.

Fiant tanquam pulvis ante fáciem venti, * & ángelus Dómini coarctans eos.

Fiat via illórum ténebræ, & lúbricum, * & ángelus Dómini pérſequens eos.

Quóniam gratìs abſcondérunt mihi intéritum láquei ſui, * ſupervácuè exprobravérunt ánimam meam.

Véniat illi láqueus quem ignórat ; & cáptio quam abſcondit, apprehendat eum, * & in láqueum cadat in ipſum.

Anima autem mea exultábit in Dómino ; * & delectábitur ſuper ſalutári ſuo.

Omnia oſſa mea dicent : * Dómine, quis símilis tibi ?

Eripiens ínopem de manu fortiórum ejus, * egénum & páuperem à diripiéntibus eum.

*Diviſio Pſalmi* 34.

SUrgentes teſtes iniqui, * quæ ignorábam interrogábant me.

Retribuébant mihi mala pro bonis, * ſterilitátem ánimæ meæ.

Ego autem, cùm mihi moleſti eſſent, * induébar cilício.

Humiliábam in jejúnio ánimam meam; * & orátio mea in ſinu meo converrétur.

Quaſi próximum, & quaſi fratrem noſtrum, ſic complacébam, * quaſi lugens & contriſtátus, ſic humiliábar.

Et adversùm me lætáti ſunt, & convenérunt: * congregáta ſunt ſuper me flagella, & ignorávi.

Diſſipáti ſunt, nec compuncti; tentavérunt me, ſubſannavérunt me ſubſannatióne; * frenduérunt ſuper me déntibus ſuis.

Dómine, quando reſpícies? * reſtítue ánimam meam à malignitáte eórum, à leónibus únicam meam.

Confitébor tibi in Eccléſia magna, * in pópulo gravi laudábo te.

Non ſupergáudeant mihi qui adverſántur mihi iníquè; * qui odérunt me gratis, & ánnuunt óculis.

Quóniam mihi quidem pacificè loquebantur, * & in iracúndia terræ loquentes, dolos cogitábant.

Et dilatavérunt ſuper me os ſuum; * dixérunt: Euge, euge, vidérunt óculi noſtri.

Vidiſti, Dómine, ne ſileas; * Dómine, ne diſcédas à me.

*Altera diviſio Pſalmi* 34.

EXurge, & intende judício meo, * Deus meus & Dóminus meus, in cauſam meam.

Júdica me ſecundùm juſtítiam tuam, Dómine, Deus meus; * & non ſupergáudeant mihi.

Non dicant in córdibus ſuis: Euge, euge, ánimæ noſtræ; * nec dicant: Devorávimus eum.

Erubeſcant & revereantur ſimul, * qui gratulantur malis meis.

Induantur confuſióne & reveréntiâ, * qui magna loquuntur ſuper me.

Exultent & lætentur qui volunt juſtítiam meam; * & dicant ſemper: magnificétur Dóminus, qui volunt pacem ſervi ejus.

Et lingua mea meditábitur juſtítiam tuam, * totâ die laudem tuam.

## AD TERTIAM.

### PSALMUS 25.

*Puræ conſcientiæ in conſpectu Dei humilis inquiſitio.*

JUdica me, Dómine, quóniam ego in innocéntia mea ingreſſus ſum, * & in Dómino ſperans, non infirmábor.

Proba me, Dñe, & tenta me; * ure renes meos & cor meum;

Quóniam miſericórdia tua ante óculos meos eſt, * & complácui in veritáte tua.

Non ſedi cum concílio vanitátis, * & cum iníqua geréntibus non introíbo.

Odivi eccléſiam malignántium, * & cum ímpiis non ſedébo.

Lavábo inter innocentes manus meas, * & circúmdabo altáre tuum, Dómine;

Ut áudiam vocem laudis, * & enarrem universa mirabília tua.

Dómine, dilexi decórem domûs tuæ, * & locum habitatiónis glóriæ tuæ.

Ne perdas cum ímpiis, Deus, ánimam meam, * & cum viris sánguinum vitam meam,

In quorum mánibus iniquitátes sunt: * déxtera eórum repléta est munéribus.

Ego autem in innocéntia mea ingréssus sum; * rédime me, & miserére mei.

Pes meus stetit in directo; * in eccléfiis benedícam te, Dómine.

PSALMUS 49.

*Non ex cæsis victimis, sed ex animi puritate judicandi homines.*

DEus deórum Dóminus locútus est: * & vocávit terram,

A solis ortu usque ad occásum: * ex Sion spécies decóris ejus.

Deus manifestè véniet: * Deus noster, & non silébit.

Ignis in conspectu ejus exardéscet: * & in circúitu ejus tempestas válida.

Advocábit cœlum desúrsum, * & terram, discérnere pópulum suum.

Congregáte illi sanctos ejus, * qui órdinant testamentum ejus, super sacrifícia.

Et annuntiábunt cœli justítiam ejus, * quóniam Deus judex est.

Audi, pópulus meus, & loquar; Israël, & testificábor tibi: * Deus, Deus tuus ego sum.

Non in sacrifíciis tuis árguam te: * holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper.

Non accípiam de domo tua vítulos, * neque de grégibus tuis hircos:

Quóniam meæ sunt omnes feræ sylvárum, * jumenta in montibus & boves.

Cognóvi ómnia volatília cœli: * & pulchritúdo agri mecum est.

Si esuríero, non dicam tibi: * meus est enim orbis terræ, & plenitúdo ejus.

Numquid manducábo carnes taurórum? * aut sánguinem hircórum potábo?

Immola Deo sacrifícium laudis: * & redde Altíssimo vota tua.

Et ínvoca me in die tribulatiónis: * éruam te, & honorificábis me.

*Divísio Psalmi 49.*

PEccatóri autem dixit Deus: * Quare tu enarras justítias meas, & assúmis testamentum meum per os tuum?

Tu verò odísti disciplínam, * & projecísti sermónes meos retrorsùm.

Si vidébas furem, currébas cum eo: * & cum adúlteris portiónem tuam ponébas.

Os tuum abundávit malítia, * & lingua tua concinnábat dolos.

Sedens adversùs fratrem tuum loquebáris & adversùs filium matris tuæ ponébas scándalum: * hæc feci, & tácui.

Exiſtimaſti, iníque, quòd ero tuî símilis : * árguam te , & ſtátuam contra fáciem tuam.

Intellígite hæc , qui obliviſcímini Deum : * nequando rápiat , & non ſit qui erípiat.

Sacrifícium laudis honorificábit me : * & illic iter, quo oſtendam illi ſalutáre Dei.

## AD SEXTAM.

### Psalmus 36.

*Bonorum malorumque ſtatus longè diſpar.*

NOli æmulári in malignántibus : * neque zeláveris facientes iniquitátem.

Quóniam tanquam fœnum velóciter areſcent ; * & quemadmodùm ólera herbárũ citò décident.

Spera in Dómino , & fac bonitátem : * & inhábita terram , & paſcéris in divítiis ejus.

Delectáre in Dómino , * & dabit tibi petitiónes cordis tui.

Revéla Dómino viam tuam & ſpera in eo ; * & ipſe fáciet.

Et edúcet quaſi lumen juſtítiam tuam , & judícium tuum tanquam meridiem : * ſúbditus eſto Dómino , & ora eum.

Noli æmulári in eo qui proſperátur in via ſua , * in hómine faciente injuſtítias.

Déſine ab ira , & derelínque furórem ; * noli æmulári, ut malignéris.

Quóniam qui malignantur, exterminabuntur ; * ſuſtinentes autem Dóminum, ipſi hæreditábunt terram.

Et adhuc puſillùm , & non erit peccátor ; * & quæres locum ejus , & non invénies.

Manſuéti autem hæreditábunt terram , * & delectábuntur in multitúdine pacis.

Obſervábit peccátor juſtum , * & ſtridébit ſuper eum déntibus ſuis.

Dóminus autem irridébit eum ; * quóniam próſpicit quòd véniet dies ejus.

Gládium evaginavérunt peccatóres , * intendérunt arcum ſuum :

Ut dejíciant páuperem & ínopem , * ut trucident rectos corde.

Gládius eórum intret in corda ipsórum , * & arcus eórum confringátur.

Mélius eſt módicum juſto, * ſuper divítias peccatórum multas ;

Quóniam bráchia peccatórum conterentur ; * confirmat autem juſtos Dóminus.

*Diviſio Pſalmi 36.*

NOvit Dóminus dies immaculatórũ , * & hæréditas eórum in æternum erit.

Non confundentur in témpore malo , & in diébus famis ſaturabuntur : * quia peccatóres períbunt.

Inimíci verò Dómini mox ut honorificáti fúerint & exaltáti ; * deficientes , quemádmodum fumus , deficient.

Mutuábitur peccátor , & non ſolvet ; * juſtus autem miſerétur , & tríbuet.

Quia benedicentes ei hære-

ditábunt terram; * maledicentes autem ei disperibunt.

Apud Dóminum gressus hóminis dirigentur, * & viam ejus volet.

Cùm cecíderit, non collidétur; * quia Dóminus suppónit manum suam.

Júnior fui, étenim sénui, * & non vidi justum derelictũ, nec semen ejus quærens panem.

Totâ die miserétur, & cómmodat, * & semen illíus in benedictióne erit.

Declína à malo, & fac bonum, * & inhábita in séculum séculi:

Quia Dóminus amat judícium, & non derelinquet sanctos suos; * in æternum conservabuntur.

Injusti punientur, * & semen impiórum períbit.

Justi autem hæreditábunt terram, * & inhabitábunt in séculum séculi super eam.

*Altera divisio Psalmi 36.*

OS justi meditábitur sapiéntiam, * & lingua ejus loquétur judícium.

Lex Dei ejus in corde ipsíus; * & non supplantabuntur gressus ejus.

Considerat peccátor justum, * & quærit mortificáre eum.

Dóminus autem non derelinquet eum in mánibus ejus; * nec damnábit eum cùm judicábitur illi.

Expecta Dóminum, & custódi viam ejus; & exaltábit te ut hæreditáte cápias terram: * cùm perierint peccatóres, vidébis.

Vidi ímpium superexaltátum, * & elevátum sicut cedros Líbani.

Et transívi, & ecce non erat; * & quæsívi eum, & non est inventus locus ejus.

Custódi innocéntiam, & vide æquitátem: * quóniam sunt relíquiæ hómini pacífico.

Injusti autem disperíbunt símul; * relíquiæ impiórum interíbunt.

Salus autem justórum à Dómino, * & protector eórum in témpore tribulatiónis

Et adjuvábit eos Dóminus, & liberábit eos, * & éruet eos à peccatóribus, & salvábit eos, quia speravérunt in eo.

## AD NONAM.

### PSALMUS 108.

*Christus Judæ proditori, aliisque impiis dignas pœnas, sibique salutem precatur.*

DEus, laudem meam ne tacúeris: * quia os peccatóris, & os dolósi super me apertum est.

Locúti sunt adversùm me linguâ dolosâ, & sermónibus ódii circumdedérunt me: * & expugnavérunt me gratis.

Pro eo ut me dilígerent, detrahébant mihi, * ego autem orábam.

Et posuérunt adversùm me mala pro bonis, * & ódium pro dilectióne mea.

*Divisio Psalmi 108.*

CONstitue [Dómine] super eum peccatórem; * & diábolus stet à dextris ejus.

Cùm judicátur, éxeat condemnátus; * & orátio ejus fiat in peccátum.

Fiant dies ejus pauci; *

& episcopátum ejus accípiat alter.

Fiant fílii ejus órphani, * & uxor ejus vídua.

Nutantes transferantur fílii ejus, & mendícent, * & ejiciantur de habitatiónibus súis.

Scrutétur fœnerátor omnem substántiã ejus; * & diripiant aliéni labóres ejus.

Non sit illi adjútor; * nec sit qui misereátur pupíllis ejus.

Fiant nati ejus in intéritum; * in generatióne una deleátur nomen ejus.

In memóriam rédeat iníquitas patrum ejus in conspéctu Dómini; * & peccátum matris ejus non deleátur.

Fiant contra Dóminum semper, & dispéreat de terra memória eórum; * pro eo quòd non est recordátus fácere misericórdiam;

Et persecútus est hóminem ínopem & mendícum, * & compunctum corde mortificáre.

Et dilexit maledictiónem, & véniet ei; * & nóluit benedictiónem, & elongábitur ab eo;

Et índuit maledictiónem sicut vestimentum; * & intrávit sicut aqua in interióra ejus, & sicut óleum in óssibus ejus.

Fiat ei sicut vestimentum quo operítur, * & sicut zona quâ semper præcíngitur.

Hoc opus eórum qui détrahunt mihi apud Dñm, * & qui loquuntur mala adversùs ánimam meam.

Et tu, Dómine, Dómine, fac mecum propter nomen tuum; * quia suávis est misericórdia tua.

*Altera divisio Psalmi 108.*

LIbera me, quia egénus & pauper ego sum; * & cor meum conturbátum est intra me.

Sicut umbra, cùm declínat, ablátus sum; * & excussus sum sicut locustæ.

Génua mea infirmáta sunt à jejúnio; * & caro mea immutáta est propter óleum.

Et ego factus sum oppróbrium illis; * vidérunt me, & movérunt cápita sua.

Adjuva me, Dómine Deus meus; * salvum me fac secundùm misericórdiam tuã.

Et sciant quia manus tua hæc: * & tu, Dómine, fecísti eam.

Maledícent illi, & tu benedíces: * qui insúrgunt in me, confundantur; servus autem tuus lætábitur.

Induantur, qui détrahunt mihi, pudóre; * & operiantur sicut diplóide confusióne suâ.

Confitébor Dño nimis in ore meo, * & in médio multórum laudábo eum;

Quia ástitit à dextris páuperis, * ut salvam fáceret à persequéntibus ánimam meã.

AD VESPERAS.

*Ant.* 3. c. Multùm incola fuit.

PSALMUS 119.

*Christi mansuetudo & patientia.*

AD Dóminum, cùm tribulárer, clamávi, * & exaudívit me.

Dómine, líbera ánimam meam à lábiis iníquis, * & à lingua dolósa.

Quid detur tibi, aut quid apponátur tibi * ad linguam dolósam?

Sagittæ pótentis acútæ, * cum carbónibus desolatóriis.

Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus est! habitávi cum habitántibus Cedar; * multùm íncola fuit ánima mea.

Cum his qui odérunt pacem, eram pacíficus; * cùm loquébar illis, impugnábant me gratis.

*Ant.* Multùm íncola fuit ánima mea, Dómine: cum his qui odérunt pacem, eram pacíficus.

*Ant.* 1. f. Propter fratres meos.

PSALMUS 121.

*Ecclesiæ concordia, pietas & justitia celebrantur.*

Lætátus sum in his quæ dicta sunt mihi: * In domum Dómini íbimus.

Stantes erant pedes nostri * in átriis tuis Jerúsalem;

Jerúsalem quæ ædificátur ut cívitas, * cujus participátio ejus in idipsum.

Illuc enim ascendérunt tribus, tribus Dómini; * testimónium Israël, ad confitendum nómini Dómini.

Quia illic sedérunt sedes in judício, * sedes super domum David.

Rogáte quæ ad pacem sunt Jerúsalem, * & abundántia diligéntibus te.

Fiat pax in virtúte tuâ, * & abundántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos, & próximos meos, * loquébar pacem de te.

Propter domum Dómini Dei nostri, * quæsívi bona tibi.

*Ant.* Propter fratres meos, & próximos meos, loquébar pacem de te, erúsalem.

*Ant.* 4. a. Quàm bonum.

PSALMUS 132.

*Fraternæ charitatis beatitudo.*

Ecce quàm bonũ, & quàm jucundum, * habitáre fratres in unum!

Sicut unguentum in cápite, * quod descendit in barbam, barbam Aaron,

Quod descendit in oram vestimenti ejus; * sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion:

Quóniam illic mandávit Dóminus benedictiónem, * & vitam usque in séculum.

*Ant.* Quàm bonum, & quàm jucundum, habitáre fratres in unum!

*Ant.* 8. G. In misericórdia.

PSALMUS 140.

*Lingua coërcenda: in afflictionibus patientia.*

Domine, clamávi ad te, exaudi me; * intende voci meæ, cùm clamávero ad te.

Dirigátur orátio mea ficut incensum in conspectu tuo: * elevátio mánuum meárum, sacrifícium vespertínum.

Pone, Dómine, custódiam ori meo, * & óstium circumstántiæ lábiis meis.

Non declines cor meum in verba malítiæ, * ad excusándas excusatiónes in peccátis.

Cum homínibus operánti-

bus iniquitátem ; * & non communicábo cum electis eórum.

Corrípiet me justus in misericórdia , & increpábit me ; * óleum autem peccatóris non impinguet caput meum.

Quóniam adhuc & orátio mea in beneplácitis eórum : * absorpti sunt juncti petræ júdices eórum.

Audient verba mea , quóniam potuérunt ; * sicut crassitúdo terræ erupta est super terram.

Dissipáta sunt ossa nostra secùs infernum : * quia ad te , Dómine , Dómine óculi mei ; in te sperávi , non áuferas ánimam meam.

Custódi me à láqueo quem statuérunt mihi , * & à scándalis operántium iniquitátẽ.

Cadent in retiáculo ejus peccatóres : * singulariter sum ego , donec tránseam.

*Ant.* In misericórdia justus increpábit me ; óleum autem peccatóris non impinguet caput meum.

*Ant.* 6. Me expectant.

PSALMUS 141.

*Humana ope destituta , contra insectatores auxilium implorat Ecclesia.*

VOce meâ ad Dñm clamávi ; * voce meâ ad Dóminum deprecátus sum.

Effundo in conspectu ejus oratiónem meam ; * & tribulatiónem meam ante ipsum pronúntio ,

In deficiendo ex me spíritum meum ; & tu cognovísti sémitas meas.

In via hac quâ ambulábam , * absondérunt láqueum mihi.

Considerábam ad déxteram , & vidébam , * & non erat qui cognósceret me.

Périit fuga à me , * & non est qui requírat ánimam meam.

Clamávi ad te , Dómine : * dixi : Tu es spes mea , pórtio mea in terra vivéntium.

Intende ad deprecatiónem meam , * quia humiliátus sum nimis.

Líbera me à persequéntibus me , * quia confortáti sunt super me.

Educ de custódia ánimam meam , ad confitendum nómini tuo : * me expectant justi , donec retríbuas mihi.

*Ant.* Me expectant justi , donec retríbuas mihi Dómine.

AD COMPLETOR.

*Ant.* 7. ç. Tu remisísti.

PSALMUS 12.

*Anima fidelis in adversitate deprecatio.*

USquequò , Dñe , oblivíscéris me in finem ? * úsquequò avertis fáciẽ tuam à me ?

Quámdiu ponam consília in ánima mea , * dolórem in corde meo per diem ?

Usquequò exaltábitur inimícus meus super me ? * réspice , & exaudi me , Dómine Deus meus.

Illúmina óculos meos , ne umquam obdórmiam in morte : * nequando dicat inimícus meus : Præválui adversùs eum.

Qui tríbulant me , exultábunt si motus fúero : * ego

autem in misericórdia tua speráv i.

Exultábit cor meum in salutári tuo: cantábo Dómino qui bona tríbuit mihi, * & psállam nómini Dómini altíssimi.

PSALMUS 31.

*Pia adhortatio ut quisque à peccatis se abstrahat.*

BEáti quorum remíssæ sunt iniquitátes, * & quorum tecta sunt peccáta.

Beátus vir cui non imputávit Dóminus peccátum, * nec est in spíritu ejus dolus.

Quóniam tácui, inveteravérunt ossa mea, * dum clamárem totâ die.

Quóniam die ac nocte graváta est super me manus tua: * conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina.

Delictum meum cógnitum tibi feci; * & injustítiam meam non abscondi.

Dixi: Confitébor adversùm me injustítiam meam Dómino: * & tu remisísti impietátem peccáti mei.

Pro hac orábit ad te omnis sanctus * in témpore opportúno.

Verúmtamen in dilúvio aquárum multárum, * ad eum non approximábunt.

Tu es refúgium meum à tribulatióne quæ circúmdedit me: * exultátio mea, érue me à circumdántibus me.

Intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac quâ gradiéris: * firmábo super te óculos meos.

Nolíte fieri sicut equus & mulus, * quibus non est intellectus.

In camo & fræno maxillas eórum constringe, * qui non approximant ad te.

Multa flagella peccatóris: * sperantem autem in Dómino misericórdia circúmdabit.

Lætámini in Dómino, & exultáte justi, * & gloriámini, omnes recti corde.

PSALMUS 78.

*Urbis vastitas; pollutio templi; persecutiones prædictæ.*

DEus, venérunt gentes in hæreditátem tuam, polluérunt templum sanctum tuum, * posuérunt Jerúsalem in pomórum custódiam.

Posuérunt morticína servórum tuórum, escas volatílibus cœli, * carnes sanctórum tuórum béstiis terræ.

Effudérunt sánguinem eórum tamquam aquam in circúitu Jerúsalem; * & non erat qui sepelíret.

Facti sumus oppróbrium vicínis nostris, * subsannátio & illúsio his qui in circúitu nostro sunt.

Usquequò, Dómine, irascéris in finem, * accendétur velut ignis zelus tuus?

Effunde iram tuam in gentes quæ te non novérunt, * & in regna quæ nomen tuum non invocavérunt;

Quia comedérunt Jacob, * & locum ejus desolavérunt.

Ne memíneris iniquitátum nostrárum antiquárum, citò antícipent nos misericórdiæ tuæ, * quia páuperes facti sumus nimis.

Adjuva nos, Deus salutáris

noſter, & propter glóriam nóminis tui, Dómine, libera nos, * & propítius eſto peccátis noſtris, propter nomen tuum:

Ne fortè dicant in géntibus: Ubi eſt Deus eórum? * & innoteſcat in natiónibus coram óculis noſtris,

Ultio sánguinis ſervórum tuórum, qui effuſus eſt; * introcat in conſpectu tuo gémitus compeditórum.

Secundùm magnitúdinem bráchii tui, * poſſide filios mortificatórum.

Et redde vicínis noſtris ſéptuplum in ſinu eórum: * impropérium ipſórum, quod exprobravérunt tibi, Dómine.

Nos autem pópulus tuus, & oves páſcuæ tuæ, * confitébimur tibi in ſéculum.

In generatiónem & generatiónem * annuntiábimus laudem tuam.

*Ant.* Tu remiſiſti impietátem peccáti mei: pro hac orábit ad te omnis ſanctus. *Pſ.* 31.

## FERIA QUARTA AD OFFICIUM NOCT.

*Invitat. & Hymnus ut in Proprio.*

*In Quadrageſima, Antiphonæ ut ſequitur.*

[*Temp. Paſch. ut in Propr.*]

### IN I. NOCTURNO.

*Ant.* 3. *a.* Sperent in te.

### PSALMUS 9.

*Impiorum everſor Deus, idemque pauperum defenſor.*

COnfitébor tibi, Dómine, in toto corde meo: * narrábo ómnia mirabília tua.

Lætábor & exultábo in te: * pſallam nómini tuo, Altíſſime.

In convertendo inimícum meum retrorſum; * infirmabúntur, & períbunt à fácie tua.

Quóniam feciſti judícium meum, & cauſam meam: * ſediſti ſuper thronum qui júdicas juſtitiam.

Increpaſti gentes, & périit ímpius; * nomen eórum deleſti in æternum, & in ſéculum ſéculi.

Inimíci defecérunt frámeæ in finem, * civitátes eórum deſtruxiſti.

Périit memória eórum cum ſónitu, * & Dñs in æternum pérmanet.

Parávit in judício thronum ſuum; * & ipſe judicábit orbem terræ in æquitáte, judicábit populos in juſtitia.

Et factus eſt Dóminus refúgium páuperi; * adjútor in opportunitátibus, in tribulatióne.

Et ſperent in te, qui novérunt nomen tuum; * quóniam non dereliquiſti quærentes te, Dómine.

Pſállite Dómino qui hábitat in Sion; * annuntiáte inter gentes ſtúdia ejus;

Quóniam requírens sánguinem eórũ recordátus eſt: * non eſt oblitus clamórem páuperum.

*Diviſio Pſalmi* 9.

MIſerére meî, Dómine: * vide humilitátem meã de inimícis meis,

Qui exaltas me de portis mortis, * ut annúntiem omnes laudatiónes tuas in portis filiæ Sion.

Exultábo in salutári tuo * infixæ sunt gentes in intéritu quem fecérunt.

In láqueo ísto quem abscondérunt , * comprehensus est pes eórum.

Cognoscétur Dóminus judícia fáciens : * in opéribus mánuum suárum comprehensus est peccátor.

Convertantur peccatóres in infernum , * omnes gentes quæ obliviscuntur Deum.

Quóniam non in finem oblívio erit páuperis : * patiéntia páuperum non períbit in finem.

Exurge , Dómine, non confortétur homo : * judicentur gentes in conspectu tuo.

Constítue , Dómine , legislatórem super eos : * ut sciant gentes quóniam hómines sunt.

*Altera divisio Psalmi 9.*

UT quid , Dómine , recessísti longè ? * déspicis in opportunitátibus, in tribulatióne ?

Dum superbit ímpius , incénditur pauper : * comprehenduntur in consíliis quibus cógitant.

Quóniam laudátur peccátor in desidériis ánimæ suæ , * & iníquus benedícitur.

Exacerbávit Dóminum peccátor , * secundùm multitúdinem iræ suæ non quæret.

Non est Deus in conspectu ejus , * inquinátæ sunt viæ illíus in omni témpore.

Auferuntur judícia tua à fácie ejus : * ómnium inimicórum suórum dominábitur.

Dixit enim in corde suo : * non movébor à generatióne in generatiónem sine malo.

Cujus maledictióne os plenum est , & amaritúdine , & dolo : * sub lingua ejus labor & dolor.

Sedet in insídiis cum divítibus in occultis , * ut interfíciat innocentem.

Oculi ejus in páuperem respíciunt : * insidiátur in abscóndito quasi leo in spelunca sua.

Insidiátur ut rápiat páuperem : * rápere páuperem, dum áttrahit eum.

In láqueo suo humiliábit eum , * inclinábit se , & cadet , cùm dominátus fúerit páuperum.

Dixit enim in corde suo : Oblítus est Deus , * avertit fáciem suam , ne vídeat in finem.

Exurge, Dómine Deus, exaltétur manus tua : * ne obliviscáris páuperum.

Propter quid irritávit ímpius Deum ? * dixit enim in corde suo : Non requíret.

Vides , quóniam tu labórem & dolórem consíderas ; * ut tradas eos in manus tuas.

Tibi derelictus est pauper : * órphano tu eris adjútor.

Cóntere bráchium peccatóris & maligni : * quærétur peccátum illius , & non inveniétur.

Dóminus regnábit in æternum , & in séculum séculi : * peribitis , gentes , de terra illíus.

Desidérium páuperum exau-

divit Dóminus : * præparatiónem cordis eórum audívit auris tua.

Judicáre pupillo & húmili , * ut non appónat ultrà magnificáre se homo super terram.

*Ant.* Sperent in te , qui novérunt nomen tuum ; quóniam non dereliquísti quærentes te , Dómine.

*IN II. NOCTURNO.*

*Ant.* 8. c. Fílii.

PSALMUS 77.

*Beneficia Judæis præstita.*

ATténdite pópule meus legem meam ; * inclináte aurem vestram in verba oris mei.

Apériam in parábolis os meum , * loquar propositiónes ab inítio.

Quanta audívimus , & cognóvimus ea ; & patres nostri narravérunt nobis.

Non sunt occultáta à fíliis eórum , * in generatióne áltera.

Narrantes laudes Dómini , & virtútes ejus , * & mirabília ejus quæ fecit.

Et suscitávit testimónium in Jacob , * & legem pósuit in Israël.

Quanta mandávit pátribus nostris , nota fácere ea fíliis suis ; * ut cognoscat generátio áltera :

Fílii qui nascentur , & exurgent,* & narrábunt fíliis suis.

Ut ponant in Deo spem suam , & non obliviscantur ópera Dei , * & mandáta ejus exquirant ;

Ne fiant sicut patres eórum , * generátio prava & exásperans :

Generátio quæ non direxit cor suum , * & non est créditus cum Deo spíritus ejus.

*Divísio Psalmi* 77.

FIlii Ephrem intendentes & mittentes arcum , * conversi sunt in die belli.

Non custodiérunt testamentum Dei , * & in lege ejus noluérunt ambuláre.

Et oblíti sunt benefactórum ejus , * & mirabílium ejus quæ ostendit eis.

Coram pátribus eórum fecit mirabília in terra Ægypti : * in campo Táneos.

Interrúpit mare , & perduxit eos ; * & státuit aquas quasi in utre.

Et deduxit eos in nube diéi , * & totâ nocte in illuminatióne ignis.

Interrúpit petram in erémo ; * & adaquávit eos velut in abyssо multa.

Et eduxit aquam de petra , * & deduxit tamquam flúmina aquas.

Et apposuérunt adhuc peccáre ei : * in iram excitavérunt Excelsum in inaquóso.

Et tentavérunt Deum in córdibus suis , * ut péterent escas animábus suis.

Et malè locúti sunt de Deo ; * dixérunt : Numquid póterit Deus paráre mensam in deserto ?

Quóniam percussit petram , & fluxérunt aquæ , * & torrentes inundavérunt.

Numquid & panem póterit dare , * aut paráre mensam pópulo suo ?

Ideo audívit Dóminus , & dístulit ; * & ignis accensus est

est in Jacob, & ira ascendit in Israël;

Quia non credidérunt in Deo, * nec speravérunt in salutári ejus.

Et mandávit núbibus désuper, * & jánuas cœli apéruit.

Et pluit illis manna ad manducándum, * & panem cœli dedit eis.

Panem Angelórum manducávit homo: * cibária misit eis in abundántia.

*Altera divisio Psalmi 77.*

TRánstulit [ Dóminus ] Austrum de cœlo, * & induxit in virtúte sua Africũ.

Et pluit super eos sicut púlverem carnes, * & sicut arénam maris volatília pennáta.

Et cecidérunt in médio castrórum eórum, * circa tabernácula eórum.

Et manducavérunt, & saturáti sunt nimis; & desidérium eórum áttulit eis: * non sunt fraudáti à desidério suo.

Adhuc escæ eórum erant in ore ipsórum, * & ira Dei ascendit super eos.

Et occídit pingues eórum * & electos Israël impedívit.

In ómnibus his peccavérunt adhuc, * & non credidérunt in mirabílibus ejus.

Et defecérunt in vanitáte dies eórum, * & anni eórum cum festinatióne.

Cùm occíderet eos, quærébant eum; * & revertebántur, & dilúculo veniébant ad eum.

Et rememoráti sunt quia Deus adjútor est eórum, * & Deus excelsus redemptor eórum est.

Et dilexérunt eum in ore suo, * & linguâ suâ mentíti sunt ei.

Cor autem eórum non erat rectum cum eo, * nec fidéles hábiti sunt in testamento ejus.

Ipse autem est miséricors, & propítius fiet peccátis eórum, * & non dispérdet eos.

*Ant.* Filii qui nascéntur, narrábunt filiis suis, ut ponant in Deo spem suam.

*IN III. NOCTURNO.*

*Ant. 7. d.* Abstulit.

*Ex Psalmo 77.* Et

ABundávit [ Dóminus ] ut avérteret irâ suam, * & non accendit omnem iram suam.

Et recordátus est quia caro sunt; * spíritus vadens, & non rédiens.

Quóties exacerbavérunt eum in deserto; * in iram concitavérunt eum in inaquóso?

Et conversi sunt, & tentavérunt Deum, * & sanctum Israël exacerbavérunt.

Non sunt recordáti manûs ejus, * die quâ redémit eos de manu tribulántis.

Sicut pósuit in Ægypto signa sua, * & prodígia sua in campo Táneos.

Et convertit in sánguinem flúmina eórum, * & imbres eórum, ne bíberent.

Misit in eos cœnomyíam & comédit eos; * & ranam, & dispérdidit eos.

Et dedit ærúgini fructus eórum, * & labóres eórum locustæ.

Et occídit in grándine víneas eórum, * & moros eórum in prúina.

Et trádidit grándini jumenta eórum, * & possessiónem eórum igni.

Misit in eos iram indignatiónis suæ, * indignatiónem, & iram, & tribulatiónem, immissiónes per ángelos malos.

Viam fecit sémitæ iræ suæ, non pepercit à morte animábus eorum, * & jumenta eórum in morte conclúsit;

Et percussit omne primogénitum in terra Ægypti, * primítias omnis laboris eórum in tabernáculis Cham.

*Divisio Psalmi* 77. Et Abstulit [Dñs] sicut oves pópulum suum * & perduxit eos tamquam gregem in desérto.

Et deduxit eos in spe & non timuérunt; * & inimícos eórum opéruit mare.

Et induxit eos in montem sanctificatiónis suæ, * montem, quem acquisívit déxtera ejus.

Et ejécit à fácie eórum gentes; * & sorte divísit eis terrã in funículo distributiónis.

Et habitáre fecit in tabernáculis eórum, * tribus Israël.

Et tentavérunt, & exacerbavérunt Deum excelsum, * & testimónia ejus non custodiérunt.

Et avertérunt se, & non servavérunt pactum: * quemádmodum patres eórum, conversi sunt in arcum pravum.

In iram concitavérunt eum in cóllibus suis, * & in sculptílibus suis ad æmulatiónem eum provocavérunt.

Audivit Deus, & sprevit, * & ad níhilum redégit valde Israël.

Et répulit tabernáculum Silo, * tabernáculum suum, ubi habitávit in homínibus.

Et trádidit in captivitátem virtútem eórum, * & pulchritúdinem eórum, in manus inimíci.

Et conclúsit in gládio pópulum suum; * & hæreditátem suam sprevit.

Júvenes eórum comédit ignis; * & vírgines eórum non sunt lamentátæ.

Sacerdótes eórum in gládio ceciderunt; * & víduæ eórum non plorabántur.

*Altera divisio Psalmi* 77. Et Excitátus est tamquã dórmiens Dóminus, * tamquam potens crapulátus à vino.

Et percussit inimícos suos in posterióra; * oppróbrium sempiternum dedit illis.

Et répulit tabernáculum Joseph, * & tribum Ephraïm non elégit.

Sed elégit tribum Juda, * montem Sion quem dilexit.

Et ædificávit sicut unicórnium sanctificium suum in terra, * quam fundávit in sécula.

Et elégit David servum suum, & sússtulit eum de grégibus óvium; * de post fœtantes accépit eum;

Páscere Jacob servum suũ, * & Israël hæreditátem suam.

Et pavit eos in Innocentia cordis sui; * & in intellectibus manuum suárum deduxit eos.

*Ant.* Abstulit Dóminus sicut oves pópulum suum, & deduxit eos in spe.

*Cætera, ut in Proprio.*

AD LAUDES.

*Ante Paſcha, Ant.* 4. E. Omnes.

[ *Poſt Paſcha, Antiph.* &c. *ut in Proprio.* ]

PSALMUS 5.

*Maligni, malis; innocentes, bonis afficiendi.*

VErba mea áuribus pércipe, Dómine; * intéllige clamórem meũ. Intende voci oratiónis meæ,* Rex meus & Deus meus.

Quóniam ad te orábo, Dómine; * manè exáudies vocem meam.

Manè aſtábo tibi & vidébo;* quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malignus; neque permanébunt injuſti ante óculos tuos.

Odiſti omnes qui operantur iniquitátem; * perdes omnes qui loquuntur mendácium.

Virum ſánguinum & dolóſum abominábitur Dñs: * ego autem in multitúdine miſericórdiæ tuæ.

Introíbo in domum tuã; * adorábo ad Templum ſanctũ tuum in timóre tuo.

Dómine, deduc me in juſtítia tua: * propter inimícos meos dírige in conſpectu tuo viam meam;

Quóniam non eſt in ore eórum véritas, * cor eórum vanum eſt.

Sepulchrum patens eſt guttur eórum, linguis ſuis dolóſè agébant; * júdica illos, Deus.

Décidant à cogitatiónibus ſuis; ſecundùm multitúdinem impietátum eórum expelle eos, * quóniam irritavérunt te, Dómine.

Et lætentur omnes qui ſperant in te: * in æternum exultábunt, & habitábis in eis.

Et gloriabuntur in te omnes qui díligunt nomen tuum, * quóniam tu benedíces juſto.

Dñe, ut ſcuto bonæ voluntátis tuæ * coronaſti nos.

*Ant.* Omnes qui ſperant in te, Dómine, in æternum exultábunt; & habitábis in eis.

*Ant.* 5. a. In tégmine.

PSALMUS 35.

*Iniquorum malitia: juſtitia Dei: gloria juſtorum.*

DIxit injuſtus, ut delinquat in ſemetipſo: * non eſt timor Dei ante óculos ejus.

Quóniam dolóſè egit in conſpectu ejus, * ut inveniátur iníquitas ejus ad ódium.

Verba oris ejus iníquitas & dolus: * nóluit intellígere, ut bene ágeret.

Iniquitátem meditátus eſt in cubili ſuo: * áſtitit omni viæ non bonæ, malítiam autem non odívit.

Dómine, in cœlo miſericórdia tua: * & véritas tua uſque ad nubes.

Juſtítia tua ſicut montes Dei, * judícia tua abyſſus multa.

Hómines & jumenta ſalvábis, Dómine; * quemádmodum multiplicaſti miſericórdiam tuam, Deus.

Fílii autem hóminum * in tégmine alárum tuárum ſperábunt.

Inebriabuntur ab ubertáte domûs tuæ ; * & torrente voluptátis tuæ potábis eos.

Quóniam apud te est fons vitæ , * & in lúmine tuo vidébimus lumen.

Prætende misericórdiam tuâ sciéntibus te , * & justitiam tuam his qui recto sunt corde.

Non véniat mihi pes superbiæ ; * & manus peccatóris non móveat me.

Ibi cecidérunt qui operantur iniquitátem : * expulsi sunt , nec potuérunt stare.

*Ant.* In tégmine alárum tuárum sperábunt , Dómine ; & torrente voluptátis tuæ potábis eos.

*Ant.* 3. *a.* Exaudi nos

PSALMUS 64.

*Dei in homines beneficentia : gentium conversio.*

TE decet hymnus, Deus, in Sion ; * & tibi reddétur votum in Jerúsalem.

Exaudi oratiónem meam: * ad te omnis caro véniet.

Verba iniquórum prævaluérunt super nos ; * & impietátibus nostris tu propitiáberis.

Beátus quem elegísti , & assumpsísti ; * inhabitábit in átriis tuis.

Replébimur in bonis domûs tuæ ; * sanctum est templum tuum, mirábile in æquitáte.

Exaudi nos , Deus salutáris noster , * spes ómnium finium terræ , & in mari longè;

Præparans montes in virtúte tua , accinctus poténtiâ ; * qui conturbas profundum maris , sonum flúctuum ejus.

Turbabuntur gentes ; & timébunt qui hábitant términos à signis tuis : * éxitus matutíni & vésperæ delectábis.

Visitásti terram , & inebriásti eam ; * multiplicásti locupletáre eam.

Flumen Dei replétum est aquis , parásti cibum illórum ; * quóniam ita est præparátio ejus.

Rivos ejus inébria , multíplica genímina ejus ; * in stillicídiis ejus lætábitur gérminans.

Benedíces corónæ anni benignitátis tuæ ; * & campi tui replebuntur ubertáte.

Pinguéscent speciósa desérti , * & exultatióne colles accingentur.

Induti sunt aríetes óvium , & valles abundábunt frumento : * clamábunt étenim hymnum dicent.

*Ant.* Exaudi nos , Deus salutáris noster , spes ómnium finium terræ.

*Ant.* 1. a. Ecce.

*In Feriis Quadragesimæ dicitur sequens*

*Canticum.* Is, 12.

CONfitébor tibi , Dómine, quóniam iratus es mihi: * conversus est furor tuus , & consolátus es me.

Ecce Deus salvátor meus; * fiduciáliter agam , & non timébo.

Quia fortitúdo mea, & laus mea Dóminus , * & factus est mihi in salútem.

Hauriétis aquas in gáudio de fontibus Salvatóris ; * & dicétis in die illa : Confitémini Dómino , & invocáte nomen ejus.

Notas fácite in pópulis adinventiónes ejus: * mementóte quóniã excelſum eſt nomen ejus.

Cantáte Dómino, quóniam magnificè fecit: * annuntiáte hoc in univerſa terra.

Exulta & lauda, habitátio Sion, * quia magnus in médio tuî ſanctus Iſraël.

*Ant.* Ecce Deus ſalvátor meus; fiduciáliter agam, & non timébo.

[*In Feſtis, & toto Tempore Paſchali, (niſi proprium aſſignetur) dicitur ſequens Canticum.* Tob. 13.

MAgnus es, Dómine, in æternum, * & in ómnia ſécula regnum tuum.

Quóniam tu flagellas, & ſalvas: dedúcis ad ínferos, & redúcis; * & non eſt qui effúgiat manum tuam.

Confitémini Dómino, fílii Iſraël, * & in conſpectu géntium laudáte eum;

Quóniam ídeo diſperſit vos inter gentes quæ ignórant eum, * ut vos enarrétis mirabília ejus;

Et faciátis ſcire eos, * quia non eſt álius Deus omnípotens præter eum.

Ipſe caſtigávit nos propter iniquitátes noſtras; * & ipſe ſalvábit nos propter miſericórdiam ſuam.

Aſpícite ergo quæ fecit nobíſcum, & cum timóre & tremóre confitémini illi; * Regemque ſeculórum exaltáte in opéribus veſtris.

Ego autem in terra captivitátis meæ confitébor illi; * quóniam oſtendit majeſtátem ſuam in géntem peccatrícem.

Convertímini ítaque, peccatóres, & fácite juſtítiam coram Deo, * credentes quòd fáciat vobíſcum miſericórdiam ſuam.

Ego autem & ánima mea, * in eo lætábimur.

Benedícite Dóminum, omnes electi ejus: * ágite dies lætítiæ, & confitémini illi.]

*Ant.* 6. Beneplácitum eſt.

PSALMUS 146.

*Deus ex ſua in populum ſuum providentia.*

LAudáte Dóminum, quóniam bonus eſt pſalmus: * Deo noſtro ſit jucunda decoráque laudátio.

Ædíficans Jerúſalem Dóminus, * diſperſiónes Iſraélis congregábit;

Qui ſanat contrítos corde, * & álligat contritiónes eórum;

Qui númerat multitúdinem ſtellárum, * & ómnibus eis nómina vocat.

Magnus Dóminus noſter, & magna virtus ejus; * & ſapiéntiæ ejus non eſt número.

Suſcípiens manſuétos Dóminus; * humílians autem peccatóres uſque ad terram.

Præcínite Dómino in confeſſióne: * pſállite Deo noſtro in cíthara;

Qui óperit cœlum núbibus, & parat terræ plúviam;

Qui prodúcit in móntibus fœnum, * & herbam ſervitúti hóminum;

Qui dat jumentis eſcam ipſórum, * & pullis corvórum invocántibus eum.

Non in fortitúdine equi voluntátem habébit; * nec in

tibiis viri beneplácitum erit ei.

Beneplácitum eſt Dómino ſuper timentes eum, * & in eis qui ſperant ſuper miſericórdia ejus.

*Ant.* Beneplácitum eſt Dómino ſuper timentes eum, & in eis qui ſperant ſuper miſericórdia ejus.

## AD PRIMAM.

### PSALMUS 30.

*Vox Chriſti, & fidelium ſe Deo in mœrore committentium.*

IN te, Dómine, ſperávi, non confundar in æternum: * in juſtítia tua líbera me.

Inclína ad me aurem tuã, * accélera ut éruas me.

Eſto mihi in Deum protectórem, & in domum refúgii, * ut ſalvum me fácias;

Quóniam fortitúdo mea, & refúgium meum es tu; * & propter nomen tuum dedúces me, & enútries me.

Edúces me de láqueo hoc quem abſcondérunt mihi, * quóniã tu es protector meus.

In manus tuas commendo ſpíritum meum: * redemiſti me, Dómine Deus veritátis.

Odiſti obſervantes vanitátes * ſupervácuè.

Ego autem in Dómino ſperávi; * exultábo & lætábor in miſericórdia tua:

Quóniam reſpexiſti humilitátem meam, * ſalvaſti de neceſſitátibus ánimã meã.

Nec concluſiſti me in mánibus inimici; * ſtatuiſti in loco ſpatióſo pedes meos.

*Diviſio Pſalmi* 30.

MIſerére meî, Dómine, quóniam tribulor: * conturbátus eſt in ira óculus meus, ánima mea, & venter meus.

Quóniam defécit in dolóre vita mea, * & anni mei in gemítibus.

Infirmáta eſt in paupertáte virtus mea, * & oſſa mea conturbáta ſunt.

Super omnes inimícos meos factus ſum oppróbrium, & vicínis meis valde, * & timor notis meis.

Qui vidébant me, foràs fugérunt à me: * oblivióni datus ſum tamquam mórtuus à corde.

Factus ſum tamquam vas pérditum: * quóniam audívi vituperatiónem multórum commoránti um in circúitu.

In eo dum convenírent ſimul adversùm me: * accípere ánimam meam conſiliáti ſunt.

Ego autem in te ſperávi, Dómine; * dixi: Deus meus es tu: in mánibus tuis ſortes meæ.

Eripe me de manu inimicórum meórum, * & à perſequéntibus me.

Illuſtra fáciem tuam ſuper ſervum tuum, ſalvum me fac in miſericórdia tua: * Dómine, non confundar, quóniam invocávi te.

Erubeſcant ímpii, & deducantur in infernum: * muta fiant lábia dolóſa.

Quæ loquuntur adversùs juſtum iniquitátem, * in ſupérbia, & in abuſióne.

*Altera divisio Psalmi* 30.

QUàm magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine, * quam abscondísti timéntibus te!

Perfecísti eis qui sperant in te,* in conspéctu filiórum hóminum.

Abscondes eos in abscóndito faciéi tuæ * à conturbatióne hóminum.

Próteges eos in tabernáculo tuo * à contradictióne linguárum.

Benedictus Dóminus: * quóniam mirificávit misericórdiam suam mihi in civitáte munita.

Ego autem dixi in excéssu mentis meæ: * Projectus sum à fácie oculórum tuórum.

Ideo exaudísti vocem oratiónis meæ, * dum clamárem ad te.

Dilígite Dóminum, omnes sancti ejus: * quóniam veritátem requíret Dóminus, & retríbuet abundanter faciéntibus supérbiam.

Viríliter ágite, & confortétur cor vestrum, * omnes qui sperátis in Dómino.

AD TERTIAM.

PSALMUS 41.

*Solatium justi, spes melioris vitæ, verumque divinarum meditatio.*

QUemádmodum desíderat cervus ad fontes aquárum: * ita desíderat ánima mea ad te, Deus.

Sitívit ánima mea ad Deum fortem, vivum: * quando véniam & apparébo ante fáciem Dei!

Fuérunt mihi lácrymæ meæ panes die ac nocte, * dum dícitur mihi quotídie: Ubi est Deus tuus?

Hæc recordátus sum, & effúdi in me ánimam meam,* quóniam transíbo in locum tabernáculi admirábilis, usque ad domum Dei.

In voce exultatiónis & confessiónis, * sonus epulantis.

Quare tristis es ánima mea?* & quare conturbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: * salutáre vultûs mei, & Deus meus.

*Divisio Psalmi* 41.

AD meipsum ánima mea conturbáta est; * propterea memor ero tuî de terra Jordánis, & Hermóniim à monte módico.

Abyssus abyssum invocat,* in voce cataractárum tuárum.

Omnia excelsa tua, & fluctus tui * super me transiérunt.

In die mandávit Dóminus misericórdiam suam, * & nocte cánticum ejus.

Apud me orátio Deo vitæ meæ, * dicam Deo: Suscéptor meus es;

Quare oblítus es meî? * & quare contristátus incédo, dum afflígit me inimícus?

Dum confringuntur ossa mea, * exprobravérunt mihi qui tribulant me inimíci mei;

Dum dicunt mihi per síngulos dies: Ubi est Deus tuus? * quare tristis es, ánima mea? & quare conturbas me?

Spera in Deo, quóniam

adhuc confitébor illi : * salutáre vultûs mei , & Deus meus.

PSALMUS 42.

*De ſpe in Deo habendâ in perſecutionibus.*

JUdica me, Deus, & diſcerne cauſam meam de gente non ſancta : * ab hómine iníquo & dolóſo érue me ;

Quia tu es , Deus , fortitúdo mea : * quare me repuliſti ? & quare triſtis incédo , dum affligit me inimícus ?

Emitte lucem tuam & veritátem tuam : * ipſa me deduxérunt , & adduxérunt in montem ſanctum tuum , & in tabernácula tua.

Et introíbo ad altáre Dei, * ad Deum qui lætíficat juventútem meam.

Confitébor tibi in cíthara , Deus , Deus meus : * quare triſtis es , ánima mea ? & quare conturbas me ?

Spera in Deo , quóniam adhuc confitébor illi : * ſalutáre vultûs mei , & Deus meus.

AD SEXTAM.

PSALMUS 20.

*Chriſti regnum , poteſtas , & victoria.*

DOmine , in virtúte tua lætábitur rex , * & ſuper ſalutáre tuum exultábit vehementer.

Deſidérium cordis ejus tribuiſti ei: * & voluntáte labiórum ejus non fraudaſti eum:

Quóniam prævéniſti eum in benedictiónibus dulcédinis : * poſuiſti in cápite ejus corónam de lápide pretióſo.

Vitam pétiit à te , * & tribuiſti ei longitúdinem diérum in ſéculum , & in ſéculum ſéculi.

Magna eſt glória ejus in ſalutári tuo : * glóriam & magnum decórem impónes ſuper eum.

Quóniam dabis eum in benedictiónem in ſéculum ſéculi , * lætificábis eum in gáudio cum vultu tuo.

Quóniam rex ſperat in Dómino , * & in miſericórdia Altíſſimi non commovébitur.

Inveniátur manus tua ómnibus inimícis tuis : * déxtera tua invéniat omnes qui te odérunt.

Pones eos ut clíbanum ignis in témpore vultûs tui : * Dóminus in ira ſua conturbábit eos ; & devorábit eos ignis.

Fructum eórum de terra perdes : * & ſemen eórum à fíliis hóminum.

Quóniam declinavérunt in te mala : * cogitavérunt consília , quæ non potuérunt ſtabilíre.

Quóniam pones eos dorſum : * in reliquiis tuis præparábis vultum eórum.

Exaltáre , Dómine , in virtúte tua : * cantábimus & pſallémus virtútes tuas.

PSALMUS 102.

*Deus prædicandus ; innumerabilia ejus beneficia.*

BEnedic , ánima mea , Dómino ; * & ómnia quæ intra me ſunt , nómini ſancto ejus.

Bénedic , ánima mea , Dómino , * & noli obliviſci omnes retributiónes ejus ;

Qui propitiátur ómnibus

iniquitátibus tuis ; * qui sanat omnes infirmitátes tuas ;

Qui rédimit de intéritu vitam tuam ; * qui corónat te in misericórdia & miseratiónibus ;

Qui replet in bonis desidérium tuum : * renovábitur ut áquilæ juventus tua.

Fáciens misericórdias Dóminus, * & judícium ómnibus injúriam patiéntibus.

Notas fecit vias suas Móysi, * fíliis Isræl voluntátes suas.

*Divisio Psalmi* 102.

MIserátor & miséricors Dóminus, * longánimis, & multùm miséricors :

Non in perpétuum irascétur, * neque in æternum comminábitur :

Non secundùm peccáta nostra fecit nobis, * neque secundùm iniquitátes nostras retríbuit nobis :

Quoniam secundùm altitúdinem cœli à terra, * corroborávit misericórdiam suam super timentes se.

Quantùm distat ortus ab occidente, * longè fecit à nobis iniquitátes nostras.

Quómodo miserétur pater filiórum, misértus est Dóminus timéntibus se ; * quóniam ipse cognóvit figmentum nostrum :

Recordátus est quóniam pulvis sumus : * homo, sicut fœnum dies ejus, tamquam flos agri sic efflorébit ;

Quóniam spíritus pertransíbit in illo, & non subsístet ; * & non cognoscet ámplius locum suum :

Misericórdia autem Dómini ab æterno, * & usque in æternum super timentes eum ;

Et justítia illíus in fílios filiórum, * his qui servant testamentum ejus :

Et mémores sunt mandatórum ipsíus, * ad faciendum ea.

Dóminus in cœlo parávit sedem suam, * & regnum ipsíus ómnibus dominábitur.

Benedícite Dómino, omnes Angeli ejus, potentes virtúte, facientes verbum illíus, * ad audiendam vocem sermónum ejus.

Benedícite Dómino, omnes virtútes ejus, * ministri ejus, qui fácitis voluntátem ejus.

Benedícite Dómino, ómnia ópera ejus : * in omni loco dominatiónis ejus, benedic, ánima mea, Dómino.

AD NONAM.

PSALMUS 81.

*Injustè jura administrantibus exitium certum.*

DEus stetit in synagóga deórum ; * in médio autem deos dijúdicat.

Usquequò judicátis iniquitátem, * & fácies peccatórum súmitis ?

Judicáte egéno & pupíllo ; * húmilem & páuperem justificáte.

Erípite páuperẽ, * & egénũ de manu peccatóris liberáte.

Nesciérunt, neque intellexérunt, in ténebris ámbulant : * movebuntur ómnia fundamenta terræ.

Ego dixi : Dii estis, * & fílii Excelsi omnes.

Vos autem sicut hómines moriémini, * & sicut unus de princípibus cadétis.

Surge, Deus, júdica terram; * quóniam tu hæreditábis in ómnibus géntibus.

PSALMUS 93.

*Deus superbórum ósor, & vindex.*

DEus ultiónum Dñs, * Deus ultiónum liberè egit.

Exaltáre, qui júdicas terram: * redde retributiónem superbis.

Usquequò peccatóres, Dómine, * úsquequò peccatóres gloriabuntur?

Effabuntur & loquentur iniquitátem, * loquentur omnes qui operantur injustítiam?

Pópulum tuum, Dómine, humiliavérunt, * & hæreditátem tuam vexavérunt.

Víduam & ádvenam interfecérunt, * & pupillos occidérunt.

Et dixérunt: non vidébit Dóminus, * nec intélliget Deus Jacob.

Intellígite, insipientes in pópulo; * & stulti, aliquando sápite.

Qui plantávit aurem, non áudiet? * aut qui finxit óculum, non considerat?

Qui córripit gentes, non árguet; * qui docet hóminem sciéntiam?

Dóminus scit cogitatiónes hóminum, * quóniam vanæ sunt.

*Divisio Psalmi 93.*

BEátus homo quem tu erudíeris, Dómine, * & de lege tua docúeris eum;

Ut mítiges ei à diébus malis, * donec fodiátur peccatóri fóvea.

Quia non repellet Dóminus plebem suam, * & hæreditátem suam non derelinquet;

Quoadusque justítia convertátur in judícium, * & qui juxta illam omnes qui recto sunt corde.

Quis consurget mihi adversùs malignantes? * aut quis stabit mecum adversùs operantes iniquitátem?

Nisi quia Dóminus adjúvit me, * paulò minùs habitasset in inferno ánima mea.

Si dicébam: Motus est pes meus; * misericórdia tua, Dómine, adjuvábat me.

Secundùm multitúdinem dolórum meórum, in corde meo, * consolatiónes tuæ lætificavérunt ánimam meam.

Numquid adhæret tibi sedes iniquitátis, * qui fingis labórem in præcepto?

Captábunt in ánimam justi, * & sánguinem innocentem condemnábunt.

Et factus est mihi Dóminus in refúgium, * & Deus meus in adjutórium spei meæ;

Et reddet illis iniquitátem ipsórum; & in malítia eórum dispérdet eos: * dispérdet illos Dóminus Deus noster.

AD VESPERAS.

*Ant.* 7. d. Oculi nostri.

PSALMUS 122.

*Ecclesiæ oratio contrà impiorum calumnias.*

AD te levávi óculos meos, * qui hábitas in cœlis.

Ecce sicut óculi servórum * in mánibus dominórum suórum;

Sicut óculi ancillæ in mánibus dóminæ suæ: * ita óculi nostri ad Dóminum Deum nostrum, donec miserétur nostrî.

Miserére nostrî, Dómine, miserére nostrî; * quia multùm repléti sumus despectióne.

Quia multùm repléta est ánima nostra, * oppróbrium abundántibus, & despéctio superbis.

*Ant.* Oculi nostri ad Dóminum Deum nostrum, donec miserétur nostrî.

*Ant.* 5. a. Qui confidunt.

PSALMUS 124.

*Fidelium, Deus ipse tutela: iniqui perituri.*

QUi confidunt in Dómino, sicut mons Sion: * non commovébitur in æternum, qui hábitat in Jerúsalem:

Montes in circúitu ejus: * & Dóminus in circúitu pópuli sui, ex hoc nunc, & usque in séculum:

Quia non relinquet Dóminus virgam peccatórum super sortem justórum, * ut non extendant justi ad iniquitátem manus suas.

Bénefac, Dómine, bonis, * & rectis corde.

Declinantes autem in obligatiónes addúcet Dóminus cum operántibus iniquitátem: * pax super Israël.

*Ant.* Qui confidunt in Dómino, sicut mons Sion: *non commovébitur in æternum, qui hábitat in Jerúsalem.*

*Ant.* 8. c. Nisi Dóminus.

PSALMUS 126.

*Vani hominum labores quibus Deus non opitulatur.*

NIsi Dóminus ædificáverit domum, * in vanum laboravérunt qui ædificant eam.

Nisi Dóminus custodíerit civitátem, * frustra vígilat, qui custódit eam.

Vanum est vobis ante lucem súrgere: * súrgite postquam sedéritis, qui manducátis panem dolóris.

Cùm déderit dilectis suis somnum: ecce hæréditas Dómini, filii; * merces, fructus ventris.

Sicut sagittæ in manu potentis, * ita filii excussórum.

Beátus vir qui implévit desidérium suum ex ipsis; * non confundétur cùm loquétur inimícis suis in porta.

*Ant.* Nisi Dóminus custodíerit civitátem, frustrà vígilat qui custódit eam.

*Ant.* 1. a. Sustínuit.

PSALMUS 129.

*Redemptio, pœnitenti per Christum promissa.*

DE profundis clamávi ad te, Dómine: * Dómine, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes obsérváveris, Dómine, * Dómine, quis sustinébit?

Quia apud te propitiátio est, * & propter legem tuam sustínui te, Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus: * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem, * speret Israël in Dómino.

Quia apud Dóminum misericórdia, * & copiósa apud eum redémptio;

Et ipse rédimet Israël * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

*Ant.* Sustínuit ánima mea in verbo ejus: sperávit ánima mea in Dómino.

*Ant.* 4. E. Speret.

PSALMUS 130.

*Humilitas & modestia, gratum Deo sacrificium.*

DOmine, non est exaltátum cor meum; * neque eláti sunt óculi mei:

Neque ambulávi in magnis, * neque in mirabílibus super me.

Si non humíliter sentiébam, * sed exaltávi ánimam meam.

Sicut ablactátus est super matre sua, * ita retribútio in ánima mea.

Speret Israël in Dómino, * ex hoc nunc & usque in séculum.

*Ant.* Speret Israël in Dómino.

*Capitulum.* Rom. 15.

DEus spei répleat vos omni gáudio & pace in credendo; ut abundétis in spe, & virtúte Spíritûs sancti.

*Hymnus.*

HORRES superbos, nec tuam
Das álteri laudem, Deus:
Humána nil isthinc sibi
Decerpat arrogántia.

INGRATA quippe mens tuæ
Fluenta sistit grátiæ;
Tristique marcescit statim,
Ceu gramen exustum siti.

UT servus in manus heri
Intenta figit lúmina;
Sic ora sacris móntibus
Non dimovémus ánxii.

DESIDERATAM si dare
Opem moráris; spes tamen,
Tenácis instar áncoræ,
Immóta fundat péctora.

SIT summa Patri glória:
Sit summa Nato, qui dedit
Nobis futúræ Spíritum
Hæreditátis óbsidem. Amen.

℣. A custódia matutína usque ad noctem, ℟. Speret Israël in Dómino. *Ps.* 129.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 8. G. Misericórdia ejus à progénie in progénies timéntibus eum. *Luc.* 1.

AD COMPLETOR.

*Ant.* 4. E. Conserva me.

PSALMUS 10.

*Vox justi in Deo confidentis, ejusque judicia meditantis.*

IN Dño confido; quómodo dícitis ánimæ meæ: * Tránsmigra in montem sicut passer?

Quóniam ecce peccatóres intendérunt arcum, paravérunt sagittas suas in pháretra, * ut sagittent in obscúro rectos corde.

Quóniam quæ perfeci sti, destruxérunt: * justus autem quid fecit?

Dóminus in templo sancto suo; * Dóminus in cœlo sedes ejus.

Oculi ejus in páuperem respíciunt; * pálpebræ ejus intérrogant fílios hóminum.

Dóminus intérrogat justum & ímpium: * qui autem díligit iniquitátem odit ánimâ suam.

Pluet super peccatóres láqueos : * ignis, & sulphur, & spíritus procellárum, pars cálicis eórum.

Quóniam justus Dóminus & justítias dilexit : * æquitátem vidit vultus ejus.

PSALMUS 13.

*Impiorum malitia : justis, ex adventu Christi salus exoptatur.*

DIxit insípiens in corde suo : * Non est Deus.

Corrupti sunt, & abominábiles facti sunt in stúdiis suis : * non est qui fáciat bonum, non est usque ad unum.

Dóminus de cœlo prospexit super fílios hóminum, * ut vídeat si est intélligens, aut requírens Deum.

Omnes declinavérunt, simul inútiles facti sunt : * non est qui fáciat bonum, non est usque ad unum.

Sepulchrum patens est guttur eórum ; linguis suis dolóse agébant ; * venénum áspidum sub lábiis eórum.

Quórum os maledictióne & amaritúdine plenum est : * velóces pedes eórum ad effundendum sánguinem.

Contrítio & infelícitas in viis eórum, & viam pacis non cognovérunt : * non est timor Dei ante óculos eórum.

Nonne cognoscent omnes qui operantur iniquitátem, * qui dévorant plebem meam sicut escam panis ?

Dóminum non invocavérunt : * illic trepidavérunt timóre, ubi non erat timor.

Quóniam Dóminus in generatióne justa est ; consílium inopis confudístis, * quóniam Dóminus spes ejus est.

Quis dabit ex Sion salutáre Israël ? * cùm avérterit Dóminus captivitátem plebis suæ, exultábit Jacob, & lætábitur Israël.

PSALMUS 15.

*Pars justorum, Deus : resurrectionis spes.*

COnserva me, Dómine, quóniam sperávi in te : * dixi Dómino : Deus meus es tu, quóniam bonórum meórum non eges.

Sanctis qui sunt in terra ejus, * mirificávit omnes voluntátes meas in eis.

Multiplicátæ sunt infirmitátes eórum : * póstea acceleravérunt.

Non congregábo conventícula eórum de sanguínibus : * nec memor ero nóminum eórum per lábia mea.

Dóminus pars hæreditátis meæ & cálicis mei : * tu es qui restítues hæreditátem meam mihi.

Funes cecidérunt mihi in præcláris : * étenim hæréditas mea præclára est mihi.

Benedícam Dóminum qui tríbuit mihi intellectum : * ínsuper & usque ad noctem increpuérunt me renes mei.

Providébam Dóminum in conspéctu meo semper : * quóniam à dextris est mihi, ne commóvear.

Propter hoc lætátum est cor meum, & exultávit lingua mea ; * ínsuper & caro mea requiéscet in spe :

Quóniam non derelinques ánimam meam in inferno: * nec dabis sanctum tuum vidére corruptiónem.

Notas mihi feciſti vias vitæ; adimplébis me lætitiâ cum vultu tuo: * delectatiónes in déxtera tua uſque in finem.

*Ant.* Conſerva me, Dómine, quóniam ſperávi in te. *Pſ.* 15.

## FERIA QUINTA AD OFFICIUM NOCT.

### *IN I. NOCTURNO.*

*Ant.* 1. f. Rectum eſt verbum Dómini.

PSALMUS 19.

*Chriſti preces & ſacrificium pro ſuis acceptari, plebs ejus poſcit.*

EXáudiat te Dóminus in die tribulatiónis: * prótegat te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxílium de ſancto, * & de Sion tueátur te.

Memor ſit omnis ſacrificii tui, * & holocauſtum tuum pingue fiat.

Tríbuat tibi ſecundùm cor tuum, * & omne consílium tuum confirmet.

Lætábimur in ſalutári tuo, * & in nómine Dei noſtri magnificábimur.

Impleat Dóminus omnes petitiónes tuas: * nunc cognóvi quóniam ſalvum fecit Dóminus chriſtum ſuum.

Exáudiet illum de cœlo ſancto ſuo: * in potentátibus ſalus déxteræ ejus.

Hi in currus, & hi in equis; * nos autem in nómine Dómini Dei noſtri invocábimus.

Ipſi obligáti ſunt, & cecidérunt; * nos autem ſurréximus, & erecti ſumus.

Dómine, ſalvum fac regem; * & exaudi nos in die quâ invocavérimus te.

PSALMUS 32.

*Summa Dei creatoris in homines benignitas & providentia.*

EXultáte, juſti, in Dómino: * rectos decet collaudátio.

Confitémini Dómino in cíthara, * in pſaltério decem chordárum pſállite illi.

Cantáte ei cánticum novum, * bene pſállite ei in vociferatióne.

Quia rectum eſt verbum Dómini, * & ómnia ópera ejus in fide.

Díligit miſericórdiam & judícium: * miſericórdiâ Dómini, plena eſt terra.

Verbo Dómini cœli firmáti ſunt; * & ſpíritu óris ejus omnis virtus eórum.

Cóngregans ſicut in utre aquas maris: * ponens in theſauris abyſſos.

Tímeat Dóminum omnis terra: * ab eo autem commoveántur omnes inhabitantes orbem.

Quóniam ipſe dixit, & facta ſunt: * ipſe mandávit, & creáta ſunt.

Dóminus díſſipat consília géntium: * réprobat autem cogitatiónes populórum, & réprobat consília príncipum.

Consílium autem Dómini in æternum manet; * cogitatiónes cordis ejus in generatióne & generatiónem.

*Divisio Psalmi* 32.

BEáta gens, cujus est Dóminus Deus ejus: * pópulus, quem elégit in hæreditátem sibi.

De cælo respexit Dñs, * vidit omnes filios hóminum;

De præparáto habitáculo suo * respexit super omnes qui hábitant terram;

Qui finxit singillátim corda eórum;* qui intélligit ómnia ópera eórum.

Non salvátur rex per multam virtútem; * & gigas non salvábitur in multitúdine virtútis suæ.

Fallax equus ad salútem; * in abundántia autem virtútis suæ non salvábitur.

Ecce óculi Dómini super metuentes eum, * & in eis qui sperant super misericórdia ejus:

Ut éruat à morte ánimas eórum, * & alat eos in fame.

Anima nostra sustinet Dóminum; * quóniam adjútor & protector noster est.

Quia in eo lætábitur cor nostrum, * & in nómine sancto ejus sperávimus.

Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos, * quemádmodum sperávimus in te.

*Ant.* Rectum est verbum Dómini, & ómnia ópera ejus in fide.

## *IN II. NOCTURNO.*

*Ant.* 7. d. Dóminus.

PSALMUS 67.

*Carmen triumphale, de Christi victoriis, & Ecclesiæ cursu.*

EXurgat Deus, & dissipentur inimici ejus; * & fúgiant, qui odérunt eum, à fácie ejus.

Sicut déficit fumus, deficiant; * sicut fluit cera à fácie ignis, sic péreant peccatóres à fácie Dei.

Et justi epulentur, & exultent in conspectu Dei, * & delectentur in lætítia.

Cantáte Deo, psalmum dícite nómini ejus: * iter fácite ei qui ascendit super occásum; Dóminus nomen illi.

Exultáte in conspectu ejus; * turbabuntur à fácie ejus, patris orphanórum, & júdicis viduárum.

Deus in loco sancto suo; * Deus, qui inhabitáre facit unius moris in domo.

Qui edúcit vinctos in fortitúdine; * símiliter eos qui exásperant, qui hábitant in sepulcris.

Deus, cùm egrederéris in conspectu pópuli tui, * cùm pertransíres in desérto.

Terra mota est; étenim cœli distillavérunt à fácie Dei Sinaï, * à fácie Dei Israël.

Plúviam voluntáriam segregábis, Deus, hæreditáti tuæ; * & infirmáta est, tu verò perfeciísti eam.

Animália tua habitábunt in ea: * parásti in dulcédine tua páuperi, Deus.

*Divisio Psalmi* 67.

DOminus dabit verbum evangelizántibus, * virtúte multâ.

Rex virtútum dilecti, dilecti; * & speciéi domûs dividere spólia.

Si dormiátis inter médios cleros; pennæ columbæ deargentátæ, * & posterióra dorsi ejus in pallore auri.

Dum discernit cœléstis reges súper eam, nive dealbabúntur in Selmon : * mons Dei, mons pinguis.

Mons coagulátus, mons pinguis ; * ut quid suspicámini montes coagulátos ?

Mons in quo beneplácitum est Deo habitáre in eo ; * étenim Dñs habitábit in finem.

Currus Dei decem míllibus múltiplex, míllia lætántium ; * Dóminus in eis in Sina in sancto.

Ascendísti in altum, cepísti captivitátem, * accepísti dona in homínibus :

Etenim non credentes * inhabitáre Dóminum Deum.

Benedíctus Dóminus die quotídie : * prósperum iter fáciet nobis Deus salutárium nostrórum.

Deus noster, Deus salvos faciendi ; * & Dómini Dómini éxitus mortis.

Verúmtamen Deus confringet cápita inimicórum suórum, * vérticem capilli perambulántium in delíctis suis.

Dixit Dóminus : Ex Basan convertam, * convertam in profundum maris :

Ut intingátur pes tuus in sánguine, * lingua canum tuórum ex inimícis ab ipso.

Vidérunt ingréssus tuos, Deus, * ingréssus Dei mei, regis mei qui est in sancto.

Prævenérunt príncipes conjuncti psallentibus, * in médio juvenculárum tympanistriárum.

*Altera divisio Psalmi 67.*

IN eccléstis benedícite Deo Dómino, * de fóntibus Israël.

Ibi Bénjamin adolescéntulus * in mentis excéssu.

Príncipes Juda, duces eórum ; * príncipes Zabúlon, príncipes Néphthali.

Manda, Deus, virtúti tuæ : * confirma hoc, Deus, quod operátus es in nobis.

A templo tuo in Jerúsalem, * tibiófferent reges múnera.

Increpa feras arúndinis ; congregátio taurórum in vaccis populórum, * ut exclúdant eos qui probáti sunt argento.

Dissípa gentes quæ bella volunt ; * vénient legáti ex Ægypto ; * Æthiópia prævéniet manus ejus Deo.

Regna terræ, cantáte Deo ; * psállite Dómino.

Psállite Deo qui ascendit súper cœlum cœli, * ad orientem.

Ecce dabit voci suæ vocem virtútis ; date glóriam Deo súper Israël, * magnificéntia ejus & virtus ejus in núbibus.

Mirábilis Deus in sanctis suis ; Deus Israël ipse dabit virtútem & fortitúdinem plebi suæ : * benedíctus Deus.

*Ant.* Dóminus dabit verbum evangelizántibus : Deus Israël ipse dabit fortitúdinem plebi suæ.

*IN III. NOCTURNO.*

*Ant.* 8. c. Dómine.

PSALMUS 88.

*Promissiones Davidi factæ : Christum differri humilis querela.*

MIsericórdias Dómini * in æternum cantábo ;

In

In generatiónem & generatiónem * annuntiábo veritátem tuam in ore meo:

Quóniam dixísti; In ætérnum misericórdia ædificábitur in cœlis; * præparábitur véritas tua in eis.

Dispósui testamentum electis meis, jurávi David servo meo; * usque in ætérnum præparábo semen tuum:

Et ædificábo in generatiónem & generatiónem * sedem tuam.

Confitebuntur cœli mirabília tua, Dómine; * étenim veritátem tuam in eccléfia sanctórum.

Quóniam quis in núbibus æquábitur Dómino? * símilis erit Deo in filiis Dei?

Deus, qui glorificátur in concílio sanctórum;* magnus & terríbilis super omnes qui in circúitu ejus sunt.

Dómine Deus virtútum, quis símilis tibi? * potens es, Dómine; & véritas tua in circúitu tuo.

Tu dominâris potestáti maris; * motum autem flúctuum ejus tu mítigas.

Tu humiliásti sicut vulnerátum, superbum: * in bráchio virtútis tuæ dispersísti inimícos tuos.

Tui sunt cœli, & tua est terra; * orbem terræ & plenitúdinem ejus tu fundásti;

Aquilónem & mare tu creásti; * Thabor & Hermon in nómine tuo exultábunt:

Tuum bráchium cum poténtia: * firmétur manus tua, & exaltétur déxtera tua.

Justítia & judícium præparátio sedis tuæ;* misericórdia & véritas præcédent fáciem tuam.

*Divisio Psalmi 88.*

Beátus pópulus qui scit jubilatiónem: * Dómine, in lúmine vultûs tui ambulábunt,

Et in nómine tuo exultábunt totâ die, * & in justítia tua exaltabuntur.

Quóniam glória virtútis eórum tu es, * & in beneplácito tuo exaltábitur cornu nostrum:

Quia Dómini est assúmptio nostra, * & Sancti Israël regis nostri.

Tunc locútus es in visióne sanctis tuis, & dixísti: * Pósui adjutórium in potente, & exaltávi electum de plebe mea.

Invéni David servum meum, * óleo sancto meo unxi eum.

Manus enim mea auxiliábitur ei, * & bráchium meum confortábit eum.

Nihil proficiet inimícus in eo, * & filius iniquitátis non apponet nocére ei.

Et concídam à fácie ipsíus inimícos ejus, * & odientes eum in fugam convertam.

Et véritas mea, & misericórdia mea cum ipso, * & in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Et ponam in mari manum ejus, * & in flumínibus déxteram ejus.

Ipse invocábit me: Pater meus es tu, * Deus meus, & susceptor salútis meæ.

Et ego primogénitum ponam illum, * excelsum præ régibus terræ;

In æternum servábo illi misericórdiam meam, * & testamentum meum fidéle ipsi;

Et ponam in séculum séculi semen ejus, * & thronum ejus sicut dies cœli;

Si autem derelíquerint fílii ejus legem meam, * & in judíciis meis non ambuláverint:

Si justítias meas profanáverint, * & mandáta mea non custodierint;

Visitábo in virga iniquitátes eórum, * & in verbéribus peccáta eórum.

Misericórdiam autem meam non dispergam ab eo, * neque nocébo in veritáte mea.

Neque profanábo testamentum meum, * & quæ procédunt de lábiis meis non fáciam írrita.

*Altera divisio Psalmi* 88.

SEmel jurávi in sancto meo, si David méntiar: * Semen ejus in æternum manébit.

Et thronus ejus sicut sol in conspectu meo, * & sicut luna perfecta in æternum, & testis in cœlo fidélis.

Tu verò repulísti & despexísti, * distulísti Christum tuum.

Evertísti testamentum servi tui, * profanásti in terra sanctuárium ejus.

Destruxísti omnes sepes ejus, * posuísti firmamentum ejus formídinem.

Diripuérunt eum omnes transeúntes viam; * factus est oppróbrium vicínis suis:

Exaltásti déxteram deprimméntium eum: * lætificásti omnes inimícos ejus;

Avertísti adjutórium gládii ejus, * & non es auxiliátus ei in bello:

Destruxísti eum ab emundatióne, * & sedem ejus in terram collisísti.

Minorásti dies témporis ejus; * perfudísti eum confusióne.

Usquequò, Dómine, avertis in finem? * exardescet sicut ignis ira tua?

Memoráre quæ mea substántia: * numquid enim vanè constituísti omnes fílios hóminum?

Quis est homo qui vivet, & non vidébit mortem? * éruet ánimam suam de manu inferi?

Ubi sunt misericórdiæ tuæ antíquæ, Dómine, * sicut jurásti David in veritáte tua?

Memor esto, Dómine, oppróbrii servórum tuórum, * quod continui in sinu meo, multárum géntium.

Quod exprobravérunt inimíci tui, Dómine, * quod exprobravérunt commutatiónem Christi tui.

Benedictus Dóminus in æternum: * fiat, fiat.

*Ant.* Dómine, in lúmine vultûs tui ambulábunt, & in nómine tuo exultábunt totâ die, & in justítia tua exaltabúntur.

## AD LAUDES.

*Ant.* 4. E. Audi.

PSALMUS 80.

*Festa piè celebranda: hinc Dei favor.*

EXultáte Deo adjutóri nostro: * jubiláte Deo Jacob.

Súmite psalmum, & date

tympanum ; * psaltérium jucundum cum cíthara :

Buccináte in Neoménia tuba , * in insigni die solemnitátis vestræ :

Quia præceptum in Israël est , * & judícium Deo Jacob :

Testimónium in Joseph pósuit illud , cùm exíret de terra Ægypti ; * linguam , quam non nóverat , audivit :

Divertit ab onéribus dorsum ejus ; * manus ejus in cóphino serviérunt.

In tribulatióne invocásti me , & liberávi te ; * exaudívi te in abscóndito tempestátis : probávi te apud aquam contradictiónis.

Audi , pópulus meus , & contestábor te : * Israël , si audíeris me , non erit in te Deus recens , neque adorábis deum aliénum :

Ego enim sum Dóminus Deus tuus , qui eduxi te de terra Ægypti : * dilàta os tuum , & implébo illud.

Et non audívit pópulus meus vocem meam , * & Israël non intendit mihi :

Et dimísi eos secundùm desidéria cordis eórum , * ibunt in adinventiónibus suis.

Si pópulus meus audísset me , * Israël si in viis meis ambulásset :

Pro níhilo fórsitan inimícos eórum humiliássem , * & super tribulantes eos misíssem manum meam.

Inimíci Dómini mentíti sunt ei , * & erit tempus eórum in sæcula.

Et cibávit eos ex ádipe frumenti ; * & de petra , melle saturávit eos.

*Ant.* Audi , pópulus meus , & contestábor te : ego sum Dóminus Deus tuus.

*Ant.* 1. a. Parátum.

PSALMUS 107.

*Oratio Ecclesiæ , Dei auxilium adversus impios poscentis.*

PArátum cor meum , Deus , parátum cor meum : * cantábo & psallam in glória mea.

Exurge , glória mea ; exurge , psaltérium & cíthara : * exurgam dilúculo.

Confitébor tibi in pópulis , Dómine ; * & psallam tibi in natiónibus.

Quia magna est super cœlos misericórdia tua , * & usque ad nubes véritas tua.

Exaltáre super cœlos , Deus , * & super omnem terram glória tua.

Ut liberéntur dilecti tui , * salvum fac déxterâ tuâ , & exaudi me.

*Ant.* Parátum cor meum , Deus ; exurgam dilúculo ; confitébor tibi , Dómine.

*Ant.* 6. Dómine.

*Divisio Psalmi* 107.

DEus locútus est in sancto suo : * exultábo , & dividam Sichimam , & convallem tabernaculórum dimétiar.

Meus est Gálaad , & meus est Manasses , * & Ephraïm suscéptio cápitis mei.

Juda rex meus , * Moab lebes spei meæ.

In Idumæam extendam calceamentum meum : * mihi alienígenæ amíci facti sunt.

Quis dedúcet me in civitátem munítam ? * quis dedúcet me usque in Idumæam ?

Nonne tu, Deus, qui repulísti nos? * & non exíbis, Deus, in virtútibus nostris?

Da nobis auxílium de tribulatióne; * quia vana salus hóminis.

In Deo faciémus virtútē: * & ipse ad níhilum dedúcet inimícos nostros.

*Ant.* Dómine, vana salus hóminis: in Deo faciémus virtútem.

*Ant.* 8. c. Deus.

*In Feriis Quadragesimæ, dicitur sequens*

*Canticum Annæ.* 1. Reg. 2.

EXultávit cor meum in Dómino, * & exaltátum est cornu meum in Deo meo.

Dilatátum est os meum super inimícos meos, * quia lætáta sum in salutári tuo.

Non est sanctus, ut est Dóminus; neque enim est álius extra te: * & non est fortis sicut Deus noster.

Nolíte multiplicáre loqui sublímia, gloriántes: * recédant vétera de ore vestro;

Quia Deus scientiárum, Dóminus est, * & ipsi præparántur cogitatiónes.

Arcus fórtium superátus est; * & infirmi accincti sunt róbore.

Repléti priùs, pro pánibus se locavérunt; * & famélici saturáti sunt.

Donec stérilis péperit plúrimos; * & quæ multos habébat fílios, infirmáta est.

Dóminus mortíficat, & vivíficat; * dedúcit ad ínferos, & redúcit.

Dóminus páuperem facit, & ditat; * humíliat & súblevat.

Súscitat de púlvere egénū, * & de stércore élevat páuperem;

Ut sédeat cum princípibus, * & sólium glóriæ téneat.

Dómini enim sunt cárdines terræ, * & pósuit super eos orbem.

Pedes sanctórum suórum servábit, & ímpii in ténebris conticéscent; * quia non in fortitúdine sua roborábitur vir.

Dóminum formidábunt adversárii ejus; * & super ipsos in cœlis tonábit.

Dóminus judicábit fines terræ, & dabit impérium regi suo, * & sublimábit cornu Christi sui.

*Ant.* Deus scientiárum, Dóminus est, & ipsi præparántur cogitatiónes.

[*In Festis & toto tempore Paschali, (nisi proprium assignetur) dicitur sequens*

*Canticum.* 1. Paral. 29.

BEnedictus es, Dómine, Deus Israël patris nostri, * ab ætérno in ætérnum.

Tua est, Dómine, magnificéntia, & poténtia, & glória, atque victória; * & tibi laus.

Cuncta enim quæ in cœlo sunt & in terra, * tua sunt:

Tuum, Dómine, regnum, * & tu es super omnes príncipes.

Tuæ divítiæ, & tua est glória: * tu dominàris ómnium.

In manu tua virtus & poténtia: * in manu tua magnitúdo, & impérium ómnium.

Nunc ígitur, Deus noster, confitémur tibi, * & laudámus nomen tuum ínclytum.]

*Ant.* 5. a. Annúntiat Dñs.

PSALMUS 147.

*Ecclesia ad laudem Dei invitatur, quòd ei abundè provisum sit.*

LAuda, Jerúsalem, Dóminum: * lauda Deum tuum, Sion.

Quóniam confortávit seras portárum tuárum; * benedixit filiis tuis in te.

Qui pósuit fines tuos pacem, * & ádipe frumenti sátiat te.

Qui emittit elóquium suum terræ, * velóciter currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut lanam, * nébulam sicut cinerem spargit.

Mittit crystallum suam sicut buccellas, * ante fáciem frígoris ejus quis sustinébit?

Emittet verbum suum, & liquefáciet ea; * flabit spíritus ejus, & fluent aquæ.

Qui annúntiat verbũ suum Jacob, * justítias & judícia sua Israël;

Non fecit táliter omni natióni, * & judícia sua non manifestávit eis.

*Ant.* Annúntiat Dóminus verbum suum Jacob, & judícia sua Israël: non fecit táliter omni natióni.

AD PRIMAM.

PSALMUS 66.

*Deus in toto orbe cognoscendus.*

DEus misereátur nostrî, & benedícat nobis; * illúminet vultum suum super nos, & misereátur nostrî:

Ut cognoscámus in terra viam tuam, * in ómnibus géntibus salutáre tuum.

Confiteantur tibi pópuli, Deus; * confiteantur tibi pópuli omnes:

Lætentur & exultent gentes, quóniam júdicas pópulos in æquitáte, * & gentes in terra dírigis.

Confiteantur tibi pópuli, Deus, confiteantur tibi pópuli omnes: * terra dedit fructum suum.

Benedícat nos, Deus, Deus noster, benedícat nos Deus; * & métuant eum omnes fines terræ.

PSALMUS 89.

*Inanis & fugax hominum vita: ideo gratia Dei exoratur.*

DOmine, refúgium factus es nobis, * à generatióne in generatiónem.

Priúsquam montes fierent, aut formarétur terra, & orbis, * à século & úsque in séculum tu es Deus.

Ne avertas hóminem in humilitátem; * & dixísti: Convertímini, filii hóminum:

Quóniam mille anni ante óculos tuos, * tamquam dies hesterna quæ prætériit,

Et custódia in nocte: * quæ pro níhilo habentur, eórum anni erunt.

Mane ficut herba tránseat, mane flóreat & tránseat; * véspere décidat, indúret & aresçat.

Quia defécimus in ira tua, * & in furóre tuo turbáti sumus.

Posuísti iniquitátes nostras in conspectu tuo, * séculum nostrum in illuminatióne vultûs tui.

Quóniam omnes dies nostri

defecérunt ; * & in ira tua defécimus.

Anni nostri sicut aránea meditabuntur ; * dies annórum nostrórum in ipsis, septuaginta anni :

Si autem in potentátibus, octoginta anni ; * & ámplius eórum, labor & dolor.

Quóniam supervénit mansuetúdo, * & corripiémur.

*Divisio Psalmi 89.*

QUis novit potestátem iræ tuæ, * & præ timóre tuo iram tuam dinumeráre ?

Déxterâ tuam sic notâ fac, * & eruditos corde in sapiéntia.

Convértere, Dómine, úsquequò ? * & deprecábilis esto super servos tuos.

Repléti sumus manè misericórdiâ tuâ ; * & exultávimus, & delectáti sumus ómnibus diébus nostris :

Lætáti sumus pro diébus quibus nos humiliásti, * annis quibus vídimus mala.

Réspice in servos tuos, & in ópera tua ; * & dírige filios eórum.

Et sit splendor Dómini Dei nostri super nos : & ópera mánuum nostrárum dírige super nos, * & opus mánuum nostrárum dírige.

## AD TERTIAM.

### Psalmus 26.

*Fidelium fortitudo ex Deo : æterna vita quærenda bona.*

DOminus illumínatio mea ; & salus mea, * quem timébo ?

Dóminus protéctor vitæ meæ ; * à quo trepidábo ?

Dum appropiant super me nocentes, * ut edant carnes meas.

Qui tríbulant me inimíci mei, * ipsi infirmáti sunt & cecidérunt.

Si consístant adversùm me castra, * non timébit cor meum.

Si exurgat adversùm me prælium, * in hoc ego sperábo.

Unam pétii á Dómino, hanc requíram, * ut inhábitem in domo Dómini ómnibus diébus vitæ meæ.

Ut vídeam voluptátem Dómini, * & vísitem templum ejus.

Quóniam abscondit me in tabernáculo suo : * in die malórum protexit me in abscóndito tabernáculi sui.

In petra exaltávit me : * & nunc exaltávit caput meum super inimícos meos.

Circuívi & immolávi in tabernáculo ejus hóstiam vociferatiónis : * cantábo, & psalmum dicam Dómino.

*Divisio Psalmi 26.*

EXaudi, Dómine, vocem meam quâ clamávi ad te : * miserére meî, & exaudi me.

Tibi dixit cor meum, Exquisívit te fácies mea : * fáciem tuam, Dómine, requíram.

Ne avertas fáciem tuam à me ; * ne declínes in ira à servo tuo.

Adjútor meus esto, ne derelinquas me, * neque despícias me, Deus salutáris meus.

Quóniam pater meus & mater mea dereliquérunt me : * Dóminus autem assúmpsit me.

Legem pone mihi, Dómine, in via tua ; * & dírige me in sémitam rectam propter inimícos meos.

Ne tradíderis me in ánimas

tribulántium me; * quóniam insurrexérunt in me testes iníqui, & mentíta est iníquitas sibi.

Credo vidére bona Dómini * in terra vivéntium.

Expecta Dóminum, viríliter age, * & confortétur cor tuum, & sústine Dóminum.

PSALMUS 83.

*Suprema beatitudinis desiderio.*

QUàm dilecta tabernácula tua, Dómine virtútum! * concupíscit & déficit ánima mea in átria Dómini.

Cor meum & caro mea * exultavérunt in Deum vivum.

Etenim passer invénit sibi domum, * & turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altária tua, Dómine virtútum; * Rex meus & Deus meus.

Beáti qui hábitant in domo tua, Dómine! * in sécula seculórum laudábunt te.

Beátus vir cujus est auxílium abs te; * ascensiónes in corde suo dispósuit, in valle lacrymárum, in loco quem pósuit.

Etenim benedictiónem dabit legislátor, ibunt de virtúte in virtútem: * vidébitur Deus deórum in Sion.

Dómine Deus virtútum, exaudi oratiónem meam; * áuribus pércipe, Deus Jacob.

Protector noster, áspice, Deus; * & réspice in faciem Christi tui:

Quia mélior est dies una in átriis tuis * super míllia.

Elégi abjectus esse in domo Dei mei, * magis quàm habitáre in tabernáculis peccatórum.

Quia misericórdiam & veritátem díligit Deus; * grátiam & glóriam dabit Dóminus.

Non privábit bonis eos qui ámbulant in innocéntia: * Dómine virtútum, beátus homo qui sperat in te.

*Ant.* Credo vidére bona Dómini in terra vivéntium. *Ps.* 26.

AD SEXTAM.

PSALMUS 22.

*Pro beneficiis à Deo acceptis, gratiarum actio.*

DÓminus regit me, & nihil mihi déerit; * in loco páscuæ ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis educávit me, * ánimam meam convertit.

Deduxit me super sémitas justítiæ, * propter nomen suum.

Nam & si ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala, * quóniam tu mecum es.

Virga tua, & báculus tuus, * ipsa me consoláta sunt.

Parásti in conspéctu meo mensam, * adversus eos qui tribulant me.

Impinguásti in óleo caput meum: * & calix meus inébrians quàm præclárus est!

Et misericórdia tua subsequétur me * ómnibus diébus vitæ meæ.

Et ut inhábitem in domo Dómini, * in longitúdinem diérum.

PSALMUS 33.

*Soli Deo adhærendum, qui justorum defensor, malorum eversor est.*

BEnedícam Dóminum in omni témpore: * semper laus ejus in ore meo.

In Dómino laudábitur ánima mea: * áudiant manſuéti, & lætentur.

Magnificáte Dóminum mecum: * & exaltémus nomen ejus in idipſum.

Exquisívi Dóminum, & exaudívit me: * & ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me.

Accédite ad eum, & illuminámini: * & fácies veſtræ non confundentur.

Iſte pauper clamávit, & Dóminus exaudívit eum: * & de ómnibus tribulatiónibus ejus ſalvávit eum.

Immittet ángelus Dómini in circúitu timéntium eum, * & erípiet eos.

Guſtáte, & vidéte quóniam ſuávis eſt Dóminus: * beátus vir qui ſperat in eo.

Timéte Dóminum, omnes ſancti ejus: * quóniam non eſt inópia timéntibus eum.

Dívites eguérunt & eſuriérunt; * inquirentes autem Dóminum non minuentur omni bono.

*Diviſio Pſalmi 33.*

VEníte, fílii, audíte me; * timórem Dómini docébo vos.

Quis eſt homo qui vult vitam; * diligit dies vidére bonos?

Próhibe linguam tuam à malo; * & lábia tua ne loquantur dolum.

Diverte á malo, & fac bonum; * inquire pacem, & perſéquere eam.

Oculi Dómini ſuper juſtos, * & aures ejus in preces eórum.

Vultus autem Dómini ſuper facientes mala, * ut perdat de terra memóriam eórum.

Clamavérunt juſti, & Dóminus exaudívit eos, * & ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

Juxtà eſt Dóminus iis qui tribuláto ſunt corde, * & húmiles ſpíritu ſalvábit.

Multæ tribulatiónes juſtórum; * & de ómnibus his liberábit eos Dóminus.

Cuſtódit Dóminus ómnia oſſa eórum; * unum ex his non conterétur.

Mors peccatórum péſſima; * & qui odérunt juſtum, delinquent.

Rédimet Dóminus ánimas ſervórum ſuórum, * & non delinquent omnes qui ſperant in eo.

## AD NONAM.

### PSALMUS 79.

*Chriſti adventus expoſtulatur.*

QUi regis Iſraël, intende; * qui dedúcis velut ovem Joſeph.

Qui ſedes ſuper Chérubim, * manifeſtáre coram Ephraïm, Bénjamin, & Manaſſe:

Excita poténtiam tuam, & veni, * ut ſalvos fácias nos.

Deus, converte nos; * & oſtende fáciem tuam, & ſalvi érimus.

Dómine Deus virtútum, * quouſque iraſcéris ſuper oratiónem ſervi tui?

Cibábis nos pane lacrymárum, * & potum dabis nobis in lácrymis in menſúra?

Poſuiſti nos in contradictiónem vicínis noſtris; * & ini-

mici nostri subsannavérunt nos.

Deus virtútum, converte nos; * & ostende fáciem tuam, & salvi érimus.

*Divisio Psalmi 79.*

[DOmine, ] vineam de Ægypto transtulísti: * ejecísti gentes, & plantásti eam.

Dux itíneris fuísti in conspéctu ejus; * plantásti radíces ejus, & implévit terram.

Opéruit montes umbra ejus; * & arbústa ejus cedros Dei.

Extendit pálmites suos usque ad mare, * & usque ad flumen propágines ejus.

Ut quid destruxísti macériam ejus, * & vindémiant eam omnes qui prætergrediuntur viam?

Exterminávit eam aper de sylva, * & singulâris ferus depástus est eam.

Deus virtútum, convérte: * réspice de cœlo, & vide, & vísita vineam istam.

Et pérfice eam quam plantávit déxtera tua, * & super fílium hóminis quem confirmásti tibi.

Incensa igni, & suffossa: * ab increpatióne vultûs tui períbunt.

Fiat manus tua super virum déxteræ tuæ: * & super filium hóminis quem confirmásti tibi.

Et non discédimus à te, vivificábis nos; * & nomen tuũ invocábimus.

Dómine Deus virtútum, converte nos; * & ostende fáciem tuam, & salvi érimus.

PSALMUS 92.

*Dei, seu Christi, regnum & lex extollitur.*

DOminus regnávit decórem indútus est; * indútus est Dóminus fortitúdinem, & præcinxit se.

Etenim firmávit orbem terræ; * qui non commovébitur.

Paráta sedes tua ex tunc, * à sæculo tu es.

Elevavérunt flúmina, Dómine, * elevavérunt flúmina vocem suam.

Elevavérunt flúmina, fluctus suos, * à vócibus aquárum multárum.

Mirábiles elatiónes maris: * mirábilis in altis Dóminus.

Testimónia tua credibília facta sunt nimis: * domum tuam decet sanctitúdo, Dómine, in longitúdinem diérum.

AD VESPERAS.

*Ant.* 2. D. Quid retríbuam.

PSALMUS 115.

*Deus in periculis fida tutela.*

CRédidi, propter quòd locútus sum; * ego autem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excéssu meo: * omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino * pro ómnibus quæ retríbuit mihi?

Cálicem salutáris accípiã, * & nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo ejus: * pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus.

O Dómine, quia ego servus tuus; * ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ.

Dirupísti víncula mea; *

tibi sacrificábo hóstiam laudis, & nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conspectu omnis pópuli ejus, * in átriis domûs Dómini, in médio tuî, Jerúsalem.

*Ant.* Quid retríbuam Dómino pro ómnibus quæ retríbuit mihi?

*Ant.* 1. g. Confitébor.

PSALMUS 137.

*Misericordia & veritas Dei laudantur: ipse à regibus adorandus.*

CONfitébor tibi, Dómine, in toto corde meo; * quóniam audísti verba oris mei.

In conspectu angelórum psallam tibi; * adorábo ad templum sanctum tuum, & confitébor nómini tuo,

Super misericórdia tua & veritate tua; * quóniam magnificásti super omne, nomen sanctum tuum.

In quacumque die invocávero te, exaudi me: * multiplicábis in ánima mea virtútem.

Confiteantur tibi, Dómine, omnes reges terræ, * quia audiérunt ómnia verba oris tui;

Et cantent in viis Dómini, * quóniam magna est glória Dómini;

Quóniam excelsus Dóminus, & humília réspicit, * & alta à longè cognoscit.

Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificábis me: * & super iram inimicórum meórum extendísti manum tuam, & salvum me fecit déxtera tua.

Dóminus retríbuet pro me: * Dómine, misericórdia tua in séculum; ópera mánuum tuárum ne despícias.

*Ant.* Confitébor nómini tuo, Dómine, super misericórdia tua & veritate tua.

*Ant.* 7. d. Generátio.

PSALMUS 144.

*Dei potentia, misericordia, providentia, benignitas.*

EXaltábo te, Deus meus rex; * & benedícam nómini tuo in séculum, & in séculum séculi.

Per síngulos dies benedícam tibi; * & laudábo nomen tuum in séculum, & in séculum séculi.

Magnus Dóminus, & laudábilis nimis; * & magnitúdinis ejus non est finis.

Generátio & generátio laudábit ópera tua; * & poténtiam tuam pronuntiábunt.

Magnificéntiam glóriæ sanctitátis tuæ loquentur, * & mirabília tua narrábunt.

Et virtútem terribílium tuórum dicent, * & magnitúdinem tuam narrábunt.

Memóriam abundántiæ suavitátis tuæ eructábunt, * & justítiâ tuâ exultábunt.

*Ant.* Generátio & generátio laudábit ópera tua, & poténtiam tuam pronuntiábunt.

*Ant.* 4. a. Fidélis.

*Divisio Psalmi* 144.

MIserátor & miséricors Dóminus; * pátiens & multum miséricors.

Suávis Dóminus univérsis, * & miserationes ejus super ómnia ópera ejus.

Confiteantur tibi, Dómine, ómnia ópera tua, * & sancti tui benedícant tibi.

Glóriam regni tui dicent, * & poténtiam tuam loquentur;

Ut notam fáciant fíliis hóminum poténtiam tuam, * & glóriam magnificéntiæ regni tui.

Regnum tuum, regnum ómnium seculórum; * & dominátio tua in omni generatióne & generatiónem.

Fidélis Dóminus in ómnibus verbis suis; * & sanctus in ómnibus opéribus suis.

Allevat Dóminus omnes qui córruunt, * & érigit omnes elísos.

Oculi ómnium in te sperant, Dómine; * & tu das escam illórum in témpore opportúno.

Aperis tu manum tuam, * & imples omne ánimal benedictióne.

*Ant.* Fidélis Dóminus in ómnibus verbis suis, & sanctus in ómnibus opéribus suis.

*Ant.* 8. c. Propè est Dóminus.

*Altera divisio Psalmi* 144.

JUstus Dóminus in ómnibus viis suis, * & sanctus in ómnibus opéribus suis.

Propè est Dóminus ómnibus invocántibus eum, * ómnibus invocántibus eum in veritáte.

Voluntátem timéntium se fáciet, & deprecatiónem eórum exáudiet, * & salvos fáciet eos.

Custódit Dóminus omnes diligentes se, * & omnes peccatores dísperdet.

Laudatiónem Dómini loquétur os meum; * & benedícat omnis caro nómini sancto ejus in séculum, & in séculum séculi.

*Ant.* Propè est Dóminus ómnibus invocántibus eum in veritáte.

AD COMPLETORIUM.

*Ant.* 1. f. Salvum me fac, Dómine.

PSALMUS II.

*Justorum paucitas: Dei erga impios promissa urgentur.*

SÁlvum me fac, Dómine, quóniam defécit sanctus: * quóniam diminútæ sunt veritátes à fíliis hóminum.

Vana locúti sunt unusquisque ad próximum suum: * lábia dolósa, in corde & corde locúti sunt.

Dísperdat Dóminus universa lábia dolósa, * & linguam magniloquam;

Qui dixérunt: Linguam nostram magnificábimus, lábia nostra à nobis sunt, * quis noster Dóminus est?

Propter misériam ínopum, & gémitum páuperum, * nunc exurgam, dicit Dóminus.

Ponam in salutári, * fiduciáliter agam in eo.

Elóquia Dómini, elóquia casta: * argentum igne examinátum, probátum terræ, purgátum séptuplum.

Tu, Dómine, servábis nos, & custódies nos * à generatióne hac in æternum.

In circúitu ímpii ámbulant: * secundùm altitúdinem tuam multiplicásti fílios hóminum.

PSALMUS 38.

*Coërcenda lingua: mundi contemptus: vitæ brevitas.*

DIxi: Custódiam vias meas, * ut non delinquam in lingua mea.

Pósui orì meo custódiam: * cùm consísteret peccátor adversùm me.

Obmútui & humiliátus sum, & sílui à bonis: * & dolor meus renovátus est.

Concáluit cor meum intra me: * & in meditatióne mea exardescet ignis.

Locútus sum in lingua mea: * notum fac mihi, Dómine, finem meum;

Et número rum diérum meórum quis est; * ut sciam quid desit mihi.

Ecce mensurábiles posuísti dies meos: * & substántia mea tanquam níhilum ante te.

Verúmtamen universa *vánitas*, * *omnis homo* vivens.

Verúmtamen in imágine pertránsit homo: * sed & frustrà conturbátur.

Thesaurízat, * & ignórat cui congregábit ea.

Et nunc quæ est expectátio mea? nonne Dóminus? * & substántia mea apud te est.

*Divísio Psalmi* 38.

AB ómnibus iniquitátibus meis érue me: * oppróbrium insipiénti dedísti me.

Obmútui, & non apérui os meum, quoniam tu fecísti: * ámove à me plagas tuas.

A fortitúdine manûs tuæ ego defèci in increpatiónibus: * propter iniquitátem corripuísti hóminem.

Et tabéscere fecísti sicut aráneam ánimam ejus: * verúmtamen vanè conturbátur omnis homo.

Exaudi oratiónem meam, Dómine, & deprecatiónem meam: * áuribus pércipe lacrymas meas.

Ne síleas, quóniam ádvena ego sum apud te, & peregrínus, * sicut omnes patres mei.

Remitte mihi ut refrígerer, priusquam ábeam, * & ámplius non ero.

*Ant.* Salvum me fac, Dómine, quóniam diminútæ sunt veritátes à filiis hóminum. *Ps.* 11.

## FERIA SEXTA.

### AD OFFICIUM NOCT.

### *IN I. NOCTURNO.*

*Ant.* 7. b. Contristátus sum.

PSALMUS 51.

*Impiis exitium proximum.*

QUid gloriáris in malítia, * qui potens es in iniquitáte?

Totâ die injustítiam cogitávit lingua tua: * sicut novácula acúta fecísti dolum.

Dilexísti malítiam super benignitátem: * iniquitátem magis, quàm loqui æquitátem.

Dilexísti ómnia verba præcipitatiónis, * lingua dolósa.

Propterea Deus déstruet te in finem, evéllet te, & emigrábit te de tabernáculo tuo, * & radícem tuam de terra vivéntium.

Vidébunt justi, & timébunt, & super eum ridébunt, & dicent: * ecce homo qui non pósuit Deum adjutórem suum:

Sed sperávit in multitúdine divitiárum suárum, * & prævàluit in vanitáte sua.

Ego autem sicut olíva fructífera in domo Dei: * speràvi in misericórdia Dei in æternum, & in séculum séculi.

Confitébor tibi in séculum,

quia feciſti : * & expectábo nomen tuum, quóniam bonum eſt in conſpectu ſanctórum tuórum.

PSALMUS 54.

*Deum, ut ſe à fictis amicis ſervet, obteſtatur Chriſtus.*

EXaudi, Deus, oratiónem meam, & ne deſpéxeris deprecatiónem meam: * intende mihi, & exaudi me.

Contriſtátus ſum in exercitatióne mea, * & conturbátus ſum à voce inimíci, & à tribulatióne peccatóris.

Quóniam declinavérunt in me iniquitátes, * & in ira moleſti erant mihi.

Cor meum conturbátum eſt in me, * & formído mortis cécidit ſuper me.

Timor & tremor venérunt ſuper me, * & contexérunt me ténebræ.

Et dixi: Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, * & volábo, & requieſcam?

Ecce elongávi fúgiens, * & manſi in ſolitúdine.

Expectábam eum qui ſalvum me fecit à puſillanimitáte ſpiritûs; * & tempeſtáte.

Præcípita, Dómine, divide linguas eórum; * quóniam vidi iniquitátem & contradictiónem in civitáte.

Die ac nocte circúmdabit eam ſuper muros ejus iníquitas; * & labor in médio ejus, & injuſtítia.

Et non defécit de platéis ejus * uſúra & dolus.

Quóniam ſi inimícus meus maledixiſſet mihi; * ſuſtinuiſſem útique.

Et ſi is qui óderat me, ſuper me magna locútus fuiſſet: * abſcondiſſem me fórſitan ab eo.

Tu verò, homo unánimis, * dux meus & notus meus.

Qui ſimul mecum dulces capiébas cibos; * in domo Dei ambulávimus cum conſenſu.

Véniat mors ſuper illos: * & deſcendant in infernum viventes.

Quóniam nequítiæ in habitáculis eórum, * in médio eórum.

Ego autem ad Deum clamávi; * & Dóminus ſalvábit me.

*Diviſio Pſalmi 54.*

VEſpere, & mane, & meridie narrábo & annuntiábo: * & exáudiet vocem meam.

Rédimet in pace ánimam meam ab his qui appropinquant mihi: * quóniam inter multos erant mecum.

Exáudiet Deus, & humiliábit illos, * qui eſt ante ſécula.

Non enim eſt illis commutátio, & non timuérunt Deum: * extendit manum ſuã in retribuendo.

Contaminavérunt teſtamentum ejus, diviſi ſunt ab ira vultûs ejus: * & appropinquávit cor illíus.

Mollíti ſunt ſermónes ejus ſuper óleum: * & ipſi ſunt jácula.

Jacta ſuper Dóminum curã tuam, & ipſe te enútriet: * non dabit in æternum fluctuatiónem juſto.

Tu verò, Deus, * dedúces eos in púteum interitûs.

Viri ſánguinum & dolóſi non dimidiábunt dies ſuos: * ego autem ſperábo in te, Dómine.

*Ant.* Contristátus sum, quóniam declinavérunt in me iniquitátes.

*IN II. NOCTURNO.*

*Ant.* 2. D. Ab insurgéntibus.

PSALMUS 58.

*Zelus Ecclesiæ adversùs impios.*

ERipe me de inimícis meis, Deus meus: * & ab insurgéntibus in me líbera me.

Eripe me de operántibus iniquitátem, * & de viris sánguinum salva me:

Quia ecce cepérunt ánimam meam, * irruérunt in me fortes.

Neque iníquitas mea, neque peccátum meum, Dómine: * sine iniquitáte cucurri, & direxi.

Exurge in occursum meum, & vide: * & tu, Dómine, Deus virtútum, Deus Israël,

Intende ad visitandas omnes gentes: * non misereáris ómnibus qui operantur iniquitátem.

Convertentur ad vésperam, & famem patientur ut canes: * & circuíbunt civitátem.

Ecce loquentur in ore suo, & gládius in lábiis eórum: * quóniam quis audívit?

Et tu, Dómine, deridébis eos: * ad níhilum dedúces omnes gentes.

Fortitúdinem meam ad te custódiam, quia Deus susceptor meus es: * Deus meus, misericórdia ejus prævéniet me.

*Divisio Psalmi* 58.

DEus ostendet mihi super inimícos meos, ne occídas eos: * nequando obliviscantur pópuli mei.

Dispérge illos in virtúte tua: * & depóne eos, protéctor meus, Dómine.

Delictum oris eórum, sermónem labiórum ipsórum: * & comprehendantur in superbia sua.

Et de execratióne & mendácio annuntiabuntur in consummatióne: * in ira consummatiónis, & non erunt.

Et scient quia Deus dominábitur Jacob, * & finium terræ.

Convertentur ad vésperam, & famem patientur ut canes: * & circuíbunt civitátem.

Ipsi dispergentur ad manducandum: * si verò non fuerint saturáti, & murmurábunt.

Ego autem cantábo fortitúdinem tuam: * & exultábo manè misericórdiam tuam;

Quia factus es susceptor meus, * & refúgium meum in die tribulatiónis meæ.

Adjútor meus, tibi psallam, quia Deus susceptor meus es: * Deus meus, misericórdia mea.

PSALMUS 60.

*Ecclesia ab infectatoribus oppressa: Christi regnum æternum.*

EXaudi, Deus, deprecatiónem meam: * inténde oratióni meæ.

A finibus terræ ad te clamávi: * dum anxiarétur cor meum, in petra exaltásti me.

Deduxísti me, quia factus es spes mea, * turris fortitúdinis à fácie inimíci.

Inhabitábo in tabernáculo tuo in sécula: * prótegar in velamento alárum tuárum;

Quóniam tu, Deus meus, exaudísti oratiónem meam: *

dedisti hæreditátem timéntibus nomen tuum.

Dies super dies regis adjícies, * annos ejus usque in diem generatiónis & generatiónis.

Pérmanet in æternum in conspectu Dei: * misericórdiam & veritátem ejus quis requíret?

Sic psalmum dicam nómini tuo in séculum séculi, * ut reddam vota meade die indiem.

*Ant.* Ab insurgéntibus in me líbera me, Dómine, quia irruérunt in me fortes. *Ps.* 58.

*IN III. NOCTURNO.*

*Ant.* 3. b. Ego sum.

PSALMUS 68.

*Christus, ob Religionis zelum multa passus, auxilium à Patre petit.*

SAlvum me fac, Deus: * quóniam intravérunt aquæ usque ad ánimam meam.

Infixus sum in limo profundi, * & non est substántia.

Veni in altitúdinem maris, * & tempestas demersit me.

Laborávi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ: * defecérunt óculi mei, dum spero in Deum meum.

Multiplicáti sunt super capillos cápitis mei, * qui odérunt me gratis.

Confortáti sunt qui persecúti sunt me inimíci mei injustè: * quæ non rápui, tunc exolvébam.

Deus, tu scis insipiéntiam meam, * & delicta mea à te non sunt abscóndita.

Non erubescant in me qui expectant te, Dómine, * Dómine virtútum.

Non confundantur super me, * qui quærunt te, Deus Israël.

Quóniam propter te sustínui oppróbrium, * opéruit confúsio fáciem meam.

Extráneus factus sum frátribus meis, * & peregrínus filiis matris meæ.

Quóniam zelus domûs tuæ comédit me; * & oppróbria exprobrántium tibi cecidérunt super me.

Et opérui in jejúnio ánimâ meam; * & factum est in oppróbrium mihi.

Et pósui vestimentum meũ cilícium, * & factus sum illis in parábolam.

Adversùm me loquebantur qui sedébant in porta; * & in me psallébant qui bibébant vinum.

Ego verò oratiónem meam ad te, Dómine; * tempus beneplàciti, Deus.

In multitúdine misericórdiæ tuæ exaudi me, * in veritáte salútis tuæ.

Eripe me de luto, ut non infigar; * líbera me ab iis qui odérunt me, & de profundis aquárum.

Non me demergat tempestas aquæ, neque absórbeat me profundum, * neque úrgeat super me púteus os suum.

*Divisio Psalmi* 68.

EXaudi me, Dómine, quóniam benigna est misericórdia tua; * secundùm multitúdinem miseratiónum tuárum réspice in me.

Et ne avertas fáciem tuam à púero tuo: * quóniam tríbulor, velóciter exaudi me.

Intende ánimæ meæ, & líbera eam; * propter inimícos meos éripe me.

Tu scis impropérium meũ, & confusiónem meam, * & reveréntiam meam.

In conspéctu tuo sunt omnes qui tribulant me: * impropérium expectávit cor meum, & misériam.

Et sustínui qui simul contristarétur, & non fuit; * & qui consolarétur, & non invéni.

Et dedérunt in escam meam fel; * & in siti mea potavérunt me acéto.

Fiat mensa eórum coram ipsis in láqueum, * & in retributiónes, & in scándalum.

Obscurentur óculi eórum, ne vídeant, * & dorsum eórum semper incurva.

Effunde super eos iram tuam, * & furor iræ tuæ comprehendat eos.

Fiat habitátio eórum deserta, * & in tabernáculis eórum non sit qui inhábitet.

Quóniam quem tu percussísti, persecúti sunt; * & super dolórem vúlnerum meórum addidérunt.

Appóne iniquitátem super iniquitátem eórum; * & non intrent in justítiam tuam.

Deleantur de libro vivéntium; * & cum justis non scribantur.

*Altera divisio Psalmi 68.*

EGo sum pauper & dolens: * salus tua, Deus, susscépit me.

Laudábo nomen Dei cum cántico, * & magnificábo eum in laude.

Et placébit Deo super vítulum novéllum, * córnua producéntem & úngulas.

Vídeant páuperes, & lætentur: * quærite Deum, & vivet ánima vestra.

Quóniam exaudívit páuperes Dóminus, * & vinctos suos non despexit.

Laudent illum cœli & terra; * mare, & ómnia reptília in eis.

Quóniam Deus salvam fáciet Sion, * & ædificabuntur civitátes Juda.

Et inhabitábunt ibi, * & hæreditáte acquírent eam.

Et semen servórum ejus possidébit eam; * & qui diligunt nomen ejus, habitábunt in ea.

*Ant.* Ego sum pauper & dolens: salus tua, Deus, susscépit me.

## AD LAUDES.

*Ant.* 1. a. Deus.

### Psalmus 53.

*Oratio justi adversus hostes auxilium deprecantis.*

DEus, in nómine tuo salvum me fac, * & in virtúte tua júdica me.

Deus, exaudi oratiónem meam; * áuribus pércipe verba oris mei:

Quóniam aliéni insurrexérunt adversùm me, & fortes quæsiérunt ánimam meam, * & non propósuérunt Deum ante conspéctum suum:

Ecce enim Deus ádjuvat me, * & Dóminus susceptor est ánimæ meæ.

Averte mala inimícis meis, * & in veritáte tua dispérde illos.

Voluntáriè sacrificábo tibi; * & confitébor nómini tuo, Dñe, quóniam bonum est.

Quóniam

Quóniam ex omni tribulatióne eripuísti me, * & super inimícos meos despexit óculus meus.

*Ant.* Deus, in nómine tuo salvum me fac.

*Ant.* 4. E. Tu es.

PSALMUS 70.

*Ecclesia adversùs impios auxilium deprecatur.*

IN te, Dómine, sperávi, non confundar in æternũ; * in justítia tua líbera me, & éripe me.

Inclina ad me aurẽ tuam, * & salva me.

Esto mihi in Deum protectórem, & in locum munítum, * ut salvum me fácias.

Quóniam firmamentum meum, * & refúgium meum es tu.

Deus meus, éripe me de manu peccatóris, * & de manu contra legem agentis, & iníqui.

Quóniam tu es patiéntia mea, Dómine, * Dómine, spes mea à juventúte mea.

In te confirmátus sum ex útero, * de ventre matris meæ tu es protector meus.

In te cantátio mea semper, * tamquam prodígium factus sum multis, & tu adjútor fortis.

Repleátur os meum laude, ut cantem glóriam tuam, * totâ die magnitúdinem tuam.

Ne projícias me in témpore senectútis; * cùm defécerit virtus mea, ne derelinquas me.

Quia dixérunt inimíci mei mihi; * & qui custodiébant ánimam meam, consílium fecérunt in unum,

Dicentes: Deus dereliquit eum; persequímini, & comprehéndite eum, * quia non est qui eripiat.

Deus, ne elongéris à me: * Deus meus, in auxílium meũ réspice.

Confundantur & deficiant detrahentes ánimæ meæ; * operiantur confusióne & pudóre, qui quærunt mala mihi.

Ego autem semper sperábo, * & adjíciam super omnem laudem tuam.

*Ant.* Tu es patiéntia mea, Dómine; spes mea à juventúte meâ.

*Ant.* 8. c. Quantas.

*Divisio Psalmi* 70.

OS meum annuntiábit justítiam tuam, * totâ die salutáre tuum.

Quóniam non cognóvi litteratúram, introíbo in poténtias Dómini: * Dómine, memorábor justítiæ tuæ solíus.

Deus, docuísti me à juventúte meâ; * & usque nunc pronuntiábo mirabília tua,

Et usque in senectam & sénium, * Deus, ne derelinquas me:

Donec annúntiem brachium tuum * generatióni omni quæ ventúra est;

Poténtiam tuam & justítiam tuam, Deus, usque in altíssima quæ fecísti magnália: * Deus, quis símilis tibi?

Quantas ostendísti mihi tribulatiónes multas, & malas, & conversus, vivificásti me, * & de abýssis terræ íterum reduxísti me?

Multiplicásti magnificéntiam tuam, * & conversus consolátus es me.

Nam & ego confitébor tibi in vasis psalmi veritátem tuam : * Deus, psallam tibi in cithara, Sanctus Israël.

Exultábunt lábia mea cùm cantáveto tibi ; * & ánima mea, quam redemísti.

Sed & lingua mea totâ die meditábitur justítiam tuam ; * cùm confúsi & revériti fúerint qui quærunt mala mihi.

*Ant.* Quantas ostendísti mihi tribulatiónes, & conversus vivificásti me.

*Ant.* 7. d. Cum irátus fúeris.

*In Feriis Quadragesimæ, dicitur sequens*

*Canticum Habacuc.* Cap. 3.

DOmine, audívi auditiónem tuam, * & tímui.

Dómine, opus tuum * in médio annórum vivífica illud.

In médio annórum notum fácies : * cùm irátus fúeris, misericórdiæ recordáberis.

Deus ab Austro véniet, * & sanctus de monte Pharan.

Opéruit cœlos glória ejus, * & laudis ejus plena est terra.

Splendor ejus ut lux erit, córnua in mánibus ejus : * ibi absóndita est fortitúdo ejus.

Ante fáciẽ ejus ibit mors ; * & egrediétur diábolus ante pedes ejus.

Stetit, & mensus est terram : * aspexit, & dissolvit gentes ; & contriti sunt montes séculi.

Incurváti sunt colles mundi * ab itinéribus æternitátis ejus.

Pro iniquitáte vidi tentória Æthiópiæ : * turbabuntur pelles terræ Mádian.

Numquid in flumínibus irátus es, Dómine ? * aut in flumínibus furor tuus ? vel in mari indignátio tua ?

Qui ascendes super equos tuos, * & quadrígæ tuæ salvátio ;

Súscitans suscitábis arcum tuum : * juramenta tríbubus quæ locútus es.

Flúvios scindes terræ : vidérunt te, & doluérunt montes ; * gurges aquárum tránsiit.

Dedit abyssus vocem suã : * altitúdo manus suas levávit.

Sol & luna stetérunt in habitáculo suo : * in luce sagittárum tuárum ibunt, in splendóre fulgurantis hastæ tuæ.

In frémitu conculcábis terram : * in furóre obstupefácies gentes.

Egressus es in salútem pópuli tui, * in salútem cum christo tuo.

Percussísti caput de domo ímpii ; * denudásti fundamentum ejus usque ad collum.

Maledixísti sceptris ejus, cápiti bellatórum ejus, * veniéntibus ut turbo ad dispergendum me.

Exultátio eórum, * sicut ejus qui dévorat páuperem in abscóndito.

Viam feci*sti* in mari equis tuis, * in luto aquárum multárum.

Audívi, & conturbátus est venter meus : * à voce contremuérunt lábia mea.

Ingrediátur putrédo in óssibus meis, * & subter me scáteat ;

Ut requiescam in die tribulatiónis, * ut ascendam ad pópulum accinctum nostrum.

Ficus enim non florébit; * & non erit germen in vineis.

Mentiétur opus olivæ; * & arva non áfferent cibum.

Abscindétur de ovíli pecus; * & non erit armentum in præsépibus.

Ego autem in Dómino gaudébo, * & exultábo in Deo Jesu meo.

Deus Dóminus, fortitúdo mea, * & ponet pedes meos quasi cervórum.

Et super excelsa mea dedúcet me victor * in psalmis canentem.

*Ant.* Cùm irátus fúeris, Dómine, misericórdiæ recordáberis.

[*In Festis & Feriis Temp. Paschal. dicitur sequens*

*Canticum.* Is. 26.

URbs fortitúdinis nostræ Sion: * Salvátor ponétur in ea murus & antemurále.

Aperíte portas, * & ingrediátur gens justa, custódiens veritátem.

Vetus error ábiit: servábis pacem; * pacem, quia in te sperávimus.

Sperástis in Dómino in séculis ætérnis, * in Dómino Deo forti in perpétuum.

Quia incurvábit habitántes in excelso, * civitátem sublímem humiliábit.

Humiliábit eam usque ad terram, * détrahet eam usque ad púlverem.

Conculcábit eam pes, * pedes páuperis, gressus egenórum.

Sémita justi recta est, * rectus callis justi ad ambulándum.

Et in sémita judiciórũ tuórum, Dómine, sustinúimus te: * nomen tuum, & memoriále tuum in desidério ánimæ.

Anima mea desiderávit te in nocte; * sed & spíritu meo in præcórdiis meis de mane vigilábo ad te.

Cùm féceris judícia tua in terra, * justítiam discent habitatóres orbis.

Misereámur ímpio, & non discet justitiam: * in terra sanctórum iníqua gessit, & non vidébit glóriam Dómini.

Dómine, exaltétur manus tua; * & non vídeant:

Vídeant, & confundantur zelantes pópuli; * & ignis hostes tuos dévoret.

Dómine, dabis pacem nobis; * ómnia enim ópera nostra operátus es nobis.]

*Ant.* 4. a. Laudábo.

PSALMUS 145.

*Non hominibus, nec principibus, sed Deo fidendum.*

LAuda, ánima mea, Dóminum; laudábo Dóminum in vita mea: * psallam Deo meo quámdiu fúero.

Nolíte confídere in princípibus; * in fíliis hóminum, in quibus non est salus.

Exíbit spíritus ejus, & revertétur in terram suam: * in illa die períbunt omnes cogitatiónes eórum.

Beátus cujus Deus Jacob adjútor ejus, spes ejus in Dómino Deo ipsíus, * qui fecit cœlum & terram, mare, & ómnia quæ in eis sunt.

Qui custódit veritátem in séculum, facit judícium injúriam patiéntibus, * dat escam esuriéntibus.

Dóminus solvit compedi-

tos : * Dóminus illúminat cæcos.

Dóminus érigit elísos, * Dóminus díligit justos.

Dóminus custódit ádvenas, pupillum & víduam susci-piet ; * & vias peccatórum dísperdet.

Regnábit Dóminus in sécula, Deus tuus, Sion, * in generatiónem & generatiónem.

*Ant.* Laudábo in vita mea Dóminum, qui facit judícium injúriam patiéntibus.

## AD PRIMAM.

### Psalmus 43.

*Patres beneficiis cumulati : ob Religionem cuncta sustinenda.*

DEus, áuribus nostris audívimus, * patres nostri annuntiavérunt nobis

Opus quod operátus es in diébus eórum, * & in diébus antíquis.

Manus tua gentes dispérdidit, & plantásti eos ; * afflixísti pópulos, & expulísti eos.

Nec enim in gládio suo possedérunt terram, * & brachium eórum non salvávit eos :

Sed déxtera tua, & brachium tuum, & illuminátio vultûs tui ; * quóniam complacuísti in eis.

Tu es ipse rex meus, & Deus meus, * qui mandas salútes Jacob.

In te inimícos nostros ventilábimus cornu, * & in nómine tuo spernémus insurgentes in nobis.

Non enim in arcu meo sperábo, * & gládius meus non salvábit me.

Salvásti enim nos de affligéntibus nos, * & odientes nos confudísti.

*Divisio Psalmi 43.*

IN Deo laudábimur totâ die, * & in nómine tuo confitébimur in séculum.

Nunc autem repulísti, & confudísti nos : * & non egrediéris, Deus, in virtútibus nostris.

Avertísti nos retrorsùm post inimícos nostros ; * & qui odérunt nos, diripiébant sibi.

Dedísti nos tanquam oves escárum, * & in géntibus dispersísti nos.

Vendidísti pópulum tuum sine prétio, * & non fuit multitúdo in commutatiónibus eórum.

Posuísti nos oppróbrium vicínis nostris, * subsannatiónem & derísum his qui sunt in circúitu nostro.

Posuísti nos in similitúdinem géntibus, * commotiónem cápitis in pópulis.

Totâ die verecúndia mea contra me est, * & confúsio faciéi meæ coopéruit me.

A voce exprobrantis & obloquentis, * à fácie inimíci & persequentis.

Hæc ómnia venérunt super nos ; nec obliti sumus te, * & iníquè non égimus in testamento tuo.

Et non recéssit retrò cor nostrum, * & declinásti sémitas nostras à via tua.

Quóniam humiliásti nos in loco afflictiónis, * & coopéruit nos umbra mortis.

*Altera divisio Psalmi 43.*

SI obliti sumus nomen Dei nostri, * & si expándimus

mánus nostras ad Deum aliénum :

Nonne Deus requíret ista ?* ipse enim novit abscóndita cordis.

Quóniam propter te mortificámur totâ die, * æstimáti sumus sicut oves occisiónis.

Exurge, quare obdormis, Dómine ? * exurge, & ne repellas in finem.

Quare fáciem tuam avertis ? * oblivísceris inópiæ nostræ & tribulatiónis nostræ ?

Quóniam humiliáta est in púlvere ánima nostra, * conglutinátus est in terra venter noster.

Exurge, Dómine, ádjuva nos ; * & rédime nos propter nomen tuum.

## AD TERTIAM.

### Psalmus 39.

*Oratio Christi : ipse fiducia & obedientiæ typus.*

EXpectans expectávi Dóminum, * & intendit mihi.

Et exaudívit preces meas : * & eduxit me de lacu misériæ, & de luto fæcis.

Et státuit super petram pedes meos, * & direxit gressus meos.

Et immísit in os meum cánticum novum, * carmen Deo nostro.

Vidébunt multi, & timébunt ; * & sperábunt in Dómino.

Beátus vir cujus est nomen Dómini spes ejus : * & non respexit in vanitátes & insánias falsas.

Multa fecísti tu, Dómine Deus meus, mirabília tua : * & cogitatiónibus tuis non est qui símilis sit tibi.

Annuntiávi & locútus sum : * multiplicáti sunt super número-rum.

Sacrifícium & oblatiónem noluísti : * aures autem perfecísti mihi.

Holocaustum & pro peccáto non postulásti ; * tunc dixi : Ecce vénio.

In cápite libri scriptum est de me, ut fácerem voluntátem tuam : * Deus meus, vólui, & legem tuam in médio cordis mei.

*Divisio Psalmi 39.*

ANnuntiávi justítiam tuã in eccléfia magna ; * ecce lábia mea non prohibébo : Dómine, tu scísti.

Justítiam tuam non abscondi in corde meo : * veritátem tuam & salutáre tuum dixi.

Non abscondi misericórdiam tuam & veritátẽ tuam * à concílio multo.

Tu autem, Dómine, ne longè fácias miseratiónes tuas à me : * misericórdia tua & véritas tua semper susceperunt me.

Quóniam circumdedérunt me mala, quórum non est número-rus : * comprehendérunt me iniquitátes meæ, & non pótui ut vidérem.

Multiplicátæ sunt super capíllos cápitis mei : * & cor meum derelíquit me.

Compláceat tibi, Dómine, ut éruas me : * Dómine, ad adjuvandum me réspice.

Confundantur & reverean-tur símul, qui quærunt ánimam meam, * ut áuferant eam.

Convertantur retrorsùm, & revereantur, * qui volunt mihi mala.

Ferant confestim confusiónem suam, * qui dicunt mihi: Euge, euge.

Exultent & lætentur super te omnes quærentes te; * & dicant semper, Magnificétur Dóminus, qui díligunt salutáre tuum.

Ego autem mendicus sum, & pauper: * Dóminus sollícitus est meî.

Adjútor meus, & protector meus tu es: * Deus meus, ne tardáveris.

PSALMUS 57.

*Calumniatorum supplicia, bonorumque præmia Deum justum arguent.*

SI verè útique justitiam loquímini, * recta judicáte, filii hóminum.

Etenim in corde iniquitátes operámini: * in terra injustítias manus vestræ concinnant.

Alienáti sunt peccatóres à vulva; erravérunt ab útero: * locúti sunt falsa.

Furor illis secundùm similitúdinem serpentis: * sicut áspidis surdæ, & obturantis aures suas;

Quæ non exáudiet vocem incantántium, * & venéfici incantantis sapienter.

Deus cónteret dentes eórum in ore ipsórum: * molas leónum confringet Dóminus.

Ad níhilum devénient tamquam aqua decurrens: * intendit arcum suum donec infirmentur.

Sicut cera quæ fluit, auferentur: * supercécidit ignis, & non vidérunt solem.

Priusquam intellígerent spinæ vestræ rhamnum; * sicut viventes, sic in ira absorbet eos.

Lætábitur justus, cùm víderit vindictam: * manus suas lavábit in sánguine peccatóris.

Et dicet homo: Si útique est fructus justo, * útique est Deus júdicans eos in terra.

AD SEXTAM.

PSALMUS 101.

*Oratio ad Christum, quâ post calamitates, promissa salus exoratur.*

DÓmine, exaudi oratiónem meam; * & clamor meus ad te véniat.

Non avertas fáciem tuam à me: * in quacumque die tríbulor, inclína ad me aurem tuam.

In quacumque die invocávero te, * velóciter exaudi me;

Quia defecérunt sicut fumus dies mei, * & ossa mea sicut crémium aruérunt.

Percussus sum ut fœnum, & áruit cor meum; * quia oblítus sum comédere panẽ meũ.

A voce gémitûs mei, * adhæsit os meum carni meæ.

Símilis factus sum pellicáno solitúdinis; * factus sum sicut nyctícorax in domicílio.

Vigilávi, * & factus sum sicut passer solitárius in tecto.

Totâ die exprobrábant mihi inimíci mei; * & qui laudábant me, adversùm me jurábant:

Quia cínerem tamquam panem manducábam, * & potum meum cum fletu miscébam,

A fácie iræ & indignatiónis tuæ: * quia élevans allisísti me.

Dies mei sicut umbra declinavérunt, * & ego sicut fœnum árui.

Tu autem, Dómine, in æternum pérmanes; * & memoriále tuum in generatiónem & generatiónem.

*Divisio Psalmi* 101.

TU exurgens miseréberis Sion; * quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus.

Quóniam placuérunt servis tuis lápides ejus; * & terræ ejus miserebuntur:

Et timébunt gentes nomen tuum, Dómine, * & omnes reges terræ glóriam tuam:

Quia ædificávit Dóminus Sion; * & vidébitur in glória sua.

Respexit in oratiónem humílium, * & non sprevit precem eórum.

Scribantur hæc in generatióne áltera; * & pópulus, qui creábitur laudábit Dóminum:

Quia prospexit de excelso sancto suo: * Dóminus de cœlo in terram aspexit;

Ut audíret gémitus compeditórum, * ut sólveret filios interemptórum;

Ut annúntient in Sion nomen Dómini, * & laudem ejus in Jerúsalem,

In conveniendo pópulos in unum, * & reges, ut férviant Dómino.

Respondit ei in via virtútis suæ: * Paucitátem diérum meórum núntia mihi;

Ne révoces me in dimídio diérum meórum; * in generatiónem & generatiónem anni tui.

*Altera divisio Psal.* 101.

INítio tu, Dómine, terram fundásti, * & ópera mánuum tuárum sunt cœli.

Ipsi períbunt, tu autem pérmanes; * & omnes sicut vestimentum veterascent:

Et sicut opertórium mutábis eos, & mutabuntur; * tu autem idem ipse es; & anni tui non deficient.

Filii servórum tuórum habitábunt, * & semen eórum in séculum dirigétur.

## AD NONAM.

### PSALMUS 21.

*Christus in cruce Patrem obsecrat, ut sibi adsit.*

DEus, Deus meus, réspice in me: quare me dereliquísti? * longè à salúte mea verba delictórum meórum.

Deus meus, clamábo per diem, & non exáudies; * & nocte, & non ad insipiéntiam mihi.

Tu autem in sancto hábitas, * laus Israël.

In te speravérunt patres nostri; * speravérunt, & liberásti eos.

Ad te clamavérunt, & salvi facti sunt: * in te speravérunt, & non sunt confúsi.

Ego autem sum vermis, & non homo; * oppróbrium hóminum, & abjéctio plebis.

Omnes vidéntes me, derisérunt me; * locúti sunt lábiis, & movérunt caput.

Sperávit in Dómino, erí-

piat eum ; * salvum fáciat eum, quóniam vult eum.

Quóniam tu es qui extraxísti me de ventre ; * spes mea ab ubéribus matris meæ.

In te projectus sum ex útero : * de ventre matris meæ Deus meus es tu.

*Divísio Psalmi* 21.

[D]Eus meus, ] ne discésseris à me, * quóniam tribulátio próxima est, quóniam non est qui ádjuvet.

Circumdedérunt me vituli multi : * tauri pingues obsedérunt me.

Aperuérunt super me os suum, * sicut leo rápiens & rúgiens.

Sicut aqua effúsus sum, * & dispersa sunt ómnia ossa mea.

Factum est cor meum tamquam cera liquéscens * in médio ventris mei.

Aruit tamquam testa virtus mea, & lingua mea adhésit fáucibus meis ; * & in púlverẽ mortis deduxísti me.

Quóniam circumdedérunt me canes multi : * concílium malignántium obsédit me.

Fodérunt manus meas & pedes meos, * dinumeravérunt ómnia ossa mea.

Ipsi verò consideravérunt, & inspexérunt me : * divisérunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam misérunt sortem.

Tu autem, Dómine, ne elongáveris auxílium tuum à me : * ad defensiónem meam cónspice.

Erue à frámea, Deus, ánimam meam, * & de manu canis únicam meam.

Salva me ex ore leónis, * & à córnibus unicórnium humilitátem meam.

Narrábo nomen tuum frátribus meis : * in médio eccléſiæ laudábo te.

*Altera divisio Psalmi* 21.

QUi timétis Dóminum, laudáte eum : * universum semen Jacob, glorificáte eum.

Tímeat eum omne semen Israël : * quóniam non sprevit, neque désprexit deprecatiónem páuperis.

Nec avertit fáciem suam à me : * & cùm clamárem ad eum, exaudívit me.

Apud te laus mea in eccléſia magna : * vota mea reddam in conspéctu timéntium eum.

Edent páuperes, & saturabuntur ; & laudábunt Dóminum qui requírunt eum : * vivent corda eórum in séculum séculi.

Reminiscéntur & converténtur ad Dóminum * universi fines terræ.

Et adorábunt in conspéctu ejus * universæ famíliæ géntium.

Quóniam Dómini est regnum, * & ipse dominábitur géntium.

Manducavérunt & adoravérunt omnes pingues terræ : * in conspéctu ejus cadent omnes qui descendunt in terram.

Et ánima mea illi vivet ; * & semen meum sérviet ipsi.

Annuntiábitur Dómino generátio ventúra : * & annuntiábunt cœli justítiam ejus pópulo qui nascétur, quem fecit Dóminus.

AD VESPERAS.

*Ant.* 4. A. Supra dorsum.

PSALMUS 128.

*Recentis Ecclesiæ prælia, & victoria.*

SÆpe expugnavérunt me à juventúte mea, * dicat nunc Israël.

Sæpe expugnavérunt me à juventúte mea: * étenim non potuérunt mihi.

Supra dorsum meum fabricavérunt peccatóres, * prolongavérunt iniquitátẽ suam.

Dóminus justus concídit cervíces peccatórum: * confundantur & convertantur retrorsùm, omnes qui odérunt Sion.

Fiant sicut fœnum tectórum, * quod priusquam evellátur, exáruit:

De quo non implévit manum suam qui metit; * & sinũ suum qui manípulos cólligit.

Et non dixérunt qui prætereíbant: Benedíctio Dómini super vos, * benedíximus vobis in nómine Dómini.

*Ant.* Supra dorsum meum fabricavérunt peccatóres: prolongavérunt iniquitátem suã.

*Ant.* 5. g. Dómine.

PSALMUS 138.

*Insignis Dei in nos à puero providentia.*

DOmine, probásti me, & cognovísti me: * tu cognovísti sessiónem meam, & resurrectiónem meam.

Intellexísti cogitatiónes meas de longè: * sémitam meam, & funículum meum investigásti;

Et omnes vias meas prævidísti, * quia non est sermo in lingua mea.

Ecce, Dómine, tu cognovísti ómnia novíssima & antiqua, * tu formásti me, & posuísti super me manum tuam.

Mirábilis facta est sciéntia tua ex me; * confortáta est, & non pótero ad eam.

Quò ibo à spíritu tuo? * & quò à fácie tua fúgiam?

Si ascéndero in cœlum, tu illic es; * si descéndero in infernum, ades:

Si súmpsero pennas meas dilúculo, * & habitávero in extrémis maris;

Etenim illuc manus tua dedúcet me, * & tenébit me déxtera tua.

Et dixi: Fórsitan ténebræ conculcábunt me; * & nox illuminátio mea in delíciis meis.

Quia ténebræ non obscurabúntur à te, & nox sicut dies illuminábitur; * sicut ténebræ ejus, ita & lumen ejus.

Quia tu possedísti renes meos: * suscepísti me de útero matris meæ.

*Ant.* Dómine, probásti me, & cognovísti me.

*Ant.* 6. Confitébor tibi.

*Divisio Psalmi* 138.

COnfitébor tibi, [Dómine,] quia terribíliter magnificátus es: * mirabília ópera tua, & ánima mea cognoscit nimis.

Non est occultátum os meũ à te, quod feci sti in occulto; * & substántia mea in inferióribus terræ.

Imperfectum meum vidérunt óculi tui; & in libro tuo omnes scribéntur: * dies formabúntur, & nemo in eis.

Mihi autem nimis honorificáti sunt amici tui, Deus; *

nimis confortátus est princípátus eórum.

Dinumerábo eos, & super arénam multiplicabuntur: * exurrexi, & adhuc sum tecum.

Si occíderis, Deus, peccatóres; * viri sánguinum, declináte à me.

Quia dicitis in cogitatióne, * Accípient in vanitáte civitátes tuas.

Nonne qui odérunt te, Dómine, óderam, * & super inimícos tuos tabescébam?

Perfecto ódio óderam illos, * & inimíci facti sunt mihi.

Proba me, Deus, & scito cor meum; * intérroga me, & cognósce sémitas meas:

Et vide si via iniquitátis in me est, * & deduc me in via æterna.

*Ant.* Confitébor tibi, Dómine, quia terribíliter magnificátus es; ánima mea cognóscit nimis.

*Ant.* 2. D. Custódi me, Dñe.

PSALMUS 139.

*Se ab improbis defendi precatur Christus.*

ERipe me, Dómine, ab hómine malo, * à viro iníquo éripe me.

Qui cogitavérunt iniquitátes in corde, * totâ die constituébant prælia.

Acuérunt linguas suas sicut serpentis, * venénum áspidum sub lábiis eórum.

Custódi me, Dómine, de manu peccatóris, * & ab homínibus iníquis éripe me.

Qui cogitavérunt supplantáre gressus meos, * abscondérunt superbi láqueum mihi;

Et funes extendérunt in láqueum; * juxta iter scándalum posuérunt mihi.

Dixi Dómino: Deus meus es tu; * exaudi, Dómine, vocem deprecatiónis meæ.

*Ant.* Custódi me, Dómine, de manu peccatóris.

*Ant.* 7. c. Dómine, Dñe.

*Divisio Psalmi* 139.

DOmine, Dómine, virtus salútis meæ, * obumbrásti super caput meum in die belli;

Ne tradas me, Dómine, à desidério meo peccatóri; * cogitavérunt contra me, ne derelinquas me, ne fortè exaltentur.

Caput circúitus eórum; * labor labiórum ipsórum opériet eos.

Cadent super eos carbónes: in ignem deícies eos: * in misériis non subsístent.

Vir linguósus non dirigétur in terra; * virum injustum mala cápient in intéritu.

Cognóvi quia fáciet Dóminus judícium ínopis, * & vindictam páuperum.

Verúmtamen justi confitebuntur nómini tuo, * & habitábunt recti cum vultu tuo.

*Ant.* Dómine, Dómine, virtus salútis meæ, ne derelinquas me.

AD COMPLETORIUM.

*Ant.* 2. D. Dómine.

PSALMUS 37.

*Mala vita sustinenda ad veniam peccatorum obtinendam.*

DOmine, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me.

Quóniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, * & confirmasti super me manum tuam.

Non est sánitas in carne mea à fácie iræ tuæ; * non est pax óssibus meis à fácie peccatórum meórum.

Quóniam iniquitátes meæ supergressæ sunt caput meũ, * & sicut onus grave gravátæ sunt super me.

Putruérunt & corruptæ sunt cicatríces meæ, * à fácie insipiéntiæ meæ.

Miser factus sum & curvátus sum usque in finem: * totâ die contristátus ingrediébar.

Quóniam lumbi mei impléti sunt illusiónibus, * & non est sánitas in carne mea.

Afflictus sum & humiliátus sum nimis: * rugiébam à gémitu cordis mei.

Dómine, ante te omne desidérium meum, * & gémitus meus à te non est absconditus.

Cor meum conturbátum est, derelíquit me virtus mea: * & lumen oculórum meórum, & ipsum non est mecum.

*Divisio Psalmi 37.*

Amici mei, & próximi mei * adversùm me appropinquavérunt & stetérunt.

Et qui juxta me erant, de longè stetérunt, * & vim faciébant qui quærébant ánimam meam.

Et qui inquirébant mala mihi, locúti sunt vanitátes, * & dolos totâ die meditabantur.

Ego autem tamquam surdus non audiébam, * & sicut mutus non apériens os suum.

Et factus sum sicut homo non áudiens, * & non habens in ore suo redargutiónes.

Quóniam in te, Dómine, sperávi: * tu exáudies me, Dómine Deus meus.

Quia dixi: Nequando supergáudeant mihi inimíci mei: * &, dum commoventur pedes mei, super me magna locúti sunt.

Quóniam ego in flagella parátus sum: * & dolor meus in conspéctu meo semper.

Quóniam iniquitátem meã annuntiábo: * & cogitábo pro peccáto meo.

Inimíci autem mei vivunt, & confirmáti sunt super me: * & multiplicáti sunt qui odérunt me iníquè.

Qui retribuunt mala pro bonis, detrahébant mihi: * quóniam sequébar bonitátem.

Ne derelinquas me, Dómine Deus meus: * ne discésseris à me.

Intende in adjutórium meum, * Dómine Deus salútis meæ.

PSALMUS 55.

*Justus fide erectus, in Deo solatium quærit.*

Miserére mei, Deus, quóniam conculcávit me homo: * totâ die impugnans tribulávit me.

Conculcavérunt me inimíci mei totâ die: * quóniam multi bellantes adversùm me.

Ab altitúdine diéi timébo: * ego verò in te sperábo.

In Deo laudábo sermónes meos, in Deo sperávi: * non timébo quid fáciat mihi caro.

Totâ die verba mea execrabantur: * adversùm me omnes cogitatiónes eórum in malum.

Inhabitábunt & abscondent: * ipsi calcáneum meum obsérvábunt.

Sicut sustinuérunt ánimam meam, pro níhilo salvos fácies illos: * in ira pópulos confringes.

Deus, vitam meam annuntiávi tibi: * posuísti lácrymas meas in conspectu tuo.

Sicut & in promissióne tua: * tunc convertentur inimíci mei retrorsùm.

In quacumque die invocávero te: * ecce cognóvi quóniam Deus meus es.

In Deo laudábo verbum, in Dómino laudábo sermónem: * in Deo sperávi, non timébo quid fáciat mihi homo.

In me sunt, Deus, vota tua, * quæ reddam laudatiónes tibi:

Quóniam eripuísti ánimam meam de morte, & pedes meos de lapsu: * ut pláceam coram Deo in lúmine vivéntium.

*Ant.* Dómine Deus meus, ne discésseris à me. *Ps.* 37.

## SABBATO.

### AD OFFICIUM NOCTURNUM.

### *IN I. NOCTURNO.*

*Ant.* 1. a. Beátus.

PSALMUS 40.

*Diligentium Christi pauperatem beatitudo.*

BEátus qui intélligit super egénum & páuperem: * in die mala liberábit eum Dóminus.

Dóminus conservet eum, & vivíficet eum, & beátum fáciat eum in terra: * & non tradat eum in ánimam inimicórum ejus.

Dóminus opem ferat illi super lectum dolóris ejus: * universum stratum ejus versásti in infirmitáte ejus.

Ego dixi: Dómine, miserére meî; * sana ánimam meâ, quia peccávi tibi.

Inimíci mei dixérunt mala mihi: * Quando moriétur, & períbit nomen ejus?

Et si ingrediebátur ut vidéret, vana loquebátur: * cor ejus congregávit iniquitátem sibi.

Egrediebátur foràs, * & loquebátur in idipsum.

Adversùm me susurrábant omnes inimíci mei: * adversùm me cogitábant mala mihi.

Verbum iníquum constituérunt adversùm me: * numquid qui dormit, non adjíciet ut resurgat?

Etenim homo pacis meæ, in quo sperávi, * qui edébat panes meos, magnificávit super me supplantatiónem.

Tu autem, Dómine, miserére meî, & resúscita me; * retríbuam eis.

In hoc cognóvi quóniam voluísti me, * quóniam non gaudébit inimícus meus super me.

Me autem propter innocéntiam suscepísti, * & confirmásti me in conspectu tuo in æternum.

Benedictus Dóminus Deus Israël à sæculo, & usque in sæculum; * fiat, fiat.

PSALMUS 48.

*Nil contra infernum prosunt opes : justitia sola ex eo eripit.*

AUdíte hæc, omnes gentes : * áuribus percípite, omnes qui habitátis orbem.

Quique terrígenæ, & filii hóminum : * símul in unum dives & pauper.

Os meum loquétur sapiéntiam, * & meditátio cordis mei prudéntiam.

Inclinábo in parábolam aurem meam : * apériam in psaltério propositiónẽ meam.

Cur timébo in die mala ? * iníquitas calcánei mei circúmdabit me.

Qui confídunt in virtúte sua : * & in multitúdine divitiárum suárum gloriántur.

Frater non rédimit, rédimet homo : * non dabit Deo placatiónem suam.

Et prétium redemptiónis ánimæ suæ : * & laborábit in æternum, & vivet adhuc in finem.

Non vidébit intéritum, cùm víderit sapientes moriéntes : * símul insípiens & stultus períbunt.

Et relinquent aliénis divítias suas : * & sepulcra eórum domus illórum in æternũ.

Tabernácula eórum in progénie & progénie : * vocavérunt nómina sua in terris suis.

Et homo, cùm in honóre esset, non intéllexit : * comparátus est jumentis insipiéntibus, & símilis factus est illis.

Hæc via illórum scándalum ipsis : * & póstea in ore suo complacébunt.

Sicut oves in inferno pósiti sunt : * mors depascet eos.

Et dominabuntur eórum justi in matutino : * & auxílium eórum veterascet in inferno à glória eórum.

Verúmtamen Deus rédimet ánimam meam de manu inferi, * cum accéperit me.

*Divisio Psalmi 48.*

NE timúeris cùm dives factus fúerit homo, * & cùm multiplicáta fúerit glória domus ejus.

Quóniam cùm interíerit, non súmet ómnia : * neque descendet cum eo glória ejus.

Quia ánima ejus in vita ipsius benedicétur : * confitébitur tibi cùm benefeceris ei.

Introíbit usque in progénies patrum suórum ; * & usque in æternum non vidébit lumen.

Homo, cùm in honóre esset, non intellexit : * comparátus est jumentis insipiéntibus, & símilis factus est illis.

*Ant.* Beátus qui intélligit super egénum & páuperem, in die malâ liberábit eum Dóminus.

*IN II. NOCTURNO.*

*Ant.* 5. a. Tu reddes.

PSALMUS 61.

*Frustra oppugnatur qui Deo subjectus in ejus tutela manet.*

NOnne Deo subjecta erit ánima mea ? * ab ipso enim salutáre meum.

Nam & ipse Deus meus, & salutáris meus, * susceptor meus, non movébor ámplius.

Quousque irrúitis in hóminem ? * interfícitis universi

vos, tamquam parieti inclináto, & macériæ depulsæ?

Verúmtamen prétium meũ cogitavérunt repéllere, cucurri in siti: * ore suo benedicébant, & corde suo maledicébant.

Verúmtamen Deo subjecta esto, ánima mea, * quóniam ab ipso patiéntia mea.

Quia ipse Deus meus, & salvátor meus; * adjútor meus, non emigrábo.

In Deo salutáre meum, & glória mea: * Deus auxílii mei; & spes mea in Deo est.

Speráte in eo, omnis congregátio pópuli, effúndite coram illo corda vestra: * Deus adjútor noster in ætern ũ.

Verúmtamen vani filii hóminum, mendáces filii hóminum in statéris, * ut decípiant ipsi de vanitáte in idipsum.

Nolíte speráre in iniquitáte, & rapínas nolíte concupíscere: * divítiæ si áffluant, nolíte cor appónere.

Semel locútus est Deus, duo hæc audívi; quia potestas Dei est, & tibi, Dómine, misericórdia: * quia tu reddes unicuíque juxta ópera sua.

PSALMUS 63.

*Vana impiorum concilia: Evangelii prædicatio.*

EXaudi, Deus, oratiónem meam cum déprecor: * à timóre inimici éripe ánimam meam.

Protexísti me à conventu malignántium, * à multitúdine operántium iniquitátem.

Quia exacuérunt ut gládium linguas suas; * intendérunt arcum, rem amáram, ut sagittent in occultis immaculátum.

Súbitò sagittábunt eum, & non timébunt; * firmavérunt sibi sermónem nequam.

Narravérunt ut abscónderent láqueos; * dixérunt, Quis vidébit eos.

Scrutáti sunt iniquitátes: * defecérunt scrutantes scrutínio.

Accédet homo ad cor altum: * & exaltábitur Deus.

Sagittæ parvulórum factæ sunt plagæ eórum: * & infirmátæ sunt contra eos linguæ eórum.

Conturbáti sunt omnes qui vidébant eos: * & timuit omnis homo.

Et annuntiavérunt ópera Dei, * & facta ejus intellexérunt.

Lætábitur justus in Dómino, & sperábit in eo, * & laudabuntur omnes recti corde.

PSALMUS 74.

*Ad vitandum Dei judicium, humilitas colenda.*

CONfitébimur tibi, Deus: * confitébimur, & invocábimus nomen tuum.

Narrábimus mirabília tua: * cùm accépero tempus, ego justítias judicábo.

Liquefacta est terra, & omnes qui hábitant in ea: * ego confirmávi columnas ejus.

Dixi iníquis: Nolíte iníquè ágere; * & delinquéntibus: Nolíte exaltáre cornu.

Nolíte extóllere in altum cornu vestrum, * nolíte loqui adversùs Deum iniquitátem.

Quia neque ab oriente, neque ab occidente, neque à desértis móntibus: * quóniã Deus judex est:

Hunc humíliat, & hunc exaltat; * quia calix in manu Dómini vini meri plenus mixto;

Et inclinávit ex hoc, in hoc, verúmtamen fæx ejus non eſt exinanita, * bibent omnes peccatóres terræ.

Ego autem annuntiábo in ſéculum; * cantábo Deo Jacob.

Et ómnia córnua peccatórum confringam; * & exaltabuntur córnua juſti.

*Ant.* Tu reddes, Dómine, unicuíque juxta ópera ſua. *Pſ.* 61.

*IN III. NOCTURNO.*

*Ant.* 6. Cogitátio.

PSALMUS 75.

*Innumera Chriſti in Eccleſiam beneficia.*

NOtus in Judæa Deus: * in Iſraël magnum nomen ejus.

Et factus eſt in pace locus ejus; * & habitátio ejus in Sion.

Ibi confregit poténtias árcuum, * ſcutum, gládium, & bellum.

Illúminans tu mirabíliter à móntibus æternis: * turbáti ſunt omnes inſipientes corde.

Dormiérunt ſomnũ ſuum; * & nihil invenérunt omnes viri divitiárum in mánibus ſuis.

Ab increpatióne tua, Deus Jacob, * dormitavérunt qui aſcendérunt equos.

Tu terríbilis es, & quis reſiſtet tibi? * ex tunc ira tua.

De cœlo audítum feciſti judícium: * terra trémuit, & quiévit,

Cùm exúrgeret in judícium Deus, * ut ſalvos fáceret omnes manſuétos terræ.

Quóniam cogitátio hóminis confitébitur tibi; * & reliquiæ cogitatiónis diem feſtum agent tibi.

Vovéte, & réddite Dómino Deo veſtro, * omnes qui in circúitu ejus affertis múnera,

Terríbili, & ei qui aufert ſpíritum príncipum; * terríbili apud reges terræ.

PSALMUS 82.

*Adversùs Eccleſiam bella: pœna perſequentium.*

DEus, quis símilis erit tibi? * ne táceas, neque compeſcáris, Deus;

Quóniam ecce inimíci tui ſonuérunt; * & qui odérunt te, extulérunt caput.

Super pópulum tuum malignavérunt consílium, * & cogitavérunt adversùs ſanctos tuos.

Dixérunt: Veníte, & diſperdámus eos de gente, * & non memorétur nomen Iſraël ultrà:

Quóniam cogitavérunt unanímiter, * símul adversùm te teſtamentum diſpoſuérunt

tabernácula Idumæórum & Iſmahelítæ:

Moab, & Agaréni, Gebal, & Ammon, & Amalec; * alienígenæ cum habitántibus Tyrum:

Etenim Aſſur venit cum illis; * facti ſunt in adjutórium fíliis Loth.

Fac illis ſicut Mádian, & Síſaræ; * ſicut Jabin in torrente Ciſſon.

Diſperiérunt in Endor; * facti ſunt ut ſtercus terræ.

Pone príncipes eórum ſicut Oreb, & Zeb, * & Zébee, & Sálmana;

Omnes príncipes eórum, * qui dixérunt: Hæreditáte possideámus sanctuárium Dei.

*Divisio Psalmi* 82.

DEus meus, pone illos ut rotam, * & sicut stípulam ante fáciem venti.

Sicut ignis qui combúrit sylvam, * & sicut flamma combúrens montes:

Ita persequéris illos in tempestáte tua, * & in ira tua turbábis eos.

Imple fácies eórum ignomíniâ, * & quærent nomen tuum, Dómine.

Erubescant & conturbentur in séculum séculi; * & confundantur, & péreant:

Et cognoscant quia nomen tibi, Dóminus: * tu solus Altíssimus in omni terra.

*Antiph.* Cogitátio hóminis confitébitur tibi, Dómine. *Ps.* 75.

## AD LAUDES.

*Ant.* 4. a. Pérfice.

PSALMUS 16.

*Oratio Ecclesiæ ab hostibus exagitatæ.*

EXaudi, Dómine, justítiam meam: * intende deprecatiónem meam.

Auribus pércipe oratiónem meam, * non in lábiis dolósis.

De vultu tuo judícium meu pródeat: * óculi tui vídeant æquitátes.

Probásti cor meum, & visitásti nocte: * igne me examinásti, & non est inventa in me iniquitas.

Ut non loquátur os meum ópera hóminum: * propter verba labiórum tuórum ego custodívi vias duras.

Pérfice gressus meos in sémitis tuis: * ut non moveantur vestígia mea.

Ego clamávi, quóniam exaudísti me, Deus: * inclína aurem tuam mihi, & exaudi verba mea.

Mirifica misericórdias tuas * qui salvos facis sperantes in te.

A resisténtibus déxteræ tuæ custódi me, * ut pupillam óculi.

Sub umbra alárum tuárum prótege me: * à fácie impiórum qui me afflixérunt.

*Ant.* Pérfice gressus meos in sémitis tuis, Dómine, ut non moveantur vestígia mea.

*Ant.* 7. d. In justítia.

*Divisio Psalmi* 16.

INimíci mei ánimam meam circumdedérunt, ádipem suum concluserunt: * os eórum locútum est supérbiam.

Projicientes me nunc circumdedérunt me: * óculos suos statuérunt declináre in terram.

Suscepérunt me sicut leo parátus ad prædam, * & sicut cátulus leónis hábitans in ábditis.

Exurge, Dómine, prævені eum, & supplanta eum; * éripe ánimam meam ab ímpio, frámeam tuam ab inimícis manûs tuæ.

Dómine, à paucis de terra dívide eos in vita eórum: * de abscónditis tuis adimplétus est venter eórum.

Saturáti sunt filiis: * & dimisérunt relíquias suas párvulis suis.

Ego autem in justítia apparébo conspéctui tuo; * satiábor

bor cùm apparúerit glória tua.

*Ant.* In justítia apparébo conspéctui tuo : satiábor cùm apparúerit glória tua.

*Ant.* 1. f. Parátum.

PSALMUS 56.

*Contra inimicos opem implorat Christus, postea Dei laudes celebraturus.*

MIserére meî, Deus, miserére meî : * quóniam in te confidit ánima mea.

Et in umbra alárum tuárum sperábo : * donec tránseat iníquitas.

Clamábo ad Deum altíssimum, * Deum qui benefécit mihi.

Misit de cœlo, & liberávit me : * dedit in oppróbrium conculcantes me.

Misit Deus misericórdiam suam & veritátem suam : * & erípuit ánimam meam de médio catulórum leónum, dormívi conturbátus.

Fílii hóminum, dentes eórum arma & sagittæ : * & lingua eórum gládius acútus.

Exaltáre super cœlos, Deus: * & in omnem terram glória tua.

Láqueum paravérunt pédibus meis : * & incurvavérunt ánimam meam.

Fodérunt ante fáciem meam fóveã; * & incidérunt in eam.

Parátum cor meum, Deus, parátum cor meum : * cantábo & psalmum dicam.

Exurge, glória mea, exurge, psaltérium & cíthara : * exurgam dilúculo.

Confitébor tibi in pópulis, Dómine, * & psalmum dicam tibi in géntibus :

Quóniam magnificáta est usque ad cœlos misericórdia tua : * & usque ad nubes véritas tua.

Exaltáre super cœlos, Deus: * & super omnem terram glória tua.

*Ant.* Parátum cor meum, Deus, parátum cor meum : cantábo, & psalmum dicam.

*Ant.* 5. a. Date magnificéntiam.

*In Feriis Quadragesimæ, dicitur sequens*

*Cantic. Moysi.* Deut. 32.

AUdíte, cœli, quæ loquor : * áudiat terra verba oris mei.

Concrescat ut plúvia doctrína mea : * fluat ut ros elóquium meum.

Quasi imber super herbam, * & quasi stillæ super grámina.

Quia nomen Dómini invocábo : * date magnificéntiam Deo nostro.

Dei perfecta sunt ópera, & omnes viæ ejus judícia : * Deus fidélis, & absque ulla iniquitáte, justus & rectus.

Peccavérunt ei, & non fílii ejus in sordibus; * generátio prava atque perversa.

Hæccine reddis Dómino, * pópule stulte & insípiens?

Numquid non ipse est pater tuus, * qui possédit te, & fecit, & creávit te?

Memento diérum antíquórum : * cógita generatiónes singulas.

Intérroga patrem tuum, & annuntiábit tibi : * majóres tuos, & dicent tibi.

Quando dividébat Altíssimus gentes, * quando separábat fílios Adam,

Constítuit términos populórum * juxta número filiórum Israël.

Pars autem Dómini pópulus ejus : * Jacob funículus hæreditátis ejus.

Invénit eum in terra desérta, * in loco horróris, & vastæ solitúdinis.

Circumduxit eum, & dócuit, * & custodívit quasi pupillam óculi sui.

Sicut áquila próvocans ad volandum pullos suos, * & super eos vólitans,

Expandit alas suas, & assúmpsit eum, * atque portávit in húmeris suis.

Dóminus solus dux ejus fuit; * & non erat cum eo deus aliénus:

Constítuit eum super excelsam terram, * ut coméderet fructus agrórum,

Ut súgeret mel de petra, * oleumque de saxo duríssimo;

Bútyrum de armento, & lac de óvibus, * cum ádipe agnórum & arietum filiórum Basan,

Et hircos cum medulla trítici; * & sánguinem uvæ bíberet meracíssimum.

Incrassátus est dilectus, & recalcitrávit; * incrassátus, impinguátus, dilatátus.

Derelíquit Deum factórem suum, * & recéssit à Deo salutári suo.

Provocavérunt eum in diis aliénis; * & in abominatiónibus ad iracúndiam concitavérunt.

Immolavérunt dæmóniis, & non Deo; * diis quos ignorábant.

Novi recentesque venérunt, * quos non coluérunt patres eórum.

Deum qui te génuit dereliquísti, * & oblítus es Dómini creatóris tui.

Vidit Dóminus, & ad iracúndiam concitátus est; * quia provocavérunt eum filii sui, & filiæ.

Et ait: Abscondam fáciem meam ab eis, * & considerábo novíssima eórum;

Generátio enim perversa est, * & infidéles filii.

Ipsi me provocavérunt in eo qui non erat Deus, * & irritavérunt in vanitátibus suis;

Et ego provocábo eos in eo qui non est pópulus, * & in gente stultâ irritábo illos.

Ignis succénsus est in furóre meo, * & ardébit usque ad inferni novíssima;

Devorábitque terram cum gérmine suo, * & móntium fundamenta combúret.

Congregábo super eos mala * & sagittas meas complébo in eis.

Consumentur fame, * & devorábunt eos aves morsu amaríssimo.

Dentes bestiárum immittâ in eos, * cum furóre trahéntium super terram, atque serpéntium.

Foris vastábit eos gládius, & intus pavor, * júvenem simul ac vírginem, lactentem cum hómine sene.

Dixi: Ubinam sunt? * cessáre fáciam ex homínibus memóriam eórum.

Sed propter iram inimicórum dístuli, * ne fortè superbírent hostes eórum;

Et dícerent: Manus noſtra excelſa, & non Dóminus, * fecit hæc ómnia.

Gens abſque consílio eſt, & ſine prudéntia; * útinam ſáperent, & intellígerent, ac novíſſima providérent!

Quómodo perſequátur unus mille, * & duo fugent decem míllia?

Nonne ídeo quia Deus ſuus véndidit eos, * & Dóminus conclúſit illos?

Non enim eſt Deus noſter ut dii eórum; * & inimíci noſtri ſunt júdices.

De vínea Sodomórum, vínea eórum, * & de ſuburbánis Gomorrhæ.

Uva eórum, uva fellis; * & botri amaríſſimi.

Fel dracónum vinum eórum, * & venénum áſpidum inſanábile.

Nonne hæc cóndita ſunt apud me, * & ſignáta in theſauris meis?

Mea eſt últio; & ego retríbuam in témpore, * ut labátur pes eórum.

Juxta eſt dies perditiónis, * & adeſſe feſtínant témpora.

Judicábit Dóminus pópulum ſuum, * & in ſervis ſuis miſerébitur.

Vidébit quòd infirmáta ſit manus, * & clauſi quoque defecérunt, reſiduíque conſumpti ſunt.

Et dicet: Ubi ſunt dii eórum, * in quibus habébant fidúciam;

De quorum víctimis comedébant ádipes, * & bibébant vinum libáminum?

Surgant, & opitulentur vobis, * & in neceſſitáte vos prótegant.

Vidéte quòd ego ſim ſolus, * & non ſit álius Deus præter me.

Ego occídam, & ego vívere fáciam; percútiam, & ego ſanábo: * & non eſt qui de manu mea poſſit erúere.

Levábo ad cœlum manum meam, & dicam: * Vivo ego in æternum.

Si acúero ut fulgur gládium meum, * & arripúerit judícium manus mea,

Reddam ultiónem hóſtibus meis; * & his qui odérunt me, retríbuam:

Inebriábo ſagittas meas ſanguine, * & gládius meus devorábit carnes,

De cruóre occiſórum, * & de captivitáte, nudáti inimicórum cápitis.

Laudáte, gentes, pópulum ejus; * quia ſánguinem ſervórum ſuórum ulciſcétur:

Et vindictam retríbuet in hoſtes eórum, * & propítius erit terræ pópuli ſui.

*Ant.* Date magnificéntiam Deo noſtro: Dei perfecta ſunt ópera.

[*In Feſtis, & toto Tempore Paſchali (niſi proprium aſſignetur) dicitur ſequens*

*Canticum.* Judith. 16.

INcípite Dómino in tympanis: * cantáte Dómino in cymbalis.

Modulámini illi pſalmum novum: * exaltáte, & invocáte nomen ejus.

Dóminus cónterens bella: * Dóminus nomen eſt illi.

Qui póſuit caſtra ſua in mé-

dio pópuli sui, * ut eríperet nos de manu ómnium inimicórum nostrórum.

Venit Assur ex móntibus ab Aquilóne * in multitúdine fortitúdinis suæ:

Cujus multitúdo obturávit torrentes, * & equi eórum cooperuérunt valles.

Dixit se incensúrum fines meos, * & júvenes meos occisúrum gládio,

Infantes meos dare in prædam, * & vírgines in captivitátem.

Dóminus autem omnípotens nócuit eum, & trádidit eum in manus féminæ, * & confódit eum.]

*Ant.* 4. *D.* Laudáte Dóminũ.

PSALMUS 116.

*Deus à gentibus collaudandus ob Christum exhibitum.*

LAudáte Dóminum, omnes gentes: * laudáte eum, omnes pópuli.

Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus: * & véritas Dómini manet in æternum.

*Ant.* Laudáte Dóminum, omnes pópuli: quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus.

*Capitulum.* Colos. 1.

NOn cessámus pro vobis orantes, & postulantes ut impleámini agnitióne voluntátis Dei, in omni sapiéntia & intellectu spirituáli; ut ambulétis dignè Deo, per ómnia placentes, in omni ópere bono fructificantes, & crescentes in sciéntia Dei, in omni virtúte confortáti secundùm poténtiam claritátis ejus.

*Hymnus.*

RERUM Creátor ómnium,
Nostros labóres ádjuva;
Ut casta Christi nómine
Nos vita dignos árguat.

Tu nempe sanctus & potens,
Placére das solus tibi:
Tu legis auctor das sequi
Quod lege præmonstras iter.

CINGUNT iter perícula,
Tu lúbricos firma pedes;
Et certióre férvidi
Pergémus ad metam gradu.

O meta felix, pax ubi
Et vera nos manet quies;
Ubi voluptátis sacro
Torrente potábis tuos!

TE mens, ô alma Trínitas,
Anhélat ardens, te sitit:
Tuâ redemptis grátiâ
Æterna redde præmia. Amen.

℣. Deduc me, Dómine, & ingrédiar in veritáte tua:

℟. Lætétur cor meum, ut tímeat nomen tuum. *Ps.* 85.

*Ad* Benedictus, *Ant.* 8. G. Dírige pedes nostros in viam pacis, Deus Israël. *Luc.* 1.

AD PRIMAM.

PSALMUS 87.

*Christus ab inimicis vexatus, ab amicis derelictus, opem Dei implorat.*

DOmine Deus salútis meæ, * in die clamávi & nocte coram te.

Intret in conspectu tuo orátio mea; * inclína aurem tuam ad precem meam:

Quia repleta est malis ánima mea; * & vita mea inferno appropinquávit.

Æstimátus sum cum descendéntibus in lacum; * factus sum sicut homo sine adjutório, inter mórtuos liber.

Sicut vulnerâti dormientes in sepulcris, quorum non es memor ámplius, * & ipsi de manu tua repulsi sunt.

Posuérunt me in lacu inferióri, * in tenebrósis, & in umbra mortis.

Super me confirmátus est furor tuus; * & omnes fluctus tuos induxísti super me.

Longè fecísti notos meos à me; * posuérunt me abominatiónem sibi.

Tráditus sum, & non egrediébar; * óculi mei languérunt præ inópia.

Clamávi ad te, Dómine, totâ die; * expandi ad te manus meas.

Numquid mórtuis fácies mirabília; * aut médici susc itábunt, & confitebuntur tibi?

Numquid narrábit aliquis in sepulcro misericórdiam tuam, * & veritátem tuam in perditióne?

Numquid cognoscentur in ténebris mirabília tua, * & justítia tua in terra oblivionis?

Et ego ad te, Dómine, clamávi; * & manè orátio mea prævéniet te.

Ut quid, Dómine, repellis orationem meam? * avertis fáciem tuam à me?

Pauper sum ego, & in labóribus à juventúte mea; * exaltátus autem, humiliátus sum & conturbátus.

In me transiérunt iræ tuæ, * & terróres tui conturbavérunt me;

Circumdedérunt me sicut aqua totâ die, * circumdedérunt me simul.

Elongasti à me amícum & próximum, * & notos meos a miséria.

PSALMUS 142.

*Oratio pœnitentis, Dei opem deprecantis.*

DOmine, exaudi oratiónem meam, áuribus pércipe obsecratiónem meam in veritáte tua; * exaudi me in tua justítia:

Et non intres in judícium cum servo tuo; * quia non justificábitur in conspectu tuo omnis vivens.

Quia persecútus est inimícus ánimam meam, * humiliávit in terram vitam meam.

Collocávit me in obscúris sicut mórtuos séculi, * & anxiátus est super me spíritus meus: in me turbátum est cor meum.

Memor fui diérum antiquórum, meditátus sum in ómnibus opéribus tuis; * in factis mánuum tuárum meditábar.

Expandi manus meas ad te: * ánima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velóciter exaudi me, Dómine; * defécit spíritus meus.

Non avertas fáciem tuam à me; * & símilis ero descendéntibus in lacum.

Auditam fac mihi manè misericórdiam tuam, * quia in te sperávi.

Notam fac mihi viam in qua ámbulem, * quia ad te levávi ánimam meam.

*Divisio Psalmi* 142.

ERipe me de inimícis meis, Dómine, ad te confúgi; * doce me fácere voluntátem tuam, quia Deus meus es tu.

Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam: * propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me in æquitáte tua.

Edúces de tribulatióne ánimam meam; * & in misericórdia tua dispérdes inimícos meos:

Et perdes omnes qui tríbulant ánimam meam, * quóniam ego servus tuus sum.

## AD TERTIAM.

### Psalmus 28.

*Gentium conversio verbi Dei efficaciâ.*

Afférte Dómino, fílii Dei, * afférte Dómino filios aríetum.

Afférte Dómino glóriam & honórem, afférte Dómino glóriam nómini ejus: * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Vox Dómini super aquas, Deus majestátis intónuit: * Dóminus super aquas multas.

Vox Dómini in virtúte: * vox Dómini in magnificéntia.

Vox Dómini confringentis cedros: * & confringet Dóminus cedros Líbani.

Et comminuet eas tamquam vítulum Líbani, * & dilectus quemádmodum fílius unicórnium.

Vox Dómini intercidentis flammam ignis, vox Dómini concutientis desértum: * & commovébit Dóminus desértum Cades.

Vox Dómini præparantis cervos, & revelábit condénsa; * & in templo ejus omnes dicent glóriam.

Dóminus dilúvium inhabitáre facit, * & sedébit Dóminus rex in æternum.

Dóminus virtútem pópulo suo dabit: * Dóminus benedícet pópulo suo in pace.

### Psalmus 44.

*Carmen nuptiale: Christi & Ecclesiæ dotes.*

Eructávit cor meum verbum bonum: * dico ego ópera mea regi.

Lingua mea cálamus scribæ * velóciter scribéntis.

Speciósus formâ præ fíliis hóminum, diffúsa est grátia in lábiis tuis: * propterea benedixit te Deus in æternum.

Accíngere gládio tuo super femur tuum, * Potentíssime.

Spécie tuâ & pulchritúdine tuâ, * intende, prósperè procéde, & regna.

Propter veritátem & mansuetúdinem, & justítiam; * & dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagittæ tuæ acútæ, pópuli sub te cadent, * in corda inimicórum regis.

Sedes tua, Deus, in séculum séculi: * virga directiónis, virga regni tui.

Dilexísti justítiam, & odísti iniquitátem: * propterea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Myrrha, & gutta, & cásia à vestimentis tuis, à dómibus ebúrneis, * ex quibus delectavérunt te fíliæ regum in honóre tuo.

Astitit regína à dextris tuis in vestítu deauráto, * circúmdata varietáte.

Audi, fília, & vide, & in-

clina aurem tuam, * & oblíviscere pópulum tuum, & domum patris tui.

Et concúpiscet rex decórem tuum, * quóniam ipse est Dóminus Deus tuus, & adorábunt eum.

Et filiæ Tyri in munéribus: * vultum tuum deprecabúntur omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus filiæ regis ab intus, * in fímbriis áureis, circumamicta varietátibus.

Adducentur regi vírgines post eam: * próximæ ejus afferéntur tibi.

Afferentur in lætítia & exultatióne, * adducentur in templum regis.

Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii: * constítues eos príncipes super omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui * in omni generatióne & generatiónem.

Proptérea pópuli confitebúntur tibi in ætérnum, * & in séculum séculi.

PSALMUS 149.

*Christus celebrandus, qui suis in gentes ultricem potestatem sit daturus.*

CAntáte Dómino cánticum novum: * laus ejus in eccléfia sanctórum.

Lætétur Israël in eo qui fecit eum, * & fílii Sion exultent in rege suo.

Laudent nomen ejus in choro, * in tympano & psaltério psállant ei;

Quia beneplácitum est Dómino in pópulo suo; * & exaltábit mansuétos in salútem.

Exultábunt sancti in glória: * lætabúntur in cubílibus suis.

Exaltatiónes Dei in gúttur eórum, * & gládii ancípites in mánibus eórum.

Ad faciendam vindictam in natiónibus, * increpatiónes in pópulis:

Ad alligandos reges eórum in compédibus, * & nóbiles eórum in mánicis férreis.

Ut fáciant in eis judícium conscriptum: * glória hæc est ómnibus sanctis ejus.

AD SEXTAM.

PSALMUS 45.

*Ecclesia Dei præsidio inconcussa.*

DEus noster refúgium & virtus; * adjútor in tribulatiónibus quæ invenérunt nos nimis.

Proptérea non timébimus dum turbábitur terra, * & transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt & turbátæ sunt aquæ eórum, * conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei: * sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Deus in médio ejus, non commovébitur; * adjuvábit eam Deus manè dilúculo.

Conturbátæ sunt gentes, & inclinátæ sunt regna: * dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtútum nobíscum: * suscéptor noster Deus Jacob.

Veníte, & vidéte ópera Dómini, quæ pósuit prodígia super terram; * áuferens bella usque ad finem terræ.

Arcum cónteret, & confringet arma, * & scuta combúret igni.

Vacáte, & vidéte quóniam ego sum Deus: * exaltábor in géntibus, & exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobíscum: * suscéptor noster Deus Jacob.

PSALMUS 47.

*Ex Jerusalem in omnes terras delapsa salus.*

MAgnus Dóminus, & laudábilis nimis, * in civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus.

Fundátur exultatióne universæ terræ mons Sion, * látera Aquilónis, cívitas Regis magni.

Deus in dómibus ejus cognoscétur, * cum suscípiet eam.

Quóniam ecce reges terræ congregáti sunt: * convenérunt in unum.

Ipsi vidéntes sic admiráti sunt, conturbáti sunt, commóti sunt: * tremor apprehendit eos.

Ibi dolóres ut parturiéntis: * in spíritu vehementi cónteres naves Tharsis.

Sicut audívimus, sic vídimus in civitáte Dómini virtútum, in civitáte Dei nostri: * Deus fundávit eam in æternum.

Suscépimus, Deus, misericórdiam tuam * in médio templi tui.

Secundùm nomen tuũ, Deus, sic & laus tua in fines terræ: * justítiâ plena est déxtera tua.

Lætétur mons Sion, & exultent filiæ Judæ * propter judícia tua, Dómine.

Circúmdate Sion, & complectímini eam: * narráte in túrribus ejus.

Pónite corda vestra in virtúte ejus: * & distribúite domos ejus, ut enarrétis in progénie áltera.

Quóniam hic est Deus, Deus noster in æternum, & in séculum séculi; * ipse reget nos in sécula.

PSALMUS 86.

*Laus Ecclesiæ; Fidelium infinitus numerus.*

FUndamenta ejus in móntibus sanctis: * díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob.

Gloriósa dicta sunt de te, * cívitas Dei.

Memor ero Rahab & Babylónis, * sciéntium me.

Ecce alienígenæ & Tyrus, & pópulus Æthiopum; * hi fuérunt illic.

Numquid Sion dicet: Homo, & homo natus est in ea, * & ipse fundávit eã Altíssimus?

Dóminus narrábit in scriptúris populórum & príncipum; * horũ qui fuérunt in ea.

Sicut lætántium ómnium * habitátio est in te.

AD NONAM.

PSALMUS 59.

*Flebilis oratio Synagogæ.*

DEus, repulísti nos, & destruxísti nos: * irátus es, & misértus es nobis.

Commovísti terram, & conturbásti eam: * sana contritiónes ejus, quia commóta est.

Ostendísti pópulo tuo dura: * potásti nos vino compunctiónis.

Dediſti metuéntibus te ſignificatiónem, * ut fúgiant à fácie arcûs;

Ut liberentur dilecti tui: * ſalvum fac déxterâ tuâ, & exaudi me.

Deus locútus eſt in ſancto ſuo: * Lætábor, & partíbor Sichimam, & convallem tabernaculórum metíbor.

Meus eſt Gálaad, & meus eſt Manaſſes: * & Ephraïm fortitúdo cápitis mei.

Juda rex meus, * Moab olla ſpei meæ.

In Idumæam extendam calceamentum meum: * mihi alienígenæ ſúbditi ſunt.

Quis dedúcet me in civitátem munitam? * quis dedúcet me uſque in Idumæam?

Nonne tu, Deus, qui repuliſti nos? * & non egrediéris, Deus, in virtútibus noſtris?

Da nóbis auxílium de tribulatióne; * quia vana ſalus hóminis.

In Deo faciémus virtútem: * & ipſe ad níhilum dedúcet tribulantes nos.

PSALMUS 73.

*De populi, templique calamitate, queſtus.*

UT quid, Deus, repuliſti in finem, * irátus eſt furor tuus ſuper oves páſcuæ tuæ?

Memor eſto congregatiónis tuæ, * quam poſſediſti ab initio.

Redemiſti virgam hæreditátis tuæ: * mons Sion, in quo habitaſti in eo.

Leva manus tuas in ſupérbias eórum in finem: * quanta malignátus eſt inimícus in ſancto?

Et gloriáti ſunt qui odérunt te, * in médio ſolemnitátis tuæ.

Poſuérunt ſigna ſua, ſigna; * & non cognovérunt, ſicut in éxitu ſuper ſummum.

Quaſi in ſylva lignórum ſecúribus excidérunt jánuas ejus in idipſum, * in ſecúri & áſcia dejecérunt eam.

Incendérunt igni ſanctuárium tuum, * in terra polluérunt tabernáculum nóminis tui.

Dixérunt in corde ſuo cognátio eórum ſimul: * Quiéſcere faciámus omnes dies feſtos Dei à terra,

Signa noſtra non vídimus, jam non eſt prophéta; * & nos non cognoſcet ámpliùs.

*Diviſio Pſalmi 73.*

USquequò, Deus, improperábit inimícus? * irritat adverſárius nomen tuum in finem?

Ut quid avertis manum tuam & déxteram tuam * de médio ſinu tuo in finem?

Deus autem, rex noſter ante ſécula, * operátus eſt ſalútem in médio terræ.

Tu confirmaſti in virtúte tua mare, * contribulaſti cápita draconum in aquis.

Tu confregiſti cápita dracónis, * dediſti eum eſcam pópulis Æthiopum.

Tu dirupiſti fontes & torrentes, * tu ſiccaſti flúvios Ethan.

Tuus eſt dies, & tua eſt nox: * tu fabricátus es auróram & ſolem.

Tu feciſti omnes términos terræ: * æſtátem & ver, tu plaſmaſti ea.

Memor esto hujus, inimícus improperávit Dómino, * & pópulus insípiens incitávit nomen tuum.

Ne tradas béstiis ánimas confitentes tibi; * & ánimas páuperum tuórum ne obliviscáris in finem.

Réspice in testamentum tuum; * quia repléti sunt, qui obscurati sunt terræ, dómibus iniquitátum.

Ne avertátur húmilis factus confúsus: * pauper & inops laudábunt nomen tuum.

Exurge, Deus, júdica causam tuam; * memor esto improperiórum tuórum, eórum quæ ab insipiente sunt totâ die.

Ne obliviscáris voces inimicórum tuórum; * supérbia eórum qui te odérunt, ascendit semper.

AD VESPERAS.

*Ant.* 4. *D.* Beáti omnes.

PSALMUS 127.

*Futuræ, præsentisque vitæ beatitudo timore Dei comparatur.*

BEáti omnes qui timent Dóminum, * qui ámbulant in viis ejus.

Labóres mánuum tuárum quia manducábis; * beátus es, & bene tibi erit.

Uxor tua sicut vitis abundans, * in latéribus domûs tuæ.

Fílii tui sicut novellæ olivárum, * in circúitu mensæ tuæ.

Ecce sic benedicétur homo, * qui timet Dóminum.

Benedicat tibi Dóminus ex Sion; * & vídeas bona Jerúsalem ómnibus diébus vitæ tuæ.

Et vídeas filios filiórum tuórum, * pacem super Israël.

*Ant.* Beáti omnes qui timent Dóminum, qui ámbulant in viis ejus.

*Ant.* 1. a. Surge, Dómine.

PSALMUS 131.

*Oratio Ecclesiæ, Christum Davidi promissum exposcentis.*

MEmento, Dómine, David, * & omnis mansuetúdinis ejus.

Sicut jurávit Dómino, * votum vovit Deo Jacob:

Si introíero in tabernáculum domûs meæ, * si ascéndero in lectum strati mei:

Si dédero somnum óculis meis, * & pálpebris meis dormitatiónem,

Et réquiem tempóribus meis, donec invéniam locum Dómino, * tabernáculum Deo Jacob.

Ecce audívimus eam in Ephrata: * invénimus eam in campis sylvæ.

Introíbimus in tabernáculum ejus: * adorábimus in loco ubi stetérunt pedes ejus.

Surge, Dómine, in réquiem tuam, * tu & arca sanctificatiónis tuæ.

Sacerdótes tui induantur justítiam, * & sancti tui exultent.

Propter David servũ tuum, * non avertas fáciem christi tui.

*Ant.* Surge, Dómine, in réquiem tuam; & sancti tui exultent.

*Ant.* 7. ç. Sion réquies mea.

*Divisio Psalmi* 131.

JUrávit Dóminus David veritãte & non frustrábitur eum: * De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

Si custodíerint fílii tui testamentum meum, * & testimónia mea hæc quæ docébo eos:

Et fílii eórum usque in séculum, * sedébunt super sedem tuam.

Quóniam elégit Dóminus Sion, * elégit eam in habitatiónem sibi.

Hæc réquies mea in séculum séculi; * hîc habitábo, quóniam elégi eam.

Víduam ejus benedícens benedícam: * páuperes ejus saturábo pánibus.

Sacerdótes ejus índuam salutári: * & sancti ejus exultatióne exultábunt.

Illuc produ̇cam cornu David: * parávi lucernam christo meo.

Inimícos ejus índuam confusióne: * super ipsum autem efflorébit sanctificátio mea.

*Ant.* Sion réquies mea in séculum séculi: sancti ejus exultátione exultábunt.

*Ant.* 5. a. Deus meus.

PSALMUS 143.

*Victoria ab hostibus, Dei donum est.*

BEnedíctus Dóminus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, * & dígitos meos ad bellum.

Misericórdia mea, & refúgium meum; * susceptor meus, & liberátor meus.

Protector meus, & in ipso sperávi; * qui subdit pópulum meum sub me.

Dómine, quid est homo, quia innotuísti ei; * aut fílius hóminis, quia réputas eum?

Homo vanitáti símilis factus est; * dies ejus sicut umbra prætéreunt.

Dómine, inclína cœlos tuos, & descende; * tange montes, & fumigábunt.

Fúlgura coruscatiónem, & dissípabis eos; * emitte sagittas tuas, & conturbábis eos.

Emitte manum tuam de alto; éripe me, & líbera me de aquis multis; * de manu filiórum alienórum,

Quorum os locútum est vanitátem, * & déxtera eórum déxtera iniquitátis.

*Ant.* Deus meus, misericórdia mea, & susceptor meus.

*Ant.* 6. Beátus.

*Divisio Psalmi* 143.

DEus, cánticum novum cantábo tibi: * in psaltério decachordo psállam tibi:

Qui das salútem régibus; * qui redemísti David servum tuum de gládio maligno, éripe me.

Et érue me de manu filiórũ alienórum, quorum os locútum est vanitatẽ; * & déxtera eórum, déxtera iniquitátis.

Quorum fílii sicut novellæ plantatiónes, * in juventúte sua.

Fíliæ eórum compósitæ, * circumornátæ ut símilitúdo templi.

Promptuária eórum plena, * eructántia ex hoc in illud:

Oves eórum fœtósæ, abundantes in egréssibus suis; * boves eórum crassæ.

Non est ruína macériæ, neque tránsitus, * neque clamor in platéis eórum.

Beátum dixérunt pópulum

cui hæc sunt : * beátus pópulus, cujus Dóminus Deus ejus.

*Ant.* Beátus pópulus, cujus Dóminus Deus ejus.

AD COMPLETOR.

*Ant.* 8. G. Miserére meî.

PSALMUS 50.

*Pœnitentis animi, humiles acerbique sensus.*

MIserére meî, Deus, * secundùm magnam misericórdiam tuam.

Et secundùm multitúdinem miseratiónum tuárum, * dele iniquitátem meam.

Ampliùs lava me ab iniquitáte mea, * & à peccáto meo munda me.

Quóniam iniquitátem meâ ego cognósco, * & peccátum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi, & malum coram te feci; * ut justificéris in sermónibus tuis, & vincas cùm judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus conceptus sum, * & in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexísti; * incerta & occulta sapiéntiæ tuæ manifestásti mihi.

Aspérges me hyssópo, & mundábor; * lavábis me, & super nivem dealbábor.

Auditui meo dabis gáudium & lætítiam, * & exultábunt ossa humiliáta.

Averte fáciem tuam à peccátis meis, * & omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus, * & spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.

Ne projícias me à fácie tuâ, * & spíritum sanctum tuum ne áuferas à me.

Redde mihi lætítiam salutáris tui, * & spíritu principáli confirma me.

Docébo iníquos vias tuas, * & ímpii ad te convertentur.

Líbera me de sanguínibus, Deus, Deus salútis meæ: * & exultábit lingua mea justítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries, * & os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam si voluísses sacrifícium dedíssem útique; * holocaustis non delectáberis.

Sacrifícium Deo spíritus contribulátus: * cor contrítum & humiliátum, Deus, non despícies.

Benignè fac, Domine, in bona voluntáte tua Sion, * ut ædificentur muri Jerúsalem.

Tunc acceptábis sacrifícium justítiæ, oblatiónes & holocausta: * tunc impónent super altáre tuum vítulos.

PSALMUS 85.

*Oratio Christi pro fide gentium.*

INclína, Dómine, aurem tuam, & exaudi me; * quóniam inops & pauper sum ego.

Custódi animam meam, quóniam sanctus sum: * salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te.

Miserére meî, Dómine, quóniam ad te clamávi totâ die: * lætífica ánimam servi tui, quóniam ad te, Dómine, ánimam meam levávi;

Quóniam tu, Dómine, suávis & mitis, * & multæ misericórdiæ ómnibus invocántibus te.

Auribus pércipe, Dómine, oratiónem meam, * & intende voci deprecatiónis meæ.

In die tribulatiónis meæ clamávi ad te, * quia exaudísti me.

Non est símilis tuî in diis, Dómine, * & non est secundùm ópera tua.

Omnes gentes, quascumque feciſti, vénient & adorábunt coram te Dómine; * & glorificábunt nomen tuum;

Quóniam magnus es tu, & fáciens mirabília; * tu es Deus solus.

*Diviſio Pſalmi* 85.

DEduc me, Dómine, in via tua, & ingrédiar in veritáte tua: * lætétur cor meum, ut tímeat nomen tuum.

Confitébor tibi, Dómine Deus meus, in toto corde meo, * & glorificábo nomen tuum in æternum:

Quia misericórdia tua magna est super me, * & eruisti ánimam meam ex inferno inferióri.

Deus, iníqui insurrexérunt super me, & synagóga poténtium quæsiérunt ánimam meam; * & non proposuérunt te in conspéctu suo.

Et tu, Dómine, Deus miserátor & miséricors, * pátiens, & multæ misericórdiæ, & verax.

Réspice in me, & miserére meî; * da impérium tuum puéro tuo, & salvum fac fílium ancillæ tuæ.

Fac mecum signum in bonum, ut vídeant qui odérunt me, & confundantur; * quóniam tu, Dómine, adjuvísti me, & consolátus es me.

*Ant.* Miserére meî, Dómine, quóniam ad te clamávi totâ die. *Pſ.* 85.

# IN FERIIS PER ANNUM.

AD LAUDES.

*In Feriis Quadragesimæ, dicuntur flexis genibus Preces & fiunt Suffragia, ut in Proprio.* 141.

*Tempore Paschali non dicuntur Preces, sed in Officio Feriali & in Semiduplicibus, præterquàm intra Octavas, fit* SUFFRAGIUM *de Cruce & Resurrectione Christi, ut sequitur.*

*Ant.* Crucifixus est ex infirmitáte, sed vivit ex virtúte Dei, allelúia, allelúia. 2. *Cor.* 13.

℣. Dícite in natiónibus, ℟. Quia Dóminus regnávit. *Ps.* 95.

Orémus.

DEus, qui pro nobis Fílium tuum Crucis patíbulum subíre voluísti, ut inimíci à nobis expélleres potestátem: concéde nobis fámulis tuis, ut resurrectiónis grátiam consequámur; Per eumdem Dóminum nostrum.

AD PRIMAM.

℣. Deus, in adjutórium, &c.

*Hymnus.*

JAM lucis orto sídere,
Deum precémur súpplices,
Nostras ut ipse dírigat,
Lux increáta, sémitas.

NIL lingua, nil peccet manus,
Nil mens ináne cógitet:
In ore símplex véritas,
In corde regnet cáritas.

INCŒPTA dum fluet dies,
O Christe, custos pérvigil,
Quas sævus hostis óbsidet
Portas tuére sénsuum.

PRÆSTA diurnus ut tuæ
Subsérviat laudi labor:
Auctóre quæ te cœpimus,
Da te favente prósequi.

SUPERBA ne nimis caro
Menti licenter ímperet;
Carnis domet supérbiam
Potus cibique parcitas.

*Ante Paschа:*

DEO Patri sit glória,
Ejusque soli Filio,
Sancto simul cum Spíritu,
Nunc, & per omne séculum.
Amen.

*Tempore Paschali:*

DA, Christe, nos tecum mori:
Tecum simul da súrgere:
Terréna da contémnere,
Amáre da cœléstia.

SIT laus Patri; laus Fílio,
Qui nos, triumphátâ nece,
Ad astia secum dux vocat:
Compar tibi laus, Spíritus.
Amen.

[*Psalmi dicuntur secundùm Feriam, ut singulis diebus assignantur.*

*Antiph. sumitur de Proprio, vel de Communi.* ]

ANTE PASCHA:

*Capitulum.* Ephes. 5.

VIdéte, fratres, quómodò cautè ambulétis, non quasi insipientes, sed ut sapientes; redimentes tempus, quóniam dies mali sunt.

℟. *br.* Christe, Fili Dei vivi, * Miserére nobis. *Repet.* Christe, Fili Dei vivi, * Mi-

ſerére nobis. *In Quadrages.* ℣. Qui veniſti peccatóres ſalvos fácere. [ *Hic verſus quandoque mutandus eſt, ut notatur in Proprio.* ] * Miſerére nobis. Glória Patri, & Filio, * & Spiritui ſancto. *Repet.* Chriſte, Fili Dei vivi, * Miſerére nobis. *Matth.* 16. *Tob.* 8. *Tim.* 1.

[ *Temp. Paſſionis.* ℣. Qui paſſus es pro nobis, 1. *Petr.* 2. * Miſerére nobis. *Non dicitur* Glória. *Sed repetitur* Chriſte, Fili Dei, &c.

℣. Exurge, Dómine, &c. *infrà.* ]

TEMPORE PASCHALI, *Tam in Feriis quam in Feſtis.*

*Capitulum.* Epheſ. 5.

ERátis aliquando ténebræ; nunc autem lux in Dómino. Ut filii lucis ambuláte; fructus enim lucis eſt in omni bonitáte, & juſtítia, & veritáte: probantes quid ſit beneplácitum Deo.

℟. *br.* Chriſti, Fili Dei vivi, * Miſerére nobis, * Allelúia, allelúia. Chriſte. ℣. Qui ſurrexiſti à mórtuis, * Allelúia, allelúia. Glória Patri. Chriſte, Fili. *Matth.* 16. *Tob.* 8. *Rom.* 6.

℣. Exurge, Dómine, ádjuva nos; ℟. Et rédime nos própter nomen tuum. *Pſ.* 43.

*In Duplicibus & ſuprà, necnon intra Octavas continuò dicitur:* Dóminus vobíſcum. *vel:* Dómine, exaudi. *& Oratio:* Dómine Deus, *infrà* 129.

*In Semiduplicibus autem & infrà poſt* ℣. Exurge. *dicuntur ſequentes*

## PRECES.

*Quando ad Laudes dictæ ſunt Preces, hæ dicuntur flexis genibus.*

KYrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kyrie, eléiſon. Pater noſter. *ſecretò.*

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

Credo in Deum. ℣. Carnis reſurrectiónem, ℟. Vitam æternam. Amen.

℣. Et ego ad te, Dómine, clamávi; ℟. Et mane orátio mea prævéniet te. *Pſ.* 87.

℣. Repleátur os meum laude; ℟. Ut cantem glóriam tuam, totâ die magnitúdinem tuam. *Pſ.* 70.

℣. Averte fáciem tuam à peccátis meis; ℟. Et omnes iniquitátes meas dele. *Pſ.* 50.

℣. Cor mundum crea in me, Deus; ℟. Et ſpíritum rectum ínnova in viſcéribus meis. *Pſ.* 50.

℣. Ne projícias me à fácie tua; ℟. Et Spíritum ſanctum tuum ne áuferas à me. *Pſ.* 50.

℣. Redde mihi lætítiam ſalutáris tui; ℟. Et ſpíritu principáli confirma me. *Pſ.* 50.

[ *Quando Preces dicuntur flexis genibus, adduntur ſequentes* ℣℣. *ante* Adjutórium.

℣. Eripe me, Dómine, ab hómine malo: ℟. A viro iníquo éripe me. *Pſ.* 139.

℣. Eripe me de inimícis meis, Deus meus; ℟. Et ab inſurgéntibus in me líbera me. *Pſ.* 58.

℣. Eripe me de operántibus iniquitátem; ℟. Et de viris ſánguinum ſalva me. *Pſ.* 58.

℣. Sic psalmum dicam nómini tuo in séculum séculi, ℟. Ut reddam vota mea de die in diem. *Ps.* 60.

℣. Dírige me, Dómine, in veritáte tua, & doce me; ℟. Quia tu es Deus salvátor meus. *Ps.* 24.

℣. Deus, in adjutórium meum intende: ℟. Dómine, ad adjuvandum me festína. *Ps.* 69.

℣. Reminíscere miserationum tuárum, Dómine, ℟. Et misericordiárum tuárum quæ à século sunt. *Ps.* 24.

℣. Bénedic, ánima mea, Dómino; ℟. Et ómnia quæ intrà me sunt, nómini sancto ejus. *Ps.* 102.

℣. Bénedic, ánima mea, Dómino; ℟. Et noli oblivísci omnes retributiónes ejus. *Ps.* 102.

℣. Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis; ℟. Qui sanat omnes infirmitátes tuas. *Ps.* 102.

℣. Qui rédimit de intéritu vitam tuam; ℟. Qui corónat te in misericórdia & miserationibus. *Ps.* 102.

℣. Qui replet in bonis desidérium tuum: ℟. Renovábitur ut áquilæ juventus tua. *Ps.* 102.]

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini, ℟. Qui fecit cœlum & terram. *Ps.* 123.

*Hebdomadarius facit Confessionem, mediocri voce dicens:*

COnfiteor Deo omnipotenti, beátæ Maríæ semper vírgini, beáto Michaéli Archángelo, beáto Joanni Baptistæ, sanctis Apóstolis Petro & Paulo, ómnibus Sanctis, [& vobis, fratres;] quia peccávi nimis cogitatióne, verbo & ópere, meâ culpâ, meâ culpâ, meâ máximâ culpâ. Ideò precor beátam Maríam semper vírginem, beátum Michaélem Archángelũ, beátum Joannem Baptistam, sanctos Apóstolos Petrum & Paulum, omnes Sanctos, [& vos, fratres,] oráre pro me ad Dóminum Deum nostrum.

*Chorus dicit:*

Misereátur tuî omnípotens Deus; & dimíssis peccátis tuis, perdúcat te ad vitam æternam. *Hebdomadarius respondet*, Amen.

*Deinde Chorus facit Confessionem; & ubi dictum est:* vobis, fratres, *&* vos, fratres, *dicit:* tibi, pater, *&* te, pater.

[*Mulieres in suis Conventibus, loco* fratres, *&* patér, *dicunt*, sorores, *&* mater.]

*Factâ Confessione à Choro, Hebdomadarius dicit:*

MIsereátur vestrî omnípotens Deus: &, dimíssis peccátis vestris, perdúcat vos ad vitam æternam.

℟. Amen.

[*Qui solus recitat, semel dicit*, Confiteor. *omissis vocibus quæ clauduntur parenthesi, & additâ particulâ* &, *ante voces* ómnibus *&* omnes.

*Deinde* Misereátur. *semel, ad quod dicit*, nostrî, nostris, nos.]

INdulgéntiam, absolutiónem, & remissiónem peccatórum nostrórum tríbuat nobis

bis omnípotens & misericors Dóminus.

℟. Amen.

*Elevans vocem, dicit:*

℣. Exaudi nos, Deus, salutáris noster, ℟. Spes ómnium finium terræ. *Ps.* 64.

℣. Miserére nostrî, Dómine, ℟. Miserére nostrî. *Ps.* 122.

℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te. *Ps.* 32.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101.

℣. Dóminus vobíscum, ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

DOmine Deus omnípotens, qui ad princípium hujus diéi nos pervenire fecísti, tuâ nos hódie salva virtúte; ut ad nullum declinémus peccátum, sed semper ad tuam justítiam faciendam nostra procédant elóquia, dirigantur cogitatiónes, & ópera; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat, &c.

℣. Dóminus vobíscum, ℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

*Si dicenda sit Prima de Officio parvo B. Mariæ, præponitur Officio Capituli.*

AD OFFICIUM CAPITULI.

*Primò fit lectio Martyrologii, in cujus fine nihil respondetur; sed statim Hebdomadarius dicit:*

℣. Pretiósa in conspectu Dómini, ℟. Mors sanctórum ejus. *Ps.* 115.

SAncta María, & omnes sancti ádjuvent nos in oratiónibus suis pro nobis ad Deum; ut secundum eum qui vocavit nos, Sanctum, & ipsi in omni conversatióne sancti simus. ℟. Amen. *Rom.* 15. 1. *Petr.* 1.

℣. Deus, in adjutórium meum intende: ℟. Dómine, ad adjuvandum me festína. *Ps.* 69.

℣. Deus, in adjutórium meum intende: ℟. Dómine, ad adjuvandum me festína.

℣. Deus, ad adjutórium meum intende: ℟. Dómine, ad adjuvandum me festína. Glória Patri, & Fílio, & Spíritui sancto: Sicut erat in princípio, & nunc, & semper, & in sécula seculórum. Amen. Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison. *Secretò*, Pater. *Altâ voce*, ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Réspice in servos tuos, Dómine, & in ópera tua, & dírige fílios eórum: ℟. Et sit splendor Dómini Dei nostri super nos; & ópera mánuum nostrárum dírige super nos, & opus mánuum nostrárum dírige. *Ps.* 89. Glória Patri.

Orémus.

DIrígere & sanctificáre, régere & gubernáre dignáre, Dómine Deus, Rex cœli & terræ, hódie corda & córpora nostra, sensus, sermónes & actus nostros, in lege tua, & in opéribus mandatórum tuórum; ut hîc, & in æternum, te auxiliante, salvi & líberi esse mereámur, Salvátor mundi; Qui vivis &

regnas in sécula seculórum.
℟. Amen.

*Lector.* Jube, domne, benedícere. [*Lectrix dicit*, domna: *solus, vel sola recitans*, Dómine.] *Bened.* Det Dóminus leges suas in mentem nostram, & in corde nostro superscríbat eas. ℟. Amen. *Hebr.* 8.

*Tunc fit lectio Canonis qui pro singulis diebus habetur ad calcem Voluminis, in cujus fine dicitur:* Tu autem, Dómine, miserére nostrî.
℟. Deo grátias.

*Post Lectionem, Hebdomadarius dicit:* Adjutórium nostrum in nómine Dómini,
℟. Qui fecit cœlum & terram. *Ps.* 123.

*Submissiori voce dicit:* Benedícite. *Lector versus ad eum:* Deus. *Hebdomadarius:* Deus pacis aptet nos in omni bono ut faciámus ejus voluntátem, fáciens in nobis quod pláceat coram se, per Jesum Christum. *Lector.* ℟. Amen. *Hebr.* 13.

*Post quamlibet horam si aliud Officium non sequatur, dicitur secreto:* Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiescant in pace. Amen. *Deinde*, Pater noster.

AD TERTIAM.

℣. Deus, in adjutórium, &c.

*Hymnus.*

O Fons amóris, Spíritus,
O sancte donórũ parens,
Tuas refúsus íntimis
Accende flammas córdibus.

Qui caritátis vínculo
Cum Patre nectis Fílium,
Et nos amóris mútui
Arctis coapta néxibus.

*Ante Pascha:*

Deo Patri sit glória,
Ejusque soli Fílio,
Sancto simul cum Spíritu,
Nunc, & per omne séculum.
Amen.

*Temp. Pasch.* Da, Christe, &c. *ut suprà*, 126.

*Psalmi dicuntur secundùm Feriam, ut singulis diebus assignantur.*

*Antiph. sumitur de Proprio vel de Communi.*

*Capit. & ℟. breve sumuntur ubi sumitur Antiph. super Psalmos; sic ad alias Horas.*

AD SEXTAM.

℣. Deus, in adjutórium, &c.

*Hymnus.*

Jam solis excelsum jubar
Toto coruscat lúmine;
Sinusque pandens áureos
Ignita vibrat spícula.

Tu, Christe, qui mundum novâ,
Sol verus, accendis face;
Fac nostra plenam cáritas
Crescendo surgat ad diem.

*Ante Pascha:*

Deo Patri sit glória,
Ejusque soli Fílio,
Sancto simul cum Spíritu,
Nunc, & per omne séculum.
Amen.

*Temp. Pasch.* Da, Christe, &c. *ut suprà*, 126.

*Ant. Capit. ℟. br. ut in Proprio, vel Com. Preces, si dicenda sint, dicuntur ut ad Tertiam. Oratio conveniens.*

AD NONAM.

℣. Deus, in adjutórium, &c.

*Hymnus.*

Labente jam solis rotâ,
Inclínat in noctem dies,
Sic vita suprémam cito
Festínat ad metam gradu.

O Christe, dum fixus cruci
Expandis orbi brachia,
Amare da crucem; tuo
Da nos in amplexu mori.

*Ante Pascha:*

Deo Patri sit glória
Ejusque soli Filio,
Sancto simul cum Spíritu,
Nunc, & per omne séculum.
Amen.

*Temp. Pasch.* Da, Christe, &c. *ut suprà*, 126.

*Ant. Capit.* ℟. *br. ut in Proprio, vel Com. Preces, si dicendæ sint, dicuntur ut ad Tertiam.*

*Oratio conveniens.*

AD VESPERAS.

*In Feriis Quadragesimæ dicuntur Preces flexis genibus, & fiunt Suffragia ut in Proprio*, 145.

*Tempore Paschali non dicuntur Preces, sed in Officio Feriali & in Semiduplicibus, præterquàm intrà Octavas, fit SUFFRAGIUM de Cruce, & Resurrectione Christi, ut sequitur.*

*Ant.* Dignus est Agnus qui occísus est, accípere virtútem, & divinitátem, & sapiéntiam, & fortitúdinem, & honórem, & glóriam, & benedictiónem, allelúia. *Apoc.* 5.

℣. Omnis terra adóret te, & psallat tibi: ℟. Psalmum dicat nómini tuo, Dómine. *Ps.* 65.

*Oratio.* Deus, qui pro nobis. *ut suprà*, 126.

AD COMPLETORIUM.

Converte nos, Deus salutáris noster:

℟. Et averte iram tuam à nobis. *Ps.* 84.

℣. Deus, in adjutórium.

IN QUADRAGESIMA.

*Antiph. & Psalmi de Psalterio secundùm Feriam.*

*Hymnus.*

O Splendor æterni Patris,
Tu, Christe, qui verus dies,
Et vera lux de lúmine,
Mentis fugas caliginem.

En solis abscessit jubar,
Noctisque succédunt vices:
Qui prósperam donas diem,
Da tuta noctis otia.

Si clausa torpent lúmina,
Suspíret ad te mens vigil:
Potente, qui te diligunt,
Servos tuére déxterâ.

Tu, quos molesti córporis
Gravis retardat sarcina,
Fac mentis alis líbero
Sursùm volátu téndere.

O Spes salútis única,
Votis adesto súpplicum:
Defende quos mercátus es
Mercéde fusi sánguinis.

Deo Patri sit glória,
Ejusque soli Filio,
Sancto simul cum Spíritu,
Nunc, & per omne séculum.
Amen.

*In omni Officio de beata Maria, loco præcedentis Hymni, dicitur sequens*

*Hymnus.*

Virgo Dei génitrix
Quem totus non capit orbis,
In tua se clausit
Víscera, factus homo.

Hinc méritò dicent
Te sécula cuncta beátam:
Hinc, pópuli matrem
Te Dominamque colunt.

Suscipe quos pia plebs
Tibi péndere certat honóres;
Annue sollícitâ
Quam prece poscit opem.

GLORIA magna Patri:
Compar sit glória nato:
Amborum tibi, par,
Spíritus alme, decus. Amen.

*Capitulum.* 1. Petr. 5.

SObrii estóte, & vigiláte, quia adversárius vester diábolus, tanquam leo rúgiens, circuit quærens quem dévoret: cui resístite fortes in fide.

℟. *br.* In manus tuas, Dómine, * Commendo spíritum meum. In manus tuas. ℣. Redemísti me, Dómine, Deus veritátis: * Commendo. Glória Patri. In manus. *Ps.* 30.

[*Tempore Passionis omisso* Glória Patri. *post reclamationem repetitur* In manus.]

℣. Custódi me, Dómine, ut pupillam óculi: ℟. Sub umbra alárum tuárum prótege me. *Ps.* 16.

*Ant.* 3. g. Dómine.

*Canticum Simeonis.* Luc. 2.

NUnc dimittis servum tuum, Dómine, * secundùm verbum tuum in pace.

Quia vidérunt óculi mei * salutáre tuum,

Quod parásti * ante fáciem ómnium populórum:

Lumen ad revelatiónem géntium, * & glóriam plebis tuæ Israël.

*Ant.* Dómine, custódi partem tuam, ut sive vigilémus, sive dormiámus, simul cum Christo vivámus. 2. *Mach.* 1. & 1. *Thess.* 5.

*In Duplicibus, continuò dicitur:* Dóminus vobíscum. & *Oratio*, Vísita, *ut infrà*, 134.

*In Feriis verò dicuntur Preces, ut infrà*, 133.

*TEMPORE PASCHALI:*
*Tam in Feriis quàm in Festis.*
*Psalmi de Feria.*

*Ant.* 7. *d.* Eripuit nos Deus de potestáte tenebrárum, & tránstulit in regnum Fílii dilectiónis suæ, allelúia. *Col.* 1.

*Hymnus.*

JEsu, redemptor séculi,
Qui tértio post fúnera
Redux ab ínferis die,
Mortem resúrgendo necas.

Nox atra jam terras premet,
Mergetque somno lúmina:
Hostis furórem pérfidi
Arteque cæcas dísjice.

Ut justa dum curas levat,
Et corpus instaurat quies,
Sic membra somnus óccupet,
Ne corda torpor ópprimat.

Da, Christe, nos tecum mori;
Tecum simul da súrgere,
Terréna da contémnere,
Amáre da cœléstia.

Sit laus Patri; laus Fílio,
Qui nos triumphátâ nece,
Ad astra secum dux vocat:
Compar tibi laus, Spíritus.
Amen.

*In omni Officio de Beata, Hymnus.* Virgo. *ut suprà.*

*Capitulum.* 1. Thess. 5.

OMnes vos fílii lucis estis, & fílii diéi: non sumus noctis neque tenebrárum: ítaque non dormiámus sicut & céteri, sed vigilémus & sóbrii sumus.

℟. *br.* In manus tuas, Dómine, commendo spíritum meum, * Allelúia, allelúia. In manus. ℣. Redemísti me, Dómine, Deus veritátis; * Allelúia, allelúia. Glória Patri. In manus. *Ps.* 20.

℣. Custódi me, Dómine, ut pupillam óculi : ℟. Sub umbrâ alárum tuárum prótege me. *Ps.* 16.

*Ad* Nunc dimittis. *Ant.* 5. C. Cùm Christus apparúerit, vita vestra, tunc & vos apparébitis cum ipso in glória, allelúia. *Coloss.* 3.

*In Duplicibus & suprà, necnon intra Octavas, continuò dicitur :* Dóminus vobíscum. *vel*, Dómine, exaudi. *&* Oratio, Visita. *infrà* 134.

*In Semiduplicibus verò, Simplicibus, & Feriis, dicuntur sequentes*

## PRECES.

*Quando dictæ sunt Preces in Vesperis, hæ dicuntur flexis genibus.*

KYrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison. Pater noster.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem ; ℟. Sed líbera nos à malo.

Credo in Deum.

℣. Carnis resurrectiónem, ℟. Vitam æternam. Amen.

℣. Benedictus es, Dómine, Deus patrum nostrórum ; ℟. Et laudábilis, & gloriósus, & superexaltátus in sécula. *Dan.* 3.

℣. Benedictum nomen glóriæ tuæ sanctum ; ℟. Et laudábile, & superexaltátum in ómnibus séculis. *Dan.* 3.

℣. Benedictus es in firmamento cœli ; ℟. Et laudábilis, & gloriósus in sécula. *Dan.* 3.

℣. Benedícat nos Deus, Deus noster : ℟. Benedícat nos Deus. *Ps.* 66.

*Hebdomadarius facit Confessionem, mediocri voce dicens :*

COnfíteor Deo omnipoténti, beátæ Maríæ semper vírgini, beáto Michaéli Archángelo, beáto Joanni Baptistæ, sanctis Apóstolis Petro & Paulo, ómnibus Sanctis, [ & vobis, fratres, ] quia peccávi nimis cogitatióne, verbo & ópere : meâ culpâ, meâ culpâ, meâ maximâ culpâ. Ideò precor beátam Maríam semper vírginem, beátum Michaélem Archangelũ, beátum Joannem Baptistam, sanctos Apóstolos Petrum & Paulũm, omnes Sanctos, [ & vos, fratres, ] oráre pro me ad Dóminum Deum nostrum.

*Chorus dicit :*

Misereátur tuî omnípotens Deus ; & , dimíssis peccátis tuis, perdúcat te ad vitam æternam. *Hebdomadarius respondet :* ℟. Amen.

*Deinde Chorus facit Confessionem ; & ubi dictum est :* vobis, fratres, *&* vos, fratres, *dicit :* tibi pater, *&* te, pater.

*Mulieres in suis Conventibus, loco* fratres, *&* pater, *dicunt*, sorores, *&* mater.

*Factâ Confessione à Choro, Hebdomadarius dicit :*

MIsereátur vestrî omnípotens Deus ; &, dimíssis peccátis vestris, perdúcat vos ad vitam æternam.

℟. Amen.

[ *Qui solus recitat, semel dicit*, Confíteor, *omíssis vocibus quæ clauduntur parenthesi, & additâ particulâ* &,

*ante voces* ómnibus, & omnes. *Deinde* Miſereátur *ſemel*, *ad quod dicit* noſtrî, noſtris, nos. ]

INdulgéntiam, abſolutiónem, & remiſſiónem peccatórum noſtrórum tríbuat nobis omnípotens & miſéricors Dóminus.

℟. Amen.

℣. Exaudi nos, Deus, ſalutáris noſter, ℟. Spes ómnium finium terræ. *Pſ.* 64.

℣. Miſerére noſtrî, Dómine: ℟. Miſerére noſtrî. *Pſ.* 122.

℣. Fiat miſericórdia tua, Dómine, ſuper nos, ℟. Quemádmodum ſperávimus in te. *Pſ.* 32.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Pſ.* 101.

℣. Dóminus vobiſcum, ℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

VIſita, quæſumus, Dómine, habitatiónem noſtrã, & omnes insídias inimíci ab ea longè repelle: Angeli tui ſancti hábitent in ea, qui nos in pace cuſtódiant; & benedíctio tua ſit ſuper nos ſemper; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte, &c.

℣. Dóminus vobiſcum.

℣. Benedicámus Dómino.

*Finito Completorio, ſubmiſſâ voce dicitur:* Grátia Dómini noſtri Jeſu Chriſti, & cáritas Dei & communicátio Spíritûs ſancti, ſit cum ómnibus vobis. ℟. Amen. 2. *Cor.* 13.

Et Fidélium ánimæ per miſericórdiam Dei requieſcant in pace. ℟. Amen.

*In Quadragesima usque ad Feriam III. majoris Hebdomadæ.*

AVE, Regína cœlórum,
Ave, dómina Angelórum:
Salve, radix; salve, porta
Ex qua mundo lux est orta.
Gaude, Virgo gloriósa,
Super omnes speciósa:
Vale, ô valde decóra,
Et pro nobis Christum exóra.

℣. Elégit eam Dóminus,
℟. In habitatiónem sibi. *Ps.* 131.

Orémus.

CONcéde, miséricors Deus, fragilitáti nostræ præsídium: ut qui sanctæ Dei Genitrícis memóriam ágimus, intercessiónis ejus auxílio à nostris iniquitátibus resurgámus; Per eumdem Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

*Tempore Paschali.*

REGINA cœli, lætáre, allelúia;
Quia quem meruísti portáre, allelúia,
Resúrrexit sicut dixit, allelúia:
Ora pro nobis Deum, allelúia.

℣. Circumdedísti me lætítia, Dómine; ℟. Ut cantet tibi glória mea. *Ps.* 29.

Orémus.

DEus, qui per Resurrectiónem Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi mundum lætificáre dignátus es: præsta, quæsumus, ut per ejus genitrícem vírginem Maríam, perpétuæ capiámus gáudia vitæ; Per eumdem Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

*Post completum Officium, dicitur secretò*, Pater, Ave, Credo.

# ABSOLUTIONES
## ET BENEDICTIONES,

*Dicendæ in Officio Nocturno ante Lectiones.*

DOMINICA,
*Et in Officiis ix. Lectionum, quæ non sunt de Sanctis.*

*IN I. NOCTURNO.*
*Et pro II. & V. Feria.*
*Absolutio.* 2. Mach. 1.

ADapériat Deus cor nostrum in lege sua, & in præceptis suis; & det nobis cor ómnibus, ut colámus eum. ℟. Amen.

*Sic respondetur ad singulas Absolutiones & Benedictiones.*

BENEDICTIONES.

1. Deus Dómini nostri Jesu Christi, Pater glóriæ, det nobis spíritum sapiéntiæ. *Ephes.* 1. ℟. Amen.
2. Fílius Dei det nobis sensum, ut cognoscámus verum Deum. 1. *Joan.* 5.
3. Spíritus veritátis dóceat nos omnem veritátem. *Joan.* 16.

*IN II. NOCTURNO.*
*Et pro III. & VI. Feria.*
*Absolutio.* 3. Reg. 8.

DEus noster inclinet corda nostra ad se, ut custodiámus mandáta ejus.

BENEDICTIONES.

4. Pater Dómini nostri Jesu Christi benedícat nos in omni benedictióne spirituáli. *Ephes.* 1.
5. Sciámus supereminentem sciéntiæ caritátem Christi, ut impleámur in omnem plenitúdinem Dei. *Ephes.* 3.
6. Unctio quam accépimus à Deo, máneat in nobis, & dóceat nos de ómnibus. 1. *Joan.* 2.

*IN III. NOCTURNO.*
*Absolutio.* 2. Mach. 1.

DEus memínerit testaménti sui quod locútus est, & exáudiat oratiónes nostras.

BENEDICTIONES.

7. Detur nobis sermo in apertióne oris nostri cum fidúcia, notum fácere mystérium Evangélii. *Ephes.* 6.
8. Occurrámus omnes in unitátem fidei, & agnitiónis Filii Dei; ut non circumferámur omni vento doctrínæ. *Ephes.* 4.
9. Deus spei répleat nos omni gáudio & pace in credendo; ut abundémus in spe & virtúte Spíritus sancti. *Rom.* 15.

*Si pro ultima Lectione legatur aliud Evang. cum Homilia, tunc nona Benedictio erit:* Fúlgeat nobis illuminátio Evangélii glóriæ Christi, qui est imágo Dei. 2. *Cor.* 4.

*Si tria legantur Evangelia, septima Benedictio erit:* Detur nobis sermo in apertióne oris nostri cum fidú-

cia, notum fácere mystérium Evangélii. *Ephes. 6.*

8. Fúlgeat nobis illumínátio Evangélii glóriæ Christi, qui est imágo Dei. 2. *Cor.* 4.

9. Permaneámus in fide fundáti, & immóbiles à spe Evangélii. *Coloss.* 1.

*Si nona Lectio sit de Sancto, Benedictio erit:* Digni habeámur regno Dei, cùm vénerit in Sanctis suis admirábilis fieri. 2. *Thess.* 1.

[ *Quando D. Episcopus Lectionem lecturus est, postquàm ipse præmisit ex more:* Jube, domne, benedícere; *dignior post ipsum dicit illi:* Ora pro nobis, Pater. *Ipse autem Episcopus respondet:* Oro ut cáritas vestra magis ac magis abundet in sciéntia & in omni sensu. *Philip.* 1. *Chorus.* ℟. Amen.

*Idem observatur, ubi unicus est Presbyter.* ]

FERIA IV. ET SABBATO.

*Absolutio.* 2. Mach. 1.

DEus memínerit testamenti sui quod locútus est, & exáudiat oratiónes nostras. ℟. Amen.

BENEDICTIONES.

1. Pater Dómini nostri Jesu Christi det nobis Christum habitáre per fidem in córdibus nostris. *Ephes.* 3.

2. Occurrámus omnes in unitátem fídei, & agnitiónis Fílii Dei; ut non circumferámur omni vento doctrínæ. *Ephes.* 4.

3. Deus spei répleat nos omni gáudio & pace in credendo; ut abundémus in spe & virtúte Spíritûs sancti. *Rom.* 15.

*Si tertia Lectio sit de Evangelio, tunc tertia Benedictio erit:* Fúlgeat nobis illumínátio Evangélii glóriæ Christi, qui est imágo Dei. 2. *Cor.* 4.

*Eadem dicitur in omni Feria, quando pro iij. Lectione legendum erit Evangelium cum Homilia.*

IN FESTIS B. MARIÆ VIRG. ET ALIORUM SANCTORUM, *quæ sunt ix. Lectionum.*

*Absol. & Bened. dicuntur in I. & III. Nocturno, ut suprà; in II. autem, ut sequitur.*

*Absolutio.* 3. Reg. 8.

DEus noster inclínet corda nostra ad se, ut custodiámus mandáta ejus. ℟. Amen.

*BENEDICTIONES In Festis B. M. V.*

4. Deus à quo missus est Angelus Gábriel ad Maríam, mittat nobis de cœlis sapiéntiam. *Luc.* 1. *Sap.* 6.

5. Fílius Altíssimi, quem Virgo concépit & péperit, det nobis fílios Dei fieri. *Luc.* 1. *Joan.* 1.

6. Spíritus sanctus de quo est, quod in María natum est, sanctificet nos per ómnia. *Matth.* 1. *Thess.* 5.

*BENEDICTIONES in Festis Sanctorum.*

4. Deus det nobis illumínátos óculos cordis, ut sciámus quæ sit spes vocatiónis ejus in Sanctis. *Ephes.* 1.

5. Dignos nos fáciat in partem sortis Sanctórum, qui erípuit nos de potestáte tenebrárum. *Coloss.* 1.

6. Aperiantur óculi nostri, ut convertámur à ténebris ad

lucem, & accipiámus sortem inter Sanctos. *Act.* 26.

TEMPORE PASCHALI,

*In omni Officio tam de Tempore, quàm de B. V. & aliis Sanctis.*

*Absolutio.* 1. Petr. 1.

BEnedictus Deus, qui secundùm misericórdiam suam magnam regenerávit nos in spem vivam, per resurrectiónem Jesu Christi ex mórtuis.

℟. Amen.

BENEDICTIONES.

1. Confiteámur in ore, & in corde credámus quòd Deus suscitávit Jesum a mórtuis. *Rom.* 10.
2. Interpellet pro nobis Christus qui mórtuus est & resurrexit. *Rom.* 8.
3. Spiritus ejus qui suscitávit Jesum à mórtuis, hábitet in nobis. *Rom.* 8.

*Si tertia Lectio sit de Evangelio, tunc tertia Benedictio erit:* Fúlgeat nobis illuminátio Evangélii gloriæ Christi, qui est imago Dei. 2. *Cor.* 4.

*Si duæ sint Lectiones de Evangelio, ad primam Lect. Benedictio erit,* Fúlgeat. *suprà.*

*Ad secundam,* Permaneámus in fide fundáti, & immóbiles à spe Evangélii. *Coloss.* 1.

# PROPRIUM DE TEMPORE.

## *PARS VERNA.*

IN FERIIS.

*A Feria IV. Cinerum usque ad Dominicam Passionis.*

AD OFFICIUM NOCTUR.

*Invitat.* Dóminum vocántem peccatóres ad pœniténtiam. * Veníte, adorémus. *Luc.* 5.

*Psalmus* 94. Veníte. 2.

*Hymnus.*

QUOD lex adumbrávit vetus,
Quod ipse sacrávit novi
Christus minister fœderis,
Decúrrimus jejúnium.

UTAMUR ergo & párcius
Verbis, cibis & pótibus,
Somno, jocis; & árctius
Perstémus in custódia.

INTENTA mens cupídinis
Frænet rebelles ímpetus;
Ne cordis arcem, jánua
Quà se dat, hostis óccupet.

OMNES ad aram cérnuo
Vultu precémur súpplices:
Plorémus, atque víndicem
Flectámus iram Júdicis.

JUDEX tremende, nos premit
Immensa moles críminum:
Immensa sed, clemens Pater;
Parcendo vinces crímina.

Nos, testa quamquam fíctilis,
Opus tuum sumus tamen;
Perire ne plebem sinas
Christi redemptam sánguine.

QUOD fécimus, sana malum;
Auge bonum quod póscimus:
Da corde contrito, Deus,
Tuam meréri grátiam.

PRÆSTA, beáta Trínitas;
Concéde, simplex Unitas,
Ut fructuósa sint tuis
Jejuniórum múnera.

Amen.

*Antiph. & Psalmi de Psalterio, secundùm Feriam.*

℣. Anticipavérunt vigílias óculi mei: ℟. Turbátus sum, & non sum locútus. *Ps.* 76.

*Absol. & Benedict. habentur suprà, ad calcem Psalterii.*

*Lectiones, ut infrà in qualibet Feria.*

*Duo priora* ℟℟. *dicuntur alternatim secundùm Feriam, ut sequitur, usque ad Dominicam Passionis.*

FERIA II. ET V.

*Post j. Lect.* ℟. Projícite à vobis omnes prævaricatiónes vestras, & fácite vobis cor novum, & spíritum novum; quia * Nolo mortem morientis, dicit Dóminus: revertímini, & vívite. ℣. Patienter agit Dóminus própter vos, nolens áliquos perire, sed omnes ad pœniténtiam reverti. * Nolo. *Ezech.* 18. 2. *Petr.* 3.

*Post ij. Lect.* ℟. Quasi columbæ meditantes gemémus; multiplicátæ sunt enim iniquitátes nostræ, & * Peccáta nostra respondérunt nobis; quia scélera nostra nobiscum, & iniquitátes nostras cognóvimus. ℣. Si dixérimus quóniam peccátum non habémus, ipsi nos sedúcimus, & véritas in nobis non est. * Peccáta. *Is.* 59. 1. *Joan.* 1.

*Respons. tertium erit Evangelicum, ut in qualibet Feria.*

FERIA III. ET VI.

*Post j. Lect.* ℟. Scimus qui dixit: Mihi vindicta, & ego retríbuam. * Horrendum est incídere in manus Dei viventis. ℣. Si pœniténtiam non egérimus, incidémus in manus Dómini, & non in manus hóminum. * Horrendum. *Hebr.* 10. *Eccli.* 2.

*Post ij. Lect.* ℟. Tu, Dómine, in æternum permanébis: * Quare in perpétuum oblivíscéris nostrî? Converte nos, Dómine, ad te, & convertémur. ℣. Dómine, salva nos, perímus. * Quare. *Thren.* 5. *Matth.* 8.

℟. *Evangelicum, ut in qualibet Feria notatur.*

FERIA IV. ET SABBATO.

*Post j. Lect.* ℟. Jurávi, & státui custodire judícia justítiæ tuæ. * Humiliátus sum usquequáque, Dómine: vivífica me secundùm verbum tuum. ℣. Deus, propítius esto mihi peccatóri. * Humiliátus sum. *Ps.* 118. *Luc.* 18.

*Post ij. Lect.* ℟. Pósui fáciem meam ad Dóminum Deum meum, rogáre & deprecári * In jejúniis, sacco, & cínere. ℣. Memor esto unde excíderis, & age pœniténtiam. * In jejúniis. *Dan.* 9. *Apoc.* 2.

℟. *Evangelicum, ut in qualibet Feria notatur.*

*Non dicitur* Te Deum.

*Si Laudes immediatè non sequantur, terminatur Officium Nocturnum Feriale iisdem Precibus & Oratione & eodem ritu quibus mox dicetur Tertia concludi.*

AD LAUDES.

*Antiphonæ & Psalmi de Psalterio, secundum Feriam.*

*Capitulum.* Isaiæ 58.

CLama, ne cesses; quasi tuba exalta vocem tuam, & annúntia pópulo meo scélera eórum, & dómui Jacob peccáta eórum.

*Hymnus.*

SOLEMNE nos jejúnii
Nunc tempus ad planctum vocat;
Plorat sacerdos; flébili
Clamóre templa pérsonant.

LUGUBRIS at frustrà sonus
Ad Numen irátum venit,
Ni corde pulsus íntimo
Sensum dolóris índicet.

NIL fróntibus sparsus cinis,
Nil scissa vestis próderit,
Ni fracta scindantur simul
Vivo dolóre péctora.

VULTUM rigantes flétibus
Flectámus iram Núminis,
Quæ críminis nostri memor,
Intentat ultrícees minas.

O Juste judex! ô Deus!
Sis lentus ad pœnam, Pater:
Das pœnitendi témpora,
Et cor simul da pœnitens.

PRÆSTA, beáta Trínitas;
Concéde, simplex Unitas,

Ut fructuósa sint tuis.
Jejuniórum múnera. Amen.

℟. Si iniquitátes obsérváveris, Dómine; ℟. Dómine, quis sustinébit? *Ps.* 129.

*Ad* Benedictus. *Antiphona ut in qualibet Feria.*

*Deinde dicuntur flexis genibus sequentes*

*PRECES.*

KYrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

Pater noster, *secreto.* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Ego dixi, Dómine, miserére meî: ℟. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi. *Ps.* 40.

℣. Convértere, Dómine; úsquequo? ℟. Et deprecábilis esto super servos tuos. *Ps.* 89.

℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos; ℟. Quemádmodum sperávimus in te. *Ps.* 32.

℣. Sacerdótes tui induantur justítiam; ℟. Et sancti tui exultent. *Ps.* 131.

℣. Orémus pro Pastóre nostro N. ℟. Dóminus conservet eum, & vivíficet eum. *Ps.* 40.

℣. Memor esto congregatiónis tuæ, ℟. Quam possedísti ab initio. *Ps.* 73.

℣. Dómine, salvum fac regem nostrum N. ℟. Et exaudi nos in die quâ invocavérimus te. *Ps.* 17.

℣. Salvum fac pópulum tuum, Dómine, & bénedic hæreditáti tuæ: ℟. Et rege eos, & extolle illos usque in æternum. *Ps.* 27.

℣. Rogáte quæ ad pacem sunt Jerúsalem: ℟. Fiat pax in virtúte tua, & abundántia in túrribus tuis. *Ps.* 121.

℣. Orémus pro frátribus nostris absséntibus. ℟. Bénefac, Dómine, bonis & rectis corde. *Ps.* 124.

℣. Pro infírmis, afflíctis & captívis. ℟. Libera, Deus, Israël ex ómnibus tribulatiónibus suis. *Ps.* 24.

℣. Pro cunctis fidélibus defunctis. ℟. Edúcat eos Dóminus in lucem, & vídeant justítiam ejus. *Mich.* 7. 9.

*Deinde dicitur Psalmus* De profundis, *qui habetur suprà in Vesperis Feriæ quartæ*, 82. *& in fine*, Glória Patri.

[ *In Vesperis, ejus loco dicitur Ps.* Miserére 136. *cum* Glória Patri. ]

*Finito Psalmo, dicitur:*

℣. Dómine Deus virtútum, converte nos; ℟. Et ostende fáciem tuam, & salvi érimus. *Ps.* 79.

℣. Exurge, Dómine, ádjuva nos; ℟. Et rédime nos propter nomen tuum. *Ps.* 43.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101.

℣. Dóminus vobíscum, ℟. Et cum spíritu tuo.

*Et dicitur cum conclusione Oratio conveniens, ut infrà in qualibet Feria post Antiph. ad* Benedictus.

*Non autem additur* Dóminus vobíscum, *vel* Dómine, exaudi, *nec dicitur* Benedicámus, *nisi post ultimæ Commem. Orationem, quæ sola terminatur conclusione.*

*Si facienda sit Commemor. de aliquo Sancto, fit eo loco.*

*Deinde usque ad Hebdoma-*

*dam Passionis exclusivè, fiunt*

*SUFFRAGIA*

*seu Commemorationes Communes.*

*DE SANCTA CRUCE.*

*Ant.* Peccáta nostra Christus pértulit in córpore suo super lignum; ut peccátis mórtui, justítiæ vivámus. *1. Petr. 2.*

℣. Ipse rédimet Israël. ℟. Ex ómnibus iniquitátibus ejus. *Ps. 129.* Orémus.

PErpétuâ nos, quæsumus, Dómine, pace custódi, quos per lignum sanctæ Crucis redimere dignátus es.

[*Si sequatur Officium parvum B. M. Oratio de Cruce tam in Laudib. quàm in Vesp. terminatur per integram conclusionem:* Qui vivis & regnas, &c. *Et additur:* Dóminus vobíscum, &c. *Et additur:* Benedicámus, &c.]

[*Omittitur Suffragium sequens iis diebus quibus dicitur Officium parvum B. M.*

*DE B. MARIA.*

*Ant.* Benedicentur in te & in sémine tuo cunctæ tribus terræ. *Gen. 28.*

℣. Pópuli confitebuntur tibi in æternum: ℟. Mémores erunt nóminis tui. *Ps. 44.* Orémus.

COncéde nos fámulos tuos, quæsumus, Dómine Deus, perpétuâ mentis & córporis sanitáte gaudére; & gloriósâ beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, à præsenti liberári tristítia, & æternâ pérfrui lætítiâ.

*Postea fit Comm. de Patrono Ecclesiæ. Si autem Ecclesia dedicata sit sub titulo SS. Trinitatis, aut S. Spiritûs, vel alí, cujus ex Mysteriis Christi; ejusmodi Comm. fit post Orat. de Cruce ante Suffrag. de Beata. Quòd si in honorem S. Crucis dedicata sit, supradicta Comm. de Cruce fit etiam in Festis Semid. & Simplic. Si verò sub invocat. S. M. non fit alia Comm. de ea quam quæ hic habetur.*

[*In Ecclesia Cathedrali,*

*DE S. MAURICIO,*

*Martyre, & Sociis ejus.*

*Ant.* Dico vobis ámicis meis; ne terreámini ab his, qui occídunt corpus, & post hæc non habent ámplius quid fáciant. *Luc. 12.*

℣. Salvásti nos de affligéntibus nos. ℟. Et in nómine tuo confitébimur in séculum. *Ps. 43.* Orémus.

ADsis, quæsumus, Dómine, nobis supplicántibus, quorum vita militia est super terram; & sicut beáto Maurício & Sóciis ejus hanc tribuísti grátiam; ut pótius tibi quam Regi temporáli militárent: talem nobis concéde fortitúdinem, ut tanquam boni milites Christi, inimícos salútis nostræ semper vincámus.]

*Deinde fit Commemoratio de omnibus Sanctis, & speciatim de iis quorum Corpora aut saltem Reliquiæ habentur.*

*Ant.* Vivent mórtui tui, Israël; interfecti mei resurgent; expergiscímini, & laudáte, qui habitátis in púlvere. *Is. 26.*

℣. In æternum exultábunt, & habitábis in eis; ℟. Et gloriabuntur in te, Dómine. *Ps. 5.*

*In Oratione sequenti, extra Ecclesiam omittitur vox* [hac.]

Orémus.

PRopitiáre, quæsumus, Dómine, famulis tuis per Sanctórum quorum Reliquiæ in [hac] Eccléſia tua requieſcunt, & ómnium Sanctórum, mérita glorióſa; ut eórum interceſſióne ab ómnibus ſemper protegámur adverſis.

*Ultimò, pro Pace.*

*Ant.* Deus qui fecit nobiſcum ſecundùm ſuam miſericórdiam, det nobis jucunditátem cordis, & fieri pacem in diébus noſtris. *Eccli.* 50.

℣. Dóminus virtútem pópulo ſuo dabit; ℟. Dóminus benedicet pópulo ſuo in pace. *Pſal.* 28.

Orémus.

DEus, à quo ſancta deſidéria, recta conſília & juſta ſunt ópera: da ſervis tuis illam quam mundus dare non poteſt pacem; ut, & corda noſtra mandátis tuis dédita, &, hóſtium ſublátâ formídine, témpora ſint tuâ protectióne tranquilla; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti Deus, per ómnia ſécula ſeculórum.

℟. Amen.

℣. Dóminus vobiſcum. *vel* Dómine, exaudi. Benedicámus Dómino.

℟. Deo grátias.

*Si aliud Officium non ſequatur, dicitur ſecretò:* Fidélium ánimæ per miſericórdiam Dei requieſcant in pace. Amen. *Deinde*, Pater.

*Ante Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, & Veſperas, ubi ſeparantur ab horâ præcedenti, ut & ante Laudes cùm Nocturnum Officium immediatè non ſequuntur, dicitur ſecretò*, Pater & Ave.

AD PRIMAM.

℣. Deus, in adjutórium, &c.

*Hymnus.* Jam lucis. *ſuprà.* 126.

*Pſalmi de Feria; & ſic ad alias Horas.*

*Ant.* 2. D. Dómino Deo noſtro juſtítia; nobis autem confúſio faciéi noſtræ: peccávimus ante Dóminum Deum noſtrum. *Baruch.* 1.

*Capitulum.* Vidéte, fratres. *& reliqua ut ad calcem Pſalterii pro Tempore Quadrageſimæ*, 126.

AD TERTIAM.

℣. Deus, in adjutórium, &c.

*Hymn.* Jam ſolis. *ſupr.* 130.

*Ant.* 7. b. Operiantur ſaccis hómines, & clament ad Dóminum in fortitúdine, & convertátur vir à via ſua mala. *Jonæ* 3.

*Capitulum.* Joel. 2.

NUnc, dicit Dóminus, convertímini ad me in toto corde veſtro, in jejúnio, & in fletu, & in planctu; & ſcíndite corda veſtra, & non véſtimenta veſtra.

℣. *br.* Converte nos, * Deus ſalutáris noſter. Converte nos.

℣. Et averte iram tuam * à nobis, * Deus. Glória Patri. Converte. *Pſ.* 84.

℣. Oculi noſtri ad Dóminum Deum noſtrum, ℟. Donec miſereátur noſtri. *Pſ.* 122.

*Deinde dicuntur flexis genibus ſequentes*

PRECES.

KYrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kyrie eléiſon.

Pater noster. *secretò.* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Dómine Deus virtútum, converte nos; ℟. Et osténde fáciem tuam, & salvi érimus. *Ps.* 79.

℣. Exurge, Dómine, ádjuva nos, ℟. Et rédime nos propter nomen tuum. *Ps.* 43.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101.

℣. Dóminus vobíscum, &c.

*Oratio conveniens.*

℣. Dóminus vobíscum, &c.

℣. Benedicámus Dómino, ℟. Deo grátias.

AD SEXTAM.

℣. Deus, in adjutórium, &c.

*Hymnus.* O Fons. *suprà* 130.

*Ant.* 5. b. Quiéscite ágere perverse, díscite benefácere; quærite judícium. Si fúerint peccáta vestra ut cóccinum, quasi nix dealbabuntur. *Is.* 1.

*Capitulum.* Isaïæ 55.

DÉrelinquat ímpius viam suam, & vir iníquus cogitatiónes suas, & revertátur ad Dóminum, & miserébitur ejus; & ad Deum nostrum, quóniam multus est ad ignoscéndum.

℟. *br.* Miserére nostrî, Dómine; * Miserére nostrî. Miserére. ℣. Quia multùm repléti sumus * despectióne, * Miserére nostrî. Glória Patri. Miserére. *Ps.* 122.

℣. Multa flagella peccatóris; ℟. Sperantem autem in Dómino misericórdia circúmdabit. *Ps.* 31.

*Preces, ut suprà ad Tertiam.*

*Oratio conveniens.*

AD NONAM.

℣. Deus, in adjutórium, &c.

*Hymn.* Labente. *suprà* 130.

*Ant.* 6. Purificáte corda, peccatóres: lugéte, & ploráte: humiliámini in conspéctu Dómini. *Jac.* 4.

*Capitulum.* Joël. 2.

INter vestíbulum & altáre plorábunt sacerdótes, minístri Dómini; & dicent: Parce, Dómine, parce pópulo tuo; & ne des hæreditátem tuam in oppróbrium.

℟. *br.* Propter glóriam nóminis tui, * Dómine, líbera nos. Propter. ℣. Et propítius esto peccátis nostris * propter nomen tuum: * Dómine, líbera nos. Glória Patri. Propter. *Ps.* 78.

℣. Sacrifícium Deo spíritus contribulátus; ℟. Cor contrítum & humiliátum, Deus, non despícies. *Ps.* 50.

*Preces, ut suprà ad Tertiam.*

*Oratio conveniens.*

AD VESPERAS.

*Antiph. & Psalmi de Psalterio, secundum Feriam.*

*Capitulum.* Ezech. 33.

SI ímpius in mandátis vitæ ambuláverit, nec fécerit quidquam injustum, vitâ vivet, & non moriétur. Omnia peccáta ejus quæ peccávit, non imputabuntur ei.

*Hymnus.*

AUdi, benigne Cónditor,
Nostras preces cum flétibus,
In hoc sacro jejúnio
Fusas quadragenário.
Scrutator alme córdium,
Infirma tu scis vírium;
Ad te reversis éxhibe
Remissiónis grátiam.

MULTUM

MULTUM quidem peccávimus;
Sed parce confiténtibus:
Ad nóminis laudem tui
Confer medélam lánguidis.
SIC corpus extra cónteri
Dona per abstinéntiam,
Jejúnet ut mens sóbria
A labe prorsus criminum.
PRÆSTA, beáta Trinitas;
Concéde, simplex Unitas,
Ut fructuósa sint tuis
Jejuniórum múnera. Amen.

℣. Tempus beneplániti, Deus; ℟. In multitúdine misericórdiæ tuæ exaudi me. *Ps.* 86.

*Ad* Magníficat. *Antiphona ut in qualibet Feria.*

*Deinde dicuntur Preces, ut suprà ad Laudes*, 141. *In iis, loco Psalmi* De profundis. *dicitur Psalm.* 50. Miserére meî, Deus. *pag.* 124.

*Oratio, ut infrà in qualibet Feria, post Ant. ad* Magníficat.

*Non additur autem*

Dóminus vobíscum, *vel*, Dómine, exaudi, *nec* Benedicámus, *nisi post ultimæ Commemorationis orationem, quæ sola terminatur conclusione.*

*Si facienda sit Commemor. de aliquo Sancto, fit eo loco.*

*Deinde, usque ad Passionem exclusivè, fiunt Suffragia seu Commemorationes communes.*

*DE S. CRUCE.*

*Ant.* Mihi absit gloriári, nisi in cruce Dómini nostri Jesu Christi. *Gal.* 6.

℣. In Deo salutáre meum ℟. Et glória mea. *Ps.* 61.

Orémus.

PErpétuâ nos, quæsumus, Dómine, pace custódi, quos per lignum sanctæ Crucis redímere dignátus es.

MIR. *Pars Verna.*

[*Omittitur Suffragium sequens iis diebus quibus dicitur Officium parvum B. V.*

*DE B. MARIA.*

*Ant.* Benedícta tu inter mulíeres, & benedíctus fructus ventris tui. *Luc.* 1.

℣. Vultum tuum deprecabuntur. ℟. Omnes divites plebis. *Ps.* 44.

Orémus.

COncéde nos fámulos tuos, quæsumus, Dómine Deus, perpétuâ mentis & córporis sanitáte gaudére, & gloriósâ beátæ Mariæ semper vírginis intercessióne, à præsenti liberári tristítia, & æternâ pérfrui lætítiâ.

*Posteà fit Commemorat. de Patrono, ut dictum est suprà*, 142.

[*In Ecclesia Cathedrali*, *DE S. MAURICIO, Martyre, & Sociis ejus.*

*Ant.* Non dilexérunt ánimas suas usque ad mortem, proptérea lætámini cœli & qui habitátis in eis. *Apoc.* 12.

℣. Dóminus protector justórum, ℟. In témpore tribulatiónis. *Ps.* 36.

*Oratio.* Adsis. *ut suprà.* 142.

*Deinde de omnibus Sanctis, & speciatim de iis quorum Corpora aut saltem Reliquiæ habentur.*

*Ant.* Cum à mórtuis resurrexerint, sunt sicut Angeli in cœlis, nequè enim ultra mori póterunt; & filii sunt Dei, cum sint filii resurrectiónis. *Marc.* 12. *Luc.* 20.

℣. Justi confitebuntur nómini tuo, Dómine; ℟. Et habitábunt recti cum vultu tuo. *Ps.* 139.

Orémus.

PRopitiáre, quæsumus, Dómine, famulis tuis per Sanctórum quorum Relíquiæ in [hac] Eccléſia tua requieſcunt, & ómnium Sanctórum mérita glorióſa; ut eórum interceſſióne ab ómnibus ſemper protegámur adverſis.

*Ultimò, pro Pace.*

*Ant.* Deus meminerit teſtamenti ſui, & fáciat pacem; nec déſerat in témpore malo. 2. *Mach.* 2.

℣. Dóminus Deus loquétur pacem. ℟. In plebem ſuam. *Pſ.* 84.

Orémus.

DEus, à quo ſancta deſidéria, recta conſilia & juſta ſunt ópera: da ſervis tuis illam quam múndus dare non poteſt pacem; ut, & corda noſtra mandátis tuis dédita, & hóſtium ſublátâ formídine, témpora ſint tuâ protectióne tranquilla; Per Dóminum.

℣. Dóminus vobiſcum.

℣. Benedicámus Dómino.

℟. Deo grátias.

*COMPL. dicitur ut notatum eſt ad calcem Pſalt.* 131.

## FERIA QUARTA CINERUM,

In capite Jejunii.

*Omnia ut ſuprà in Feriis Quadrageſimæ, additis quæ ſequuntur.*

AD OFFICIUM NOCTUR.

De libro Géneſis.

*Lectio j.* Cap. 37.

JOſeph cùm ſédecim eſſet annórum, paſcébat gregem cum frátribus ſuis adhuc puer: & erat cum filiis Balæ & Zelphæ uxorum patris ſui, accuſavitque fratres ſuos apud patrem crímine péſſimo. Iſraël autem diligébat Joſeph ſuper omnes filios ſuos, eò quòd in ſenectúte genuiſſet eum, fecitque ei túnicam polymitam. Videntes autem fratres ejus quòd à patre plùs cunctis filiis amarétur, óderant eum, nec póterant ei quidquam pacificè loqui. Accidit quoque ut viſum ſómnium referret frátribus ſuis, qui cauſa majóris ódii ſeminárium fuit. Dixitque ad eos: Audíte ſomnium meum quod vidi: Putábam nos ligáre manípulos in agro, & quaſi conſúrgere manipulum meum, & ſtare; veſtroſque manípulos circumſtantes adoráre manípulum meum. Reſpondérunt fratres ejus: Numquid rex noſter eris? aut ſubjiciémur ditióni tuæ? Hæc ergo cauſa ſomniórum atque ſermónum, invídiæ & ódii fómitem miniſtrávit.

℟. Jurávi. 140.

*Lectio ij.*

CUmque fratres illíus in paſcendis grégibus patris morarentur in Sichem, dixit ad eum Iſraël: Fratres tui paſcunt oves in Sichimis: veni, mittam te ad eos. Quo reſpondente, Præſtò ſum, ait ei: Vade, & vide ſi cuncta próſpera ſint erga fratres tuos & pécora; & renúntia mihi quid agátur. Miſſus de valle Hebron, venit in Sichem: invenitque eum vir errantem in agro, & interrogávit quid quæreret. At ille reſpondit: Fratres meos quæro, índica mihi ubi paſcant

greges. Dixitque ei vir : Recessérunt de loco isto ; audívi autem eos dicentes : Eámus in Dóthain. Perrexit ergo Joseph post fratres suos, & invenit eos in Dóthain. Qui cùm vidíssent eum procul, ántequàm accéderet ad eos, cogitavérunt illum occídere, & mútuò loquebantur : Ecce somniátor venit ; venite, occidámus eum, & mittámus in cisternam véterem ; dicemúsque : Fera péssima devorávit eum ; & tunc apparébit quid illi prosint somnia sua.

℟. Pósui 140.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

*Lectio iij.* Cap. 6.

IN illo témpore ; Dixit Jesus discípulis suis : Cùm jejunátis, nolíte fieri sicut hypócritæ, tristes. Et réliqua.

Homília S. Augustíni Epíscopi.

*Ex Serm.* 207. *in Quadrag.* 3.

JEjunémus humiliántes ánimas nostras, appropinquante die quo magíster humilitátis humiliávit semetipsum, factus súbditus usque ad mortem Crucis. Imitémur ejus Crucem, abstinéntiæ clavis edómitas concupiscéntias configéntes. Castigémus corpus nostrum, & servitúti subjiciámus ; & ne per indómitam carnem ad illícita prolabámur, in ea domanda aliquantum & lícita subtrahámus. Crápula & ebrietas étiam per dies céteros devitanda ; per hos autem dies étiam concéssa prándia removenda. Fácilè tibi obtemperábit caro ne inhæreat aliénis, quæ refrænári consuéverit & à suis. Cavendum est ne mutes, non minuas voluptátes. Parsimónia jejúniis conjungátur. Sicut ventris castiganda satúritas, ita gulæ irritamenta exuenda sunt. Tu autem.

℟. Convertímini ad me, dicit Dóminus, in toto corde vestro, in jejúnio, & in fletu, & in planctu ; & * Scíndite corda vestra, & non vestimenta vestra. ℣. Cùm jejunátis, nolíte fieri, sicut hypócritæ, tristes : extérminant enim fácies suas, ut appáreant homínibus jejunántes. * Scíndite. Gloria Patri. * Scíndite.

*Ad* Benedíctus. *Ant.* 2. D. Cùm jejúnas, unge caput tuum, & fáciem tuam lava, ne videáris homínibus jejúnans. *Matth.* 6.

*Oratio.*

PRæsta, Dómine, fidélibus tuis, ut jejuniórum veneranda solémnia, & congruâ pietáte susc ípiant, & securâ devotióne percurrant ; Per Dóminum.

[*Hodie, & deinceps usque ad Pascha, præterquàm diebus Dominicis, Vesperæ dicuntur in Ecclesiis ante comestionem.*]

*Ad* Magníficat. *Ant.* 4. A. Thesaurizáte vobis thesauros in cœlo, ubi neque ærúgo, neque tínea demolitur. *Mat.* 6.

*Oratio.*

DEus, misericórdiæ dator, & totíus bonitátis auctor ; qui jejúniis, oratiónibus & eleemósynis peccatórum remédia, & virtútum ómnium tríbuis incrementa : te húmili devotióne preca-

mur, ut qui ad hæc agenda salubérrimam dedísti doctrínam, ad complendum indefessam tríbuas efficáciam; Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Fílium tuum, qui tecum vivit.

## FERIA QUINTA.
### POST CINERES.

¶ *Si Festum duplex in hanc Feriam vel sequentes inciderit, duæ Lectiones de Scriptura in tres pro Lectionibus I. Nocturni dividentur ad asterísicos * cuique diei sparsos.*]

De libro Genesis.

*Lectio j.* Cap. 37.

DIxit Judas frátribus suis: Quid nobis prodest, si occidérimus fratrem nostrum, & celavérimus sánguinem ipsíus? Mélius est ut venumdétur Ismaelítis, & manus nostræ non polluantur; frater enim & caro nostra est. Acquievérunt fratres sermónibus illíus. Et prætereúntibus Madianítis negotiatóribus, extrahentes eum de cisterna, vendidérunt eum Ismaelítis viginti argénteis: qui duxérunt eum in Ægyptum. Reversúsque Ruben ad cisternam, non invénit púerum. Et scíssis véstibus, pergens ad fratres suos, ait: Puer non compáret, & ego quò ibo? * Tulérunt autem túnicam ejus, & in sánguine hædi quem occíderant, tinxérunt, mittentes qui ferrent ad patrem, & dícerent: Hanc invénimus; vide utrùm túnica filii tui sit, an non. Quam cùm agnovísset pater, ait: Túnica filii mei est; fera péssima comédit eum, béstia devorávit Joseph. Scissísque véstibus, indútus est cilício, lugens filium suum multo témpore.

℟. Projícite à vobis omnes prævaricatiónes vestras. 139.

*Lectio ij.* Cap. 39.

IGitur Joseph ductus est in Ægyptum, emitque eum Pútiphar eunúchus Pharaónis, princeps exércitûs, vir Ægyptius, de manu Ismaelitárum à quibus perductus erat. * Fuitque Dóminus cum eo, & erat vir in cunctis prósperè agens: habitavitque in domo dómini sui, qui óptimè nóverat Dóminum esse cum eo; & ómnia quæ géreret, ab eo dírigi in manu illíus. Invenítque Joseph grátiam coram Dómino suo & ministrábat ei, à quo præpósitus ómnibus, gubernábat créditam sibi domum, & universa quæ ei trádita fúerant: benedixítque Dóminus Dómui Ægyptii propter Joseph, & multiplicávit tam in ædibus quàm in agris cunctam ejus substántiam, nec quidquam áliud nóverat nisi panem quo vescebátur. Erat autem Joseph pulchrâ fácie & decórus aspectu.

℟. Quasi columbæ meditantes. 140.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

*Lectio iij.* Cap. 8.

IN illo témpore; Cùm introísset Jesus Caphárnaum accessit ad eum Centúrio, rogans eum & dicens: Dómine, puer meus jacet in domo paralyticus, & male torquétur. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

*Serm. 62. de verb. Evang. Matth. 8.*

AUdívimus, cùm Evangélium legerétur, fidem nostram in humilitáte laudári. Ad domum quippe Centuriónis cùm se promitteret Dóminus Jesus itúrum, ut púerum ejus sanáret, ille respondit: Non sum dignus ut sub tectum meum intres, sed tantùm dic verbum, & sanábitur. Dicendo se indignum, præstitit dignum; non in cujus paríetes, sed in cujus cor Christus intráret. Neque hoc díceret cum tanta fide & humilitáte, nisi illum quem timébat intráre in domum suam, corde gestáret. Nam non erat magna felícitas, si Dóminus Jesus intráret in paríetes ejus, & non esset in péctore ejus.

℟. Centúrio ait: Dómine, non sum dignus ut intres sub tectum meum; sed * Tantùm dic verbo, & † Sanábitur puer meus. ℣. Dómine Deus, ecce tu fecísti cœlum & terram in fortitúdine tua magna: non erit tibi difficile omne verbum: * Tantùm. Glória Patri † Sanábitur puer meus. *Matth.* 8. *Jerem.* 32.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 2. D. Audiens Centuriónem Jesus, mirátus est, & sequéntibus se dixit: Amen dico vobis, non invéni tantam fidem in Israel. *Matth.* 8.

*Oratio.*

DEus, qui culpâ offénderis, pœniténtiâ placáris: preces pópuli tui supplicantis propítius réspice, & flagella tuæ iracúndiæ quæ pro peccátis nostris merémur, averte; Per Dóminum nostrũ Jesum Christum.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 2. D. Multi ab oriente & occidente vénient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Jacob in regno cœlórum; fílii autem regni ejicientur in ténebras exterióres. *Matth.* 8.

℣. Tempus benepláciti Deus: ℟. In multitúdine misericórdiæ tuæ exaudi me. *Ps.* 68.

*Oratio.*

DEus, nostrum refúgium in labóribus, virtus in infirmitátibus, adjutórium in tribulatiónibus, solámen in flétibus: parce pópulo tuo, ut dignis flagellatiónibus castigátus in tua miseratióne respíret; Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

## FERIA SEXTA POST CINERES.

## AD OFFICIUM NOCT.

De libro Géneseos.

*Lectio j.* Cap. 42.

ERat fames in terra Chánaan; & Joseph erat princeps in terra Ægypti, atque ad ejus nutum frumenta pópulis vendebantur. Cúmque adorassent eum fratres sui, & agnovísset eos, quasi ad aliénos dúriùs loquebátur, intérrogans eos: Unde venístis? Qui respondérunt: De terra Chánaan, ut emámus victui necessária. Et tamen fratres ipse cognoscens, non est cógnitus ab eis. Recordatúsque somniórum quæ aliquando víderat, ait ad eos: Exploratóres estis; ut vidéatis

infirmióra terræ veníſtis. Qui dixérunt : Non eſt ita, dómine; ſed ſervi tui venérunt ut émerent cibos. Omnes filii uníus viri ſumus : pacífici vénimus, nec quidquam fámuli tui machinantur mali.

℟. Scimus qui dixit : Mihi vindícta. 140.

*Léctio ij.* Cap. 45.

ELevávit Joſeph vocem cum fletu : quam audiérunt Ægyptii, omníſque domus Pharaónis. Et dixit frátribus ſuis : Ego ſum Joſeph : adhuc pater meus vivit ? Non póterant reſpondére fratres símio terróre pertérriti. Ad quos ille clementer : Accédite, inquit, ad me. Et cùm acceſſíſſent propè : Ego ſum, ait Joſeph frater veſter, quem vendidiſtis in Ægyptũ. * Nolíte pavére, neque vobis durum eſſe videátur quòd vendidiſtis me in his regiónibus; pro ſalúte enim veſtra miſit me Deus ante vos in Ægyptum. Biénnium eſt enim quòd cœpit fames eſſe in terra; & adhuc quinque anni reſtant, quibus nec arári póterit, nec méti. Præmiſítque me Deus ut reſervémini ſuper terram, & eſcas ad vivendum habére poſsítis. Non veſtro consílio, ſed Dei voluntáte huc miſſus ſum, qui fecit me quaſi patrem Pharaónis, & dóminum univerſæ domûs ejus, ac príncipem in omni terra Ægypti. Feſtináte, & aſcéndite ad patrem meum, & dicétis ei : Hæc mandat filius tuus Joſeph : Deus fecit me dóminum univerſæ terræ Ægypti : deſcende ad me, ne moréris, & habitábis in terra Geſſen.

℟. Tu Dómine, in æternum permanébis. 140.

Léctio ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

*Lectio ix.* Cap. 5.

IN illo témpore; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis : Audiſtis quia dictum eſt : Díliges próximum tuum, & ódio habébis inimícum tuum : Ego autem dico vobis : Dilígite inimícos veſtros. Et réliqua.

Homília ſancti Hierónymi Preſbyteri.

*Lib. 1. in Matth.*

EGo autem dico vobis : Dilígite inimícos veſtros; benefácite his qui odérunt vos. Multi præcepta Dei, imbecillitáte ſuâ, non Sanctórum víribus, æſtimantes, putant eſſe impoſſibilia quæ præcepta ſunt; & dicunt ſufficere virtútibus non odiſſe inímicos : céterùm dilígere plùs præcipi; quàm humána natúra patiátur. Sciendum eſt ergo Chriſtum non impoſſibília præcípere, ſed perfecta : quæ fecit David in Saül & in Abſalom. Stéphanus quoque Martyr pro inimícis lapidántibus deprecátus eſt, & Paulus anáthema cupit eſſe pro perſecutóribus ſuis. Hæc autem Jeſus & dócuit & fecit, dicens : Pater, ignóſce illis.

℟. Commendat Deus caritátem ſuam in nobis; * Quóniam cùm adhuc peccatóres eſſémus, ſecundùm tempus Chriſtus pro nobis mórtuus eſt. ℣. Non óderis fratrem tuum in corde tuo, non quæ-

ras ultiónem, nec memor eris injúriæ; * Quóniam. Glória Patri & Fílio & Spíritui sancto. *Repet.* ℟. *usque ad* ℣. *Rom.* 5. *Levit.* 19.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 1. g. Dilígite inimícos vestros, benefácite his qui odérunt vos, & oráte pro persequéntibus & calumniántibus vos. *Matth.* 5.

℣. Si iniquitátes obsérváveris, Dómine; ℟. Dómine, quis sustinébit? *Ps.* 129.

*Oratio.*

INchoáta jejúnia, quæsúmus, Dómine, benigno favóre prosequere; ut obsérvántiam, quam corporáliter exhibémus, méntibus étiam sincéris exercére valeámus; Per.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 1. f. Estóte perfecti, sicut & Pater vester cœléstis perfectus est. *Matth.* 5.

℣. Tempus beneplániti, Deus: ℟. In multitúdine misericórdiæ tuæ exaudi me. *Ps.* 68.

*Oratio.*

DEus, qui nos, cùm inimíci essémus, per mortem Unigéniti tui tecum reconciliári voluísti: tríbue, quæsúmus, ut tantæ misericórdiæ mémores, & ipsi propter te inimícos nostros in veritáte diligámus; Per.

## SABBATO
### *post Cineres.*

De libro Géneseos.

*Lectio j.* Cap. 46.

PRofectus Israel cum ómnibus quæ habébat, venit ad púteum juramenti; & mactátis ibi víctimis Deo patris sui Isaac, audívit eum per visiónem noctis vocántem se, & dicéntem sibi: Jacob, Jacob. Cui respondit: Ecce adsum. Ait illi Deus: Ego sum fortíssimus Deus patris tui; noli timére, descende in Ægyptum, quia in gentem magnam fáciam te ibi. Ego descéndam tecum illuc, & ego inde addúcam te reverténtem: Joseph quoque ponet manus suas super óculos tuos. Surrexit autem Jacob à púteo juramenti; tuleruntque eum fílii cum párvulis & uxóribus suis in plaustris quæ míserat Phárao ad portandum senem, & ómnia quæ possédérat in terra Chánaan: venítque in Ægyptum cum omni sémine suo, fílii ejus, & nepótes, fíliæ, & cuncta simul progénies.

℟. Jurávi. 140.

*Lectio ij.* Cap. 47.

* INgréssus ergo Joseph nuntiávit Pharaóni, dicens: Pater meus & fratres, oves eórum & armenta, & cuncta quæ póssident, venérunt de terra Chánaan; & ecce consístunt in terra Gessen. Extrémos quoque fratrum suórum quinque viros constítuit coram rege; quos ille interrogávit: Quid habétis óperis? Respondérunt: Pastóres óvium sumus servi tui, & nos, & patres nostri. Ad peregrinandum in terra tua vénimus; quóniam non est herba grégibus servórum tuórum, ingravescénte fame in terra Chánaan: petimusque ut esse nos júbeas servos tuos in terra Gessen. * Dixit ítaque rex ad

Joseph: Pater tuus & fratres tui venérunt ad te. Terra Ægypti in conspectu tuo est: in óptimo loco fac eos habitáre, & trade eis terram Gessen. Quòd si nosti in eis esse viros indústrios, constítue illos magístros pécorum meórum. Post hæc introduxit Joseph patrem suum ad regem, & státuit eum coram eo; qui benedícens illi, & interrogátus ab eo: Quot sunt dies annórum vitæ tuæ? respondit: Dies peregrinatiónis meæ centum triginta annórum sunt, parvi & mali; & non pervenérunt usque ad dies patrum meórum, quibus peregrináti sunt. Et benedícto rege, egréssus est foràs.

℟. Pósui. 140.

Léctio sancti Evangélii secundùm Marcum.

*Lectio iij.* Cap. 6.

IN illo témpore; Abiit Jesus in montem oráre. Et cùm serò esset, erat navis in médio mari, & ipse solus in terra. Et réliqua.

Homília sancti Cypriáni Epíscopi & Mártyris.

*Epístola ad Clerum & Plebem.*

IN Evangélio légimus: Exiit in montem oráre. Et útique quod orábat, orábat ille pro nobis, cùm peccátor ipse non esset, sed nostra peccáta portáret. Quòd si pro nobis ac pro delíctis nostris ille & labórat, & vígilat, & precátur; quantò nos magis insístere précibus, & oráre, & primò ipsum Dóminum rogáre, tum deinde per ipsum Deo Patri satisfácere debémus? Habémus advocátum & deprecatórem pro peccátis nostris Jesum Christum Dóminum & Deum nostrum, si modò nos in prætéritum peccásse pœniteat, & confitentes atque intelligentes delícta nostra, quibus nunc Dóminum offendimus, vel de cétero nos ambuláre in viis ejus, & præcepta ejus metuére spondeámus. Pater nos & córrigit & tuétur, stantes tamen in fide, & in pressúris atque in angústiis, & Christo ejus firmiter adhærentes.

℟. Vidéns Jesus discípulos laborántes in remigando, * Venit ad eos, ámbulans supra mare; & † Ascéndit ad illos in navim, & cessávit ventus. ℣. Gráditur super fluctus maris, facit magna, & incomprehensíbilia, & mirabília. * Venit ad eos. Glória Patri. † Ascéndit ad illos. *Marc. 6. Joh. 9.*

*Ad* Benedictus. *Ant.* 8. G. In pláteis ponébant infírmos, ut vel fímbriam vestiménti Jesu tángerent: & quotquot tangébant eum, salvi fiébant. *Marc. 6.*

*Oratio.*

ADésto, Dómine, supplicatiónibus nostris: & concéde, ut hoc solemne jejúnium, quod animábus corporibusque curándis salúbriter institútum est, devóto servítio celebrémus; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus, per ómnia sécula seculórum.

℟. Amen.

## DOMINICA. I. QUADRAGESIMÆ.

### IN VESPERIS SABBATI.

*Antiph. & Psalmi de Psalterio.*

*Capitulum.* Levit. 16.

IN hac die expiátio erit vestrî, atque mundátio ab ómnibus peccátis vestris: coram Dómino mundabímini; sábbatum enim requietiónis est: & affligétis ánimas vestras religióne perpétuâ.

*Hymnus*, AUDI, benigne. ℣. Tempus. 144.

*Ad* Magnificat. *Ant.* 4. E. Quia pátiens Dóminus est, in hoc ipso pœniteámus; & indulgéntiam ejus, fusis lácrymis, postulémus. *Judith* 8.

*Non dicuntur Preces.*

*Oratio, ut infrà ad Laudes.*

COMPLETORIUM, *ut supra.* 131. *ad quod tamen Preces non dicuntur in Sabbatis.*

### AD OFFICIUM NOCT.

*Invit.* Veníte, * Revertámur ad Dóminum; & sanábit nos. *Os.* 6.

*Ps.* 94. Veníte. 2.

*Hymnus*, QUOD lex. 139.

*Antiph. Psalmi & ℣℣℣. ut in Psalterio.*

*IN I. NOCTURNO.*

De Epístola secunda beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

*Lectio j.* Cap. 6.

ADjuvantes exhortámur, ne in vácuum grátiam Dei recipiátis. Ait enim: Témpore accepto exaudívi te, & in die salútis adjúvi te. Ecce nunc tempus acceptábile, ecce nunc dies salútis. Némini dantes ullam offensiónem, ut non vituperétur ministérium nostrum; sed in ómnibus exhibeámus nosmetipsos sicut Dei minístros, in multa patiéntia, in tribulatiónibus, in necessitátibus, in angústiis, in plagis, in carcéribus, in seditiónibus, in labóribus, in vigíliis, in jejúniis, in castitáte, in sciéntia, in longanimitáte, in suavitáte, in Spíritu sancto, in caritáte non fictâ, in verbo veritátis, in virtúte Dei; per arma justítiæ à dextris & à sinístris, per glóriam & ignobilitátem, per infámiam & bonam famam: ut seductóres, & veráces: sicut qui ignóti, & cógniti: quasi morientes, & ecce vivimus: ut castigáti, & non mortificáti: quasi tristes, semper autem gaudentes: sicut egentes, multos autem locupletantes: tanquam nihil habentes, & ómnia possidentes.

℟. Ecce nunc tempus acceptábile, ecce nunc dies salútis. * In ómnibus exhibeámus nosmetipsos sicut Dei minístros, in labóribus, in vigíliis, in jejúniis, in caritáte non fictâ. ℣. Dies propitiatiónis est, ut propitiétur vobis Dóminus. * In ómnibus. 2. *Cor.* 6. *Levit.* 23.

*Lectio ij.* Cap. 6. & 7.

NOlíte jugum dúcere cum infidélibus. Quæ enim participátio justítiæ cum iniquitáte? aut quæ sócietas luci ad ténebras? Quæ autem convéntio Christi ad Bélial? aut quæ pars fidéli cum infidéli? Qui autem consensus templo Dei cum idólis? Vos enim estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus: Quóniam inhabi-

tábo in illis, & inambulábo inter eos, & ero illórum Deus, & ipsi erunt mihi pópulus. Propter quod exíte de médio eórum, & separámini, dicit Dóminus, & immundum ne tetigéritis; & ego recípiam vos: & ero vobis in patrem, & vos éritis mihi in filios & filias, dicit Dóminus omnípotens. Has ergo habentes promissiónes, carissimi, mundémus nos ab omni inquinamento carnis & spíritûs; perficientes sanctificatiónem in timóre Dei.

℟. Si dixérimus quóniam peccátum non habémus, ipsi nos sedúcimus. * Si confiteámur peccáta nostra; Deus fidélis est & justus, ut remittat nobis peccáta nostra, & emundet nos ab omni iniquitáte. ℣. Qui abscóndit scélera sua, non dirigétur; qui autem confessus fúerit & relíquerit ea, misericórdiam consequétur. * Si confiteámur. 1. *Joan.* 1. *Prov.* 28.

*Lectio iij.*

QUi consolátur húmiles, consolátus est nos Deus in adventu Titi. Non solùm autem in adventu ejus, sed étiam in consolatióne quâ consolátus est in vobis, référens nobis vestrum desidérium, vestrum fletum, vestram æmulatiónem pro me; ita ut magis gaudérem. Quóniam etsi contristávi vos in epístola, non me pœnitet: etsi pœnitéret, videns quòd epístola illa (etsi ad horam) vos contristávit, nunc gáudeo; non quia contristáti estis, sed quia contristáti estis ad pœniténtiam. Contristáti enim estis secundùm Deum, ut in nullo detrimentum patiámini ex nobis. Quæ enim secundùm Deum tristítia est, pœniténtiam in salútem stábilem operátur; séculi autem tristítia mortem operátur.

℟. Defécit gáudium cordis nostri, versus est in luctum chorus nóster, cécidit coróna cápitis nostri. * Væ nobis, quia peccávimus. ℣. Emundáte manus, peccatóres: míseri estóte, & lugéte; risus vester in luctum convertátur. * Væ. Glória. * Væ. *Thren* 5. *Jac.* 4.

*IN II. NOCTURNO.*

Sermo sancti Leónis Papæ.

*Serm.* 4. *de Quadragesima.*

*Lectio iv.*

PRædicatúrus vobis, dilectíssimi, sacratíssimum maximumque jejúnium, quo áptiùs utar exórdio, quàm ut verbis Apóstoli, in quo Christus loquebátur, incípiam, dicamque quod lectum est: Ecce nunc tempus acceptábile, ecce nunc dies salútis. Quamvis enim nulla sint témpora quæ divínis non sint plena munéribus, & semper nobis ad misericórdiam Dei per ipsíus grátiam præstétur accessus; nunc tamen ómnium mentes majóri stúdio ad spirituáles profectus movéri, & amplióri fidúciâ oportet animári, quando ad universa pietátis officia, illíus nos diéi in quo redempti sumus, recursus invitat; ut excellens super ómnia passiónis Domínicæ sacramentum, purificátis & corpóribus & ánimis, celebrémus.

℟. Miniſtri Dei mei, ſanctificáte jejúnium, vocáte cœtum : * Congregáte omnes habitatóres terræ in domum Dei veſtri, & clamáte ad Dóminum. ℣. Omnes ubíque pœniténtiam agant, eò quòd Deus ſtátuit diem in quo judicatúrus eſt orbem in æquitáte. * Congregáte omnes habitatóres terræ in domum Dei veſtri, & clamáte ad Dóminum. *Joel* 1. *Act.* 17.

*Lectio v.*

DEbebátur quidem tantis myſtériis ita inceſsábilis devótio & continuáta reveréntia, ut tales permanerémus in conſpectu Dei, quales nos in ipſo paſcháli feſto dignum eſt inveníri. Sed quia hæc fortitúdo paucórum eſt, &, dum carnis fragilitáte auſtérior obſervántia relaxátur, dumque per várias actiónes vitæ hujus ſollicitúdo diſténditur, neceſſe eſt de mundáno púlvere étiam religióſa corda ſordéſcere. Magnâ divínæ inſtitutiónis ſalubritáte proviſum eſt, ut ad reparandam méntium puritátem, quadraginta nobis diérum exercitátio mederétur, in quibus alióram témporum culpas & pia ópera redímerent, & jejúnia caſta decóquerent.

℟. Bona eſt orátio cum jejúnio & eleemóſyna, magis quàm theſauros auri recóndere; * Quóniam eleemóſyna à morte líberat : Ipſa eſt quæ purgat peccáta, & facit invenire miſericórdiam & vitam æternam. ℣. Date eleemóſynam, & ecce ómnia munda ſunt vobis; * Quóniam eleemóſyna à morte líberat : Ipſa eſt quæ purgat peccáta, & facit invenire miſericórdiam & vitam æternam. *Tob.* 12. *Luc.* 11.

*Lectio vj.*

INgreſſuri igitur, dilectíſſimi, dies myſticos, & jejuniórum remédiis conſecratos, præceptis Apoſtólicis obedire curémus, emundantes nos ab omni inquinamento carnis ac ſpíritûs; ut, caſtigátis colluctatiónibus quæ ſunt inter utramque ſubſtántiam, ánimus, quem ſub Dei gubernáculis conſtitútum córporis ſui decet eſſe rectórem, dominatiónis ſuæ obtíneat dignitátem; ut némini dantes ullam offenſiónem, vituperatiónibus obloquéntium non ſimus obnóxii. Dignâ enim ab infidélibus reprehenſióne carpémur, & noſtro vítio linguæ ímpiæ in injúriam ſe religiónis armábunt, ſi jejunántium mores à puritáte perfectæ continéntiæ diſcrepárint. Non enim in ſola abſtinéntia cibi ſtat noſtri ſumma jejúnii; aut fructuóſè córpori eſca ſubtráhitur, niſi mens ab iniquitáte revocétur.

℟. Hoc eſt jejúnium quod elégi. Diſſolve colligatiónes impietátis. * Cum effúderis eſúrienti ánimam tuam, & ánimam afflictam repléveris, oriétur in ténebris lux tua, & ténebræ tuæ erunt ſicut meridies. ℣. Qui díligit fratrem ſuum in lúmine manet, & ſcándalum in eo non eſt. * Cum effúderis. Glória Patri, & Fílio, & Spíritui ſancto. * Cum. *Iſ.* 58. 1. *Joan.* 2.



*

## *IN III. NOCTURNO.*

Léctio ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

*Lectio vij.* Cap. 4.

IN illo témpore; Jeſus ductus eſt in deſertum a Spíritu, ut tentarétur à diábolo: & cùm jejunaſſet quadraginta diébus & quadraginta nóctibus, póſteà eſúriit. Et réliqua.

Homília ſancti Gregórii Papæ.

*Homil. 16. in Evang. hab. in Baſil. S. Joan. Lat. Dominicâ primâ Quadrageſ.*

DUbitári a quibuſdam ſolet, à quo ſpíritu ſit Jeſus ductus in deſertum, propter hoc quod súbditur: Aſſumpſit eum diábolus in ſanctam civitátem; & rurſum: Aſſumpſit eum in montē excelſum valde. Sed verè & abſque ulla quæſtióne convenienter accípitur, ut à ſancto Spíritu in deſertum ductus credátur; ut illuc eum ſuus Spíritus dúceret, ubi hunc ad tentandum malignus ſpíritus inveníret. Sed ecce, cùm dícitur Deus homo, vel in excelſum montem, vel in ſanctam civitátem à diábolo aſſumptus, mens réfugit, humánæ hoc audíre aures expaveſcunt. Qui tamen non eſſe incredibília iſta cognóſcimus, ſi in illo & ália facta pensámus.

℟. Jeſus plenus Spíritu ſancto regreſſus eſt à Jordáne, & agebátur à Spíritu in deſertum diébus quadraginta; * Et tentabátur à diábolo. ℣. Oſtendit mihi Dóminus Jeſum: & ſatan ſtabat à dextris ejus, ut adverſarétur ei; * Et. *Luc.* 4. *Zach.* 3.

*Lectio viij.*

CErtè iniquórum ómnium caput diábolus eſt: & hujus cápitis membra ſunt omnes iniqui. An non diáboli membrum fuit Pilátus? an non diáboli membra Judæi perſequentes, & milites crucifigentes Chriſtum fuérunt? Quid ergo mirum, ſi ſe ab illo permíſit in montem duci, qui ſe pértulit étiam à membris illíus crucifigi? Non eſt ergo indignum Redemptóri noſtro quod tentári vóluit, qui vénerat occídi. Juſtum quippe erat, ut ſic tentatiónes noſtras ſuis tentatiónibus vínceret, ſicut mortem noſtram vénerat ſuâ morte ſuperáre.

℟. Erat Jeſus in deſerto quadraginta diébus & quadraginta nóctibus, & tentabátur à ſatana, eratque cum béſtiis; * Et nihil manducávit Jeſus in diébus illis. ℣. Fuit Móyſes in monte quadraginta dies & quadraginta noctes: panem non comédit, & aquam non bibit; * Et nihil manducávit. *Marc.* 1. *Luc.* 4. *Exod.* 34.

*Lectio ix.*

SEd ſciendum nobis eſt quia tentátio tribus modis ágitur, ſuggeſtióne, delectatióne & conſenſu. Et nos cùm tentámur, plerumque in delectatiónem, aut étiam in conſenſum lábimur; quia de carnis peccáto propagáti, in nobis ipſis étiam gérimus unde certámina tolerémus. Deus verò, qui in útero Vírginis incarnátus in mundum ſine peccáto vénerat, nihil contradictiónis

in semetipso tolerábat. Tentári ergo per suggestiónem pótuit; sed ejus mentem peccáti delectátio non momordit. Atque ídeò omnis diabólica illa tentátio foris, non intùs fuit.

℟. Débuit Jesus per ómnia frátribus similári, * Ut misericors fieret, & fidélis Póntifex; in eo enim in quo est ipse tentátus, potens est & eis qui tentantur auxíliari. ℣. Perfectio tua & doctrína tua sancto tuo, Dómine, quem probásti in tentatióne, * Ut. Glória. *Repet.* ℟. *usque ad* ℣. *Hebr.* 2. *Deut.* 33.

[ *Non dicitur* Te Deum. *in Dominicis & Feriis Quadragesimæ.*

AD LAUDES.

*Ant.* 3. *a.* Accédens tentátor dicit ei: Si Fílius Dei es, dic ut lápides isti panes fiant. *Matth.* 4.

*Ant.* 4. a. Respondit Jesus: Scriptum est: Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quòd procédit de ore Dei. *Matth.* 4.

*Ant.* 7. d. Duxit illum Diábolus super pinnam Templi, & dixit illi: Si Fílius Dei es, mitte te deorsum. Ait illi Jesus: Rursum scriptum est: non tentábis Dóminum Deum tuum. *Luc.* 4. *Matth.* 4.

*Ant.* 1. a. Ostendit ei Diábolus ómnia regna mundi, in momento témporis, & ait illi: Si adoráveris coram me, erunt tua ómnia. *Luc.* 4.

*Ant.* 2. D. Tunc dicit ei Jesus: Vade Sátana; Scriptum est: Dóminum Deum tuum adorábis, & illi soli sérvies. *Matth.* 4.

*Capitulum.* Hebr. 4.

NOn habémus Pontíficem qui non possit cómpati infirmitátibus nostris; tentátum autem per ómnia pro similitúdine absque peccáto. Adeámus ergo cum fidúcia ad thronum grátiæ, ut misericórdiam consequámur, & grátiam inveniámus in auxílio opportúno.

*Hymnus*, SOLEMNE. 140.

℣. Impulsus eversus sum ut cáderem; ℟. Et Dóminus suscépit me. *Ps.* 117.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 4. *D.* Consummátâ omni tentatióne, diábolus recéssit ab illo usque ad tempus. *Luc.* 4.

*Oratio.*

DEus, qui Eccléstam tuam ánnuâ Quadragesimáli observatióne purificas: præsta famíliæ tuæ, ut quod à te obtinére abstinendo nititur, hoc bonis opéribus exequátur; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte, &c.

AD PRIMAM.

*Ant.* Accédens tentátor.

*In* ℟. *br.* ℣. Qui venísti * peccatóres salvos fácere. *Tim.* 1.

AD TERTIAM.

*Ant.* Respondit Jesus.

*Capitulum.* Deut. 8.

DÓminus Deus tuus afflixit te penúriâ, & dedit tibi cibum manna, quod ignorábas tu, & patres tui; ut osténderet tibi quòd non in solo pane vivat homo, sed in omni verbo quòd egréditur de ore Dei.

℟. *br.* Quàm dúlcia fauci-

bus meis * Elóquia tua, Dómine! Quàm. ℣. Super mel ori meo, * Elóquia. Glória Patri & Fílio, & Spirítui sancto. Quàm dúlcia fáucibus meis. *Ps.* 118.

℟. Judícia Dómini desiderábilia super aurum, ℟. Et dulcióra super mel & favum. *Ps.* 18.

AD SEXTAM.

*Ant.* Duxit illum.

*Capitulum.* Sap. 1.

SEntíte de Dómino in bónitáte, & in simplicitáte cordis quærite illum; quóniam invenítur ab his qui non tentant illum: appáret autem eis qui fidem habent in illum.

℟. *br.* Si vocem ejus audiéritis, * Nolíte obduráre corda vestra. Si vocem. ℣. Sicut in exacerbatióne secundùm diem tentatiónis in desérto, * Nolíte. Glória Patri. Si vocem. *Ps.* 94.

℣. Tentavérunt & exacerbavérunt Deum excelsum: ℟. Et testimónia ejus non custodiérunt. *Ps.* 77.

AD NONAM.

*Ant.* Tunc dicit.

*Capitulum.* Deut. 6.

CAve diligenter ne obliviscáris Dómini qui eduxit te de terra Ægypti & de domo servitútis. Dóminum Deum tuum timébis, & illi soli sérvies, ac per nomen illíus jurábis.

℟. *br.* Omnis terra adóret te, * Et psallat tibi. Omnis terra adóret te. ℣. Psalmum dicat nómini tuo, * Et psallat tibi. Glória Patri, & Fílio, & Spirítui sancto. Omnis terra. *Ps.* 65.

℣. Servite Dómino in timóre, ℟. Et exultáte ei cum tremóre. *Ps.* 2.

AD VESPERAS.

*Ant.* 1. a. FIlii, accédens ad servitútem Dei, sta in justítia & timóre, & prépara ánimam tuam ad tentatiónem. *Eccli.* 2.

*Ant.* 2. D. Nemo, cùm tentátur, dicat quóniam à Deo tentátur: Deus enim intentátor malórum est; ipse autem néminem tentat. *Jac.* 1.

*Ant.* 3. a. Unusquísque tentátur à concupiscéntia sua abstractus & illectus. *Jac.* 1.

*Ant.* 4. E. Mortificáte concupiscéntiam malam, expoliantes vos véterem hóminem cum áctibus suis, & induentes novum. *Coloss.* 3.

*Ant.* 5. a. Fidélis Deus est, qui non patiétur vos tentári supra id quod potestis; sed faciet étiam cum tentatióne proventum. 1. *Cor.* 10.

*Capitulum.* Jac. 4.

DEus superbis resístit, humílibus autem dat grátiam. Súbditi ergo estóte Deo: resístite autem diábolo, & fúgiet à vobis.

*Hymnus*, AUDI, benigne: *ut suprà*. 144.

℣. Cùm mihi molesti essent, induébar cilício: ℟. Humiliábam in jejúnio ánimam meam. *Ps.* 34.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 1. f. Reliquit eum Diábolus, & ecce Angeli accessérunt & ministrábant ei. *Matth.* 4.

*Oratio, ut suprà ad Laudes.*

COMPLETORIUM, *ut in Psalterio*, 26.

FERIA SECUNDA.
Incipit liber Exodi.

*Lectio j.* Cap. 1.

HÆc sunt nómina filiórum Israël qui ingressi sunt in Ægyptum cum Jacob. Singuli cum dómibus suis introiérunt: Ruben, Símeon, Levi, Judas, Issachar, Zabúlon, & Bénjamin, Dan, & Néphthali, Gad, & Aser. Erant ígitur omnes ánimæ eórum qui egressi sunt de fémore Jacob, septuaginta: Joseph autem in Ægypto erat. Quo mórtuo, & universis frátribus ejus, omníque cognatióne illâ, filii Israël crevérunt, & quasi germinantes multiplicáti sunt; ac roboráti nimis, implevérunt terram. Surrexit intéreà rex novus super Ægyptum, qui ignorábat Joseph; & ait ad pópulum suum: Ecce pópulus filiórum Israël multus, & fórtior nobis est. Venite, sapienter opprimámus eum, ne forte multiplicétur; & si ingruerit contra nos bellum, addátur inimícis nostris, expugnatísque nobis egrediátur de terra.

℟. Projícite à vobis omnes prævaricatiónes. 139.

*Lectio ij.* Cap. 1. & 2.

*PRæcepit ergo Phárao omni pópulo suo, dicens: Quidquid masculíni sexûs natum fúerit, in flumen projícite: quidquid femínini, reservâte. Egressus est post hæc vir de domo Levi; & accépit uxórem stirpis suæ: quæ concépit, & péperit filium; & videns eum elegantem, abscondit tribus ménsibus. Cùmque jam celâre non posset, sumpsit fiscellam scírpeam, & linívit eam bitúmine ac pice: posuitque intùs infántulum, & expósuit eum in carecto ripæ flúminis, stante procul sorore ejus, & considerante eventum rei. * Ecce autem descendébat filia Pharaónis, ut lavarétur in flúmine, & puellæ ejus gradiebantur per crepídinem álvei. Quæ cùm vidísset fiscellam in papyrióne, misit unam è famulábus suis; & allátam apériens, cernensque in ea párvulum vagientem, miserta ejus, ait: De infántibus Hebræórum est hic. Cui soror púeri: Vis, inquit, ut vadam, & vocem tibi mulíerem Hebræam, quæ nutríre possit infántulum? Respondit: Vade. Perrexit puella, & vocávit matrem suam. Ad quam locúta filia Pharaónis: Accipe, ait, púerum istum, & nutri mihi; ego dabo tibi mercédem tuam. Suscépit múlier, & nutrívit púerum; adultumque trádidit filiæ Pharaónis. Quem illa adoptávit in locum fílii, vocavitque nomen ejus, Móyses, dicens: Quia de aqua tuli eum.

℟. Quasi columbæ meditantes. 140.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

*Lectio iij.* Cap. 25.

IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Cùm vénerit Fílius hóminis in majestáte sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedébit super sedem majestátis suæ; & congregabuntur ante eum omnes gentes. Et réliqua.

Homília sancti Cypriáni Epíscopi & Mártyris.

*De opera & eleemosýnis.*

QUid pótuit nobis majus Christus edícere? quómodo magis pótuit justítiæ ac misericórdiæ nostræ ópera provocáre, quàm quòd præstári dixit sibi, quidquid egenti præstétur & paúperi? ut qui respéctu fratris in Eccléfia non movétur, vel Christi contemplatióne moveátur; & qui non cógitat in labóre atque in egestáte consérvum, vel Dóminum cógitet in ipso illo quem cónspicit destitútum. Et idcirco, fratres chariſſimi, quibus metus in Deum pronus est, & spreto calcatóque jam mundo ad superna & divina ánimus erectus est; fide plenâ, mente devótâ, operatióne contínuâ, promerendo Dómino obséquium præbeámus. Demus Christo vestimenta terréna, indumenta cœléstia recepturi: demus cibum & potum seculárem, ad convívium cœleste ventúri. Ne parum metámus, plúrimum semináre. Securitáti ac salúti æternæ, dum tempus est, consulámus.

℟. Congregabuntur ante Fílium hóminis ómnes gentes; & separábit eos, sicut pastor ségregat oves ab hædis: * Et † Státuet oves à dextris suis, hædos autem à sinistris. ℣. Omnis misericórdia faciet locum unicuique secundùm méritum óperum suórum: * Et státuet. Glória. † Státuet. *Matth.* 25. *Eccli.* 16.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 8. G. Dicet rex his qui à dextris ejus erunt: Veníte, benedícti Patris mei, possidéte parátum vobis regnum à constitutióne mundi. *Matth.* 25.

*Oratio.*

NOstra tibi, Dómine, quæsumus, sint accepta jejúnia, quæ nos expiando grátiâ tuâ dignos efficiant, & ad regna perdúcant æterna; Per Dóminum.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 7. c. Dicet rex his qui à sinistris erunt: Discédite à me, maledícti, in ignem æternum. Et ibunt hi in supplícium æternum; justi autem in vitam æternam. *Matth.* 25.

*Oratio.*

OMnium nostrûm, Dómine, quæsumus, ad te corda converte; ut ab his quibus offénderis abstinentes, non iram tuam, sed misericórdiam sentiámus; Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

## FERIA TERTIA.

De Libro Exodi.

*Lectio 1.* Cap. 3.

MOyses pascébat oves Jethro sóceri sui sacerdótis Mádian: cúmque minasset gregem ad interióra deserti, venit ad montem Dei Horeb. Apparuitque ei Dóminus in flamma ignis de médio rubi; & vidébat quòd rubus arderet, & non comburerétur. Dixit ergo Móyses: Vadam, & vidébo visiónem hanc magnam, quare non comburátur rubus. * Cernens autem Dóminus quòd pérgeret ad videndum, vocávit eum de médio rubi, & ait: Móyses, Móyses. Qui respondit; Adsum. At ille: Ne

Ne apprópies, inquit, huc: sólve calceamentum de pédibus tuis; locus enim in quo stas, terra sancta est. Et ait: Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob. Abscondit Móyses fáciem suam; non enim audébat aspícere contra Deum. Cui ait Dóminus: Vidi afflictiónem pópuli mei in Ægypto, & clamórem ejus audívi propter durítiam eórum qui præsunt opéribus: & sciens dolórem ejus, descendi, ut líberem eum de mánibus Ægyptiórum, & edúcam de terra illa in terram bonam & spatiósam, in terram quæ fluit lacte & melle.

℟. Scimus. 140.

*Lectio ij.*

*VEni, & mittam te ad Pharaónem, ut edúcas pópulum meum, filios Israël de Ægypto. Dixitque Móyses ad Deum: Quis sum ego, ut vadam ad Pharaónem, & edúcam filios Israël de Ægypto: Qui dixit ei: Ego ero tecum; & hoc habébis signum, quòd miserim te: Cùm edúxeris pópulum meum de Ægypto, immolábis Deo super montem istum. Ait Móyses ad Deum: Ecce ego vadam ad filios Israël; & dicam eis: Deus patrum vestrórum misit me ad vos. Si dixerint mihi: Quod est nomen ejus? quid dicam eis? Dixit Deus ad Móysen: Ego sum qui sum. Ait: Sic dices filiis Israël: Qui est, misit me ad vos.

℟. Tu, Dómine, in æternum. 140.

Mir. *Pars Verna.*

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

*Lectio iij.* Cap. 21.

IN illo témpore; Cùm intrasset Jesus Jerosólymam, commóta est universa cívitas, dicens: Quis est hic? Pópuli autem dicébant: Hic est Jesus Prophéta à Názareth Galilææ. Et intrávit Jesus in templum Dei, & ejiciébat omnes vendentes. Et réliqua.

Homília venerábilis Bedæ Presbyteri.

*Homil. 7. in Quadrag.*

EJécit Christus commércia rerum humanárum de domo illa, in qua divínas tantùm res agi, hóstias & oratiónes Deo offerri, verbum Dei legi, audíri & decantári præceptum erat. Si ergo Dóminus nec ea volébat venúmdari in templo, quæ in templo volébat offerri, vidélicet propter stúdium avarítiæ sive fraudis, quod próprium solet esse negotiántium fácinus; quantâ putas animadversióne puníret, si invenísset ibi áliquos rísui vel vanilóquio vacantes, aut álii cuílibet vítio mancipátos? Si enim illa quæ álibi líberè agi póterant, Dóminus in domo suâ temporália negótia geri non pátitur; quantò magìs ea quæ nusquam fieri licet, plus cœléstis iræ merentur, si in ædibus Deo sacrátis agantur?

℟. Cùm introísset Jesus in templum, docébat, dicens: * Nonne scriptum est quia † Domus mea, domus oratiónis vocábitur ómnibus géntibus? Vos autem feciſtis eam spelúncam latrónum. ℣. Po-

nam fáciem meam contra illum qui contamináverit sanctuárium meum, ac pollúerit nomen sanctum meum. * Nonne scriptum est. Glória Patri. † Domus. *Marc.* 11. *Levit.* 20.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 1. g. Ejiciébat Jesus omnes vendentes & ementes in templo; & mensas numulariórum, & cáthedras vendéntium columbas evertit. *Matth.* 21.

*Oratio.*

Ascendant ad te, Dómine, jejunántium preces, & ab Eccléfia tua cunctam repelle nequitiam; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 1. a. Accessérunt ad Jesum cæci & claudi in templo, & sanávit eos. *Matth.* 21.

*Oratio.*

Conserva, Dómine, famíliam tuam bonis semper opéribus eruditam: & sic præséntibus consoláre subsídiis, ut ad superna perdúcas propítius; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus.

## FERIA QUARTA.

### Quatuor Temporum.

De libro Exodi.

*Lectio j* Cap. 12.

Dixit Dóminus ad Móysen & Aaron in terra Ægypti: Mensis iste vobis princípium ménsium; primus erit in ménsibus anni. Loquímini ad universum cœtum filiórum Israël, & dícite eis: Décimâ die mensis hujus tollat unusquisque agnum per famílias & domos suas. Sin autem minor est número ut sufficere possit ad vescendum agnum, assúmet vicínum suum qui junctus est dómui suæ, juxta número animárum quæ sufficere possunt ad esum agni. * Erit autem agnus absque mácula, másculus, anniculus; juxta quem ritum tollétis & hædum. Et servábitis eum usque ad quartam décimam diem mensis hujus; immolabitque eum universa multitúdo filiórum Israël ad vésperam. Et sument de sánguine ejus, ac ponent super utrumque postem, & in superliminaribus domórum in quibus cómedent illum.

℟. Jurávi, & státui custodíre. 140.

*Lectio ij.*

*Sic autem comedétis illum: Renes vestros accingétis, & calceamenta habébitis in pédibus, tenentes báculos in mánibus, & comedétis festinanter: est enim Phase, (id est, tránsitus) Dómini. Et transíbo per terram Ægypti nocte illâ, percutiamque omne primogénitum in terra Ægypti, ab hómine usque ad pecus; & in cunctis diis Ægypti fáciam judícia, ego Dóminus. Erit autem sanguis vobis in signum in ædibus in quibus éritis; & vidébo sánguinem, & transíbo vos: nec erit in vobis plaga dispérdens, quando percússero terram Ægypti.

℟. Pósui fáciem meam ad Dóminum. 140.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

*Lectio iij.* Cap. 12.

IN illo témpore; Respondérunt Jesu quidam de Scribis & Pharisæis, dicentes: Magister, vólumus à te signum vidére. Qui respondens, ait illis: Generátio mala & adúltera signum quærit; & signum non dábitur ei, nisi signum Jonæ Prophétæ. Et réliqua.

Homília sancti Joannis Chrysóstomi.

POterit ne quidquam, non dico ímpium magis, sed etiam stolidius istis invéniri, qui etiam post tot tantaque signa, quasi nullum signum esset factum, dícere audent: Magister, vólumus à te signum vidére? Ubi nunc sunt qui signa & mirácula curiósè inquírunt? Viri Ninivítæ surgent, & condemnábunt generatiónem hanc; nam absque áliquo pénitus signo, ánimo credidérunt. Et sicut Ninivítæ Judæos condemnábunt; sic multi qui nunc nobis inferióres vidéntur, nos condemnábunt. Véniat in mentem quanta erit illa condemnátio, ut incipiámus aliquando ad veram accédere pœniténtiæ jánuam. Mihi hæc ipsi dico, meipsum primò exhortor. Capiámus iter angustum. Usquequò deliciábimur? úsquequò degémus otiósè, ridéntes ac oscitántes? Non sumus adhuc satiáti desidiâ & procrastinatióne? Eademne semper erunt? eadem mensa, idem sumptus, eædem pecúniæ, possessiónes, constructiónes ædium? Et horum ómnium quis finis? Mors. Quis, inquam, términus? Cinis, sepulcrum, vermes. Aliam ergo vivámus vitam, faciámus de terra cœlum, melióra capessámus; ut rectè vivendo, futúra bona consequámur grátiâ & misericórdiâ Dómini nostri Jesu Christi.

℟. Prædicavérunt Ninivítæ jejúnium, & vestíti sunt saccis à majóre usque ad minórem, * Et † Converti sunt à via sua mala. ℣. Viri Ninivítæ surgent in judício cum generatióne ista; quia pœniténtiam egérunt in prædicatióne Jonæ, * Et. Glória Patri. † Converti sunt. *Jonæ* 3. *Matth.* 12.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 2. D. Sicut fuit Jonas signum Ninivítis; ita erit & Fílius hóminis generatióni isti. *Luc.* 11.

*Oratio.*

SUscipe, quæsumus, Dómine, preces nostras, & ad aures misericórdiæ tuæ postulatiónes sacrátæ tibi plebis admitte; Per Dóminum.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 1. f. Quicumque fécerit voluntátem Patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater, & soror, & mater est. *Matth.* 12.

*Oratio.*

MEmento, Dómine, miseratiónum tuárum; & præsta, ut à cibis & peccátis abstinentes, grato tibi jejúnio placeámus; Per Dóminum.

## FERIA QUINTA.

De libro Exodi.

*Lectio j.* Cap. 14.

DIxit Dóminus ad Móysen: Quid clamas ad me? Lóquere fíliis Israël, ut proficíscantur. Tu

autem éleva virgam tuam, & extende manum tuam super mare, & divide illud; ut gradiantur filii Israël in médio mari per siccum. Ego autem indurábo cor Ægyptiórum, ut persequantur vos: & glorificábor in Pharaóne, & in omni exército ejus, & in cúrribus, & in equítibus illíus. Et scient Ægyptii quia ego sum Dóminus, cùm glorificátus fúero in Pharaóne, & in cúrribus atque in equítibus ejus. * Tollensque se Angelus Dei, qui præcedébat castra Israël, ábiit post eos: & cum eo páriter columna nubis, prióra dimittens, post tergum stetit inter castra Ægyptiórum & castra Israël; & erat nubes tenebrósa, & illúminans noctem, ita ut ad se ínvicem toto noctis témpore accédere non valérent. Cùmque extendísset Móyses manum super mare, ábstulit illud Dóminus; flante vento vehementi & urente totâ nocte, & vertit in siccum, divisaque est aqua.

℟. Projícite. 139.

*Lectio ij.*

* ET ingressi sunt filii Israël per médium sicci maris; erat enim aqua quasi murus a dextra eórum & læva. Persequentesque Ægyptii, ingressi sunt post eos, & omnis equitátus Pharaónis, currus ejus & équites per médium maris. Jamque advénerat vigília matutína, & ecce respíciens Dóminus super castra Ægyptiórum per columnam ignis & nubis, interfécit exércitum eórum, & subvertit rotas cúrruum; ferebanturque in profundum. Dixérunt ergo Ægyptii: Fugiámus Israélem; Dóminus enim pugnat pro eis contra nos. Et ait Dóminus ad Móysen: Extende manum tuam super mare, ut revertantur aquæ ad Ægyptios, super currus & équites eórum. Cùmque extendísset Móyses manum contra mare, reversum est primo dilúculo ad priórem locum: fugientibusque Ægyptiis occurrérunt aquæ, & involvit eos Dóminus in médiis flúctibus. Reversæque sunt aquæ, & operuérunt currus & équites cuncti exércitûs Pharaónis, qui sequentes ingressi fúerant mare; nec unus quidem supérfuit ex eis.

℟. Quasi columbæ meditantes. 140.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

*Lectio iij.* Cap. 15.

IN illo témpore; Egréssus Jesus secéssit in partes Tyri & Sidónis. Et ecce múlier Chananæa à finibus illis egréssa, clamávit, dicens ei, Miserére meî, Dómine, fili David; filia mea malè à dæmónio vexátur. Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbyteri.

*Lib. 2. in Matth.*

MIra, sub persóna mulíeris Chananítidis, Ecclésiæ fides, patiéntia & humílitas prædicátur: fides, quâ crédidit sanári posse filiam suam; patiéntia, quâ tóties contempta, in précibus persevérat; humílitas, quâ se non cánibus, sed cátulis com-

parat. Canes autem éthnici propter idololatríam dicuntur, qui éſui sánguinis dédíti & cadavéribus mortuórum, feruntur in rábiem. Nota quòd iſta Chananítis perſeveranter primùm filium David, deinde Dóminum vocet, & ad extrémum adóret ut Deum.

℟. Múlier Chananæa clamávit, dicens Jeſu: Miſerére meí, Dómine, fili David; fília mea malè à dæmónio vexátur. Qui non reſpondit ei verbum. At illa venit, & adorávit eum, dicens: * Dómine, † Adjuva me. ℣. Adjuva me, cujus præter te nullus eſt auxiliátor: * Dómine. Glória Patri. † Adjuva me. *Matth.* 15. *Eſther* 14.

*Ad* Benedíctus. *Ant.* 7. *d.* O múlier, magna eſt fides tua: fiat tibi ſicut vis. *Matth.* 15.

*Oratio.*

DEus, qui in hûmili perſeverantes oratióne benignus exaudis: da nobis conſtantem fidei ac devotiónis affectum; ut quæ pro ſalúte noſtra ſuppliciter expóſcimus, hæc, te largiente, conſequámur; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 5. a. Múlier cùm abiiſſet in domum ſuam, invénit puellam jacentem ſupra lectum, & dæmónium exiiſſe. *Marc.* 7.

*Oratio.*

FAmíliam tuam, Dómine, toto corde tibi proſtrátam ab hóſtium tuére formídine; ne ſuæ petitiónis fruſtrentur effectu, qui non in juſtificatiónibus ſuis, ſed in miſeratiónibus tuis multis fáciem tuam deprecantur; Per Dóminum noſtrum.

## FERIA SEXTA.
## QUATUOR TEMPORUM.

De Libro Exodi.

*Lectio* 1. Cap. 16.

MUrmurávit omnis congregátio filiórum Iſraël contra Móyſen & Aaron in ſolitúdine. Dixeruntque filii Iſraël ad eos: Utinam mórtui eſſémus per manum Dómini in terra Ægypti, quando ſedebámus ſuper ollas cárnium, & comedebámus panem in ſaturitáte! Cur eduxiſtis nos in deſertum iſtud, ut occiderétis omnem multitúdinem fame? Dixit autem Dóminus ad Móyſen: Ecce, ego pluam vobis panes de cœlo: egrediátur pópulus, & cólligat quæ ſufficiunt per ſíngulos dies; ut tentem eum utrùm ámbulet in lege mea, an non. Die autem ſexto parent quod inferant; & ſit duplum quàm colligere ſolébant per ſíngulos dies.

℟. Scimus. 140.

*Lectio* 11.

FActum eſt ergo véſpere, & aſcendens coturnix, coopéruit caſtra: mane quoque ros jácuit per circúitum caſtrórum. Cúmque operuiſſet ſuperficiem terræ, appáruit in ſolitúdine minútum, & quaſi pilo tuſum in ſimilitúdinem pruínæ ſuper terram. Appellavitque domus Iſraël nomen ejus, Man: quod erat quaſi ſemen coriandri album, guſtuſque ejus quaſi símilæ cum melle. * Dixit autem Móyſes: Iſte eſt ſermo quem præcépit

Dóminus : Imple gomor ex eo, & custodiátur in futúras retro generatiónes ; ut nóverint panem quo álui vos in solitúdine, quando educti estis de terra Ægypti. Dixitque Móyses ad Aaron : Sume vas unum, & mitte ibi Man ; quantum potest cápere gomor, & repóne coram Dómino ad servandum in generatiónes vestras, sicut præcépit Dóminus Móysi. Posuitque illud Aaron in tabernáculo reservándum. Fílii autem Israël comedérunt Man quadraginta annis, donec venírent in terram habitábilem : hoc cibo áliti sunt úsquequò tángerent fines terræ Chánaan.

℟. Tu, Dómine. 140.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

*Lectio iij.* Cap. 5.

IN illo témpore ; Erat dies festus Judæórum, & ascendit Jesus Jerosólymam. Est autem Jerosólymis probática piscína. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

*Lib. de Myst. Cap. 4.*

TU baptizátus es in nómine Trinitátis, confessus es Patrem ; recordáre quid féceris : confessus es Fílium, confessus es Spíritum sanctum. Tene órdinem rerum in hac fide, mundo mórtuus es, & Deo resurrexísti. Et quasi in illo mundi consepultus elemento, peccáto mórtuus, ad vitam es resuscitátus æternam. Crede ergo quia non sunt vácuæ aquæ. Ideò tibi dictum est quia Angelus Dómini descendébat secundùm tempus in natatóriam, & movebátur aqua ; & qui prior descendísset in natatóriam post commotiónem aquæ, sanus fiébat à languóre quocumque tenebátur. Hæc piscína in Jerosólymis erat, in qua unus ánnuus sanabátur : sed nemo antè sanabátur, quàm descendísset Angelus. Ut esset indícium quia descénderat Angelus, movebátur aqua propter incrédulos. Illis signum, tibi fides : illis Angelus descendébat, tibi Spíritus sanctus : illis creatúra movebátur, tibi Christus operátur ipse Dóminus creatúræ. Tunc curabátur unus, nunc omnes sanantur ; aut certè unus solus pópulus Christiánus.

℟. Erat homo triginta & octo annos habens in infirmitáte sua. Dicit ei Jesus : Vis sanus fieri ? Respondit : * Dómine, hóminem non hábeo. Dicit ei Jesus : Tolle grabátum tuum, & ámbula ; & † statim sanus factus est. ℣. Respíciens eam ad adjutórium hóminum, & non erat. * Dómine. Glória Patri. † Statim. *Joan. 5. Eccli. 51.*

*Ad* Benedictus. *Ant.* 1. f. Qui me sanum fecit, ille mihi dixit : Tolle grabátum tuum, & ámbula. *Joan. 5.*

*Oratio.*

PROpitiáre, Dómine, supplicatiónibus nostris, & animárum nostrárum medére languóribus ; ut peccatórum remissióne percepta, in tua semper benedictióne lætémur ; Per Dóminum.

*Ad* Magníficat. *Ant. 5.* C. Ecce sanus factus es : jam noli

peccâre, ne deférius tibi áliquid contingat. *Joan.* 5.

*Oratio.*

PRæsta, quæsúmus, Dómine, ut sancto nos purificante jejúnio, & tibi toto corde simus subjecti, & inter mundánæ pravitátis insídias, te miserante, perseverémus illæsi; Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

SABBATO QUATUOR TEMPORUM.

De libro Exodi.

*Lectio j.* Cap. 20.

LOcútus est Dóminus cunctos sermónes hos: Ego sum Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo servitútis. Non habébis deos aliénos coram me. Non fácies tibi scúlptile, neque omnem similitúdinem quæ est in cœlo désuper, & quæ in terra deorsum, nec eórum quæ sunt in aquis sub terra. Non adorábis ea, neque coles. Ego sum Dóminus Deus tuus fortis, zelótes, vísitans iniquitátem patrum in filios, in tértiam & quartam generatiónem eórum qui odérunt me, & fáciens misericórdiam in míllia his qui díligunt me, & custódiunt præcepta mea. Non assúmes nomen Dómini Dei tui in vanum; nec enim habébit insontem Dóminus eum qui assúmpserit nomen Dómini Dei sui frustrà.

℟. Jurávi. 140.

*Lectio ij.*

MEmento ut diem Sábbati sanctifices. Sex diébus operáberis, & fácies ómnia ópera tua. Séptimo autem die Sábbatum Dómini Dei tui est: non fácies omne opus in eo, tu, & filius tuus & filia tua, servus tuus & ancilla tua, jumentum tuum, & ádvena qui est intrà portas tuas. Sex enim diébus fecit Dóminus cœlum & terram, & mare, & ómnia quæ in eis sunt, & requiévit die séptimo; idcirco benedixit Dóminus diéi Sábbati, & sanctificávit eum. * Honóra patrem tuum & matrem tuã, ut sis longævus super terram quam Dóminus Deus tuus dabit tibi. Non occídes. Non mœcháberis. Non furtum fácies. Non loquéris contra próximum tuum falsum testimónium. Non concupísces domum próximi tui, nec desiderábis uxórem ejus, non servum, non ancillam, non bovem, non ásinum, nec ómnia quæ illius sunt.

℟. Pósui. 140.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

*Lectio iij.* Cap. 8.

IN illo témpore; Dicébat Jesus ad eos qui credidérunt ei, Judæos: Si vos manséritis in sermóne meo, verè discípuli mei éritis; & cognoscétis veritátem, & véritas liberábit vos. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

*In Joan. Evang. Tract.* 41.

AMen, amen dico vobis, quia omnis qui facit peccátum, servus est peccáti. O miserábilis sérvitus! Plerumquè hómines, cùm dóminos malos patiuntur, venáles se petunt; non quærentes dóminum non habére, sed saltèm mutáre. Servus peccáti quid

fáciat? quem interpellet? apud quem interpellet? apud quem se venálem petat? Deinde servus hóminis aliquando sui dómini duris impériis fatigátus, fugiendo requiescit: servus peccáti quò fugit? secum se trahit quòcumque fúgerit. Non fugit seipsam mala consciéntia, non est quò eat, séquitur se, imò non recédit à se; peccátum enim quod facit, intùs est. Fecit peccátum, ut áliquam corporálem cáperet voluptátem: voluptas transit, peccátum manet: prætériit quod delectábat, remansit quod pungat.

℟. Omnis qui facit peccátum, servus est peccáti: servus autem non manet in domo in æternum, filius autem manet in æternum. * Si ergo vos Filius liberáverit, verè líberi éritis. ℣. Spíritus Dómini misit me ut prædicárem captívis indulgéntiam, & clausis apertiónem. * Si. Glória Patri. * Si ergo vos Filius. *Joan* 8. *Is.* 61.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 7. a. Si vos manséritis in sermóne meo, verè discípuli mei éritis; & cognoscétis veritátem, & véritas liberábit vos. *Joan.* 8.

*Oratio.*

PRotector noster, áspice, Deus; ut qui malórum nostrórum póndere prémimur, perceptâ misericórdiâ, liberâ tibi mente famulémur; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia sécula seculórum. ℟. Amen.

## DOMINICA II. QUADRAGESIMÆ.

IN VESPERIS SABBATI, *Psalmi & Ant. de Psalterio.*

*Capitulum.* Isaíæ 1.

QUærite judícium, subvenite oppresso, judicáte pupillo, defendite víduam. Et venite, & argúite me, dicit Dóminus: si fúerint peccáta vestra ut cóccinum, quasi nix dealbabuntur; & si fúerint rubra quasi vermículus, velut lana alba erunt.

*Hymnus*, AUDI, benigne. ℣. Tempus. 144.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 2. D. Cùm sanctificásset Móyses Aaron & filios ejus, præcépit eis, dicens: De óstio tabernáculi non exibitis septem diébus, die ac nocte observántes custódias Dómini. *Levit.* 8.

*Non dicuntur Preces.*

*Oratio, ut infrà ad Laudes.*

COMPLETORIUM, *ut supra.* 131. *sine Precibus.*

AD OFFICIUM NOCT.

*Invit.* Venite, * Revertámur ad Dóminum, & sanábit nos. *Os.* 6.

*Ps.* 94. Veníte. 2.

*Hymnus*, QUOD Lex. 139.

*Psalmi, Ant. & ℣℣. ut in Psalterio.*

*IN I. NOCTURNO.*

Incipit liber Levítici.

*Lectio j.* Cap. 1.

VOcávit Móysen, & locútus est ei Dóminus de tabernáculo testimónii, dicens: Lóquere fíliis Israël, & dices ad eos: Homo qui obtúlerit ex vobis hóstiam Dómino de pecóribus, id est, de bobus & óvibus, offerens víctimas, si holocaustum fúe-

rit ejus oblátio, ac de armentó; máſculum immaculátum ófferet ad óſtium tabernáculi teſtimónii, ad placandum ſibi Dóminum; ponetque manum ſuper caput hóſtiæ, & acceptábilis erit, atque in expiatiónem ejus proficiens. Immolabitque vítulum coram Dómino, & ófferent fílii Aaron ſacerdótes sánguinem ejus, fundentes per altáris circúitum quod eſt ante óſtium tabernáculi.

℟. Ignis in altári ſemper ardébit, quem nútriet ſacerdos ſubjíciens ligna mane per síngulos dies: * Ignis eſt iſte perpétuus, qui nunquam deficiet. ℣. Dixit Dóminus: Ignem veni míttere in terram; & quid volo, niſi ut accendátur? * Ignis eſt. *Levit. 6. Luc.* 12.

*Lectio ij.* Cap. 10.

ARreptiſque Nadab & Abiu fílii Aaron thuríbulis, poſuérunt ignem & incenſum déſuper, offerentes coram Dómino ignem aliénum; quod eis præceptum non erat. Egreſſuſque ignis a Dómino, devorávit eos, & mórtui ſunt coram Dómino. Dixitque Móyſes ad Aaron: Hoc eſt quod locútus eſt Dóminus: Sanctificábor in iis qui appropinquant mihi, & in conſpectu omnis pópuli glorificábor. Quod áudiens tácuit Aaron. Vocátis autem Móyſes Miſaéle & Elíſaphan fíliis Oziel pátrui Aaron, ait ad eos: Ite, & tóllite fratres veſtros de conſpectu ſanctuárii, & aſportáte extra caſtra. Confeſtimque pergentes, tulérunt eos ſicut jacébant, veſtítos líneis túnicis, & ejecérunt foràs, ut ſibi fúerat imperátum.

℟. Irritam quis fáciens legem Móyſi, ſine ulla miſeratióne móritur; * Quantò magìs putátis deterióra meréri ſupplícia, qui Spíritui grátiæ contuméliam fécerit? ℣. Mórtui ſunt Nadab & Abiu, cúm offerrent ignem aliénum in conſpectu Dómini; *Quantò. *Hebr.* 10. *Num.* 3.

*Lectio iij.* Cap. 16.

LOcutuſque eſt Dóminus ad Móyſen poſt mortem duórum filiórum Aaron, quando offerentes ignem aliénum interfecti ſunt; & præcépit ei: dicens? Lóquere ad Aaron fratrem tuum, ne omni témpore ingrediátur ſanctuárium, quod eſt intrà velum coram propitiatório quo tégitur arca, ut non moriátur, (quia in nube apparébo ſuper oráculum,) niſi hæc antè fécerit: Vitulum pro peccato ófferet, & aríetem in holocauſtum. Túnicâ líneâ veſtiétur, feminálibus líneis verenda celábit: accingétur zonâ líneâ, cídarim lineam impónet cápiti; hæc enim veſtimenta ſunt ſancta: quibus cunctis, cúm lotus fúerit, indués tur. Suſcipietque ab univerſa multitúdine filiórum Iſraël duos hircos pro peccáto, & unum aríetem in holocauſtum.

℟. Si voluiſſes ſacrificium dediſſem útique; holocauſtis non delectáberis. * Sacrificium Deo ſpíritus contribulátus. † Cor contrítum & humiliátum, Deus, non deſpí-

cies. ℣. Impossíbile est sánguine taurórum & hircórum auferri peccáta. * Sacrifícium Deo spíritus contribulátus. Glória Patri, & Fílio, & Spíritui sancto. † Cor contritum & humiliátum, Deus. *Ps.* 50. *Hebr.* 10.

*IN II. NOCTURNO.*

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

*Tract.* 17. *in Joan. n.* 4.

*Lectio iv.*

QUadragenárius número rus sacrátus nobis in quadam perfectióne commendátur. Notum esse árbitror caritáti vestræ : testantur sæpíssimè divínæ Scriptúræ. Jejúnium hoc número consecrátum esse bene nostis. Nam & Móyses quadraginta diébus jejunávit, & Elías tótidem ; & ipse Dóminus noster, & salvátor Jesus Christus hunc jejúnii número implévit. Per Móysen significátur lex, per Elíam significántur Prophétæ, per Dóminum significátur Evangélium. Ideò in illo monte tres apparuérunt, ubi se discípulis ostendit in claritáte vultûs & vestis suæ : appáruit enim médius inter Móysen & Elíam, tanquam Evangélium testimónium habéret à lege & Prophétis.

℟. Ex opéribus legis non justificábitur omnis caro coram Deo ; * Nunc autem sine lege justítia Dei manifestáta est, testificáta à lege & Prophétis. ℣. Multórum nobis & magnórum, per legem & Prophétas, sapiéntia demonstráta est : * Nunc autem. *Rom.* 3. *Eccli. Prolog.*

*Lectio v.*

SIve ergo in lege, sive in Prophétis, sive in Evangélio, quadragenárius número rus nobis in jejúnio commendátur. Jejúnium autem magnum & generále est abstinére ab iniquitátibus & illícitis voluptátibus séculi, quod est perfectum jejúnium ; ut abnegántes impietátem & seculáres cupiditátes, temperánter & justè & piè vivámus in hoc século. Huic jejúnio quam mercédem addit Apóstolus ? Séquitur, & dicit : Expectántes illam beátam spem, & manifestatiónem glóriæ beáti Dei, & salvatóris nostri Jesu Christi. In hoc ergo século quasi quadragésimam abstinéntiæ celebrámus, cùm bene vivimus, cùm ab iniquitátibus & ab illícitis voluptátibus abstinémus. Sed quia hæc abstinéntia sine mercéde non erit, expectámus beátam illam spem, & revelatiónem glóriæ magni Dei, & salvatóris nostri Jesu Christi.

℟. Humiliémus Deo ánimas nostras ; * Et in spíritu constitúti humiliáto, servientes illi, expectémus húmiles consolatiónem. ℣. Abnegántes impietátem & seculária desidéria, sóbriè & justè & piè vivámus in hoc século ; * Et. *Judith.* 8. *Tit.* 2.

*In Ps.* 148. *n.* 1.

*Lectio vj.*

QUia verax est qui promísit, in spe gaudémus : quia tamen nondum habémus, in desidério gémimus. Bonum est nobis perseveráre in desidério, donec véniat quod

promíssum est, & tránseat gémitus, & succédat sola laudátio. Propter hæc duo témpora, unum quod nunc est in tentatiónibus & tribulatiónibus hujus vitæ, álterum quod tunc erit in securitáte & exultatióne perpétua, instítúta est nobis étiam celebrátio duórum témporum, ante Pascha & post Pascha. Illud quod est ante Pascha, significat tribulatiónem in qua modò sumus; quod verò ágimus post Pascha, significat beatitúdinem in qua pósteà érimus. Ante Pascha ergo quod celebrámus, hoc & ágimus: post Pascha autem quod celebrámus, significámus quod nondum tenémus. Propterèa illud tempus in jejúniis & oratiónibus exercémus; hoc verò relaxátis jejúniis in láudibus ágimus. Et ídeò illud tempus ante resurrectiónem, hoc post resurrectiónem Dómini est. Quo témpore significátur vita futúra, quam nondum tenémus; quia quod significámus post resurrectiónem Dómini, tenébimus post resurrectiónem nostram.

℟. Usque in tempus sustinébit pátiens; * Et † Póstea reddítio jucunditátis. ℣. Omnis disciplína in præsenti quidem vidétur non esse gáudii, sed mœróris; * Et. Glória. † Póstea. *Eccli.* 1. *Hebr.* 12.

*IN III. NOCTURNO.*

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

*Lectio vij.* Cap. 17.

IN illo témpore; Assúmit Jesus Petrum & Jacóbum, & Joannem fratrem ejus, & ducit illos in montem excelsum seorsum; & transfigurátus est ante eos. Et réliqua.

Homília sancti Leónis Papæ.

*De Transfig. Cap.* 3.

APerit Dóminus coram electis téstibus glóriam suam, & commúnem illam cum céteris córporis formam tanto splendóre claríficat, ut & fácies ejus solis fulgóri símilis, & vestítus candóri nívium esset æquális. In qua transfiguratióne illud quidem principáliter agebátur, ut de córdibus discípulórum crucis scándalum tollerétur; nec conturbáret eórum fidem voluntária humilitas passiónis, quibus revelata esset abscónditæ excelléntia dignitátis. Sed non minóre providéntiâ spes sanctæ Eccléſiæ fundabátur, ut totum corpus Christi agnóscceret quali esset commutatióne donandum; ut ejus sibi honóris consórtium membra promítterent, qui in cápite præfulsísset.

℟. Ascendit Jesus in montem ut oráret: * Et facta est, dum oráret Jesus, spécies vultûs ejus áltera. ℣. Cùm descénderet Móyses de monte, claríficátus est aspectus ejus ex consórtio sermónis Dómini. * Et. *Luc.* 9. *Exod.* 34.

*Cap.* 4. *Lectio viij.*

COnfirmandis verò Apóstolis, & ad omnem sciéntiam provehendis, ália quoque in illo miráculo accessit instrúctio. Móyses enim & Elías, lex scílicet & Prophétæ, apparuérunt cum Dómino loquentes; ut veríssimè in illa quinque virórum præséntia complerétur quod dictum est:

In duóbus vel tribus téstibus stat omne verbum. Quid hoc stabílius, quid firmius verbo, in cujus prædicatióne véteris & novi testamenti cóncinit tuba, & cum evangélica doctrína antiquárum protestatiónum instrumenta concurrunt? Adstipulantur enim sibi ínvicem utriusque fœderis páginæ; & quem sub velámine mysteriórum præcedéntia signa promíserant, manifestum atque perspícuum præséntis glóriæ splendor ostendit.

℟. Ecce duo viri loquebantur cum Jesu. * Erant Móyses & Elías visi in majestáte, & dicébant excéssum ejus, quem completúrus erat in Jerúsalem. ℣. Præcláritas in communicatióne sermónum ipsíus. * Erant. *Luc.* 9. *Sap.* 8.

*Cap.* 5. *Lectio ix.*

HIs ergo sacramentórum revelatiónibus Petrus Apóstolus incitátus, mundána spernens, & terréna fastídiens, in æternórum desidérium quodam mentis rapiebátur excéssu; & gáudio totíus visiónis implétus, ibi cum Jesu optábat habitáre, ubi manifestátâ ejus glóriâ lætabátur. Unde & ait: Dómine, bonum est nos hîc esse: si vis, faciámus hîc tria tabernácula, tibi unum, Móysi unum, & Elíæ unum. Sed huic suggestióni Dóminus non respondit, significans non quidem ímprobum, sed inordinátum esse quod cúperet, cùm salvári mundus, nisi Christi morte, non posset, & exemplo Dómini in hoc vocarétur credéntium fides; ut licèt non oportéret de beatitúdinis promissiónibus dubitári, intelligerémus tamen inter tentatiónes hujus vitæ priùs nobis toleránti am postulandam esse quàm glóriam.

℟. Beáti qui hábitant in domo tua, Dómine. * Mélior est dies una in átriis tuis super míllia. ℣. Si vis, faciámus hîc tria tabernácula, tibi unum, Móysi unum, & Elíæ unum: * Mélior est. Glória Patri. *Repet.* ℟. Beáti. *usque ad* ℣. Si vis. *Ps.* 83. *Matth.* 17.

AD LAUDES.

*Ant.* 1. g. Transfigurátus est Jesus & resplénduit fácies ejus sicut sol, & vestiménta ejus facta sunt alba sicut nix. *Matth.* 17.

*Ant.* 7. d. Apparuérunt Móyses & Elías cum Jesu loquentes. Respondens autem Petrus dixit: Dómine, bonum est nos hîc esse. *Ibid.*

*Ant.* 5. a. Ecce vox de nube dicens: Hic est Fílius meus dilectus in quo mihi bene complácui: ipsum audite. *Ibid.*

*Ant.* 3. a. Audientes discípuli cecidérunt in fáciem suam & timuérunt valdè. *Ibid.*

*Ant.* 6. Accéssit Jesus & tétigit eos; dixitque eis súrgite & nolíte timére. *Ibid.*

*Capitulum.* Eccli. 24.

QUi audit me, non confundétur; & qui operantur in me, non peccábunt. Qui elúcidant me, vitam æternam habébunt.

*Hymnus*, SOLEMNE. 140.

℣. Adoráte Dóminum in monte sancto ejus; ℟. Quóniam sanctus Dóminus Deus noster. *Ps.* 98.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 5. C. Levantes autem discípuli óculos suos, néminem vidérunt nisi solum Jesum. *Matth.* 17.

*Oratio.*

DEus, qui nos inter mundi perícula & adversa, cœléstis beatitúdinis expectatióne sustentas: prælta, quæsumus, ut terréna fastidientes, in supernórum desidérium toto cordis affectu rapiámur; Per Dóminum.

AD PRIMAM.

*Ant.* Transfigurátus est.

AD TERTIAM.

*Ant.* Apparuérunt.

*Capitulum.* Hebr. 3.

MOyses fidélis erat in tota domo Dei tanquam famulus, in testimónium eórum quæ dicenda erant: Christus verò tanquam Fílius in domo sua; quæ domus sumus nos, si fidúciam & glóriam spei, usque ad finem, firmam retineámus.

℟. *br.* Fílii hóminum * In tégmine alárum tuárum sperábunt. Fílii hóminum. ℣. Inebriabuntur ab ubertáte domûs tuæ, * In tégmine. Glória Patri. Fílii hóminum. *Ps.* 35.

℣. Beátus quem elegísti & assumpsísti: ℟. Inhabitábit in átriis tuis. *Ps.* 64.

AD SEXTAM.

*Ant.* Ecce vox.

*Capitulum.* Jerem. 7.

HÆc dicit Dóminus Deus: Audíte vocem meam, & ero vobis Deus, & vos éritis mihi pópulus: & ambuláte in omni via quam mandávi vobis, ut bene sit vobis.

℟. *br.* Audi, pópulus meus, * Et testificábor tibi. Audi. ℣. Deus, Deus tuus ego sum, * Et testificabor tibi. Glória. Audi. *Ps.* 49.

℣. Loquétur Dóminus pacem in plebem suam, ℟. Et super sanctos suos, & in eos qui convertuntur ad cor. *Ps.* 84.

AD NONAM.

*Ant.* Accessit Jesus.

*Capitulum.* Exod. 20.

NOlíte timére: ut enim probáret vos venit Deus, & ut terror illíus esset in vobis, & non peccarétis.

℟. *br.* Excelsus Dóminus, * Et humília réspicit. Excelsus. ℣. Et alta à longè cognoscit, * Et. Glória Patri. Excelsus. *Ps.* 137.

℣. Suscípiens mansuétos Dóminus; ℟. Humílians autem peccatóres usque ad terram. *Ps.* 146.

AD VESPERAS.

*Ant.* 1. f. Accépit Jesus à Deo Patre honórem & glóriam, voce delapsâ ad eum à magnificâ gloriâ. 2. *Petr.* 1.

*Ant.* 8. c. Omnis ánima quæ non audíerit prophétam illum, exterminábitur de plebe. *Act.* 3.

*Ant.* 5. a. Ab ipso edócti estis depónere vos véterem hóminem, qui corrúmpitur, secundùm desidéria erróris. *Eph.* 4.

*Ant.* 3. a. Sicut exhibuístis membra vestra servíre iniquitáti; ita nunc exhibéte membra vestra servire justítiæ in sanctificatiónem. *Rom.* 6.

*Ant.* 4. E. Quod in præsenti est momentáneum & leve tribulationis nostræ, suprà modum in sublimitáte æter-

num glóriæ pondus operátur in nobis. 2. *Cor.* 4.

*Capitulum.* Hebr. 2.

OPortet obſervare nos quæ audivimus, ne forte pereſſluámus. Si enim qui per Angelos dictus eſt, ſermo factus eſt firmus, & omnis prævaricátio & inobediéncia accépit juſtam mercédis retributiónem; quómodò nos effugiémus ſi tantam neglexérimus ſalútem?

*Hymnus*, AUDI, benigne. *ut ſuprà*, 144.

℣. Deus m ſereátur noſtri & benedícat nobis. ℟. Illúminet vultum ſuum ſuper nos. *Pſ.* 66.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 1. D. Deſcendéntibus diſcípulis de monte, præcépit eis Jeſus, dicens: Némini dixéritis viſiónem, donec Filius hóminis à mórtuis reſurgat. *Matth.* 17.

*Oratio, ut ſuprà ad Laudes.*

COMPLETORIUM, *ut in Pſalterio.* 26.

## FERIA SECUNDA.

De libro Levítici.

*Lectio j.* Cap. 19.

CUm meſſueris ségetes terræ tuæ, non tondébis uſque ad ſolum ſuperficiem terræ, nec remanentes ſpicas cólliges. Neque in vínea tua racémos & grana decidéntia congregábis; ſed paupéribus & peregrínis carpenda dimittes. Ego Dóminus Deus veſter. Non faciétis furtum. Non mentiémini; nec decípiet unuſquiſque próximum ſuum. Non perjurábis in nómine meo, nec póllues nomen Dei tui. Ego Dóminus. Non fácies calúmniam próximo tuo, nec vi ópprimes eum. * Non morábitur opus mercenárii tui apud te uſque manè. Non maledíces ſurdo, nec coram cæco pones offendículum; ſed timébis Dóminum Deum tuum, quia ego ſum Dóminus. Non fácies quod iníquum eſt, nec injuſtè judicábis. Non conſíderes perſónam páuperis, nec honóres vultum potentis. Juſtè júdica próximo tuo. Non eris criminátor, nec ſuſurro in pópulo. Non ſtabis contra ſánguinem próximi tui. Ego Dóminus. Non óderis fratrem tuum in corde tuo; ſed públicè árgue eum, ne hábeas ſuper illo peccátum,

℟. Projícite à vobis omnes prævaricatiónes. 139.

*Lectio ij.* Cap. 26.

CUſtodíte Sábbata mea, & pavéte ad Sanctuárium meum. Ego Dóminus. Si in præceptis meis ambulavéritis, & mandáta mea cuſtodiéritis, & fecéritis ea, dabo vobis plúvias tempóribus ſuis, & terra gignet germen ſuum, & pomis árbores replebuntur. Apprehendet méſſium tritúra vindémiam, & vindémia occupábit ſementem: & comedéris panem veſtrum in ſaturitáte, & abſque pavóre habitábitis in terra veſtra. Dabo pacem in finibus veſtris: dormiétis, & non erit qui exterreat. Auferam malas béſtias, & gládius non transíbit términos veſtros. Perſequémini inimícos veſtros, & córruent coram vobis.

℟. Quaſi columbæ meditantes. 140.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

*Lectio iij.* Cap. 8.

IN illo tempóre ; Dixit Jesus turbis Judæórum : Ego vado, & quærétis me ; & in peccáto vestro moriémini. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

*In Joan. Tract.* 38. *n.* 6. *&* 7.

TOta infelicitas Judæórum ipsa erat, non peccátum habére, sed in peccátis mori. Hoc est quod debet fúgere omnis Christíanus : propter hoc ad baptísmum cúrritur : propter hoc qui ægritúdine vel aliunde periclitantur, sibi desíderant subveníri : propter hoc étiam fugens párvulus à matre piis manibus ad Eccléstam fertur, ne sine baptísmo éxeat, & in peccáto quo natus est moriátur. Infelicíssima conditio, miséra sors istórum qui de ore veridico audiérunt, in peccátis vestris moriémini. Unde tamen hoc eis contingat, expónit : Si enim non credidéritis quia ego sum, moriémini in peccátis vestris. Credo, fratres, in illa multitúdine quæ Dóminum audiébat, & eos fuísse qui creditúri erant. Quasi autem in omnes procésserat severíssima illa sententia, In peccáto vestro moriémini, ac per hoc & illis qui creditúri erant spes erat ablata. Revocávit eos in spem ; adjunxit enim : Si non credidéritis quia ego sum, moriémini in peccátis vestris. Ergo, Si credidéritis quia ego sum, non moriémini in peccátis vestris. Réddita est spes desperántibus ; excitátio facta est dormiéntibus : córdibus evigilavérunt. Indè plúrimi credidérunt.

℟. Quia vocávi, & renuístis ; ego quoque in intéritu vestro ridébo, & subsannábo : * Qui autem me audíerit, absque terróre requiéscet. ℣. Si non credidéritis quia ego sum, moriémini in peccáto vestro. * Qui autem. Glória Patri. * Qui autem.

*Prov.* 1. *Joan.* 8.

*Ad* Benedictus *Ant.* 8. c. A memetipso fácio nihil ; sed sicut dócuit me Pater, hæc loquor. *Joan.* 8.

*Oratio.*

EXaudi nos, miséricors Deus ; & ad expianda peccáta nostra, pœniténtiæ salutáris tempus & fructum nobis largíre propítius ; Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 1. f. Qui me misit, mecum est, & non reliquit me solum ; quia ego quæ plácita sunt ei, fácio semper. *Joan.* 8.

*Oratio.*

EXaudi, quæsumus, Dómine, gémitum pópuli supplicantis ; ut qui de meritórum qualitate diffidimus, non judícium, sed misericórdiam consequi mereámur ; Per Dóminum nostrum.

FERIA TERTIA.

Incipit liber Números.

*Lectio j.* Cap. 1.

LOcútus est Dóminus ad Móysen in desérto Sinaï in tabernáculo fœderis, primâ die mensis se-

cundi, anno áltero egressiónis eórum ex Ægypto, dicens: Tóllite summam universæ congregatiónis filiórum Israël per cognatiónes & domos suas, & nómina singulórum, quidquid sexûs est masculíni à vigésimo anno & supra, ómnium virórum fórtium ex Israël; & numerábitis eos per turmas suas, tu & Aaron. Eruntque vobíscum príncipes tríbuum ac domórum in cognatiónibus suis.

℟. Scimus qui dixit: Mihi vindicta. 140.

*Lectio ij.*

* Locutúsque est Dóminus ad Móysen: dicens: Tribum Levi noli numeráre, neque pones summam eórum cum fíliis Israël; sed constítue eos super tabernáculum testimónii, & cuncta vasa ejus, & quidquid ad cæremónias pértinet. Ipsi portábunt tabernáculum, & ómnia utensília ejus; & erunt in ministério, ac per gyrum tabernáculi metabuntur. * Cùm proficíscendum fúerit, depónent Levítæ tabernáculum: cùm castrametandum, érigent: quisquis externórum accésserit, occidétur. Metabuntur autem castra fílii Israël unusquísque per turmas & cúneos atque exércitum suum. Porrò Levítæ per gyrum tabernáculi figent tentória, ne fiat indignátio super multitúdinem filiórum Israël; & excubábunt in custódiis tabernáculi testimónii.

℟. Tu, Dómine, in æternum permanébis: * Quare. 140.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

*Lectio iij.* Cap. 23.

In illo témpore; Jesus locútus est ad turbas & ad discípulos suos, dicens: Super cáthedram Móysi sedérunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, serváte & fácite; secundùm ópera verò eórum nolíte fácere. Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbyteri.

*In Cap. 23. Matth. Lib. 4.*

Quid manswétius, quid benígnius Dómino? Tentátur à Pharisæis, & nihil ómnibus propter sacerdótii & nóminis dignitátem hortátur pópulos ut subjiciantur eis; non ópera, sed doctrínam considerantes. Alligant ónera grávia & importabília, & impónunt in húmeros hóminum; dígito autem suo nolunt ea movére. Hoc generáliter adversùs omnes magistros dictum est, qui grávia jubent, & minóra non fáciunt. Omnia verò ópera sua fáciunt, ut videántur ab homínibus. Quicumque ígitur ita facit quódlibet, ut videátur ab homínibus, Scriba & Pharisæus est. Væ nobis míseris, ad quos Pharisæórum vítia transiérunt.

℟. Nolíte vocári Rabbi: * Omnes vos fratres estis; unus est enim Pater vester, qui in cœlis est: † Magister vester unus est Christus. ℣. Odíbilis coram Deo est & homínibus supérbia: qui si superbit terra & cinis? * Omnes. Glória. † Magister. *Matth. 23. Eccli. 10.*

*Ad* Benedictus. *Ant.* 2. D. Cavéte à Scribis, qui volunt in stolis ambuláre, & salutári in foro; qui dévorant domos viduárum sub obtentu prolixæ oratiónis: hi accípient prolíxius judícium. *Marc.* 12.

*Oratio.*

DA plebi tuæ, Dómine, quæ jejunando carnem humíliat, spíritum aversári supérbiæ; ut non indignatiónem tuam provocémus eláti, sed miseratiónis tuæ dona subjecti capiámus; Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Fílium tuum, qui.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 8. G. Qui major est vestrúm, erit minister vester: qui autem se exaltáverit, humiliábitur; & qui se humiliáverit, exaltábitur. *Matth.* 23.

*Oratio.*

ADesto, quæsumus, Dómine, supplicatiónibus nostris; ut esse, te largiente, mereámur, & inter próspera húmiles, & inter adversa secúri; Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

## FERIA QUARTA
### De libro Números.

*Lectio j.* Cap. 14.

DIxérunt fílii Israël alter ad álterum: Constituámus nobis ducem, & revertámur in Ægyptum. Quo audíto, Móyses & Aaron cecidérunt proni in terram coram omni multitúdine filiórum Israël. At verò Jósue fílius Nun, & Caleb fílius Jéphone, qui & ipsi lustráverant terram, scidérunt vestimenta sua, & ad omnem multitúdinem filiórum Israël locúti sunt: Terra quam circuívimus, valde bona est. Si propítius fúerit Dóminus, indúcet nos in eam, & tradet humum lacte & melle manantem. Nolíte rebelles esse contra Dóminum, neque timeátis pópulum terræ hujus; quia sicut panem ita eos póssumus devoráre: recessit ab eis omne præsídium: Dóminus nobíscum est, nolíte metúere. Cùmque clamáret omnis multitúdo, & lapídibus eos vellet opprímere, appáruit glória Dómini super tectum fœderis cunctis fíliis Israël.

℟. Juravi. 140.

*Lectio ij.*

* LOcutúsque est Dóminus ad Móysen & Aaron, dicens: Usquequò multitúdo hæc péssima múrmurat contra me? Querélas filiórum Israël audívi. Dic ergo eis: Vivo ego, ait Dóminus; sicut locúti estis, audiente me, sic fáciam vobis. In solitúdine hac jacébunt cadávera vestra. Omnes qui numeráti estis à vigenti annis & supra, & murmurastis contra me, non intrábitis terram super quam levávi manum meam, ut habitáre vos fácerem, præter Caleb fílium Jéphone, & Jósue fílium Nun. * Parvulos autem vestros de quibus dixistis quòd prædæ hóstibus forent, introdúcam, ut vídeant terram quæ vobis displícuit. Vestra cadávera jacébunt in solitúdine. Fílii vestri erunt vagi in deserto annis quadraginta, & portábunt fornicatiónem vestram, donec consúmantur cadávera patrum in

deſerto, juxta número quadraginta diérum quibus conſideraſtis terram : annus pro die imputábitur.

℟. Póſui. 140.

Léctio ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

*Lectio iij.* Cap. 20.

IN illo témpore ; Aſcendens Jeſus Jeroſólymam, aſſumpſit duódecim diſcípulos ſecrétò, & ait illis : Ecce aſcéndimus Jeroſólymam, & Filius hóminis tradétur Princípibus Sacerdótum, & Scribis ; & condemnábunt eum morte. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtini Epíſcopi.

*In Pſalm. 126. n. 4. & 5.*

FIlii Zebedæi ántequàm humiliárentur ſecundùm paſſiónem Dómini, jam ſibi loca eligébant, ubi ſedérent, unus ad déxteram, alter ad ſiniſtram. Revocávit illos Dóminus ad humilitátem, cùm hoc audíret, & ait illis : Poteſtis bíbere cálicem quem ego bibitúrus ſum ? Exaltári vultis ántequàm humiliémini ? Dóminus ipſe veſter qui eſt lux veſtra, humiliátus eſt ut exaltarétur. Poteſtis bíbere, inquit, cálicem quem ego bibitúrus ſum ? Et illi, póſſumus. Et ille, Cálicem, inquit, meum bibétis ; ſedére autem ad déxteram vel ad ſiniſtram meam, ait, non eſt meum dare vobis ; áliis parátum eſt à Patre meo. Quid eſt, Non eſt meum dare vobis ? Non eſt meum dare ſuperbis : hoc enim adhuc erant. Sed ſi vultis illud accípere, nolíte eſſe quod eſtis. Aliis parátum eſt ; & vos álii eſtóte, & vobis parátum eſt. Quid eſt, álii eſtóte ? Prius humiliámini, qui jam vultis exaltári. Intellexérunt ergo humilitátem profutúram ſibi, & correcti ſunt. Ergo & nos hoc audiámus.

℟. Jeſus dixit : Neſcítis quid petátis. * Sedére ad déxteram meam vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus parátum eſt à Patre meo. ℣. Vidit præſumptiónem cordis eórum, & oſtendit eis viam æquitátis. * Sedére. Glória Patri. * Sedére. *Matth. 20. Eccli. 18.*

*Ad* Benedíctus. *Ant. 7. d.* Scitis quia príncipes géntium dominántur eórum ; & qui majóres ſunt, poteſtátem exercent in eos : non ita erit inter vos. *Matth. 20.*

*Oratio.*

DEus, totíus bonitátis fons & órigo, réſpice propítius confitentis tibi plebis humilitátem ; ut quos peccatórum conſciéntia déjicit, tua ſemper miſericórdia érigat ; Per Dóminum.

*Ad* Magníficat. *Ant. 1. f.* Qui voluérit inter vos primus eſſe, erit veſter ſervus ; ſicut Fílius hóminis non venit miniſtrári, ſed miniſtráre, & dare ánimam ſuam redemptiónem pro multis. *Matth. 20.*

*Oratio.*

FAc, quæſumus, Dómine, fámulos tuos ſemper ad te toto corde confúgere, tibi ſúbditâ mente ſervíre, tuam miſericórdiam ſupplíciter imploráre, & tuis júgiter benefíciis gratulári ; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fí-

lium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus, &c.

## FERIA QUINTA.

Incípit liber Deuteronómii.

*Lectio j.* Cap. 1.

HÆc sunt verba quæ locútus est Móyses ad omnem Israël trans Jordánem in solitúdine campestri contra mare rubrum, inter Pharan, & Thophel, & Laban, & Háseroth ubi auri est plúrimum, úndecim diébus de Horeb per viam montis Seïr usque ad Cadesbarne. Quadragésimo anno, undécimo mense, primâ die mensis locútus est Móyses ad filios Israël ómnia quæ præcéperat illi Dóminus, ut díceret eis: Postquàm percussit Sehon regem Amorrhæórum, qui habitábat in Hésebon; & Og regem Basan qui mansit in Astaroth, & in Edraï trans Jordánem in terra Moab. Cœpitque Moyses explanáre legem.

℟. Projícite 139.

*Lectio ij.* Cap. 6.

* HÆc sunt præcepta, & cæremóniæ, atque judícia quæ mandávit Dóminus Deus vester, ut docérem vos, ut faciátis ea in terra ad quam transgredímini possidendam; ut tímeas Dóminum Deum tuum, & custódias ómnia mandáta & præcepta ejus, quæ ego præcípio tibi, & fíliis ac nepotibus tuis, cunctis diébus vitæ tuæ, ut prolongéntur dies tui. Audi, Israël, & observa ut fácias quæ præcépit tibi Dóminus, & bene sit tibi, & multiplicétis ámpliùs sicut pollícitus est Dóminus Deus patrum tuórum tibi terram lacte & melle manántem. * Audi, Israël: Dóminus Deus noster, Dóminus unus est: Diliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitúdine tua. Eruntque verba hæc quæ ego præcípio tibi hódie, in corde tuo: & narrábis ea fíliis tuis, & meditáberis in eis sedens in domo tua, & ámbulans in itínere, dórmiens, atque consúrgens. Et ligábis ea quasi signum in manu tua, eruntque & movebúntur inter óculos tuos; scribesque ea in limine & óstiis domûs tuæ.

℟. Quasi columbæ. 140.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

*Lectio iij.* Cap. 16.

IN illo témpore; Ait Jesus Phariséis: Homo quidam erat dives, qui induebátur púrpurâ & byssо, & epulabátur quotídie splendidè. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

*In Evang.* 40.

DÍves iste non abstulísse aliéna reprehénditur, sed própria non dedísse. Nec dícitur quia vi quemquam oppressit, sed quia in acceptis rebus se éxtulit. Hinc ergo summópere colligendum est quâ pœnâ mulctandus sit qui aliéna diripit, si inferni damnatióne percútitur qui própria non largítur. Nemo ergo secúrum se æstimet, dicens: Ecce aliena non rápio, sed concessis licitè rebus fruor; quia dives iste non idcirco punítus est, quóniam aliéna ábstulit, sed quia acceptis rebus

semetipsum malè derelíquit. Hoc quoque fuit quod hunc in inferno trádidit; quia in sua felicitáte tímidus non fuit; quia percepta dona ad usum arrogántiæ inflexit; quia víscera pietátis ignorávit; quia peccáta sua redímere, étiam cum sibi abundáret prétium, nóluit. Et sunt nonnulli qui cultum subtílium pretiosarumque véstium non putant esse peccátum. Quòd si vidélicet culpa non esset, nequáquam sermo tam vigilanter exprímeret quòd dives qui torquétur apud ínferos, bysso & púrpurâ indútus fuísset. Nemo quippe vestimenta pretiósa, nisi ad inánem glóriam, quærit; vidélicet ut honorabílior céteris esse videátur. Nam quia pro sola ináni glória vestimentum pretiósius quæritur, res ipsa testátur quòd nemo vult ibi pretiósis véstibus índui, ubi ab áliis non possit vidéri.

℟. Qui obtúrat aurem suam ad clamórem páuperis, & ipse* Clamábit, & non exaudiétur. † Qui séquitur misericórdiam, invéniet vitam, justítiam & glóriam. ℣. Dives cùm esset in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lázarum in sinu ejus; & clamans, dixit: Pater Abraham, miserére meî, quia crúcior in hac flamma. * Clamábit. Glória. † Qui. *Prov.* 21. *Luc.* 16.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 8. G. Fili, recordáre quia recepísti bona in vita tua, & Lázarus símiliter mala; nunc autem hic consolátur, tu verò cruciáris. *Luc.* 16.

*Oratio.*

OMnípotens sempiterne Deus, qui jejúnia & eleemósynas nostrórum posuísti remédia peccatórum: fac nos ópere mentis & córporis semper tibi esse devótos; Per.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 3. c. Si Móysen & Prophétas non áudiunt; neque si quis ex mórtuis resurréxerit, credent. *Luc.* 16.

*Oratio.*

COrdibus nostris, quæsumus, Dómine, grátiam tuam benignus infunde; ut peccáta nostra castigatióne voluntáriâ cohibentes, temporáliter pótiùs macerémur, quàm supplíciis deputémur æternis; Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

## FERIA SEXTA.

De libro Deuteronómii. *Lectio j.* Cap. 16.

TRibus vícibus per annum apparébit omne masculínum tuum in conspectu Dómini Dei tui in loco quem elégerit, in solemnitáte azymórum, in solemnitáte hebdomadárum, & in solemnitáte tabernaculórum. Non apparébit ante Dóminum vácuus; sed ófferet unusquisque secundùm quod habúerit juxta benedictiónem Dómini Dei sui, quam déderit ei.* Júdices & magístros constítues in ómnibus portis tuis, quas Dóminus Deus tuus déderit tibi, per síngulas tribus tuas; ut júdicent pópulum justo judício, nec in álteram partem declínent. Non accípies personam, nec múnera; quia múnera excæcant óculos sapientum, & mutant verba justó-

rum. Justè quod justum est persequéris; ut vivas & possideas terram quam Dóminus Deus tuus déderit tibi. Non plantábis lucum & omnem árborem juxta altáre Dómini Dei tui: nec fácies tibi neque constítues státuam; quæ odit Dóminus Deus tuus.

℟. Scimus. 140.

*Lectio ij.* Cap. 17.

* SI difficile & ambíguum apud te judícium esse perspéxeris inter sánguinem & sánguinem, causam & causam, lepram & lepram, & júdicum intrà portas tuas víderis verba variári; surge, & ascende ad locum quem elégerit Dóminus Deus tuus. Veniésque ad sacerdótes Levítici géneris, & ad júdicem qui fúerit illo témpore; quærésque ab eis, qui indicábunt tibi judícii veritátem; & fácies quodcumque dixerint qui præsunt loco quem elégerit Dóminus, & docúerint te juxta legem ejus; sequerísque sententiam eórum: nec declinábis ad déxteram, neque ad sinístram. Qui autem superbíerit, nolens obedíre sacerdótis império, qui eo témpore minístrat Dómino Deo tuo, & decreto júdicis, moriétur homo ille, & áuferes malum de Israel: cunctúsque pópulus áudiens timébit, ut nullus deinceps intumescat supérbiâ.

℟. Tu, Dómine. 140.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

*Lectio iij.* Cap. 21.

IN illo témpore; Dixit Jesus Princípibus Sacerdótum & senióribus pópuli: Parábolam audíte: Homo erat pater famílias, qui plantávit víneam, & sepem circúmdedit ei. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Episcopi.

*Serm.* 87. *C.* 2.

PLantáta est vínea, lege datâ in córdibus Judæórum. Missi sunt Prophétæ quærentes fructum, bonam vitam eórum: Prophétæ ab eis contuméliis affecti, & occísi sunt. Missus est & Christus, únicus filius patrisfamílias; & ipsum occidérunt hærédem, & ideò perdidérunt hæreditátem. In contrárium eis vertit malum consílium. Ut possidérent, occidérunt: & quia occidérunt, perdidérunt. Nos servi de família ipsíus sumus. Inter Judæos vísus est húmilis, contemptus est. Occultábat enim majestátem, promptam habébat infirmitátem. Contemptum est in illo quod promptum erat, nec cógnitum quod occultum erat. Si enim cognovíssent, nunquam Dóminum glóriæ crucifixíssent. Numquid adhuc contemnendus est sedens in cœlo, si contemptus est, cùm penderet in ligno? Ecce indulgéntiæ dator áperit tibi óstium: quid moráris? Gaudére debéres, si aperíret aliquando pulsanti. Non pulsásti, & áperit, & foris rémanes? Ne ergo differas. Miserére ánimæ tuæ placens Deo. Exhibe ánimæ tuæ eleemósynam. Non dícimus ut tu ei des, sed ne repellas manum dantis.

℟. Agrícolæ vidéntes fílium patrisfamílias, dixérunt intrà

se : Hic est hæres ; venite, occidámus eum. Cùm vénerit Dóminus, quid fáciet agrícolis ? Malos malè perdet, & * Víneam suam locábit áliis agrícolis qui reddant ei fructum. ℣. Vidit Dóminus, & ad iracúndiam concitátus est, quia provocavérunt eum filii sui. * Víneam. Glória. * Víneam. *Matth.* 21, *Deut.* 32.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 4. A. Auferétur à vobis regnum Dei, & dábitur genti facienti fructus ejus. *Matth.* 21.

*Oratio.*

DEus, qui non vis mortem peccatóris, sed ut convertátur à via sua, & vivat : te súpplices exorámus, ut quiescente irâ tuâ, spíritum pœniténtiæ, & delictórum véniam largiáris ; Per.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 3. a. Quærentes Jesum tenére, timuérunt turbas ; quóniam sicut Prophétam eum habébant. *Matth.* 21.

*Oratio.*

DA, quæsumus, Dómine, pópulo tuo salútem mentis & córporis ; ut bonis opéribus inhærendo, tuæ semper virtútis mereátur protectióne defendi ; Per.

SABBATO.

De libro Deuteronómii.

*Lectio j.* Cap. 34.

AScendit Móyses de campéstribus Moab super montem Nebo in vérticem Phasga contra Jéricho : ostenditque ei Dóminus omnem terram Gálaad usque Dan, & universum Néphthali, terramque Ephraïm & Manasse, & omnem terram Juda usque ad mare novíssimum, & austrálem partem, & latitúdinem campi Jéricho civitátis palmárum usque Segor. Dixitque Dóminus ad eum : Hæc est terra, pro qua jurávi Abraham, Isaac, & Jacob, dicens ; Sémini tuo dabo eam. Vidísti eam óculis tuis, & non transibis ad illam. Mortuúsque est ibi Móyses servus Dómini, in terra Moab, jubente Dómino ; & sepelívit eum in valle terræ Moab contra Phogor : & non cognóvit homo sepúlcrum ejus usque in præsentem diem.

℟. Jurávi. 140.

*Lectio ij.*

* MOyses centum & viginti annórum erat, quando mórtuus est : non caligávit óculus ejus, nec dentes illíus moti sunt. Fleveruntque eum filii Israel in campéstribus Moab triginta diébus : & compléti sunt dies planctus lugéntium Móysen. * Jósue verò filius Nun replétus est spíritu sapiéntiæ ; quia Móyses pósuit super eum manus suas. Et obedíerunt ei filii Israel, feceruntque sicut præcépit Dóminus Móysi. Et non surrexit ultrà Prophéta in Israel sicut Moyses, quem nosset Dóminus fácie ad fáciem, in ómnibus signis atque portentis, quæ misit per eum, ut fáceret in terra Ægypti Pharaóni ; & ómnibus servis ejus, universæque terræ illíus, & cunctam manum robustam ; magnaque mirabília quæ fecit Móyses coram universo Israel.

℟. Pósui. 140.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

*Lectio iij.* Cap. 15.

IN illo témpore; Ait Jesus ad Phariséos & Scribas; Homo quidam hábuit duos fílios; & dixit adolescéntior ex illis patri: Pater, da mihi portiónem substántiæ quæ me contingit. Et divísit illis substántiam. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

*Lib. 7. Comment. in Lucam.*

QUI se à Christo séparat, exul est pátriæ, civis est mundi. Bene autem in se revértitur, qui à se recessit. Etenim qui ad Dóminum regréditur, se sibi reddit; & qui recédit à Christo, se sibi ábdicat. Jam redeámus ad Patrem, ne nos ei reconciliatiónis faciámus moram, quam non fecit Pater. Fácilè reconciliátur; quandò impensè rogátur. Sed etsi Deus novit ómnia, vocem tamen tuæ confessiónis expectat. Confitére magis, ut roget pro te Eccléstia, & illácrymet pópulus. Exurge ergo, curre ad Eccléstiam: hîc est Pater, hîc est Fílius, hîc est Spíritus sanctus. Occurrit tibi, quia audit te intrà mentis secréta tractantem. Et cùm adhuc longè sis; videt & accurrit, ne quis impédiat; compléctitur quoque, supra collum cadit, ut jacentem érigat, & onerátum peccátis, atque in terréna deflexum, reflectat ad cœlum, in quo suum quærat auctórem. Qui lapsus fúerit, per pœniténtiam revivíscit.

℟. Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccávi in cœlum & coram te; * Jam non sum dignus vocári filius tuus; † Fac me sicut unum de mercenáriis tuis: ℣. Deus meus, confundor, & erubésco leváre fáciem meam ad te; * Jam. Glória. † Fac me. *Luc.* 15. 1. *Esdr.* 9.

*Ad.* Benedictus *Ant.* 8. G. Cùm adhuc longè esset, vidit illum pater ipsius, & misericórdiâ motus est; & accurrens cécidit super collum ejus, & osculátus est eum. *Luc.* 15.

*Oratio.*

POpulum tuum, quæsumus, miséricors Deus, ad te confugientem paternâ récipe pietáte; ut qui tuam iracúndiam méritò formídant, de tua possint vénia gratulári: Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

## DOMINICA TERTIA QUADRAGESIMÆ.

*IN VESPERIS SABBATI, Psalmi & Antiph. de Psalterio.*

*Capitulum.* Ezech. 20.

HÆc dicit Dóminus Deus: Ego sum Dóminus Deus vester, in præceptis meis ambuláte, judícia mea custódite, & fácite ea; & Sábbata mea sanctificáte, ut sint signum inter me & vos, & sciátis quia ego sum Dóminus Deus vester.

*Hymnus*, AUDI, benigne.

℣. Tempus. 144.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 1. g. Fortis in bello Jesus Nave, successor Móysi in Prophétis, máximus in salútem electórum Dei, expugnáre insurgentes hostes, ut consequerétur

hæreditátem Iſraël · *Eccli.* 46.

*Non dicuntur Preces.*

*Oratio, ut infrà ad Laudes.*

COMPLETORIUM, *ut ſuprà* 131. *ſine Precibus.*

AD OFFICIUM NOCT.

*Invit.* Veníte, * Revertámur ad Dóminum, & ſanábit nos. *Of.* 6.

*Pſ.* 94. Veníte. 2.

*Hymnus*, QUOD lex. 139.

*Pſ. Ant. & ℣℣. ut in Pſal.*

*IN I. NOCTURNO.*

Incipit liber Jóſue.

*Lectio j.* Cap. 1.

ET factum eſt poſt mortem Móyſi ſervi Dómini, ut loquerétur Dóminus ad Jóſue filium Nun, miniſtrum Móyſi, & díceret ei: Móyſes ſervus meus mórtuus eſt; ſurge, & tranſi Jordánem iſtum, tu, & omnis pópulus tecum, in terram quam ego dabo fíliis Iſraël. Omnem locum quem calcáverit veſtigium pedis veſtri, vobis tradam, ſicut locútus ſum Móyſi. A deſerto & Líbano uſque ad flúvium magnum Euphráten, omnis terra Hethæórum uſque ad mare magnum contra ſolis occáſum erit términus veſter. Nullus póterit vobis reſíſtere cunctis diébus vitæ tuæ: ſicut fui cum Móyſe, ita ero tecum: non dimittam, nec derelinquam te. Confortáre, & eſto robuſtus. Tu enim ſorte dívides pópulo huic terram, pro qua jurávi pátribus tuis ut tráderem eam illis.

℟. Egreſſus eſt pópulus ut tranſíret Jordánem; & ſacerdótes qui portábant arcam fœderis, pergébant ante eum: * Ingreſſíſque eis Jordánem, ſteterúnt aquæ, omníſque pópulus per arentem álveum transíbat. ℣. Tabernáculum teſtimónii induxérunt, ſuſcipientes patres noſtri cum Jeſu in poſſeſſiónem géntium: * Ingreſſíſque. *Joſue* 3. *Act.* 7.

*Lectio ij.* Cap. 2.

MIſit igitur Jóſue filius Nun de Setim duos viros exploratóres in abſcóndito, & dixit eis: Ite, & conſideráte terram, urbemque Jéricho. Qui pergentes, ingreſſi ſunt domum mulíeris meretrícis, nómine Rahab, & quievérunt apud eam. Nuntiatumque eſt regi Jéricho, & dictum: Ecce viri ingreſſi ſunt huc per noctem de fíliis Iſraël, ut explorárent terram. Miſítque rex Jéricho ad Rahab, dicens: Educ viros qui venérunt ad te, & ingreſſi ſunt domum tuam: exploratóres quippe ſunt, & omnem terram conſideráre venérunt. Tollenſque múlier viros, abſcondit, & ait: Fáteor, venérunt ad me; ſed neſciébam undè eſſent: cùmque porta clauderétur in ténebris, & illi páriter exiérunt; néſcio quò abiérunt: perſequímini citò, & comprehendétis eos. Ipſa autem fecit aſcéndere viros in ſolárium domûs ſuæ, operuitque eos ſtípulâ lini, quæ ibi erat.

℟. Ex opéribus juſtificátur homo, & non ex fide tantùm. Rahab méretrix * Nonne ex opéribus juſtificáta eſt, ſuſcípiens núntios, & áliâ viâ ejíciens? ℣. Tollens múlier viros, abſcondit, & demíſit

eos per funem de feneſtra. * Nonne. *Jac.* 2. *Joſué* 2.

*Lectio iij.* Cap. 3.

IGitur Jóſue de nocte conſurgens, movit caſtra: egredienteſque de Setim, venérunt ad Jordánem ipſe & omnes fílii Iſraël, & morati ſunt ibi tres dies. Quibus evolútis, tranſiérunt præcónes per caſtrórum médium, & clamáre cœpérunt: quando vidéritis arcam fœderis Dómini Dei veſtri, & ſacerdótes ſtirpis Levíticæ portantes eam, vos quoque conſúrgite, & ſequímini præcedentes: ſitque inter vos & arcam ſpátium cubitórum duórum míllium; ut procul vidére poſſitis, & noſſe per quam viam ingrediámini; quia priùs non ambulaſtis per eam: & cavéte ne appropinquétis ad arcam. Dixitque Jóſue ad pópulum: Sanctificámini; cras enim fáciet Dóminus inter vos mirabília. Et ait ad ſacerdótes: Tóllite arcam fœderis, & præcédite pópulum. Qui juſſa complentes, tulérunt, & ambulavérunt ante eos. Dixitque Dóminus ad Jóſue: Hódie incípiam exaltáre te coram omni Iſraël; ut ſciant quòd ſicut cum Móyſe fui, ita & tecum ſim.

℟. Stetérunt ſol & luna, donec ulciſcerétur ſe gens de inimícis ſuis. * Nonne ſcriptum eſt in libro juſtórum: † Stetit ſol in médio cœli, & non feſtinávit occúmbere ſpátio unius diéi, obediente Dómino voci hóminis; ℣. Dixit diſcípulis Jeſus: Si habuéritis fidem ſicut granum ſinápis, nihil impoſſibile erit vobis. * Nonne. Glória Patri. † Stetit. *Joſue.* 10. *Matth.* 17.

*IN II. NOCTURNO.*

Ex libro ſancti Cypriáni Epíſcopi & Martyris, de Lapſis.

*Lectio iv.*

QUæſo vos, fratres, acquiéſcite ſalúbribus remédiis; conſíliis obedite melióribus; cum lácrymis noſtris veſtras lácrymas júngite; cum noſtro gémitu gémitus veſtros copuláte. Rogámus vos ut pro vobis Deum rogáre poſſimus. Agite pœniténtiam plenam, dolentis ac lamentantis ánimi probáte mœſtítiam. Nec vos quorumdam móveat aut error improvidus, aut ſtupor vanus, qui percuſſi ſunt ánimi cæcitáte, ut nec intélligant delicta, nec plangant. Indignantis Dei major hæc plaga eſt: injuſtè ſibi placentes, & tranſpunctæ mentis alienatióne dementes, Dómini præcepta contemnunt, medélam vúlneris négligunt, ágere pœnítentiam nolunt. Ante admiſſum fácinus improvidi, poſt fácinus obſtináti, nec priùs ſtábiles, nec póſtmodùm ſupplices: quando debúerant ſtare, jacuérunt; quando jacére, & proſtérnere ſe Deo debent, ſtare ſe opinantur. Pacem ſibi ultro, némine dante, ſumpſérunt: homínibus contra Deum credunt, qui contra hómines Deo non credidérunt.

℟. Vivo ego, dicit Dóminus Deus; nolo mortem ímpii, ſed ut convertátur à via ſua, & vivat. * Convertímini, convertímini á viis veſtris péſſimis. Quare moriémini,

domus Israël ? ℣. Implétum est tempus, & appropinquávit regnum Dei. * Convertímini. *Ezech.* 33. *Marc.* 1.

*Lectio v.*

EJúsmodi hómines, quantùm potestis, effúgite. perniciósis conátibus adhærentes sálubri cautióne vitáte. Sola súpereſt pœniténtia quæ satisfáciat. Qui autem pœniténtiam críminis tollunt, satisfactiónis viam claudunt. Ita fit ut dum temeritáte quorumdam, vel promíttitur salus falsa, vel créditur, spes veræ salútis adimátur. Vos verò, fratres dilectíssimi, quorum timor in Deum pronus est, & in ruína licèt ánimus constitútus, mali sui memor est, pœniténtes ac dolentes peccáta vestra perspícite, gravíssimum conscientiæ crimen agnóscite. Ad intelligéntiam delícti vestri óculos cordis aperíte, nec desperántes misericórdiam Dómini, nec tamen jam véniam vindicántes. Deus, quantùm patris pietáte indulgens semper & bonus est, tantùm júdicis majestáte metuendus est. Quàm magna delíquimus, tam gránditer defleámus. Alto vúlneri díligens & longa medicína non desit; pœniténtia crímine minor non fit.

℟. Fácite fructus dignos pœniténtiæ; * Jam enim secúris ad radícem árborum pósita est. Omnis arbor non fáciens fructum bonum excidétur, & in ignem mittétur. ℣. Altíssimus misértus est pœniténtibus: ímpiis & peccatóribus reddet vindictam; * Jam. *Luc.* 3. *Eccli.* 12.

*Lectio vj.*

ORáre oportet impénsiùs & rogáre, diem luctu transígere, vigíliis noctes ac flétibus dúcere, tempus omne lacrymósis lamentatiónibus occupáre, stratos solo adhærére in cínere & cilício, & sórdibus volutári: post indumentum Christi pérditum; nullum jam velle vestítum; post diáboli cibum, malle jejúnium; justis opéribus incúmbere, quibus peccáta purgantur; eleemósynis frequenter insístere, quibus á morte ánimæ liberantur. Nec tenéri jam, nec amári patrimónium debet. Ad hoc tantúm profúerit quod remansit, ut inde crimen & culpa redimátur. Incunctanter & lárgiter fiat operátio; census omnis in medélam vúlneris erogétur: ópibus & facultátibus nostris, qui de nobis judicatúrus est, Dómino fœnerétur. Sic sub Apóstolis fides víguit; sic primus credéntium pópulus Christi mandáta servávit. Qui sic Deo satisfécerit, qui pœniténtiâ facti sui, qui pudóre delícti, plus & virtútis & fidei de ipso lapsûs sui dolóre concéperit, exaudítus & adjútus à Dómino, quam contristáverat nuper, lætam fáciet Eccléſiam: nec jam solam Dei véniam merébitur, sed & corónam.

℟. Quærite primùm regnum Dei, & justítiam ejus: * Fácite vobis thesaurum non deficientem in cœlis; ubi enim thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit. ℣. Fidúcia magna erit coram summo Deo

eleemósyna ómnibus faciéntibus eam. * Fácite. Glória. * Fácite. *Luc.* 11. *Tob.* 4.

*IN III. NOCTURNO.*

Léctio sancti Evangelii secundùm Lucam.

*Lectio vij.* Cap. 11.

IN illo témpore; Erat Jesus ejíciens dæmónium, & illud erat mutum. Et cùm ejecísset dæmónium, locútus est mutus; & admirátæ sunt turbæ. Et réliqua.

Homília venerábilis Bedæ Presbyteri.

*In Luc. lib. 4. C. 48.*

DÆmoniácus iste apud Matthæum, non solùm mutus, sed & cæcus fuísse narrátur; curatúsque dícitur à Dómino, ita ut loquerétur & vidéret. Tria ergo signa símul in uno hómine perpetráta sunt: cæcus videt, mutus lóquitur, possessus à dæmone liberátur. Quod & tunc quidem carnáliter factum est, sed & quotídie complétur in conversióne credéntium; ut expulso primùm dæmone, fidei lumen aspíciant; deinde ad laudes Dei tacéntia priùs ora laxentur.

℟. Si sátanas sátanam éjicit, adversùs se divísus est: quómodò ergo stabit regnum ejus? * Si autem in Spíritu Dei ejício dæmones, ígitur pervénit in vos regnum Dei. ℣. Spíritus Dómini super me, eò quòd únxerit Dóminus me. * Si autem. *Matth.* 12. *Is.* 61.

*Lectio viij.*

CUm immundus spíritus exíerit de hómine, perámbulat per loca inaquósa. Quamvis simplíciter intélligi possit Dóminum hæc ad distinctiónem suórum, & sátanæ óperum adjunxísse; tamen & de hærético quovis, vel schismático, vel étiam malo cathólico potest non inconvenienter áccipi. De quo, témpore baptísmatis, spíritus immundus qui in eo priùs habitáverat, ad confessiónem cathólicæ fidei, abrenuntiatiónemque mundánæ conversatiónis, ejiciátur; lócaque inaquósa péragret, id est, corda fidélium quæ à mollítie fluxæ cogitatiónis expurgáta sint, callidus insidiátor explóret, si quos ibi fortè suæ nequítiæ gressus figere possit. Sed bene dícitur, Quærens réquiem, & non invéniens. Quia castas mentes effúgiens, in solo corde pravórum gratam sibi potest invenire réquiem.

℟. Cùm fortis armátus custódit átrium suum, in pace sunt ea quæ póssidet: * Si autem fórtior vícerit eum, universa arma ejus áuferet, & spólia ejus distríbuet. ℣. Numquid tollétur à forti præda? Equidem & captívitas à forti tollétur: * Si autem fórtior. *Luc.* 11. *Is.* 49.

*Lectio ix.*

DIcit: Revertar in domum meam unde exívi. Timendus est iste versículus, non exponendus. Et cùm vénerit, invénit scopis mundátam, hoc est, grátiâ baptísmatis à peccatórum labe castigátam, sed nullâ boni óperis indústriâ cumulátam. Unde bene Matthæus hanc vacan-

tem, mundátam, atque ornátam dicit; mundátam à vítiis príſtinis per baptiſmum; vacantem à bonis áctibus per negligéntiam: ornátam ſimulátis virtútibus per hypócriſin. Et tunc vadit, & aſsúmit ſeptem álios ſpíritus nequióres ſe, & ingreſſi hábitant ibi. Per ſeptem malos ſpíritus, univerſa vítia deſignat. Quemcumque enim poſt baptiſma, ſive právitas hærética, ſeu mundána cupíditas arripúerit, mox ómnium proſternet in ima vitiórum. Unde rectè nequióres tunc eum ſpíritus dicuntur ingreſſi; quia non ſolùm habébit illa ſeptem vítia, quæ ſeptem ſpirituálibus ſunt contrária virtútibus, ſed & per hypócriſin ipſas ſe virtútes habére ſimulábit. Et ſunt noviſſima hóminis illíus pejóra prióribus. Mélius quippe erat ei viam veritátis non cognóſcere, quàm poſt agnitiónem retrorsùm converti.

℟. Cùm immundus ſpíritus exíerit de hómine, dicit: Revértar in domum meam unde exívi. Tunc aſsúmit ſeptem álios ſpíritus ſecum nequióres ſe; & * Fiunt noviſſima hóminis illíus pejóra prióribus. ℣. Sicut canis qui revértitur ad vómitum ſuum, ſic imprúdens qui íterat ſtultítiam ſuam. * Fiunt. Glória. *Repetítur* ℟. Cùm immundus. *uſque ad* ℣. *Luc.* 11. *Prov.* 26.

AD LAUDES.

*Ant.* 2. D. CUm ejéciſſet Jeſus dæmónium, ſtúpebant turbæ & dicébant: Numquid hic eſt filius David? Phariſæi autem dixérunt: In nómine Beélzebub príncipe dæmoniórum éjicit dæmónia. *Matth.* 12. *Luc.* 11.

*Ant.* 4. E. Jeſus ſciens cogitatiónes eórum dixit eis: Omne regnum in ſe ipſum diviſum deſolábitur, & domus ſupra domum cadet. *Ibid.*

*Ant.* 3. *a.* Si ego in Beélzebub ejício dæmones, filii veſtri in quo ejíciunt? Ideò ipſi júdices veſtri erunt. *Luc.* 11.

*Ant.* 7. a. Nemo poteſt vaſa fortis ingreſſus in domum dirípere, niſi priùs fortem álliget, & tunc domum ejus dirípiet. *Marc.* 3.

*Ant.* 1. f. Qui non eſt mecum, contra me eſt: & qui non cólligit mecum, diſpergit. *Luc.* 11.

*Capitulum.* Eccli. 5.

NE dicas: Miſerátio Dómini magna eſt, multitúdinis peccatórum meórum miſerébitur; miſericórdia enim & ira ab illo citò próximant, & in peccatóres réſpicit ira illíus. Non tardes converti ad Dóminum, & ne différas de die in diem.

*Hymnus*, SOLEMNE. 140.

℣. Uſquequò exaltábitur inimícus meus ſuper me? ℟. Réſpice, & exaudi me, Dómine Deus meus. *Pſ.* 12.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 4. D. Si in dígito Dei ejício dæmónia: profectò pervénit in vos regnum Dei. *Luc.* 11.

*Oratio.*

OUæſumus, omnípotens Deus, vota humílium réſpice, atque ad defenſiónem noſtram, déxteram tuæ majeſtátis extende; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fi-

lium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs, &c.

AD PRIMAM.

*Ant.* Cùm ejéciſſet.

AD TERTIAM.

*Ant.* Jeſus ſciens.

*Capitulum.* Iſaiæ. 59.

ECce non eſt abbreviáta manus Dómini, ut ſalváre néqueat; neque aggraváta eſt auris ejus, ut non exáudiat: ſed iniquitátes veſtræ diviſérunt inter vos & Deum veſtrum, & peccáta veſtra abſcondérunt fáciem ejus à vobis, ne exaudíret.

℟. *br.* Inimíci tui, Dómine, * Inimíci tui períbunt. Inimíci. ℣. Et diſpergentur omnes qui operantur iniquitátem. * Inimíci. Glória Patri. Inimíci. *Pſ.* 91.

℣. Contrítio & infelícitas in viis eórum: ℟. Viam pacis non cognovérunt. *Pſ.* 13.

AD SEXTAM.

*Ant.* Si ego.

*Capitulum.* Ezech. 20.

JUdicábor vobíſcum fácie ad fáciem: ſicut judício contendi adversùm patres veſtros in deſerto terræ Ægypti, ſic judicábo vos, dicit Dóminus Deus.

℟. *br.* Non repellet Dóminus plebem ſuam: * Hæreditátem ſuam non derelinquet. Non. ℣. Quoadúſque juſtítia convertátur in judícium; * Hæreditátem. Glória. Non repellet.

℣. Quis conſurget mihi adversùs malignantes? ℟. Aut quis ſtabit mecum adversùs operantes iniquitátem? *Pſ.* 93.

AD NONAM.

*Ant.* Qui non eſt mecum.

*Capitulum.* Jerem. 17.

DÓmine, omnes qui te derelinquunt, confundentur: recedentes à te in terra ſcribentur; quóniam dereliquérunt venam aquárum viventium Dóminum.

℟. *br.* Locúti ſunt adversùm me, * Et expugnavérunt me gratis. Locúti ſunt. ℣. Et ſermónibus ódii circumdedérunt me, * Et. Glória Patri. Locúti ſunt.

℣. Fiant contra Dóminum ſemper; ℟. Et diſpéreat de terra memória eórum. *Pſ.* 108.

AD VESPERAS.

*Ant.* 6. CUm immundus ſpíritus exiérit de hómine, quærens réquiem & non invéniens, dicit: Revertar in domum meam unde exívi. *Luc.* 11.

*Ant.* 7. d. Et cùm vénerit, invenit eam ſcopis mundátam & ornátam. *Ibid.*

*Ant.* 8. c. Tunc vadit & aſsúmit ſeptem álios ſpíritus ſecum nequióres ſe, & ingreſſi hábitant ibi. *Ibid.*

*Ant.* 2. D. Et fiunt noviſſima hóminis illíus pejóra prióribus. *Ibid.*

*Ant.* 3. a. Mélius erat non cognóſcere viam juſtítiæ, quàm poſt agnitiónem retrorſùm converti. 2. *Petr.* 2.

*Capitulum.* 2. *Petr.* 2.

SI refugientes coinquinatiónes mundi in cognitióne Dómini noſtri & Salvatóris Jeſu Chriſti, his rursùs implicáti ſuperantur, facta ſunt eis poſterióra deterióra prióribus.

*Hymnus*, AUDI benigne. *ut ſuprà*, 144.

℣. In æternum non obliviscar justificatiónes tuas; ℟. Quia in ipsis vivificásti me. *Ps.* 118.

*Ad* Magnificat. *Ant.* 8. G. Extollens vocem quædam múlier de turba, dixit: Beátus venter qui te portávit, & úbera quæ suxísti. At Jesus dixit: Quinimmò beáti qui audiunt verbum Dei, & custódiunt illud. *Luc.* 11.

*Oratio, ut suprà ad Laudes.*

COMPLETORIUM, *ut in Psalterio.* 26.

## FERIA SECUNDA.

De libro Jósue.

*Lectio j.* Cap. 3.

EGréssus est pópulus de tabernáculis suis, ut transíret Jordánem; & sacerdótes qui portábant arcam fœderis, pergébant ante eum. Ingressíque eis Jordánem, & pédibus eórum in parte aquæ tinctis, (Jordánis autem ripas álvei sui témpore messis impléverat) stetérunt aquæ descendentes in loco uno, & ad instar montis intumescentes apparébant procul ab urbe quæ vocátur Adom usque ad locum Sarthan: quæ autem inferióres erant, in mare solitúdinis (quod nunc vocátur mórtuum) descendérunt, úsquequò omníno deficerent. Pópulus autem incedébat contra Jéricho; & sacerdótes qui portábant arcam fœderis Dómini, stabant super siccam humum in médio Jordánis accincti, omnísque pópulus per arentem álveum transíbat.

℟. Projícite. 130.

*Lectio ij.* Cap. 4.

* QUibus transgréssis, dixit Dóminus ad Jósue: Elige duódecim viros síngulos per síngulas tribus; & præcipe eis, ut tollant de médio Jordánis álveo, ubi stetérunt pedes sacerdótum, duódecim duríssimos lápides, quos ponétis in loco castrórum, ubi fixéritis hâc nocte tentória. Vocavitque Jósue duódecim viros quos elégerat de filiis Israël, síngulos de síngulis tríbubus; & ait ad eos: Ite ante arcam Dómini Dei vestri ad Jordánis médium, & portáte inde sínguli síngulos lápides in húmeris vestris, juxta número rum filiórum Israël, ut sit signum inter vos. * Et quando interrogáverint vos fílii vestri cras dicentes: Quid sibi volunt isti lápides? respondébitis eis: Defecérunt aquæ Jordánis ante arcam fœderis Dómini, cùm transíret eum: idcirco pósiti sunt lápides isti in monumentum filiórum Israel usque in æternum. Fecérunt ergo filii Israël, sicut præcépit eis Jósue, portantes de médio Jordánis álveo duódecim lápides, ut Dóminus ei imperârat, juxta número rum filiórum Israël, usque ad locum in quo castrametáti sunt, ibique posuérunt eos.

℟. Quasi columbæ. 140.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

*Lectio iij.* Cap. 4.

IN illo témpore; Ait Jesus ómnibus qui erant in Synagóga Názareth: Utique dicétis mihi hanc similitúdinem: Médice, cura teipsum; quanta

audívimus facta in Caphárnaüm, fac & hîc in pátria tua. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

*Lib. 4. in Luc. C. 4. n. 46.*

NOn mediócriter invídia próditur, quæ civícæ caritátis oblíta, in acerba ódia causas amóris inflectit. Simul hoc exemplo páriter & oráculo declarátur, quód frustrà opem misericórdiæ cœléstis expectes, si aliénæ frúctibus virtútis invídeas: aspernátor enim Dóminus invidórum est; & ab iis qui divina beneficia in áliis persequúntur, mirácula suæ potestátis avertit. Non otiósè itaque Salvátor excusat, quod nulla in pátria sua mirácula virtútis operátus sit; ne fortassis áliquis viliórem pátriæ nobis esse debére putáret affectum. Neque enim cives póterat non amáre, qui amáret omnes; sed ipsi se caritáte pátriæ, qui invident, abdicárunt.

℟. Propter te, Dómine, sustínui oppróbrium: opéruit confúsio faciem meam: * Extráneus factus sum frátribus meis, & peregrínus fíliis matris meæ; † Quóniam zelus domûs tuæ comédit me. ℣. Dicébat Jesus: Quia non est prophéta sine honóre nisi in pátria sua, & in domo sua & in cognatióne sua. * Extráneus factus sum. Glória Patri. † Quóniam zelus domûs tuæ. *Ps. 68. Marc. 6.*

*Ad* Benedictus. *Ant. 2.* D. Multi leprósi erant in Israël sub Elisæo prophéta; & nemo eórum mundátus est, nisi Náaman Syrus. *Luc. 4.*

*Oratio.*

PUrificet nos grátia tua, Deus; & per continéntiam salutáris jejúnii, ab omni semper iniquitáte custódiat; Per Dóminum.

*Ad* Magníficat. *Ant. 1. a.* Duxérunt Jesum usque ad supercílium montis, ut præcipitárent eum: ipse autem tránsiens per médium illórum, ibat. *Luc. 4.*

*Oratio.*

SUbvéniat nobis, Dómine, misericórdia tua, ut ab imminéntibus peccatórum nostrórum perículis, te mereámur protegente salvári; Per.

## FERIA TERTIA.

De libro Jósue.

*Lectio 1.* Cap. 5.

EO témpore ait Dóminus ad Jósue: Fac tibi cultros lapídeos, & circumcíde secundò fílios Israël. Fecit quod jússerat Dóminus, & circumcídit fílios Israel in colle præputiórum. Hæc autem causa est secundæ circumcisiónis: Omnis pópulus qui egréssus est de Ægypto géneris masculíni, universi bellatóres viri, mórtui sunt in desérto per longíssimos viæ circúitus; qui omnes circumcísi erant. Pópulus autem qui natus est in desérto, per quadraginta annos itíneris satíssimæ solitúdinis incircumcísus fuit; donec consúmerentur qui non audíerant vocem Dómini; & quibus antè juráverat ut non osténderet eis terram lacte & melle manántem. Horum fílii in locum succéssé-

runt patrum, & circumcísi sunt à Jósue; quia sicut nati fuerant, in præpútio erant, nec eos in via áliquis circumcíderat. Postquàm autem omnes circumcísi sunt, mansérunt in eódem castrórum loco, donec sanarentur. Dixitque Dóminus ad Josue: Hódie ábstuli oppróbrium Ægypti à vobis. Vocatumque est nomen loci illíus Gálgala usque in præséntem diem.

℟. Scimus 140.

*Lectio ij.*

* MAnseruntque filii Israel in Gálgalis, & fecérunt Phase quartâ-décimâ die mensis ad vésperum in campéstribus Jéricho: & comedérunt de frúgibus terræ die áltero, ázymos panes, & polentam ejusdem anni. Defecitque manna, postquàm comedérunt de frúgibus terræ, nec usi sunt ultrà cibo illo filii Israel; sed comedérunt de frúgibus præséntis anni terræ Chánaan. * Cùm autem esset Jósue in agro urbis Jéricho, levávit óculos, & vidit virum stantem contra se, evaginátum tenentem gládium; perrexitque ad eum, & ait: Noster es, an adversariórum? Qui respondit: Nequáquam, sed sum princeps exércitûs Dómini, & nunc vénio. Cécidit Jósue pronus in terram, & adórans ait: Quid Dóminus meus lóquitur ad servum suum? Solve, inquit, calceamentum tuum de pédibus tuis; locus enim in quo stas, sanctus est. Fecitque Jósue ut sibi fúerat imperátum.

℟. Tu, Dómine. 140.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

*Lectio iij.* Cap. 18.

IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Si peccáverit in te frater tuus, vade, & córripe eum inter te & ipsum solum. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

*Serm.* 82. *de verb. Evang. Matth.* 18. *n.* 4.

DEbémus amando corrípere, non nocendi aviditáte, sed stúdio corrigendi. Tales si fuérimus, óptimè fácimus quod hódie admóniti sumus: Si peccáverit in te frater tuus, córripe illum inter te & ipsum solum. Quare illum córripis? Quia tu doles quód peccáverit in te? Absit. Si amóre tuî id facis, nihil facis. Si amóre illíus facis, óptimè facis. Dénique in ipsis verbis attende, cujus amóre id fácere débeas; utrùm tuî, an illíus. Si te audíerit, inquit, lucrátus es fratrem tuum. Ergo propter illum fac, ut lucréris illum. Sic faciendo, lucráris: nisi feciísses, perírerat.

℟. Si peccáverit in te frater tuus, vade, & * Córripe eum inter te & ipsum solum: † Si te audíerit, lucrátus eris fratrem tuum. ℣. Qui córripit hóminem, grátiam póstea invéniet apud eum magis quàm ille qui per linguæ blandimenta décipit. * Córripe. Glória. † Si te audíerit. *Matth.* 18. *Prov.* 28.

*Ad* Benedíctus. *Ant.* 6. Ubi sunt duo vel tres congregáti in nómine meo, ibi sum in médio eórum. *Matth.* 18.

*Oratio.*

*Oratio.*

GRátiæ tuæ nobis, Dómine, præsens auxílium impende; ut, sacro nos purificante jejúnio, toto símus tibi corde subjecti, & in tua caritáte concordes; Per.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 1. a. Dómine, quóties peccábit in me frater meus, & dimittam ei? Usque sépties? Dixit illi Jesus: Non dico tibi usque sépties, sed usque septuágies sépties. *Matth.* 18.

*Oratio.*

DEus, qui Eccléfiam sponsam tuam, matrem nobis & magistram providísti: da fidélibus tuis in ipsíus doctrína & præceptis vocem tuam agnóscere; ut eórum infirmitas custodiátur ab omni circumventióne erróris, dum Eccléfiam Dei viventis áudiunt, columnam & firmamentum veritátis; Qui cum eódem Deo Patre vivis & regnas, &c.

## FERIA QUARTA, De libro Jósue.

*Lectio j.* Cap. 6.

JEricho clausa erat atque munita, timóre filiórum Israel; & nullus égredi audébat aut íngredi. Dixitque Dóminus ad Jósue: Ecce dedi in manu tua Jéricho, & regem ejus, omnesque fortes viros. Circuíte urbem cuncti bellatóres semel per diem; sic faciétis sex diébus. Séptimo autem die sacerdótes tollant septem búccinas quarum usus est in jubiléo, & præcédant arcam fœderis: septiesque circuíbitis civitátem; & sacerdótes clangent búccinis. Cùmque insonúerit vox tubæ lóngior atque concísior, & in áuribus vestris increpúerit, conclamábit omnis pópulus vociferatióne máximâ, & muri fúnditùs córruent civitátis; ingredienturque sínguli per locum contra quem stéterint.

℟. Jurávi. 140.

*Lectio ij.*

CUmque séptimo circúitu clángerent búccinis sacerdótes, dixit Jósue ad omnem Israel: Vociferámini; trádidit enim vobis Dóminus civitátem: sitque cívitas hæc anáthema, & ómnia quæ in ea sunt, Dómino. Sola Rahab méretrix vivat cum universis qui cum ea in domo sunt; abscondit enim núntios quos diréximus. Vos autem cavéte ne de his quæ præcepta sunt, quíppiam contingátis, & sitis prævaricatiónis rei, & ómnia castra Israel sub peccáto sint atque turbentur. Quidquid autem auri & argenti fúerit, & vasórum æneórum ac ferri, Dómino consecrétur, repósitum in thesauris ejus. Igitur omni pópulo vociferante, & clangéntibus tubis, postquàm in aures multitúdinis vox sonitúsque increpuit, muri íllico corruérunt: & ascendit unusquísque per locum qui contra se erat; ceperuntque civitátem, & interfecérunt ómnia quæ erant in ea.

℟. Pósuit. 140.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

*Lectio iij.* Cap. 15.

IN illo témpore; Accessérunt ad Jesum ab Jerosólymis Scribæ & Pharisæi, dicentes: Quare discípuli tui

transgrediuntur traditiónem seniórum ? Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbyteri.

*Lib. 2. in Matth. C. 15.*

MIra Pharisæórum Scribarumque stultítia! Dei Fílium árguunt, quare hóminum traditiónes & præcepta non servet : Non enim lavant manus suas, cùm panem mandúcant. Ipse autem respóndens, ait illis : Quare & vos transgredímini mandátum Dei propter traditiónem vestram ? Falsam calúmniam verâ respónsióne confútat. Præcéperat enim Dóminus, vel imbecillitátes, vel ætátes, vel penúrias parentum considerans, ut fílii honorárent, étiam in vitæ necessáriis minístrandis, parentes suos. Hanc providentíssimam Dei legem volentes Scribæ, & Pharisæi subvértere, ut impietátem sub nómine pietátis indúcerent, docuérunt péssimos fílios, ut si quis ea quæ paréntibus offerenda sunt, Dómino vovére volúerit qui verus est pater, oblátio Dei præponátur parentum munéribus ; vel certè ipsi parentes, quæ Deo consecráta cernébant, ne sacrilégii crimen incúrrerent, declinántes, egestáte conficiebantur. Atque ita fiébat, ut oblátio liberórum, sub occasióne templi & Dei, in sacerdótum lucra céderet.

℟. Quare transgredímini mandátum Dei propter traditiónem vestram ? * Nam † Deus dixit : Honóra patrem & matrem. ℣. Fili, súscipe senectam patris tui, & non contristes eum in vita illíus; * Nam. Glória Patri. † Deus. *Matth. 15. Eccli. 3.*

*Ad* Benedictus. *Ant.* 8. G. Cæcus si cæco ducátum præstet, ambo in fóveam cadunt, *Matth. 15.*

*Oratio.*

PRæsta nobis, quæsumus, Dómine, ut salutáribus jejúniis eruditi, à nóxiis quoque vítiis abstinentes ; propitiatiónem tuam faciliùs impetrémus ; Per Dóminum.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 7. a. De corde éxeunt cogitatiónes malæ, homicídia, adultéria : hæc sunt quæ coínquinant hóminem ; non lotis autem mánibus manducáre, non coínquinat hóminem. *Matth. 15.*

*Oratio.*

GRátia tua, nos, quæsumus, Dómine, non derelinquat, quæ & sacræ nos déditos fáciat servitúti, & tuam nobis opem semper acquírat ; Per Dóminum.

FERIA QUINTA.

De libro Jósue.

*Lectio 1.* Cap. 10

HAbitatóres Gábaon urbis obsessæ misérunt ad Jósue, qui tunc morabátur in castris apud Gálgalam, & dixérunt ei : Ne rétrahas manus tuas ab auxílio servórum tuórum : ascende cito, & líbera nos, ferque præsídium ; convenérunt enim adversùm nos omnes reges Amorrhæórum qui hábitant in montánis. Ascenditque Jósue de Gálgalis, & omnis exércitus bellatórum cum eo, viri fortíssimi. Dixitque Dóminus ad Jósue : Ne tímeas

eos; in manus enim tuas trádidi illos : nullus ex eis tibi resístere póterit. Irruit ítaque Jósue super eos repentè, totâ nocte ascendens de Gálgalis. Et conturbávit eos Dóminus à fácie Israel; contrivítque plagâ magnâ in Gábaon, ac persécutus est eos per viam ascensûs Beth-horon, & percússit usque Azeca & Máceda. Cùmque fúgerent fílios Israel, & essent in descensu Beth-horon, Dóminus misit super eos lápides magnos de cœlo usque ad Azeca; & mórtui sunt multò plures lapídibus grándinis, quàm quos gládio percússerant fílii Israel.

℟. Projícite. 139.

*Lectio ij.*

TUnc locútus est Jósue Dómino in die quâ trádidit Amorrhæum in conspéctu filiórum Israel, dixitque coram eis : Sol, contra Gábaon ne moveáris; & Luna, contra vallem Aíalon. Steteruntque sol & luna, donec ulciscerétur se gens de inimícis suis. Nonne scriptum est hoc in libro Justórum? Stetit ítaque sol in médio cœli, & non festinávit occúmbere spátio unius diéi. Non fuit ánteà nec póstea tam longa dies, obediente Dómino voci hóminis, & pugnante pro Israel. Reversúsque est Jósue cum omni Israel in castra Gálgalæ. Fúgerant enim quinque reges, & se abscónderant in spelunca urbis Máceda. * Nuntiatumque est Jósue, quód inventi essent quinque reges latentes in spelunca urbis Máceda. Qui præcépit sóciis, & ait : vólvite saxa ingéntia ad os spéluncæ, & pónite viros indústrios, qui clausos custódiant; vos autem nolíte stare, sed persequímini hostes, & extrémos quosque fugiéntium cædite : nec dimittátis eos úrbium suárum intráre præsídia, quos trádidit Dóminus Deus in manus vestras. Cæsis ergo adversáriis plagâ magnâ, & usque ad interneciónem penè consumptis, hi qui Israel effúgere potuérunt, ingressi sunt civitátes munítas. Reversúsque est omnis exércitus ad Jósue in Máceda ubi tunc erant castra, sani & íntegro número; nulluque contra fílios Israel mutíre ausus est.

℟. Quasi columbæ. 140.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

*Lectio iij.* Cap. 4.

IN illo témpore; Surgens Jesus de Synagóga introívit in domum Simónis. Socrus autem Simónis tenebátur magnis fébribus. Et réliqua.

Homília sancti Joannis Chrysóstomi.

*In Matth. Hom.* 28.

TEtigit Jesus manum ejus; nec fébrium tantùm ardóres extinxit, aut certa incolumitátis signa reduxit : verùm étiam prístinas córporum vires recuperáre íllico fecit; ut quando fácilis curátu ægrotátio videbátur, curandi modo virtus curantis ostenderétur. Nam id certè medendi artificium fácere non potest. Nemo quippe ignórat quàm longo témpore, postquàm febres cessavérunt, opus sit ad prístinum robur recuperan-

dum. Cuncta ígitur tunc símul facta sunt, quod & in mari páriter evenísse perpéndere póssumus : nam & ibi non ventos solùm ac tempestátes sedávit ; sed, quod inauditum omnino erat, fluctus étiam undasque statim compósuit. Nam etsi vis ventórum cessáverit, pérmanent tamen fluctus undárum diútius. Sed non ita hîc ; non enim natúrâ duce aut arte fiunt quæ à Christo fiunt, sed símul ómnia finem suum assequuntur ; quod subóstendit Evangelísta, dicens : Surrexit, & minístrábat illis. Id certè tam virtútem Christi supra hóminem significábat, quàm voluntátem mulíeris atque affectum erga Christum aperiébat.

℟. Socrus Simónis tenebátur magnis fébribus : & * Rogavérunt Jesum pro ea. Et † Imperávit febri, & dimísit illam. ℣. Deprecatiónem timéntium se Dóminus exáudiet. * Rogavérunt. Glória Patri. † Imperávit. *Luc.* 4. *Ps.* 144.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 8. G. Exíbant dæmónia à multis, clamántia, & dicéntia : Quia tu es Filius Dei. Et increpans, non sinébat ea loqui : quia sciébant ipsum esse Christum. *Luc.* 4.

*Oratio.*

COncéde, quæsumus, omnípotens Deus, ut jejuniórum sancta devótio, & purificatiónem nobis tríbuat, & majestáti tuæ nos reddat acceptos ; Per Dóminum.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 3. *a* Egressus Jesus ibat in desertum locum, & turbæ requirébant eum, & venérunt usque ad ipsum ; & detinébant illum, ne discéderet ab eis. *Luc.* 4.

*Oratio.*

DA, quæsumus, omnípotens Deus, ut qui infirmitátis nostræ cónscii de tua virtúte confídimus, sub tua semper virtúte gaudeámus ; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum, &c.

## FERIA SEXTA.

De libro Jósue.

*Lectio j.* Cap. 18.

COngregáti sunt omnes fílii Israel in Silo, ibíque fixérunt tabernáculum testimónii, & fuit eis terra subjecta. Remánserant autem filiórum Israel septem tribus, quæ necdum accéperant possessiónes suas. Ad quos Jósue ait : Usquequò marcétis ignávia, & non intrátis ad possídendam terram quam Dóminus Deus patrum vestrórum dedit vobis ? Elígite de síngulis tríbubus ternos viros, ut mittam eos, & pergant atque circúmeant terram, & describant eam juxta número uniúscujúsque multitúdinis ; referantque ad me quod descríperint. * Divídite vobis terram in septem partes : Judas sit in términis suis ab austráli plaga, & domus Joseph ab Aquilóne. Médiam inter hos terram in septem partes describite : & huc veniétis ad me, ut coram Dómino Deo vestro mittam vobis hîc sortem ; quia non est inter vos pars Levitárum, sed sacerdórium Dómini est eórum hæréditas. Gad autem &

Ruben, & dimídia tribus Manasse jam accéperant possessiónes suas trans Jordánem ad orientálem plagam, quas dedit eis Móyses famulus Dómini.

℟. Scimus. 140.

*Lectio ij.* Cap. 23.

EVolúto autem multo témpore, postquàm pacem déderat Dóminus Israéli, subjectis in gyro natiónibus universis, & Jósue jam longævo, & persenílis ætátis; vocávit Jósue omnem Israélem, majoresque natu, & príncipes, ac duces, & magistros, dixitque ad eos: Ego sénui, & progressióris ætátis sum; vosque cérnitis ómnia quæ fécerit Dóminus Deus vester cunctis per circúitum natiónibus, quómodò pro vobis ipse pugnáverit, & nunc quia vobis sorte divísit omnem terram ab orientáli parte Jordánis usque ad mare magnum: multæque adhuc supersunt natiónes: Dóminus Deus vester dísperdet eas, & áuferet à fácie vestra; & possidébitis terram, sicut vobis pollícitus est. Tantùm confortámini, & estóte solliciti, ut custodiátis cuncta quæ scripta sunt in volúmine legis Móysi; & non declinétis ab eis neque ad déxteram neque ad sinístram.

℟. Tu, Dómine. 140.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

*Lectio iij.* Cap. 4.

IN illo témpore; Venit Jesus in civitátem Samaríæ, quæ dicitur Sichar, juxta prædium quod dedit Jacob Joseph filio suo. Erat autem ibi fons Jacob. Jesus ergo fatigátus ex itínere, sedébat sic supra fontem. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

*In Joan. Tract.* 15. *n.* 11. *&* 12.

VEnit múlier de Samaría haurire aquam. Dicit ei Jesus: Da mihi bíbere. Vidétis alienígenas: omníno vásculis eórum Judæi non utebantur. Et quia ferébat secum múlier vásculum unde aquam hauríret, eò miráta est, quia Judæus petébat ab eâ bíbere, quod non solébant fácere Judæi. Ille autem qui bíbere quærébat, fidem ipsíus mulieris sitiébat. Dénique audi quis petat bíbere. Respondit Jesus, & dixit ei: Si scires donum Dei, & quis est qui dicit tibi, Da mihi bíbere, tu fórsitan petísses ab eo; & dedísset tibi aquam vivam. Petit bíbere, & promittit bíbere. Eget quasi acceptúrus, & áffluit tanquam satiatúrus. Si scires, inquit, donum Dei. Donum Dei est Spíritus sanctus. Sed adhuc mulíeri rectè lóquitur, & paulátim intrat in cor. Fortassis jam docet. Quid enim istâ hortatióne suávius & benígnius? Si scires donum Dei, & quis est qui dicit tibi, Da mihi bíbere; tu fórsitan péteres, & daret tibi aquam vivam.

℟. Omnis qui bibit ex aqua hac, sítiet íterùm: * Qui autem bíberit ex aqua quam ego dabo ei, non sítiet in æternum; sed † Aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æter-

nam. ℣. Appropiáte ad me, quid adhuc retardátis? ánimæ vestræ sítiunt vehementer. * Qui. Glória Patri. † Aqua. *Joan. 4. Eccli. 51.*

*Ad* Benedíctus. *Ant. 1. f.* Venit hora, & nunc est, quando veri adoratóres adorábunt Patrem in spíritu & veritáte. *Joan. 4.*

*Oratio.*

JEjúnia nostra, quæsumus, Dómine, benigno favóre proséquere; ut sicut ab alimentis abstinémus in córpore, ita à vítiis jejunémus in mente; Per Dóminum nostrum,

*Ad* Magníficat. *Ant. 8. c.* Spíritus est Deus; & eos qui adórant eum, in spíritu & veritáte oportet adoráre: nam & Pater tales quærit qui adórent eum. *Joan. 4.*

*Oratio.*

DEus, qui spíritus es, & eos qui te adórant, in spíritu & veritáte jubes adoráre: purífica, quæsumus, sancto amóre tuo corda nostra, ut te in omnibus, & super ómnia diligentes, sincérâ tibi pietáte placeámus; Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

SABBATO.

De libro Jósue.

*Lectio j.* Cap. 24.

DIxit Jósue ad pópulum: Non potéritis servíre Dómino; Deus enim sanctus & fortis æmulátor est, nec ignoscet sceléribus vestris atque peccátis. Si dimiséritis Dóminum, & serviéritis diis aliénis, convertet se, & affliget vos, atque subvertet, postquàm vobis præstíterit bona. Dixitque pópulus ad Jósue: Nequáquam ita ut lóqueris, erit; sed Dómino serviémus. Et Jósue ad populum: Testes, inquit, vos estis, quia ipsi elegéritis vobis Dóminum ut serviátis ei. Respondéruntque: Testes. Nunc ergo, ait, auférte deos aliénos de médio vestrî, & inclináte corda vestra ad Dóminum Deum Israel. Dixitque pópulus ad Jósue: Dómino Deo nostro serviémus, & obedientes érimus præceptis ejus. Percússit ergo Jósue in die illo fœdus, & propósuit pópulo præcepta atque judícia in Sichem. Scripsit quoque ómnia verba hæc in volúmine legis Dómini; & tulit lápidem pergrándem, posuitque eum subter quercum quæ erat in sanctuário Dómini; & dixit ad omnem pópulum: En lapis iste erit vobis in testimónium quòd audíerit ómnia verba Dómini quæ locútus est vobis; ne fortè póstea negáre velítis, & mentíri Dómino Deo vestro.

℟. Jurávi. 140.

*Lectio ij.*

DImisítque pópulum, síngulos in possessiónem suam. Et post hæc mórtuus est Jósue filius Nun servus Dómini, centum & decem annórum; sepeliéruntque eum in finibus possessiónis suæ in Thamnáthsare quæ est sita in monte Ephraïm, à septentrionáli parte montis Gaas. Servivítque Israel Dómino cunctis diébus Jósue, & seniórum qui longo vixérunt témpore

post Jósue, & qui novérunt ómnia ópera Dómini quæ fécerat in Israel. Ossa quoque Joseph, quæ túlerant filii Israel de Ægypto, sepeliérunt in Sichem in parte agri quem émerat Jacob à filiis Hemor patris Sichem centum novellis óvibus, & fuit in possessiónem filiórum Joseph. Eléazar quoque filius Aaron mortuus est; & sepeliérunt eum in Gábaath Phínees filii ejus, quæ data est ei in monte Ephraïm.

℟. Pósui. 140.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

*Lectio iij.* Cap. 8.

IN illo témpore; Jesus perrexit in montem Olivéti, & dilúculo ìterùm venit in templum; & omnis pópulus venit ad eum, & sedens docébat eos. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

*Enarr. in Psalm.* 50.

JUdæi ad Dóminum adúlteram mulíerem adduxérunt. In adultério, ínquiunt, hæc múlier deprehensa est; Móyses hujúsmodi lapidári jussit: tu de illa quid censes? tanquam bicípiti muscípulâ tentantes cápere Sapiéntiam Dei: ut si juberet occídi, pérderet mansuetúdinis famam; si autem jubéret dimitti, incúrreret, tanquam reprehensor legis, calúmniam. Quid ergo respondit? Non ait, Occídite; non ait, Dimíttite; sed ait, Qui se scit sine peccáto esse, primus in illam lápidem jáciat. Justa lex quæ jubet adúlteram occídi: sed hæc lex justa ministros hábeat innocentes. Atténditis quam adúcitis, atténdite & qui estis. Illi, hoc audíto, unus post álterum discessérunt. Remansit adúltera & Dóminus; remansit vulneráta & médicus; remansit magna miséria & magna misericórdia. Adducentes erubuérunt, nec véniam petivérunt: adducta confúsa est, & sanáta.

℟. Judæi dixérunt Jesu: Magister, hæc múlier modò deprehensa est in adultério. * Jesus dixit: * Qui sine peccáto est vestrûm, primus in illam lápidem mittat. † Audientes autem, unus post unum exibant. ℣. Impii vénient in cogitatióne peccatórum suórum tímidi; & tradúcent illos ex adverso iniquitátes ipsórum. * Jesus. Glória. † Audientes. *Joan.* 8. *Sap.* 4.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 3. c. Nemo te condemnávit; múlier? nec ergo te condemnábo; vade, & jam ámpliùs noli peccáre. *Joan.* 8.

*Oratio.*

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut dignitas conditiónis humánæ per immodérantiam sauciáta, medicinális parcimóniæ stúdio reformétur; Per Dominum.

## DOMINICA IV. QUADRAGESIMÆ.

### *IN VESPERIS Sabbati,*

*Psalmi & Ant. de Psalterio.*

*Capitulum* 2. Paral. 7.

SI conversus pópulus meus, super quos invocátum est nomen meum, deprecátus me fúerit, & exquisierit fáciem meam, & égerit pœniténtiam

â viis ſuis péſſimis ; & ego exáudiam de cœlo , & propítius ero peccátis eórum.

*Hymnus* , AUDI , benigne. *& ℣. ut ſuprà* , 144.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 5. C. Cùm Dóminus Júdices ſuſcitáret , in diébus eórum flectebátur míſericórdiâ , & audiébat afflictórum gémitus , & liberábat eos de cæde vaſtántium. *Judic.* 2.

*Non dicuntur Preces.*

*Oratio , ut infrà ad Laudes.*

COMPLETORIUM , *ut ſuprà.* 131. *ſine Precibus.*

AD OFFICIUM NOCT.

*Invit.* Veníte , * Revertámur ad Dóminum ; & ſanábit nos. *Oſée. 6.*

*Pſ.* 94. Veníte. 2.

*Hymnus* , Quod lex. *ut ſuprà* , 139.

*Pſalmi , Antiph. & ℣℣℣. ut in Pſalterio.*

*IN I. NOCTURNO.*

Incipit liber Júdicum.

*Lectio j.* Cap. 1.

POſt mortem Jóſue conſuluérunt filii Iſrael Dóminum , dicentes : Quis aſcendet ante nos contra Chananæum , & erit dux belli ? Dixitque Dóminus : Judas áſcendet ; ecce trádidi terram in manus ejus. Et ait Judas Simeóni fratri ſuo : Aſcende mecum in ſortem meam , & pugna contra Chananæum , ut & ego pergam tecum in ſortem tuam. Et ábiit cum eo Simeon. Aſcenditque Judas , & trádidit Dóminus Chananæum ac Pherezæum in manus eórum , & percuſsérunt in Bezec decem míllia virórum. Inveneruntque Adonibezec in Bezec , & pugnavérunt contra eum , ac percuſsérunt Chananæum & Pherezæum. Fugit autem Adonibezec ; quem perſecúti comprehendérunt , cæſis ſummitátibus mánuum ejus ac pedum. Dixitque Adonibezec : Septuaginta reges , amputátis mánuum ac pedum ſummitátibus , colligébant ſub menſa mea cibórum relíquias : ſicut feci , ita réddidit mihi Deus. Adduxeruntque eum in Jerúſalem , & ibi mórtuus eſt. Oppugnantes ergo filii Juda Jeruſalem , cepérunt eam , & percuſsérunt in ore gládii , tradentes cunctam incéndio civitátem.

℟. Jóſue & Caleb conſtitúti ſunt indúcere filios Iſrael in hæreditátem : * Et Júdices ſinguli ſuo nómine non averſi ſunt à Dómino , ut ſit memória illórum in benedictióne. ℣. Deus ſorte diſtribuit pátribus noſtris terram Chánaan , & poſt hæc dedit Júdices , uſque ad Sámuel Prophétam. * Et. *Eccli.* 46. *Act.* 13.

*Lectio ij.* Cap. 2.

FEceruntque filii Iſrael malum in conſpectu Dómini ; & ſerviérunt Báalim. Ac dimiſérunt Dóminum Deum patrum ſuórum , qui edúxerat eos de terra Ægypti ; & ſecúti ſunt deos aliénos , deoſque populórum qui habitábant in circúitu eórum , & adoravérunt eos : & ad iracúndiam concitavérunt Dóminum , dimittentes eum , & ſervientes Baal & Aſtaroth. Iratuſque Dóminus contra Iſrael , trádidit eos in manus diripiéntium ; qui cepérunt eos

& vendidérunt hóſtibus qui habitábant per gyrum : nec potuérunt reſiſtere adversáriis ſuis ; ſed quócumque pérgere voluiſſent , manus Dómini ſuper eos erat , ſicut locútus eſt , & jurávit eis : & vehementer afflícti ſunt. Suſcitavitque Dóminus Júdices qui liberárent eos de vaſtántium mánibus ; ſed nec eos audíre voluérunt , fornicantes cum diis aliénis , & adorantes eos.

℟. Ceſſavérunt fortes in Iſrael , donec ſúrgeret Débbora , ſúrgeret mater in Iſrael. * Nova bella elégit Dóminus, & portas hóſtium ipſe ſubvertit. ℣. Infirma mundi elégit Deus , ut confundat fórtia ; & ea quæ non ſunt , ut ea quæ ſunt deſtrúeret : * Nova bella. *Judic.* 5. 1. *Cor.* 1.

*Lectio iij.*

CItò deſeruérunt viam per quam ingreſſi fúerant patres eórum ; & audientes mandáta Dómini , ómnia fecére contrária. Cùmque Dóminus Júdices ſuſcitáret , in diébus eórum flectebátur miſericórdiâ , & audiébat afflictórum gémitus , & liberábat eos de cæde vaſtántium. Poſtquàm autem mórtuus eſſet Judex , revertebántur , & multò faciébant pejóra quàm fécerant patres eórum , ſequentes deos aliénos, ſervientes eis, & adorantes illos. Non dimiſérunt adinventiónes ſuas , & viam duríſſimam per quam ambuláre conſuevérunt. Iratuſque eſt furor Dómini in Iſrael , & ait : Quia írritum fecit gens iſta pactum meum quod pepigeram cum pátribus eórum , & vocem meam audíre contempſit , & ego non delébo gentes quas dimiſit Jóſue , & mórtuus eſt ; ut in ipſis expériar Iſrael , utrùm cuſtódiant viam Dómini , & ámbulent in ea , ſicut cuſtodiérunt patres eórum , an non. Dimíſit ergo Dóminus omnes natiónes has , & citò ſubvértere nóluit , nec trádidit in manus Jóſue.

℟. Defíciet tempus énarrantem de Gédeon , Sámuel , & Prophétis , qui * Per fidem vicérunt regna , operáti ſunt juſtítiam , † Adepti ſunt repromiſſiónes. ℣. Illi viri miſericórdiæ ſunt , quorum pietátes non defuérunt : ſemen eórum , & glória eórum non derelinquétur. * Per fidem vicérunt. Glória Patri. † Adepti ſunt repromiſſiónes. *Hebr.* 11. *Eccli.* 44.

*IN II. NOCTURNO.*

Sermo ſancti Joannis Chryſóſtomi.

*Homil.* 16. *ad populum Antiochenum.*

*Lectio iv.*

NOn hoc eſt expediviſſe jejúnium , ſi tempus prætériérimus ; ſed ſi tranſegérimus cum rectè factis. Hoc ſupputémus , ſi ſtudioſióres facti ſumus , ſi defectum áliquem noſtrum corréximus , ſi ablúimus crímina. Quod lucrum , ſi rectè factis carentes jejúnium tranſegérimus ? Si álius dicat : Totam jejunávi Quadragéſimam ; tu dic : Inimícum habébam , & conciliátus ſum ; habébam

detrahendi consuetúdinem, & déstiti: jurandi ténebar usu, & mos ímprobus mihi correctus est. Nulla mercatóribus utílitas, si magnam maris longitúdinem percúrrerint; sed si cum rerum cópia & multo mercimónio navigáverint. Nulla jejúnii nobis utílitas, si infructuósè ipsum tempus & témerè prætereámus. Si cibórum jejúnium jejunémus, prætéritis quadraginta diébus, præterit & jejúnium: si verò peccátis abstineámus, transácto jejúnio, illud rémanet, & contínuum erit: hinc nobis utílitas, & ante regnum cœlórum non parvas hîc reddes retributiónes.

℟. Sumus húmiles in universa terra hódie propter peccáta nostra; & * Nunc séquimur te in toto corde, & timémus te, & quærimus fáciem tuam, Dómine; ne confundas nos. ℣. Nos omnes aliquando conversáti sumus in desidériis carnis nostræ, facientes voluntátem carnis & cogitatiónum. * Nunc. *Dan.* 3. *Ephes.* 2.

*Lectio v.*

SIcut enim in nequítia vivens, & ante gehennam punítur, conscientiâ stimulátus; sic méritis abundans, & ante regnum magnâ fruétur lætítiâ, se bonâ spe pascens. Idcirco & Christus inquit: Iterùm vidébo vos, & gaudébitis; & gáudium vestrum nemo tollet à vobis. Breve verbum, sed multam habet consolatiónem. Quidnam tandem est. Nemo gáudium vestrum tollet? Rerum quælibet mundanárum fácilè infestári potest, nec stábilem nobis voluptátem affert: pietas autem & ánimi virtus è contra. Eleemosynam si féceris, méritum auferre potest nemo: sive exércitus, sive reges, sive infiníti calumniatóres, & insidiatóres instent úndique, in cœlis repósitam possessiónem auferre non possunt; sed pérenne pérmanet gáudium. Dispersit enim, inquit, dedit paupéribus; justítia ejus manet in séculum. Nec immérito: in cœlórum enim celláriis repósita sunt, ubi fur non pérfodit, latro non tollit, tínea non consúmit. Si preces fúderis contínuas & intentas, eárum fructum auferre póterit nemo: hic étenim fructus in cœlo radicátus est, ab omni calúmnia liber, & pérmanens inexpugnábilis. Si malè passus beneféceris, si convíciis affectus benedíxeris, hæc mérita contínuè manent, & ortam ex his lætítiam áuferet nemo; sed quotiescumque ipsórum recordátus fúeris, gaudes & lætáris, & multam capis voluptátem.

℟. Laudábitis nomen Dómini Dei vestri, qui fecit mirabília vobíscum; * Et sciétis quia ego Dóminus Deus vester, & non confundétur pópulus meus in æternum. ℣. Dóminum Christum sanctificáte in córdibus vestris, cum modéstia & timóre conscientiam habentes bonam; * Et sciétis. *Joel* 2. 1. *Petr.* 3.

*Lectio vj.*

SIc profectò, & fúgere juramentum si prævaleámus, & ab hac consuetúdine perni-

ciósa linguam nostram abstinére persuadéamus ; mériti quidem labor brevi absolvétur , lætítia verò mériti júgiter erit & indesinenter. Cæterùm vos , & aliórum præceptóres esse oportet & duces. Et amícos próximi , servos autem conservi , & júvenes coævos suscípere , & instítuere , & indúcere debent. Nonne si quis tibi áureum unum pro singulis homínibus correctis promisísset , omne stúdium adhibuísses , & assíduus astitísses persuádens & exhortans ? Nunc verò non áureum unum , neque decem , neque viginti , vel centum , vel mille , neque totam Deus terram tibi pollicétur in horum labórum retributiónem ; sed quod orbe toto majus est , hoc tibi præbet cœlórum regnum. Nec hoc solùm , verùm & áliud præter hoc. Quale verò hoc ? qui edúcit pretiósum à vili , sicut os meum erit , inquit. Quid huic posset esse par ad honóris & securitátis ratiónem ? Quæ verò nobis excusátio & vénia , post tantam promissiónem , proximórum salútem negligéntibus esse váleat ?

℟. Justítiam & judícia sua Deus ostendit homínibus ; & dixit illis : Atténdite ab omni iníquo ; * Et † Mandávit unicuíque de próximo suo. ℣. Hoc mandátum habémus à Deo , ut qui díligit Deum , díligat & fratrem suum ; * Et mandávit unicuíque. Glória Patri & Fílio. † Mandávit unicuíque de próximo suo. *Eccli.* 17. 1. *Joan.* 4.

*IN III. NOCTURNO.*

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

*Lectio vij.* Cap. 6.

IN illo témpore ; Abiit Jesus trans mare Galilææ , quod est Tiberíadis : & sequebátur eum multitúdo magna , quia vidébant signa quæ faciébat super his qui infirmabantur. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

*In Joan. Tract. 24. n. 1.*

MIrácula quæ fecit Dóminus noster Jesus Christus , sunt quidem divína ópera , & ad intelligendum Deum de visíbilibus ádmonent humánam mentem. Quia enim ille non est talis substántia quæ vidéri óculis possit ; & mirácula ejus quibus totum mundum regit , universámque creatúram administrat , assíduitáte viluérunt , ita ut penè nemo dignétur atténdere ópera Dei mira & stupenda in quólibet séminis grano : secundùm ipsam suam misericórdiam servávit sibi quædam quæ fáceret opportúno témpore præter usitátum cursum ordinemque natúræ ; ut non majóra , sed insólita videndo stupérent , quibus quotidiána vilúerant.

℟. Vidit turbam multam Jesus , & misértus est super eos ; quia * Erant sicut oves non habentes pastórem : & cœpit illos docére multa ; & eos qui curâ indigébant , sanábat. ℣. Misericórdia Dei super omnem carnem : qui misericórdiam habet , docet , & érudit quasi pastor gregem

ſuum. * Erant. *Marc. 6. Luc. 9. Eccli. 18.*

*Lectio viij.*

MAjus enim miráculum eſt gubernátio totíus mundi, quam ſaturátio quinque míllium hóminum de quinque pánibus. Et tamen hæc nemo mirátur; illud mirantur hómines, non quia majus eſt, ſed quia rarum eſt. Quis enim & nunc paſcit univerſum mundum, niſi ille qui de paucis granis ſégetes creat? Fecit ergo quómodò Deus: unde enim multíplicat de paucis granis ſégetes, inde in mánibus ſuis multiplicávit quinque panes. Poteſtas enim erat in mánibus Chriſti: panes autem illi quinque quaſi ſémina erant, non quidem terræ mandáta; ſed ab eo qui terram fecit, multiplicáta.

℟. Diſcubuérunt viri quaſi quinque míllia: & * Accépit Jeſus panes; & cùm grátias egiſſet, diſtríbuit diſcumbéntibus: ſimíliter & ex piſcibus quantùm volébant. ℣. Memóriam fecit mirabilium ſuórum miſéricors Dóminus: eſcam dedit timéntibus ſe. * Accépit. *Joan. 6. Pſ.* 110. *n.* 2.

*Lectio ix.*

HOc ergo admótum eſt ſénſibus, quò erigerétur mens; & exhíbitum óculis, ubi exercerétur intellectus: ut invisíbilem Deum per viſibília ópera mirarémur; & erecti ad fidem, & purgáti per fidem, étiam ipſum inviſibiliter vidére cuperémus, quem de rebus viſibílibus invisíbilem noſcerémus. Nec tamen ſufficit hæc intuéri in miráculis Chriſti. Interrogémus ipſa mirácula, quid nobis loquantur de Chriſto: habent enim, ſi intelligantur, linguam ſuam. Nam quia ipſe Chriſtus, Verbum Dei eſt; étiam factum Verbi, Verbum nobis eſt.

℟. Manducavérunt omnes, & ſaturáti ſunt: * Et diſcípuli ſuſtulérunt relíquias fragmentórum, duódecim cóphinos plenos. ℣. Comedérunt, & ſupérfuit juxta verbum Dómini: * Et diſcípuli ſuſtulérunt. Glória. *Repet.* ℟. Manducavérunt. *uſque ad* ℣. Comedérunt. *Marc. 6. 4. Reg.* 4.

AD LAUDES.

*Ant.* CUm vidiſſet Jeſus 1. f. quia multitúdo máxima venit ad eum, dixit ad Philippum: unde emémus panes ut mandúcent hi? *Joan. 6.*

*Ant.* 2. D. Hoc dicébat tentans eum: ipſe enim ſciébat quid eſſet facturus? *Ibid.*

*Ant.* 3. *a.* Ait autem ad diſcípulos ſuos: Fácite eos diſcúmbere per convívia quinquagénos. *Luc. 9.*

*Ant.* 4. *D.* Acceptis quinque panibus, & duóbus píſcibus, aſpíciens in cœlum, benedixit & fregit, & dedit diſcípulis panes. *Matth.* 14.

*Ant.* 8. G. Et cùm grátias egiſſet, diſtríbuit diſcumbéntibus: ſimíliter & ex píſcibus quantùm volébant. *Joan. 6.*

*Capitulum.* Tob. 12.

BEnedícite Deum cœli, & coram ómnibus vivéntibus confitémini ei; quia fecit vobíſcum miſericórdiam ſuam.

*Hymnus*, SOLEMNE, *ut ſuprà*, 140.

℣. Confiteantur Dómino miſericórdiæ ejus. ℟. Et mirabilia ejus filiis hóminum. *Pſ.* 106.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 1. g. Illi ergo hómines cùm vidiſſent quod Jeſus fécerat ſignum, dicébant: Quia hic eſt verè Prophéta qui ventúrus eſt in mundum. *Joan.* 6.

*Oratio.*

CONcéde, quæſumus, omnípotens Deus, ut qui ex mérito noſtræ actiónis affligimur, tuæ grátiæ conſolatióne reſpirémus; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs Sancti Deus, per ómnia ſécula ſeculórum. ℟. Amen.

AD PRIMAM.

*Ant.* Cùm vidiſſet.

AD TERTIAM.

*Ant.* Hoc dicébat.

*Capitulum.* Ezech. 34.

OVes meas paſcam, & in móntibus excelſis Iſrael erunt páſcua earum: ibi requieſcent in herbis viréntibus, & in páſcuis pínguibus paſcentur ſuper montes Iſrael. Ego paſcam oves meas, & ego eas accubáre fáciam, dicit Dóminus Deus.

℟. *br.* Tu das ómnium eſcam, Dómine, * In témpore opportúno. Tu das. ℣. Aperis tu manum tuam, & imples omne ánimal benedictióne, * In. Glória. Tu das. *Pſ.* 144.

℣. Dante te illis, cólligent: ℟. Aperiente te manum tuam, ómnia implebuntur bonitáte. *Pſ.* 103.

AD SEXTAM.

*Ant.* Ait autem.

*Capitulum.* Sap. 16.

CReatúra ómnium nutrícigrátiæ tuæ deſerviébat, ad volunrátem eórum qui a te deſiderábant; ut ſcirent filii tui quos dilexiſti, Dómine, quóniam non nativitátis fructus paſcunt hómines, ſed ſermo tuus hos qui in te crediderint, conſervat.

℟. *br.* Satiávit Dóminus * Animam inánem Satiávit. ℣. Et ánimam eſurientem ſatiávit bonis, * Animam inánem. Glória Satiávit. *Pſ.* 106.

℣. Dóminus facit judícium injúriam patiéntibus. ℟. Dat eſcam eſuriéntibus. *Pſ.* 145.

AD NONAM.

*Ant.* Et cùm grátias.

*Capitulum.* Deut. 30.

ABundáre te fáciet Dóminus Deus tuus in rerum ómnium largitáte: revertétur enim Dóminus, ut gáudeat ſuper te in ómnibus bonis, ſicut gavíſus eſt in pátribus tuis, ſi tamen audíeris vocem Dómini Dei tui, & cuſtodíeris præcepta ejus.

℟. *br.* Edent páuperes, * Et ſaturabuntur. Edent páuperes. ℣. Et laudábunt Dóminum, qui requírunt eum, * Et ſaturabuntur. Glória. Edent.

℣. Manducavérunt & adoravérunt: ℟. In conſpéctu ejus cadent omnes qui deſcendunt in terram. *Pſ.* 21.

AD II. VESPERAS.

*Ant.* 8. G. NOlíte ſolliciti eſſe quid manducétis. Quærite primùm regnum Dei, & hæc ómnia adjicientur vobis *Luc.* 11.

*Ant.* 7. a. Oculi Dómini ſine intermiſſióne, inſpicien-

tes in viis hóminum : non sunt absconsa testamenta per iniquitátem illórum. *Eccli.* 17.

*Ant.* 4. E. Pœnitentibus dedit viam justítiæ, & confirmávit deficientes sustinére, & destinávit illis sortem veritátis. *Ib.*

*Ant.* 5. C. Quàm magna misericórdia Dómini, & propitiátio illíus converténtibus ad se ! *Eccli.* 17.

*Ant.* 3. a. Benedícite sancti & húmiles corde Dómino quia éruit nos de inferno, & salvos fecit de manu mortis. *Dan.* 3.

*Capitulum.* Isaïæ 61.

SPíritus Dómini super me; ut consolárer omnes lugentes, & darem eis corónam pro cínere, óleum gáudii pro luctu, pállium laudis pro spíritu mœróris.

*Hymnus*, AUDI, 144.

℣. Bénedic ánima mea, Dómino, ℟. Qui replet in bonis desidérium tuum. *Ps.* 102.

*Ad* Magníf. *Ant.* 7. *d.* Jesus cùm cognovísset quia ventúri essent ut ráperent eum & fácerent eum regem, fugit íterum in montem ipse solus. *Joan.* 6.

*Oratio, ut suprà ad Laudes.*

COMPLETORIUM, *ut in Psalterio* 26.

## FERIA SECUNDA.

De libro Júdicum.

*Lectio* 1. Cap. 4.

ADdidérunt fílii Israel fácere malum in conspectu Dómini post mortem Aod, & trádidit illos Dóminus in manus Jabin regis Chánaan, qui regnávit in Asor : habuitque ducem exércitûs sui, nómine Sísaram; ipse autem habitábat in Hároseth géntium. Clamáveruntque fílii Israel ad Dóminum; nongentos enim habébat falcátos currus, & per viginti annos vehementer oppréssérat eos. Erat autem Débbora Prophétis uxor Lápidoth, quæ judicábat pópulum in illo témpore. Et sedébat sub palma, quæ nómine illíus vocabátur, inter Rama & Bethel, in monte Ephraïm : ascendebántque ad eam fílii Israel in omne judícium. Quæ misit & vocávit Barac fílium Abínoem de Cedes Néphtali, dixitque ad eum: Præcépit tibi Dóminus Deus Israel, vade, & duc exércitum in montem Thabor; tollesque tecum decem míllia pugnatórum de fíliis Néphtali & de fíliis Zabulon : ego autem addúcam ad te in loco torréntis Císon Sísaram príncipem exércitûs Jabin, & currus ejus, atque omnem multitúdinem; & tradam eos in manu tua.

℟. Projícite. 139.

*Lectio* 2.

DIxitque Débbora ad Barac: Surge, hæc est enim dies in qua trádidit Dóminus Sísaram in manus tuas; en ipse ductor est tuus. Descendit itaque Barac de monte Thabor, & decem míllia pugnatórum cum eo. Perterruítque Dóminus Sísaram, & omnes currus ejus, universámque multitúdinem in ore gládii ad conspéctum Barac; in tantùm ut Sísara de curru desíliens, pédibus fúgeret, & Barac persequerétur fugientes currus, & exércitum usque ad Hároseth géntium, & omnis hóstium multitúdo usque ad interneciónem cáderet. Sísara autem

fugiens, pervénit ad tentórium Jahel uxóris Haber Cinæi. Erat enim pax inter Jabin regem Asor, & domum Haber Cinæi. * Egressa ígitur Jahel in occúrsum Sisaræ, dixit ad eum: Intra ad me, dómine mi; intra, ne tímeas. Qui ingréssus tabernáculum ejus, & opértus ab ea pállio, dixit ad eam: Da mihi, óbsecro, páululùm aquæ, quia sítio valde. Quæ apéruit utrem lactis, & dedit ei bíbere, & opéruit illum. Dixitque Sísara ad eam: Sta ante óstium tabernáculi; & cùm vénerit áliquis intérrogans te, & dicens: Numquid hîc est áliquis? respondébis: Nullus est. Tulit ítaque Jahel uxor Haber clavum tabernáculi, assúmens páriter & málleum; & ingréssa abscónditè & cum siléntio, pósuit supra tempus cápitis ejus clavum, percussúmque málleo defixit in cérebrum usque ad terram: qui sopórem morti consócians, defécit & mórtuus est.

℟. Quasi columbæ. 140.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

*Lectio iij.* Cap. 2.

IN illo témpore; Propè erat Pascha Judæórum, & ascendit Jesus Jerosólymam: & invénit in templo vendentes boves, & oves, & columbas, & numulários sedentes. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Episcopi.

*In Joan. Tract.* 10. *n.* 4.

QUid audívimus, fratres? Ecce templum illud figúra adhuc erat; & ejécit inde Dóminus omnes qui sua quærébant, qui ad núndinas vénerant. Et quæ ibi vendébant illi? Quæ opus habébant hómines in sacrificiis illíus témporis. Non ergo magnum peccátum, si hoc vendébant in templo, quod emebátur ut offerrétur in templo; & tamen ejécit inde illos. Quid, si ibi ebriósos inveníret, quid fáceret Dóminus; si vendentes ea quæ lícita sunt, & contra justítiam non sunt (quæ enim honestè emuntur, non illícitè venduntur) expulit tamen, & non est passus domum oratiónis fieri domum négotiatiónis?

℟. Dixit Jesus his qui columbas vendébant: * Auferte ista hinc, & † Nolíte fácere domum Patris mei, domum negotiatiónis. ℣. Numquid ergo spelunca latrónum facta est domus ista? Ego, ego sum: ego vidi, dicit Dóminus: * Auferte. Glória. † Nolíte. *Joan.* 2. *Jerem.* 7.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 6. Cùm esset Jesus Jerosólymis in Pascha in die festo, multi credidérunt in nómine ejus, vidéntes signa ejus quæ faciébat. *Joan.* 2.

*Oratio.*

DA, quæsumus, omnípotens Deus, ut sacro nos purificante jejúnio, sincéris méntibus ad sancta ventúra fácias pervenire; Per.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 7. *d.* Jesus non credébat semetipsum eis, eò quòd ipse nosset omnes, & quia opus ei non erat ut quis testimónium perhibéret de hómine: ipse enim

sciébat quid esset in hómine. *Joan.* 2.

*Oratio.*

DEprecatiónem nostram, quæsumus, Dómine, benignus exaudi: & quibus supplicandi præstas affectum, tribue defensiónis auxilium; Per Dóminum.

FERIA TERTIA.

De libro Júdicum.

*Lectio j.* Cap. 6.

VEnit Angelus Dómini, & sedit sub quercu quæ erat in Ephra, & pertinébat ad Joas patrem famíliæ Ezri. Cùmque Gédeon fílius ejus excúteret atque purgáret frumenta in torculári, ut fúgeret Mádian, appáruit ei Angelus Dómini, & ait: Dóminus tecum, virórum fortíssime. Dixitque ei Gedeon: Obsecro, mi Dómine, si Dóminus nobíscum est, cur apprehendérunt nos hæc ómnia? Ubi sunt mirabília ejus quæ narravérunt patres nostri, atque dixérunt: De Ægypto eduxit nos Dóminus? Nunc autem derelíquit nos Dóminus, & trádidit in manu Mádian. * Respexitque ad eum Dóminus, & ait: Vade in hac fortitúdine tua, & liberábis Israel de manu Mádian: scito quòd míserim te. Qui respondens, ait: Obsecro, mi Dómine, in quo liberábo Israel? Ecce família mea ínfima est in Manásse, & ego mínimus in domo patris mei.

℟. Scimus. 140.

*Lectio ij.* Cap. 7.

INgressúsque est Gédeon, & trecenti viri qui erant cum eo in partem castrórum, incipiéntibus vigíliis noctis médiæ; & custódibus suscitátis, cœpérunt búccinis clángere, & complódere inter se lagénas. Cúmque per gyrum castrórum in tribus personárent locis, & hydrias confregíssent, tenuérunt sinístris mánibus lámpades, & dextris sonantes tubas, clamaverúntque: Gládius Dómini, & Gedeónis; stantes sínguli in loco suo per circúitum, castrórum hostílium. Omnia itaque castra turbáta sunt, & vociférantes ululantesque fugérunt; & nihilóminus insistébant trecenti viri búccinis personantes. Immísitque Dóminus gládium in ómnibus castris, & mútuâ se cæde truncábant.

℟. Tu, Dómine, 140.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

*Lectio iij.* Cap. 7.

IN illo témpore; Jam die festo mediante, ascendit Jesus in templum, & docébat. Et mirabantur Judæi, dicentes: Quómodò hic lítteras scit, cùm non didícerit? Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

*In Joan. Tract.* 29. n. 6.

SI quis volúerit voluntátem ejus fácere, cognoscet de doctrina. Quis nésciat hoc esse fácere voluntátem Dei, operári opus ejus, id est, quod illi placet? Ipse autem Dóminus apertè álio loco dicit: Hoc est opus Dei, ut credátis in eum quem ille mísit. Ut credátis in eum, non ut credátis ei. Nam & dæmones credébant ei, & non credébant in

eum

cum. Rursus étiam de Apóstolis ipsius póssimus dícere Crédimus Paulo, sed non crédimus in Paulum: crédimus Petro: sed non crédimus in Petrum. Credenti enim in eum qui justificat ímpium, deputátur fides ejus ad justitiam. Quid est ergo, Crédere in eum? Credendo amáre, credendo diligere, credendo in eum íre, & ejus membris incorporári? Ipsa est ergo fides quam de nobis éxigit Deus: & non ínvenit quod éxigat, nisi donáverit quod invéniat. Quæ fides, nisi quam definívit álio loco Apóstolus plenissimè, dicens: Neque circumcísio áliquid valet, neque præpútium, sed fides quæ per dilectiónem operátur. Non qualiscumque fides, sed fides quæ per dilectiónem operátur: hæc in te sit, & intélliges de doctrína Dei. Quid enim intélliges? Quia doctrína ilta non est mea; sed ejus qui misit me; id est, Intélliges quia Christus Fílius Dei, qui est doctrína Patris, non est ex seipso, sed Fílius est Patris.

℟. Dixit Jesus Judæis: Mea doctrína non est mea, sed ejus qui misit me: * Si quis volúerit voluntátem ejus fácere, cognoscet de doctrína utrùm ex Deo sit, an ego à meipso loquar. ℣. Omnis sapiéntia à Dómino Deo est, & præbuit illam diligéntibus se: * Si quis. Glória Patri. * Si quis. *Joan. 7. Eccli. 1.*

*Ad* Benedictus. *Ant.* 8. *G.* Clamábat Jesus in templo, dicens: Et me scitis, & unde sim scitis; & à meipso non veni. *Joan. 7.*

MIR. *Pars Verna.*

*Oratio.*

DA, quæsumus, Dómine: pópulis Christiánis quod profitentur agnóscere, & ágnitum dignis pœniténtiæ fructibus adipísci; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia sécula seculórum. ℟. Amen.

*Ad* Magnificat. *Ant.* 1. g. Quærébant eum apprehéndere; & nemo misit in illum manus, quia nondum vénerat hora ejus. *Joan. 7.*

*Oratio.*

MIserére, Dómine, pópulo tuo; & contínuis tribulatiónibus laborántem propítius respíráre concéde; Per Dóminum nostrum.

## FERIA QUARTA.

De libro Júdicum.

*Lectio j.* Cap. 11.

FUit illo témpore Jephte Galaadites vir fortíssimus atque pugnátor, fílius mulíeris meretrícis, qui natus est de Gálaad. Hábuit autem Gálaad uxórem de qua suscépit fílios; qui postquam créverant, ejecérunt Jephte, dicentes: Hæres in domo patris nostri esse non póteris, quia de áltera matre natus es. Quos ille fúgiens atque devítans, habitávit in terra Tob. Congregatíque sunt ad eum viri ínopes, & latrocinantes, & quasi príncipem sequebantur. In illis diébus pugnábant fílii Ammon contra Israel. Quibus ácriter instántibus, perrexérunt majóres natu de Gálaad, ut tóllerent in auxí-

lium suî Jephte de terra Tob ; dixeruntque ad eum : Veni, & esto princeps noster, & pugna contra filios Ammon. Quibus ille respondit : Nonne vos estis qui odistis me, & ejecistis de domo patris mei ? & nunc venistis ad me necessitáte compulsi. Dixeruntque príncipes Gálaad ad Jephte : Ob hanc ígitur causam nunc ad te venímus, ut proficiscáris nobiscum, & pugnes contra filios Ammon, sisque dux ómnium qui hábitant in Gálaad. Jephte quoque dixit eis : Si verè venistis ad me, ut pugnem pro vobis contra filios Ammon, tradideritque eos Dóminus in manus meas, ego ero vester princeps ? Qui respondérunt ei : Dóminus qui hæc audit, ipse mediátor ac testis est quod nostra promissa faciémus.

℟. Jurávi & státui custodíre judícia justítiæ. 140.

*Lectio ij.*

FActus est ergo super Jephte Spíritus Dómini, & circúiens Gálaad & Manasse, Maspha quoque Gálaad, & inde tránsiens ad filios Ammon, votum vovit Dómino, dicens : Si tradideris filios Ammon in manus meas, quicumque primus fuerit egréssus de fóribus domûs meæ, mihique occúrrerit revertenti cum pace à filiis Ammon, eum holocaustum ófferam Dómino. Transivitque Jephte ad filios Ammon, ut pugnáret contra eos, quos trádidit Dóminus in manus ejus. Percussítque ab Aroer usque dum vénias in Mennith, viginti civitátes, & usque ad Abel quæ est víneis cónsita, plagâ magnâ nimis ; humiliátique sunt filii Ammon à fíliis Israel. * Revertente autem Jephte in Maspha domum suam, occurrit ei unigénita filia sua cum tympanis & choris ; non enim habébat álios líberos. Quâ vîsâ, scidit vestimenta sua, & ait : Heu me ! filia mea, decepísti me, & ipsa decepta es : apérui enim os meum ad Dóminum, & áliud fácere non pótero. Cui illa respondit : Pater mi, si aperuísti os tuum ad Dóminum, fac mihi quodcumque pollícitus es, concessâ tibi ultióne atque victória de hóstibus tuis. Dixitque ad patrem : Hoc solùm mihi præsta, quod déprecor : Dimitte me ut duóbus ménsibus circumeam montes, & plangam virginitátem meam cum sodálibus meis. Cui ille respondit : Vade. Et dimísit eam duóbus ménsibus. Cùmque abiísset cum sóciis ac sodálibus suis, flebat virginitátem suam in móntibus. Expletísque duóbus ménsibus, reversa est ad patrem suum, & fecit ei sicut vóverat, quæ ignorábat virum. Exinde mos increbuit in Israel, & consuetúdo servàta est, ut post anni círculum convéniant in unum filiæ Israel, & plangant filiam Jephte Galaadítæ diébus quátuor.

℟. Pósui. 140.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

*Lectio iij.* Cap. 9.

IN illo témpore ; Prætériens Jesus, vidit hóminem cæcum à nativitáte. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

*In Joan. Tract. 44. n. 1. & 2.*

GEnus humánum est iste cæcus; hæc enim cæcitas cóntigit in primo hómine per peccátum, de quo omnes óriginem dúximus, non solùm mortis, sed étiam iniquitátis. Si enim cæcitas est infidélitas, & illuminátio fides; quem fidélem, quando venit Christus ínvenit? Quandóquidem Apóstolus natus in gente Prophetárum, dicit: Fúimus & nos aliquando natúrâ fílii iræ, sicut & céteri. Si fílii iræ; fílii vindictæ, fílii pœnæ, fílii gehennæ. Quómodò natúrâ, nisi quia peccante primo hómine, vítium pro natúrâ inolévit: Si vítium pro natúrâ inolévit, secundùm mentem omnis homo cæcus natus est. Si enim videt, non opus habet ductóre: si opus habet ductóre & illuminatóre, cæcus est ergo à nativitáte. Venit Dóminus: éxpuit in terram, de salíva sua lutum fecit; quia Verbum caro factum est: & inunxit óculos cæci. Inunctus erat, & nondum vidébat. Misit illum ad piscínam quæ vocátur Síloë, quod interpretátur Missus. Lavit óculos in ea: baptizátus est in Christo. Audístis grande mystérium. Catechúmenus inunctus est, nondum lotus. Sed unde inunctus? Credit in Christum. Quid dixi de sputo & luto? Quia Verbum caro factum est. Sed Catechúmenis non súfficit ad quod inuncti sunt: festínent ad lavácrum, si lumen inquírunt.

℟. Expuit Jesus in terram, fecit lutum, linívit óculos cæci, & dixit ei: * Vade, lava. † Abiit, & lavit, & venit videns. ℣. Hæc dicit Dóminus Deus: Ducam cæcos in viam quam nésciunt; ponam ténebras coram eis in lucem. * Vade. Glória Patri. † Abiit. *Joan. 9. Is. 42.*

*Ad* Benedictus. *Ant.* 4. a. A sæculo non est audítum, quia quis apéruit óculos cæci nati. Nisi esset hic à Deo, non póterat fácere quidquam. *Joan. 9.*

*Oratio.*

DA quæsumus, fámulis tuis, Dómine, spíritum novum, & Eccléstæ tuæ ánnue jejúniis, ut ad superni lúminis claritátem, & regenerandi óculos apériant, & renáti semper incédant; Per.

*Ad* Magnificat. *Ant.* 3. a. Cùm invenísset Jesus hóminem qui fúerat cæcus, dixit ei: Tu crédis in Filium Dei? At ille ait: Credo, Dómine. Et prócidens adorávit eum. *Joan. 9.*

*Oratio.*

DA nobis, quæsumus, Dómine, perseverántem in tua voluntáte famulátum; ut in diébus nostris, & mérito, & número, pópulus tibi serviens augéatur; Per.

FERIA QUINTA.

De libro Júdicum.

*Lectio j.* Cap. 13.

RUrsum filii Israel fecérunt malum in conspéctu Dómini, qui trádidit eos in manus Philistinórum quadraginta annis. Erat autem quidam vir de Sáraa,

& de stirpe Dan, nómine Mánue, habens uxórem stérilem. Cui appáruit Angelus Dómini, & dixit ad eam : Stérilis es, & absque líberis ; sed concípies, & páries filium. Cave ergo ne bibas vinum ac síceram, nec immundum quidquam cómedas ; quia concípies & páries filium, cujus non tanget caput novácula : erit enim Nazaræus Dei ab infántia sua, & ex matris útero ; & ipse incípiet liberáre Israel de manu Philistinórum. * Quæ cùm venísset ad maritum suum, dixit ei : Vir Dei venit ad me, habens vultum angélicum, terríbilis nimis. Quem cùm interrogássem, quis esset, & unde venísset, & quo nómine vocarétur, nóluit mihi dícere ; sed hoc respondit : Ecce concípies & páries filium : cave ne vinum bibas nec síceram, & ne áliquo vescáris immundo ; erit enim puer Nazaræus Dei ab infántia sua, ex útero matris suæ usque ad diem mortis suæ. Orávit ítaque Mánue Dóminum, & ait : Obsécro, Dómine ; ut vir Dei quem misísti, véniat íterum, & dóceat nos quid debeámus fácere de púero qui nascitúrus est. Exaudivitque Dóminus deprecántem Mánue.

℟. Projícite. 139.

*Léctio ij.*

ET nesciébat Mánue quòd Angelus Dómini esset. Dixitque ad eum : Quod est tibi nomen ; ut, si sermo tuus fúerit explétus, honorémus te ? Cui ille respondit : Cur quæris nomen meum, quod est mirábile ? Tulit ítaque Mánue hædum de capris & libamenta, & pósuit super petram, ófferens Dómino qui facit mirabília ; ipse autem & uxor ejus intuebantur. Cùmque ascénderet flamma altáris in cœlum, Angelus Dómini páriter in flamma ascendit. Quod cùm vidíssent Mánue & uxor ejus, proni cecidérunt in terram, & ultrà eis non appáruit Angelus Dómini. Statimque intellexit Mánue Angelum Dómini esse, & dixit ad uxórem suam : Morte moriémur, quia vídimus Deum. Cui respondit múlier : Si Dóminus nos vellet occídere, de mánibus nostris holocaustum & libamenta non suscepísset ; nec ostendísset nobis hæc ómnia, neque ea quæ sunt ventúra dixíssset. Péperit ítaque fílium, & vocávit nomen ejus, Samson. Crevitque puer, & benedixit ei Dóminus. Cœpitque Spíritus Dómini esse cum eo.

℟. Quasi columbæ. 140.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

*Léctio iij.* Cap. 7.

IN illo témpore ; Ibat Jesus in civitátem quæ vocátur Naïm ; & ibant cum eo discípuli ejus, & turba copiósa. Cùm autem appropinquáret portæ civitátis, ecce defunctus efferebátur filius únicus matris suæ. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

*Lib. 5. Comm. in Luc. n. 90.*

AUdito Dei verbo, steterunt acerbi illius funeris portitóres, qui corpus humá-

núm lethâli fluxu natúræ materiális urgébant. Quid enim áliud, nisi quasi in quodam féretro, hoc est supremi fúneris instrumento, jacémus exánimes; cùm vel ignis immódicæ cupiditátis exæstuat, vel frígidus humor exundat, vel pigrâ quâdam terréni córporis habitúdine vigor hebetátur animórum, vel concrétâ nostér spíritus labe, puræ lucis vácuus, mentem alit? Hi sunt nostri fúneris portitóres. Sed quamvis supréma mortis spem vitæ omnis aboléverint, & túmulo próxima córpora jáceant defunctórum, verbo tamen Dei jam moritúra resúrgunt cadávera, vox redit, rédditur filius matri, revocátur à túmulo, erípitur à sepulcro. Quis est iste túmulus tuus, nisi mali mores? Túmulus tuus perfídia est, sepulcrum tuum guttur est: sepulcrum enim patens est guttur eórum, unde verba mórtua proferuntur. Ab hoc sepulcro te líberat Christus: ab hoc túmulo resúrges, si áudias verbum Dei. Et si grave peccátum est, quod pœniténtiæ tuæ lácrymis ipse lavâre non possis, fleat pro te mater Eccléfia, quæ pro síngulis tanquam pro únicis fíliis vídua mater intérvenit. Compátitur enim quodam spirituáli dolóre natúræ, cùm suos líberos lethálibus vítiis ad mortem cernit urgéri.

℟. Defunctus efferebátur filius únicus matris suæ; & hæc vídua erat. Quam cùm vidísset * Dóminus, misericórdiâ motus super eam, † Dixit illi: Noli flere. ℣. Non despíciet Dóminus víduam, si effúndat loquélam gémitûs. * Dóminus. Glória. † Dixit. *Luc.* 7. *Eccli.* 35.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 1. D. Tétigit lóculum Jesus, & ait: Adolescens, tibi dico, surge. Et resédit qui erat mórtuus, & cœpit loqui. Et dedit illum Matri suæ. *Luc.* 7.

*Oratio.*

MOveant pietátem tuam, misericors Deus, afflictæ Eccésiæ preces & lácrymæ: & ejus filios in morte peccáti jacentes, ad vitam tuâ virtúte revocáre dignéris; Per Dóminum.

*Ad* Magníficat *Ant.* 4. E. Magnificábant Deum, dicentes: Quia Prophéta magnus surrexit in nobis, & quia Deus visitávit plebem suam. *Luc.* 7.

*Oratio.*

DA nobis, misericors Deus, in jejúnii humilitáte prostrátis ut nobis non váleat carnis infirmitas dominári; quia, si vis, potes nostri citius misereri, ut spirituália cogitémus, & concupiscéntias carnis, te adjuvante, vincámus; Per Dóminum.

## FERIA SEXTA.

### De libro Júdicum.

*Lectio j.* Cap. 16.

SAmson cùm apprehendíssent Philísthiim, statim eruérunt óculos ejus, & duxérunt Gazam vinctum caténis, & clausum in cárcere mólere fecérunt. Jamque capilli ejus renasci cœperant; & príncipes Philisthinórum convenérunt in unum, ut immolárent hóstias magníficas Da-

gon deo suo, & epularentur, dicentes: Trádidit deus noster inimícum nostrum Samson in manus nostras. Quod étiam pópulus vidéns, laudábat deum suum, eademque dicébat: Trádidit deus noster adversárium nostrum in manus nostras, qui delévit terram nostram, & occídit plúrimos. Lætantesque per convívia, sumptis jam épulis, præcepérunt ut vocarétur Samson, & ante eos lúderet.

℟. Scimus. 140.

*Lectio ij.*

QUi adductus de cárcere, ludébat ante eos; fecerúntque eum stare inter duas columnas. Qui dixit púero regénti gressus suos: Dimitte me, ut tangam columnas quibus omnis imminet domus, & recliner super eas, & páululùm requiéscam. Domus autem erat plena virórum ac mulíerum: & erant ibi omnes príncipes Philisthinórum, ac de tecto & solário circíter tria millia utriúsque sexûs, spectántes ludéntem Samson. * At ille, invocáto Dómino, ait: Dómine Deus, memento meî, & redde mihi nunc fortitúdinem prístinam, Deus meus; ut ulcíscar me de hóstibus meis, & pro amissióne duórum lúminum unam ultiónem recípiam. Et apprehéndens ambas columnas quibus innitebátur domus, alteramque eárum déxterâ, & álteram lævâ tenens, ait: Moriátur ánima mea cum Philísthiim. Concussísque fórtiter columnis, cécidit domus super omnes príncipes, & céteram multitúdinem quæ ibi erat: multòque plures interfécit móriens, quam antè vivus occíderat.

℟. Tu, Dómine. 140.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

*Lectio iij.* Cap. 11.

IN illo témpore; Erat quídam languens Lázarus à Bethánia, de castello Maríæ & Marthæ soróris ejus. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Episcopi.

*Serm. 98. de verb. Ev. n. 5.*

VIdéte genus resuscitatiónis. Procéssit de monuménto vivus, & ambuláre non póterat. Et Dóminus ad discípulos: Sólvite eum, & sínite abíre. Ille suscitávit mórtuum, illi solvérunt ligátum. Aliquid pertinére vidéte ad própriam majestátem Dei suscitántis. Increpátur áliquis in mala consuetúdine pósitus, verbo Veritátis. Quàm multi increpantur, & non áudiunt! Quis ergo agit intùs cum illo qui audit? Quis vitam inspírat intrínsecùs? Quis est qui secrétam pellit mortem, secrétam dat vitam? Nonne post objurgatiónes, post increpatiónes dimittuntur hómines cogitatiónibus suis, & incípiunt secum vólvere quàm malam vitam gerant, quàm péssimâ consuetúdine premantur? Deindè displicéntes sibi, mutáre vitam instítuunt. Resurrexérunt isti; revixérunt quibus displicet quod fuérunt: sed reviviscéntes ambuláre non possunt. Hæc sunt víncula ipsíus reátus. Opus est

ergo, ut qui revixit, solvátur, & ire permittátur. Hoc officium discípulis dedit quibus ait: Quæ solvéritis in terra, solúta sunt & in cœlo.

℟. Ego sum resurréctio & vita. * Qui credit in me, etiamsi mórtuus fúerit, vivet: & † Omnis qui vivit, & credit in me, non moriétur in ætérnum. ℣. Edúcam vos de sepulcris vestris, & sciétis quia ego Dóminus. * Qui crédit. Glória, † Omnis. *Joan.* 11. *Ezech.* 37.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 1. a. Pródiit qui fuérat mórtuus, ligátus pedes & manus ínstitis; & fácies illíus sudário erat ligáta. Dixit eis Jesus: Sólvite eum, & sínite abíre. *Joan.* 11.

*Oratio.*

EXaudi nos, Dómine, per contínua jejúnia, tuam pro peccatóribus misericórdiam deprecantes; ut voce tuâ intériùs à morte excitáti, à peccatórum vínculis liberentur; Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

*Ad* Magnificat. *Ant.* 1. f. Multi ex Judæis qui vénerant ad Maríam & Martham, & víderant quæ fecit Jesus, credidérunt in eum *Joan.* 11.

*Oratio.*

DEus, humílium consolátor, & fidélium fortitúdo, propítius adesto précibus supplicántium; ut humána fragílitas quæ per se proclívis est ad labendum, per te semper muniátur ad stándum; & quæ per se multíplicat offensam, per te semper reparétur ad véniam; Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

## SABBATO.

Incipit liber Ruth.

*Lectio* 1. Cap. 1.

IN diébus unius Júdicis, quando Júdices præerant, facta est fames in terra. Abiitque homo de Béthleem Juda, ut peregrinarétur in regióne Moabítide cum uxóre sua ac duóbus líberis. Ipse vocabátur Elímelech, & uxor ejus Nóemi: & duo fílii, alter Máhalon, & alter Chélion, Ephrathæi de Béthleem Juda. Ingressíque regiónem Moabítidem, morabantur ibi. Et mórtuus est Elímelech marítus Nóemi; remansítque ipsa cum fíliis. Qui accepérunt uxóres Moabítidas, quarum una vocabátur Orpha, áltera verò Ruth. Mansérunt que ibi decem annis, & ambo mórtui sunt, Máhalon vidélicet & Chélion: remansítque múlier orbáta duóbus líberis ac maríto. Et surrexit ut in pátriam pérgeret, cum utráque nuru sua de regióne Moabíride; audiérat enim quod respexísset Dóminus pópulum suum, & dedísset eis escas.

℟. Jurávi. 140.

*Lectio* 11. Cap. 4.

TUlit itaque Booz Ruth, & accépit uxórem, ingressúsque est ad eam; & dedit illi Dóminus ut concíperet & páreret fílium. Dixerúntque mulíeres ad Nóemi: Benedíctus Dóminus, qui non est passus ut deficeret succéssor famíliæ tuæ, & vocarétur nomen ejus in Israel, & hábeas qui consolétur ánimam tuam, & enútriat senectútem: de nuru enim tua natus est, quæ te di-

ligit; & multò tibi mélior est quam si septem habéres filios. * Suscepitúmque Nóemi púerum póstuit in sinu suo, & nutrícis ac gérulæ fungebátur officio. Vicínæ autem mulíeres congratulántes ei, & dicentes: Natus est fílius Nóemi, vocavérunt nomen ejus, Obed. Hic est pater Isai, patris David.

℟. Póstui. 140.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

*Lectio iij.* Cap. 8.

IN illo témpore; Locútus est Jesus Scribis & Phariséis, dicens: Ego sum lux mundi; qui séquitur me, non ámbulat in ténebris, sed habébit lumen vitæ. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

*In Joan. Evang. Tract.* 34. *n.* 2.

NOn est DóminusChristus sol factus, sed per quem sol factus est. Omnia enim per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Est ergo lux, quæ fecit hanc lucem. Hanc amémus; hanc intelligere cupiámus, ipsam sitiámus; ut ad ipsam, duce ipsâ, aliquando veniámus; & in illa ita vivámus, ut nunquam omníno moriámur. Per hoc Lumen factum est solis lumen; & Lumen quod fecit solem, sub quo fecit & nos, factum est sub sole propter nos. Noli contémnere nubem carnis: nube tégitur, non ut obscurétur, sed ut temperétur. Loquens ergo per nubem carnis Lumen indeficiens. Lumen sapiéntiæ, ait homínibus: Ego sum lux mundi: qui séquitur me, non ambulábit in ténebris, sed habébit lumen vitæ. In eo quod fácere debémus, præsens tempus póstuit: quod autem promísit faciéntibus, futúri témporis verbo significávit. Qui séquitur, habébit. Modò séquitur, pòst habébit: modò séquitur per fidem, pòst habébit per spéciem. Ergo modò sequámur Dóminum; veritáte perfruémur, cùm vidérimus fácie ad fáciem.

℟. Locútus est Jesus: Ego sum lux mundi; * Qui séquitur me, non ámbulat in ténebris, sed † Habébit lumen vitæ. ℣. In me grátia omnis viæ & veritátis: in me omnis spes vitæ & virtútis. * Qui séquitur. Glória. † Habébit. *Joan.* 8. *Eccli.* 24.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 3. a. Locútus est Jesus, docens in templo; & nemo apprehendit eum, quia necdum vénerat hora ejus. *Joan.* 8.

*Oratio.*

COrdibus nostris, quæsumus, Dómine, grátiæ tuæ lucem benignus infunde; ut, mandatórum tuórum lege perceptâ, te sequámur, & ad lumen æternæ vitæ pervenire mereámur; Qui vivis & regnas cum Deo Patre.

## DOMINICA PASSIONIS.

### AD I. VESPERAS.

*Psalmi & Antiph. de Psalterio.*

*Capitulum.* Levit. 23.

HÆ sunt Fériæ Dómini sanctæ, quas celebráre debétis tempóribus suis. Mense primo; quartâ décimâ die

mensis ad vésperum, Phase Dómini est: & quintâ-décimâ die mensis hujus, solemnitas azymórum Dómini est.

*Hymnus.*

VEXILLA Regis pródeunt;
Fulget Crucis mystérium,
Quo carne carnis Cónditor
Suspensus est patíbulo.

QUO vulnerátus ínsuper
Mucróne diro lánceæ,
Ut nos laváret crímine,
Manávit undâ & sánguine.

IMPLETA sunt quæ cóncinit
David fidélis cármine,
Dicens: In natiónibus
Regnávit à ligno Deus.

ARBOR decóra & fúlgida,
Ornáta Regis púrpurâ,
Electa digno stípite
Tam sancta membra tángere.

BEATA cujus bráchiis
Secli pependit prétium,
Statéra facta córporis;
Prædamque tulit tártari.

O CRUX, ave, spes única;
Hoc Passiónis témpore
Auge piis justítiam,
Reisque dona véniam.

TE, summa Deus Trínitas,
Collaudet omnis spíritus:
Quos per Crucis mystérium
Salvas, rege per sécula.
Amen.

℣. Sacrificium & oblatiónem noluisti; ℟. Corpus autem aptasti mihi. *Ps.* 39. *Hebr.* 10.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 4. a. Ego quasi agnus mansuétus, qui portátur ad victimam. *Jerem.* 11.

*Non dicuntur Preces.*

*Oratio, ut infrà ad Laudes.*

COMPLETORIUM, *ut suprà, in Feriis Quadrag.* 145. *omisso* Glória Patri *ad* ℟. *br.* In manus. *& sine Precibus.*

AD OFFICIUM NOCT.

*Invit.* Christum Salvatórem ómnium, qui passus est pro nobis, * Veníte, adorémus. 1. *Tim.* 4. 1. *Petr.* 2.

*Ps.* Veníte. *in cujus fine non dicitur* Glória Patri. *sed ejus loco repetitur Invitatorium. Quod servatur quotidie in Officio de Tempore usque ad Feriam quartam majoris Hebdomadæ inclusivè.*

*Hymnus.*

LUGETE, mœstis cántibus
Christi dolóres plángite:
Duræ neci natum Deo
Ingráta turba déstinat.

CRUCIS tremens sub póndere
Gressus labantes vix trahit;
Quem stipat aula Cœlitum,
Datur comes latrónibus.

CLAVIS manus, clavis pedes
Confossus hæret stípiti;
Sed quàm sui tenáciùs
Amóris hæret vínculis!

QUI rupe fontes élicit
Ardens siti consúmitur.
Sed major urébat sitis,
Erat sitis, mundi salus.

SIT hæc dolórum pars levis;
Acerbióra pértulit,
Dum mente præsagâ videt
Ináne mortis præmium.

FAC, Christe, ne sint irrita
Tormenta quæ perpessus es;
Ne, morte contemptâ Dei,
Te sentiámus víndicem.

QUI nos creávit, laus Patri;
Qui nos redémit, Fílio;
Qui nos foves, laus, Spíritus,
Uni Deo sit glória.
Amen.

*Antiph. Psalmi & ℣℣℣. ut in Psalterio, pro tempore Passionis.*

*IN I. NOCTURNO.*
Incipit liber Jeremiæ Prophétæ.

*Lectio j.* Cap. 1.

VErba Jeremíæ filii Hélciæ de sacerdótibus qui fuérunt in Anathot in terra Bénjamin. Quod factum est verbum Dómini ad eum in diébus Josíæ filii Amon regis Juda, in tertiodécimo anno regni ejus. Et factum est in diébus Jóachim filii Josíæ regis Juda, usque ad consummatiónem undécimi anni Sedéciæ filii Josíæ regis Juda, usque ad transmigratiónem Jerúsalem, in mense quinto. Et factum est verbum Domini ad me dicens: Priúsquàm te formárem in útero, novi te: & ántequàm exíres de vulva. sanctificávi te; & Prophétam in géntibus dedi te. Et dixi: A, a, a, Dómine Deus; ecce néscio loqui, quia puer ego sum. Et dixit Dóminus ad me: Noli dícere, Puer sum; quóniam ad ómnia quæ mittam te, ibis: & universa quæcumque mandávero tibi, loquéris. Ne tímeas à fácie eórum, quia tecum ego sum, ut éruam te, dicit Dóminus. ¶ Jerúsalem, Jerúsalem, convértere ad Dóminum Deum tuum.

¶ *Sic terminantur omnes Lectiones de Jeremia Propheta, ab hac die usque ad Pascha exclusivè, nihil respondendo.* ]

℟. Dixit Dóminus ad Móysen: Mense primo, quartádecimâ die mensis, Phase Dómini erit; offeretisque hircum pro peccáto unum, * Ut expiétur pro vobis. ℣. Non per sánguinem hircórum & taurórum, sed per própriam sánguinem introívit Christus in sancta; * Ut expiétur pro vobis. *Num.* 28. *Heb.* 9.

*Lectio ij.* Cap. 2.

HÆc dicit Dóminus: Quid invenérunt patres vestri in me iniquitátis, quia elongavérunt à me, & ambulavérunt post vanitátem, & vani facti sunt? Et non dixérunt: Ubi est Dóminus qui ascéndere nos fécit de terra Ægypti; qui traduxit nos per desértum, per terram inhabitábilem & ínviam, per terram sitis, & imáginem mortis, per terram in qua non ambulávit vir, neque habitávit homo? Et induxi vos in terram Carméli, ut comederéris fructum ejus, & óptima illius: & ingressi contaminastis terram meam, & hæreditátem meam posuístis in abominatiónem. Sacerdótes non dixérunt: Ubi est Dóminus? Et tenentes legem nesciérunt me, & pastóres prævaricáti sunt in me, & Prophétæ prophetavérunt in Baal; & idóla secúti sunt. Propterea adhuc judício contendam vobíscum, ait Dóminus, & cum filiis vestris disceptábo. Jerúsalem.

℟. Sument filii Israel de sánguine agni, ac ponent super utrumque postem, & in superliminaribus domórum: * Erit autem sanguis in signum, nec erit plaga dispérdens. ℣. Justificáti in sánguine Christi, salvi érimus ab ira per ipsum: * Erit. *Exod.* 12. *Rom.* 5.

*Lectio iij.*

TRansíte ad ínsulas Cethim, & vidéte ; & in Cedar mittite ; & consideráte vehementer : & vidéte si factum est hujuscémodi, si mutávit gens deos suos ; & certè ipsi non sunt dii : pópulus verò meus mutávit glóriam suam in idólum. Obstupescite, cœli, super hoc : & portæ ejus, desolámini vehementer, dicit Dóminus. Duo enim mala fecit pópulus meus : me dereliquérunt fontem aquæ vivæ, & fodérunt sibi cisternas, cisternas dissipátas, quæ continére non valent aquas. Numquid servus est Israel, aut vernáculus ? Quare ergo factus est in prædam ? Super eum rugiérunt leónes, & dedérunt vocem suam, posuérunt terram ejus in solitúdinem : civitátes ejus exustæ sunt, & non est qui hábitet in eis. Fílii quoque Mémpheos & Taphnes constupravérunt te usque ad vérticem. Numquid non istud factum est tibi, quia dereliquísti Dóminum Deum tuum eo témpore, quo ducébat te per viam ? Jerúsalem.

℟. Fílius hóminis tradétur princípibus Sacerdótum : & damnábunt eum morte, & tradent eum géntibus ; * Illúdent ei, & cónspuent eum, & flagellábunt eum, & interficient eum. ℣. Sicut ovis ad occisiónem ducétur, & non apériet os suum. * Illúdent ei. *Marc.* 10. *Is.* 53.

*Ab hac die usque ad Paschа in omni Officio de Tempore omittitur* Glória. *in Responsoriis.*

*IN II. NOCTURNO.*

Sermo sancti Leónis Papæ.

*De Quadrag.* 9. *C.* 1.

*Lectio iv.*

IN ómnibus, dilectíssimi, solemnitátibus christiánis, non ignorámus Paschále sacramentum esse præcipuum. Cui condignè & congruè suscipiendo totius quidem nos témporis institúta præformant ; sed devotiónem nostram præsentes vel máximè dies éxigunt, quos illi sublimíssimo divínæ misericórdiæ sacramento scimus esse contíguos. In quibus méritò à sanctis Apóstolis per doctrínam Spíritûs sancti majóra sunt ordináta jejúnia ; ut per commúne consórtium crucis Christi, ériam nos áliquid in eo quod propter nos gessit, agerémus, sicut Apóstolus ait : Si compátimur & conglorificábimur. Certa atque secúra est expectátio promíssæ beatitúdinis, ubi est participátio Domínicæ passiónis. Tu autem.

℟. Respice inimícos meos, quóniam multiplicáti sunt, & ódio iníquo odérunt me. * Custódi, Dómine, ánimam meam, & érue me. ℣. Odérunt & me & Patrem meum, ut adimpléatur sermo qui in lege eórum scriptus est : Quia ódio habuerunt me gratis. * Custódi. *Ps.* 24. *Joan.* 15.

*Lectio v.*

NEmo est, dilectíssimi, cui per conditiónem témporis sócietas hujus glóriæ denegétur, tanquam tranquíllitas pacis vácua sit occasióne virtútis. Apóstolus enim

prædicat, dicens: Omnes qui piè volunt vívere in Chriſto, perſecutiónem patiéntur; & ideò nunquam deeſt tribulátio perſecutiónis, ſi nunquam deſit obſervántia pietátis. Dóminus ipſe in exhortatiónibus ſuis dicit: Qui non áccipit crucem ſuam, & ſéquitur me, non eſt me dignus. Nec dubitáre debémus hanc vocem non ſolùm ad diſcípulos Chriſti, ſed ad cunctos fidéles, totamque Eccléſiam pertinére, quæ ſalutáre ſuum in his qui áderant, universáliter audiébat.

℟. Deus meus es tu: * Ne diſcéſſeris à me, quóniam tribulátio próxima eſt; quóniam non eſt qui ádjuvet. ℣. Venit hora; ecce Fílius hóminis tradétur in manus peccatórum: * Ne diſcéſſeris. *Pſ.* 21. *Marc.* 14.

*Lectio vj.*

SIcut ergo totíus eſt témporis piè vívere, ita totíus eſt témporis crucem ferre: quæ méritò unicuíque ſua dícitur, quia própriis modis atque menſúris ab unoquóque tolerátur. Unum nomen eſt perſecutiónis, ſed non una eſt cauſa certáminis; & plus plerumquè periculi eſt in inſidiatóre occulto, quàm in hoſte manifeſto. Beátus Job alternántibus bonis ac malis mundi hujus erudítus, piè veraciterque dicébat: Nonne tentátio eſt vita hóminis ſuper terram? Quóniam non ſolis dolóribus córporis atque ſuppliciis ánima fidélis impétitur: verùm étiam, ſalvâ incolumitáte membrórum, gravi morbo urgétur, ſi carnis voluptáte mollítur. Sed cùm caro concupíſcit adversùs ſpíritum, & ſpíritus adversùs carnem, præsídio crucis mens rationális inſtrúitur; nec cupiditátibus nóxiis illécta conſentit, quóniam continéntiæ clavis & Dei timóre transfígitur.

℟. Dómine, ne elongáveris auxílium tuum à me; * Ad defensiónem meam cónſpice. ℣. Nunc ánima mea turbáta eſt. Et quid dicam? Pater, ſalvífica me ex hac hora: * Ad defensiónem meam cónſpice. *Pſ.* 21. *Joan.* 12.

*IN III. NOCTURNO.*

Léctio ſancti Evangélii ſecundùm Joannem.

*Lectio vij.* Cap. 8.

IN illo témpore Dixit Jeſus turbis Judæórum: Quis ex vobis árguet me de peccáto? Si veritátem dico vobis, quare non créditis mihi? Et réliqua.

Homília ſancti Gregórii Papæ.

*Homil.* 18. *in Evang. habitâ in Baſilica S. Petri, Dom. Paſſ. n.* 1.

PEnſáte, fratres caríſſimi, manſuetúdinem Dei. Relaxáre peccáta vénerat, & dicébat: Quis ex vobis árguet me de peccáto? Non dedignátur ex ratióne oſténdere ſe peccatórem non eſſe, qui ex virtúte divinitátis póterat peccatóres juſtificáre. Sed terríbile eſt valde quod ſúbditur: Qui ex Deo eſt, verba Dei audit; propterèà vos non audítis, quia ex Deo non eſtis. Si enim ipſe verba Dei audit

qui ex Deo eſt, & audíre verba ejus non poteſt quiſquis ex illo non eſt: interroget ſe unuſquiſque ſi verba Dei in aure cordis pércipit, & intélliget unde ſit. Cœleſtem pátriam deſideráre Véritas jubet, carnis deſidéria cónteri, mundi glóriam declináre, aliéna non appétere, própria largíri. Penſet ergo apud ſe unuſquiſque veſtrum, ſi hæc vox Dei in cordis ejus aure conváluit, & quia jam ex Deo ſit, agnoſcit.

℟. Quis ex vobis árguet me de peccáto? * Si veritátem dico vobis, quare non créditis mihi? ℣. Quare detraxiſtis ſermónibus veritátis, cùm è vobis nullus ſit qui poſſit arguére me? * Si veritátem. *Joan.* 8. *Job* 6.

*Lectio viij.*

EGo dæmónium non hábeo. In quibus verbis quid áliud niſi ſupérbia noſtra confúnditur? Quæ ſi exagitáta vel léviter fúerit; atrocióres injúrias reddit, quàm accéperat; facit mala quæ poteſt; minátur & quæ fácere non poteſt. Ecce injúriam ſuſcipiens Dóminus non iráſcitur, non contumelióſa verba reſpondet. Qui ſi eiſdem iſta dicéntibus reſpondére voluiſſet, Dæmónium vos habétis, verum perfectó díceret; quia niſi impléti eſſent dæmónio, tam perverſa de Deo loqui non poſſent. Sed acceptâ injúriâ, étiam quod verum erat dícere Véritas nóluit; ne non dixiſſe veritátem, ſed provocátus contuméliam reddidiſſe viderétur.

MIR. *Pars Verna.*

Ex qua re quid nobis innúitur, niſi ut eo témpore, quo à próximis ex falſitáte contumélias accípimus, eórum étiam vera mala taceámus, ne miniſtérium juſtæ correptiónis in arma vertámus furóris.

℟. Qui ex Deo eſt, verba Dei audit: * Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis. ℣. Miſit Dóminus ad vos omnes ſervos ſuos Prophétas, & non audiſtis; * Propterea. *Joan.* 8. *Jerem.* 25.

*Lectio ix.*

SEd quia quiſque Dei zelo úritur, ſæpè à pravis homínibus dehoneſtátur, in ſemetipſo nobis Dóminus patiéntiæ præbuit exemplum, qui ait: Sed honorífico Patrem meum, & vos inhonoraſtis me. Sed quid nobis ad iſta faciendum ſit, adhuc exemplo nos ádmonet, cùm ſubjungit: Ego autem non quæro glóriam meam; eſt qui quærat, & júdicet. Scimus certè quod ſcriptum eſt: Quia Pater omne judícium dedit Fílio; & tamen ecce idem Fílius injúrias accípiens, glóriam ſuam non quærit. Illátas contumélias Patris judício reſervat; ut nobis profectò insínuet quantùm nos eſſe patientes debémus, dum ſe adhuc ulciſci non vult & ipſe qui júdicat.

℟. Judæi dixérunt Jeſu: Nonne bene dicimus nos quia Samaritánus es tu, & dæmónium habes? Reſpondit Jeſus: * Ego dæmónium non hábeo, ſed honorífico Patrem meum. ℣. Inſurrexiſtis ſuper me ore veſtro, & derogaſtis

*

adversùm me verba vestra. * Ego. *Repetitur* ℟. *usque ad* ℣. *Joan.* 8. *Ezech.* 35.

## AD LAUDES.

*Ant.* AMen, amen dico vobis, si quis sermónem meum serváverit, mortem non vidébit in æternum. *Joan.* 8.

*Ant.* 6. Dixérunt Judæi: Numquid tu major es Patre nostro Abraham, qui mórtuus est? Et Prophétæ mórtui sunt. Quem teipsum facis? *Ibid.*

*Ant.* 4. E. Si ego glorífico meipsum, glória mea nihil est: est Pater meus qui glorificat me, quem vos dícitis quia Deus vester est. *Ibid.*

*Ant.* 7. G. Et non cognovístis eum: ego autem novi eum, & sermónem ejus servo. *Ibid.*

*Ant.* 2. D. Abraham pater vester exultávit ut vidéret diem meum, vidit & gavísus est. *Ibid.*

*Capitulum.* Sap. 2.

DIxérunt: Gloriátur Patrem se habére Deum. Videámus ergo si sermónes illíus veri sint, & tentémus quæ ventúra sunt illi, & sciémus quæ erunt novíssima illíus.

*Hymnus.* Dum, Christe, confixus cruci, &c. *ut infrà* 224.

℣. Deus rex noster ante sécula: ℟. Operátus est salútem in médio terræ. *Ps.* 73.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 1. D. Amen, amen dico vobis; ántequàm Abraham fieret, ego sum. *Joan.* 8.

*Oratio.*

DEus, qui per Unigénitum tuum passum & humiliátum usque ad mortem, antíqui hostis contrivísti supérbiam: da fidélibus tuis, & quæ ipse propter nos pértulit, digne recólere, & adversa ómnia ejus exemplo patienter tolerare; Qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus.

## AD PRIMAM.

*Ant.* Amen, amen dico.

*In* ℟. *br.* ℣. Qui passus es * pro nobis. *Non dicitur* Glória Patri.

## AD TERTIAM.

*Ant.* Dixérunt.

*Capitulum.* Rom. 15.

UNusquisque vestrûm próximo suo pláceat in bonum ad ædificatiónem. Etenim Christus non sibi plácuit, sed sicut scriptum est: Impropéria improperántium tibi cecidérunt super me.

℟. *br.* Exurge, Deus, * Júdica causam tuam. Exurge. ℣. Memor esto improperiórum tuórum; * Júdica. ℟. Exurge. *Ps.* 73.

℣. Exprobravérunt inimíci tui, Dómine; ℟. Exprobravérunt commutatiónem Christi tui. *Ps.* 88.

## AD SEXTAM.

*Ant.* Si ego.

*Capitulum.* Hebr. 5.

CHristus in diébus carnis suæ, preces supplicatiónesque ad eum qui possit illum salvum fácere à morte; cum clamóre válido & lácrymis ófferens, exaudítus est pro sua reveréntia.

℟. *br.* Deus meus, éripe me

* De manu peccatóris. Deus. ℣. Et de manu contra legem agentis, & iníqui, * De manu peccatóris. ℟. Deus meus. *Ps.* 70.

℣. Illustra fáciem tuam super servum tuum: ℟. Dómine, non confundar, quóniam invocávi te. *Ps.* 30.

AD NONAM.

*Ant.* Abraham.

*Capitulum.* Hebr. 11.

FIde óbtulit Abraham Isaac cùm tentarétur: & unigénitum offerébat, qui susceperat repromissiónes; ad quem dictum est: Quia in Isaac vocábitur tibi semen; árbitrans quia & à mórtuis suscitáre potens est Deus: unde eum & in parábolam accépit.

℟. *br.* Quis dabit ex Sion salutáre Israel? * Exultábit Jacob. Quis dabit. ℣. Cùm avérterit Deus captivitátem plebis suæ, * Exultábit Jacob. ℟. Quis dabit ex Sion salutáre Israel? *Ps.* 52.

℣. Congregáte Dómino sanctos ejus, ℟. Qui órdinant testamentum ejus super sacrificia. *Ps.* 49.

AD VESPERAS.

*Ant.* 4. E. PEr patiéntiam currámus ad propósitum nobis certámen, aspicientes in auctórem fidei & consummatórem Jesum. *Hebr.* 12.

*Ant.* 1. D. Non estis vestri. Empti enim estis prétio magno. Glorificáte & portáte Deum in córpore vestro. 1. *Cor.* 6.

*Ant.* 2. D. Non corruptibílibus auro & argento redempti estis, sed pretióso sánguine Agni immaculáti. 1. *Petr.* 1.

*Ant.* 6. Jesus ut sanctificáret per suum sánguinem pópulum, extra portam passus est. Exeámus igitur ad eum extra castra improperium ejus portantes. *Hebr.* 13.

*Ant.* 8. G. Non pósuit nos Deus in iram, sed in acquisitiónem salútis per Dóminum nostrum Jesum Christum, qui mórtuus est pro nobis. *Thess.* 5.

*Capitulum.* 2. *Cor.* 5.

CAritas Christi urget nos: æstimantes hoc, quóniam si unus pro ómnibus mórtuus est, ergo omnes mórtui sunt: & pro ómnibus mórtuus est Christus, ut & qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mórtuus est.

*Hymnus*, VEXILLA Regis. *infra* 231.

℣. Intende ánimæ meæ & líbera eam: ℟. Propter inimícos meos éripe me. *Ps.* 68.

*Ad* Magníficat, *Ant.* 7. a. Tulérunt lápides ut jácerent in eum. Jesus autem abscondit se & exívit de templo. *Joan.* 8.

*Oratio, ut supra ad Laudes.*

COMPLETORIUM, *ut in Psalterio*, 26.

IN FERIIS.

PER HEBDOM. PASSIONIS, *& usque ad Feriam quintam in Cœna Domini.*

AD OFFICIUM NOCT.

*Invit.* Christum Salvatórem omnium, qui passus est pro nobis, * Veníte, adorémus. 1. *Tim.* 1. *Petr.* 2.

*Ps.* Veníte. *sine* Glória Patri. *in cujus loco repetitur Invitatorium.*

*Hymnus.*

LUGETE, mœstis cántibus
Christi dolóres plángite:
Duræ neci natum Deo
Ingrâta turba déstinat.

CRUCIS tremens sub póndere
Gressus labantes vix trahit;
Quem stipat aula Cœlitum,
Datur comes latrónibus.

CLAVIS manus, clavis pedes,
Confossus hæret stípiti:
Sed quàm sui tenácius
Amóris hæret vínculis:

QUI rupe fontes élicit
Ardens siti consúmitur,
Sed major urébat sitis,
Erat sitis mundi salus.

SIT hæc dolórum pars levis;
Acerbióra pértulit,
Dum mente præsagâ vídet
Ináne mortis præmium.

FAC, Christe, ne sint írrita
Tormenta quæ perpessus es;
Ne, morte contemptâ Dei,
Te sentiámus víndicem.

QUI nos creávit, laus Patri;
Qui nos redémit, Fílio;
Qui nos fovet, laus Spíritus,
Uni Deo sit glória. Amen.

*Antiphona & Psalmi de Psalterio.*

℣. Líbera me à persequéntibus me, ℟. Quia confortáti sunt super me. *Ps.* 141.

*Lectiones & ℟ ℟ ℟. infrà in qualibet Feria.*

AD LAUDES.

*Antiphona & Psalmi de Psalterio.*

*Capitulum.* Jerem. 11.

COgitavérunt super me consília, dicentes: Mittámus lignum in panem ejus, & eradámus eum de terra vivéntium, & nomen ejus non memorétur ámpliùs.

*Hymnus.*

DUM, Christe, confixus cruci
Agis suprémos spíritus;
Fac nos salúbri figere
Intenta ligno lúmina.

ANGUIS venéno pérfidi
Inflicta nobis vúlnera,
Pendentis è cella trabe
Sanábit aspectus Dei.

HIC nos olympo párturis;
Hîc Mártyres formas tuos;
Hîc último sanctam fidem
Fundas amóris pignore.

HINC cuncta terrárum, suo
Regnátor ut sedens throno,
Utrinque protensæ manûs
Virtúte divinâ trahis.

NOS ergo cœlestis thronum
Sinas adíre grátiæ,
Pedemque complexos crucis
Tuo rigári sánguine.

O spes salútis ómnium,
Crux vera mundi glória,
Infixa semper hæreas
Imisque regnes córdibus.

QUI Fílium tradit, Patri,
Natóque sit laus víctimæ:
Par sit tibi laus, qui sacram
Succendis aram, Spíritus.
Amen.

℣. Intende ánimæ meæ, & líbera eam; ℟. Propter inimícos meos éripe me. *Ps.* 68.

*Ad* Benedictus. *Ant. ut in qualibet Feria.*

*Deinde dicuntur Preces flexis genibus, ut suprà in Feriis Quadragesimæ.* 141.

*Oratio, ut in qualibet Feria, post Ant. ad* Benedictus.

*Ab hac die non fiunt Suffragia in Laudibus, nec etiam in Vesperis.*

AD PRIMAM.

*Hymnus,* JAM lucis orto sídere. 126.

*Psalmi*

*Psalmi de Feriâ; & sic ad alias Horas.*

*Ant.* 1. a. Deus salvátor meus, de iniquitáte liberábis me; quia circumdedérunt me contritiónes mortis. 2. *Reg.* 22.

*Cetera ut in Feriis Quadragesimæ*, 126.

AD TERTIAM.

*Hymnus*, O fons. 130.

*Ant.* 2. D. Dómine, recordáre mei, & tuére me ab his qui persequuntur me. *Jerem.* 15.

*Capitulum.* Jerem. 18.

FOdérunt fóveam ut cáperent me, & láqueos abscondérunt pédibus meis: tu autem, Dómine, scis omne consílium eórum adversùm me in mortem.

℟. *br.* Custódi me, Dómine, * De manu peccatóris. Custódi. ℣. Et ab homínibus iníquis éripe me; * De manu peccatóris. *Non dicitur* Glória. *sed repet.* ℟. Custódi. *Ps.* 139.

℣. Custódi me à láqueo quem statuérunt mihi, ℟. Et à scándalis operántium iniquitátem. *Ps.* 140.

*Preces, flexis genibus, ut suprà in Feriis Quadragesimæ.* 143.

AD SEXTAM.

*Hymnus.* Jam solis excelsum jubar. 130.

*Ant.* 4. a. Vidísti, Dómine, iniquitátem illórum adversùm me: júdica judícium meum. *Thren.* 3.

*Capitulum.* Thren. 3.

AUdísti lábia insurgéntium mihi, & meditatiónes eórum adversùm me totâ die. Sessiónem eórum, & resurrectiónem eórum vide: ego sum psalmus eórum.

℟. *br.* Propter inimícos meos, * Eripe me, Dómine. Propter. ℣. Tu scis impropérium meum, & confusiónem meam: * Eripe me, Dómine. ℟. Propter. *Ps.* 68.

℣. Totâ die verba mea execrabantur: ℟. Adversùm me omnes cogitatiónes eórum in malum. *Ps.* 55.

*Preces, flexis genibus.* 143.

AD NONAM.

*Hymnus*, LABENTE jam. 130.

*Ant.* 7. b. Omnes inimíci mei audiérunt malum meum: lætáti sunt, quóniam tu fecísti. *Thren.* 1.

*Capitulum.* Jerem. 18.

ATtende, Dómine, ad me, & audi vocem adversariórum meórum. Numquid redditur pro bono malum, quia fodérunt fóveam ánimæ meæ?

℟. *br.* Príncipes * Persecúti sunt me grátis. Príncipes. ℣. Et à verbis tuis formidávit cor meum. * Persecúti sunt me grátis. ℟. Príncipes. *Ps.* 118.

℣. Qui retríbuunt mala pro bonis, detrahébant mihi; ℟. Quóniam sequébar bonitátem. *Ps.* 37.

*Preces, flexis genibus.* 143.

AD VESPERAS.

*Psalmi & Ant. de Psalterio.*

*Capitulum.* Jerem. 18.

REcordáre, Dómine, quod stéterim in conspéctu tuo, ut lóquerer pro eis bonum, & avérterem indignatiónem tuam ab eis.

*Hymnus.*

VExilla Regis pródeunt;
Fulget Crucis mystérium,
Quo carne carnis Cónditor

Suspensus est patíbulo.

Quo vulnerátus ínsuper
Mucróne díro lánceæ,
Ut nos laváret crímine,
Manávit unda & sánguine.

Impleta sunt quæ cóncinit
David fidélis cármine,
Dicens: In natiónibus
Regnávit à ligno Deus.

Arbor decóra & fúlgida,
Ornáta Regis púrpurâ,
Electa digno stípite
Tam sancta membra tángere.

Beata cujus bráchiis,
Sæcli pependit prétium,
Statéra facta córporis,
Prædamque tulit tártari.

O Crux, ave, spes única,
Hoc Passiónis témpore,
Auge piis justítiam,
Reisque dona véniam.

Te, summa Deus Trínitas,
Collaudet omnis spíritus:
Quos per Crucis mystérium
Salvas, rege per sécula.
Amen.

℣. Captábunt in ánimam Justi, ℟. Et sánguinem innocentem condemnábunt. *Ps.* 93.

*Ad* Magníficat. *Ant. ut in qualibet Feria.*

*Deinde dicuntur Preces, flexis genibus, ut in Feriis Quadragesimæ.* 145.

*Oratio, ut in qualibet Feria post Antiphonam ad* Magníficat.

Completorium, *ut suprà.* 131.

## FERIA SECUNDA.

De Jeremía Prophéta.

*Lectio j.* Cap. 2.

Et nunc quid tibi vis in via Ægypti, ut bibas aquam túrbidam? & quid tibi cum via Assyriórum, ut bibas aquam flúminis? Arguet te malítia tua, & avérsio tua increpábit te. Scito, & vide quia malum & amárum est reliquísse te Dóminum Deum tuum, & non esse timórem meî apud te, dicit Dóminus Deus exercítuum. A sæculo confregísti jugum meum, rupísti vincula mea, & dixísti: Non sérviam. In omni enim colle sublími, & sub omni ligno frondóso tu prosternebáris méretrix. Ego autem plantávi te víneam electam, omne semen verum: quómodò ergo conversa es mihi in pravum, vínea aliéna? Si láveris te nitro, & multiplicáveris tibi herbam borith, maculáta es in iniquitáte tua coram me. Jerúsalem.

℟. Dixit Dóminus. 218.

*Lectio ij.*

Vertérunt ad me tergum, & non fáciem; & in témpore afflictiónis suæ dicent: Surge, & líbera nos. Ubi sunt dii tui, quos fecísti tibi? Surgant, & líberent te in témpore afflictiónis tuæ; secundum númerum quippe civitátum tuárum erant dii tui, Juda. Quid vultis mecum judício conténdere? omnes dereliquístis me, dicit Dóminus. Frustrà percussi filios vestros, disciplínam non recepérunt; devorávit gládius vester Prophétas vestros, quasi leo vastátor generátio vestra. Vidéte verbum Dómini. Numquid solitúdo factus sum Israéli, aut terra serótina? Quare ergo dixit pópulus meus: Recéssimus, non ve-

mémus ultrà ad te ? Numquid oblivíscétur virgo ornamenti sui, aut sponsa fásciæ pectorális suæ ? Pópulus verò meus oblítus est meî diébus innúmeris. Jerúsalem.

℟. Sument. 218.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

*Lectio iij.* Cap. 7.

IN illo témpore ; Miserunt Príncipes & Phariséi minístros, ut apprehénderent Jesum. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

*In Joan. Tract.* 31. *n.* 8. *& 9.*

PRíncipes illi, auditâ multitúdinis fide, & eo múrmure quo Christus glorificabátur, miserunt minístros, ut apprehénderent eum. Quem apprehénderent ? Adhuc nolentem ? Quia ergo non póterant apprehéndere nolentem, missi sunt ut audírent docentem ? Quid docentem ? Dicit ergo Jesus : Adhuc módicum tempus vobíscum sum. Quod modò vultis fácere, factúri estis ; sed non modò, quia modò nolo. Quare adhuc modò nolo ? Quia adhuc módicum tempus vobíscum sum ; & tunc vado ad eum qui me misit. Implére débeo dispensatiónem meam ; & sic pervenire ad passiónem meam. Quærétis me, & non inveniétis ; & ubi sum ego, vos non potéstis venire. Hîc jam resurrectiónem suam prædixit : noluérunt enim agnóscere præséntem, & póstea quæsiérunt, cùm vidérunt in eum multitúdinem jam credéntem. Tu autem.

℟. In novíssimo die magno festivitátis * Stabat Jesus & clamábat, dicens : Si quis sítit véniat ad me & bibat. ℣. Fons de Domo Dómini, egrediétur ( dicit Dóminus ) & irrigábit torréntem Spinárum. * Stabat Jesus. *Joan.* 7. *Joel.* 3.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 8. G. Si quis sítit, véniat ad me, & bibat. *Joan.* 7.

*Oratio.*

IMplorámus in jejúnio ; Dómine, misericórdiam tuam ; ut te, qui fons bonitátis es, toto desidério sitientes, caritátis tuæ abundántiâ repleámur ; Per Dóminum.

*Ad* Magníficat, *Ant.* 4. E. Qui credit in me, sicut dicit Scriptúra, flúmina de ventre ejus fluent áquæ vivæ. *Joan.* 7.

*Oratio.*

CLamántium ad te, quæsumus, Dómine, preces dignánter exaudi ; ut sicut Ninivítis in afflictióne pósitis pepercísti, ita & nobis in præsénti tribulatióne succúrras ; Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

FERIA TERTIA.

De Jeremía Prophéta.

*Lectio j.* Cap. 3.

VUlgò dícitur : Si dimíserit vir uxórem suam, & recédens ab eo, dúxerit virum álterum, numquid revertétur ad eam ultrà ? Numquid non pollúta & contamináta erit múlier illa ? Tu autem fornicáta es cum amatóribus multis : tamen revértere ad me, dicit Dóminus, & ego suscípiam te. Leva óculos tuos in di-

rectum, & vide ubi non proſtráta ſis : in viis ſedébas, expectans eos quaſi latro in ſolitúdine ; & polluiſti terram in fornicatiónibus tuis & in malítiis tuis. Quamobrem prohíbitæ ſunt ſtillæ pluviárum, & ſerótinus imber non fuit : frons mulíeris meretrícis facta eſt tibi, noluiſti erubéſcere. Ergo ſaltem ámodò voca me : Pater meus, dux virginitátis meæ tu es. Jerúſalem, Jerúſalem, &c.

℟. Réſpice. 219.

*Lectio ij.*

ET dixit Dóminus ad me in diébus Joſiæ regis : Numquid vidiſti quæ fécerit averſátrix Iſrael ? Abiit sibimet ſuper omnem montem excelſum, & ſub omni ligno frondóſo ; & fornicáta eſt ibi. Et dixi, cùm feciſſet hæc ómnia : Ad me revértere ; & non eſt reverſa. Et vidit prævaricátrix ſoror ejus Juda, quia pro eo quòd mœcháta eſſet averſátrix Iſrael, dimiſiſſem eam, & dediſſem ei libellum repúdii : & non tímuit prævaricátrix Juda ſoror ejus ; ſed ábiit, & fornicáta eſt étiam ipſa. Et facilitáte fornicatiónis ſuæ contamináit terram, & mœcháta eſt cum lápide & ligno. Et in ómnibus his non eſt reverſa ad me prævaricátrix ſoror ejus Juda in toto corde ſuo, ſed in mendácio, ait Dóminus. Et dixit Dóminus ad me : Juſtificávit ánimam ſuam averſátrix Iſrael, comparatióne prævaricatrícis Judæ. Vade, & clama ſermónes iſtos contra aquilónem, & dices : Revértere, averſátrix Iſrael, ait Dóminus, & non avertam fáciem meam à vobis ; quia ſanctus ego ſum, dicit Dóminus, & non iraſcar in perpétuum. Jerúſalem.

℟. Deus meus. 219.

Léctio ſancti Evangélii ſecundùm Joannem.

*Lectio iij.* Cap. 7.

IN illo témpore ; Ambulábat Jeſus in Galilæam : non enim volébat in Judæam ambuláre, quia quærébant eum Judæi interficere. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

*In Joan. Tract.* 28. *n.* 1. 8. & 11.

CHriſtus manens Deus, accépit hóminem, qui fecit hóminem. Quando ergo látuit ut homo, non poténtiam perdidiſſe putandus eſt, ſed exemplum infirmitáti præbuiſſe. Ille enim quando vóluit, detentus eſt ; quando vóluit, occíſus eſt. Sed quóniam futúra erant membra ejus, id eſt, fidéles ejus, qui non habérent illam poteſtátem quam habébat ipſe Deus noſter ; quòd latébat, quòd ſe tanquam ne occideréetur, occultábat, hoc indicábat factúra eſſe membra ſua, in quibus útique membris ſuis ipſe erat. Non poteſt mundus odiſſe vos. Quid eſt hoc ; niſi, Non poteſt mundus odiſſe amatóres ſuos, falſos teſtes ? Bona enim dícitis quæ mala ſunt, & mala quæ bona ſunt. Me autem odit, quia ego teſtimónium perhíbeo de illo,

quia ópera ejus mala sunt. Judæi ergo quærébant eum in die festo : & murmur multum de eo erat in turba. Unde murmur ? De contentióne. Quæ fuit conténtio ? Quidam enim dicébant : Quia bonus est ; álii autem : Non, sed sedúcit turbas. De ómnibus servis ejus intelligendum : hoc dícitur modò. Quicumque enim emínúerit in áliqua grátia spirituáli, profectò álii dicunt : Bonus est ; álii : Non, sed sedúcit turbas. Quod dictum est ergo de Dómino, valet ad consolatiónem, de quocumque hoc dictum fúerit Christiáno.

℟. Non potest mundus odísse vos : me autem odit, * Quia ego testimónium perhíbeo de illo, quòd ópera ejus mala sunt. ℣. Os peccatóris super me apertum est ; * Quia ego. *Joan. 7. Ps.* 108.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 3. a. Ascéndite ad diem festum hunc ; ego autem non ascendo, quia meum tempus nondum implétum est. *Joan. 7.*

*Oratio.*

AUxiliáre, Dómine, pópulo tuo ; ut sacræ devotiónis proficiens incrementis, & tuo semper múnere gubernétur, & ad redemptiónis æternæ pertíneat, te dúcente, consórtium ; Per Dóminum nostrum.

*Ad* Magníficat *Ant.* 7. ç. Quidam dicébant : Quia bonus est ; álii autem dicébant : Non, sed sedúcit turbas. Nemo tamen palàm loquebátur de illo propter metum Judæórum. *Joan. 7.*

*Oratio.*

SUscipe, miséricors Dómine, súpplicum preces, & secundùm multitúdinem indulgentiárum tuárum ab ómnibus nos absólve peccátis ; ut ad ómnia pietátis ópera, te parcente, reparémur ; & quos vénià féceris innocentes, auxílio fácias efficáces : Per Dóminum.

## FERIA QUARTA.

### De Jeremia Prophéta.

*Lectio j.* Cap. 5.

CIrcúite vias Jerúsalem, & aspícite : & considerâte, & quærite in pláteis ejus, an inveniátis virum facientem judícium, & quærentem fidem ; & propítius ero ei. Quòd si étiam, Vivit Dóminus, dixerint ; & hoc falsò jurábunt. Dómine, óculi tui respíciunt fidem : percussísti eos, & non doluérunt : attrivísti eos, & renuérunt accípere disciplínam : induravérunt fácies suas supra petram, & noluérunt reverti. Ego autem dixi : Fórsitan páuperes sunt & stulti, ignorantes viam Dómini, judícium Dei sui. Ibo ígitur ad optimátes, & loquar eis : ipsi enim cognovérunt viam Dómini, judícium Dei sui ; & ecce magis hi simul confregérunt jugum, rupérunt vincula. Jerúsalem.

℟. Dixit Dóminus. 218.

*Lectio ij.*

SUper quo propítius tibi esse pótero ? Fílii tui dereliquérunt me, & jurant in his qui non sunt dii. Saturávi eos, & mœcháti sunt, & in domo meretrícis luxuriabantur. Equi

amatóres, & emissárii facti sunt : unusquisque ad uxórem próximi sui hinniébat. Numquid super his non visitábo, dicit Dóminus, & in gente tali non ulciscétur ánima mea ? Ascéndite muros ejus, & dissipáte ; consummatiónem autem nolíte fácere : auferte propágines ejus, quia non sunt Dómini. Prævaricatióne enim prævaricáta est in me domus Israel, & domus Juda, ait Dóminus. Negavérunt Dóminum, & dixérunt : Non est ipse ; neque véniet super nos malum : gládium & famem non vidébimus. Prophétæ fuérunt in ventum locúti, & responsum non fuit eis: hæc ergo evénient illis. Jerúsalem.

℟. Sument filii. 218.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

*Lectio ij.* Cap. 10.

IN illo témpore ? Facta sunt Encænia in Jerosólymis ; & hyems erat. Et ambulábat Jesus in templo, in pórticu Salomónis. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Episcopi.

*In Joan. Tract.* 48. *n.* 2.

ENcænia festívitas erat dedicatiónis templi. Illum enim diem, quo templum dedicátum est, Judæi solémniter celebrábant. Dicébant ei : Quousque ánimam nostram tollis ? Si tu es Christus, dic nobis palàm. Respondit eis Jesus : Loquor vobis, & non créditis : ópera quæ ego fácio in nómine Patris mei, hæc testimónium pérhibent de me ; sed vos non créditis, quia non estis ex óvibus meis. Didicístis quæ sunt oves, estóte oves. Oves credendo sunt, oves pastórem sequendo sunt, oves redemptórem non contemnendo sunt, oves per óstium intrando sunt, oves exeundo & páscua inveniendo sunt, oves vitâ æternâ perfruendo sunt. Tu autem.

℟. Dicébant Judæi : Si tu es Christus, dic nobis palàm. Respondit Jesus : * Loquor vobis & non créditis : ópera quæ ego fácio in nómine Patris mei, hæc testimónium pérhibent de me. ℣. Usquequò détrahet mihi pópulus iste ? Quousque non credent mihi in ómnibus signis quæ feci coram eis ? * Loquor vobis. *Joan.* 10. *Num.* 14.

*Ad* Benedíctus. *Ant.* 4. d. Oves meæ vocem meam áudiunt : & ego vitam æternam do eis ; & non períbunt in æternum. *Joan.* 10.

*Oratio.*

SAnctificáto hoc jejúnio, Deus, tuórum corda fidélium miserátor illustra : & quibus devotiónis præstas effectum, præbe supplicántibus pium benignus auditum ; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

*Ad* Magníficat *Ant.* 6. Si mihi non vultis crédere, opéribus crédite ; ut cognoscátis & credátis quia Pater in me est, & ego in Patre. *Joan.* 10.

*Oratio.*

DEus, qui misericórdiæ jánuam in te sperántibus patére voluísti : respice in nos, & miserére nostrî ; ut qui voluntátis tuæ viam, te donante,

ſequimur, à vitæ nunquam ſémitis deviémus; Per Dóminum Jeſum noſtrum, &c.

## FERIA QUINTA.

### De Jeremía Prophéta.

*Lectio j.* Cap. 6.

ERudíre, Jerúſalem, ne fortè recédat ánima mea à te; ne fortè ponam te deſertam, terram inhabitábilem. Hæc dicit Dóminus exercítuum: uſque ad racémum cólligent quaſi in vínea relíquias Iſrael: converte manum tuam, quaſi vindemiátor ad cartallum. Cui loquar? & quê conteſtábor, ut áudiat? Ecce incircumcíſæ aures eórum, & audíre non poſſunt: ecce verbum Dómini factum eſt eis in oppróbrium, & non ſuſcípient illud. Idcircò furóre Dómini plenus ſum, laborávi ſuſtinens. Effunde ſuper párvulum foris, & ſuper consílium júvenum ſimul: vir enim cum muliere capiétur, ſenex cum pleno diérum. Et transíbunt domus eórum ad álteros, agri & uxóres páriter; quia extendam manum meam ſuper habitantes terram. Jerúſalem.

℟. Réſpice. 219.

*Lectio ij.*

A Minóre quippe uſque ad majórem omnes avarítiæ ſtudent: & à Prophéta uſque ad Sacerdótem cuncti fáciunt dolum. Et curábant contritiónem fíliæ pópuli mei cum ignomínia, dícentes: Pax, pax; & non erat pax. Confúſi ſunt, quia abominatiónem fecérunt: quin pótius confuſióne non ſunt confúſi, & erubéſcere neſciérunt. Quamobrem cadent inter ruentes: in témpore viſitatiónis ſuæ córruent, dicit Dóminus. Hæc dicit Dóminus: State ſuper vias, & vidéte, & interrogáte de ſémitis antíquis, quæ ſit via bona, & ambuláte in ea; & inveniétis refrigérium animábus veſtris. Et dixérunt: Non ambulábimus. Et conſtítui ſuper vos ſpeculatóres: Audíte vocem tubæ. Et dixérunt: non audiémus. Jerúſalem.

℟. Deus meus. 219.

Léctio ſancti Evangélii ſecundùm Lucam.

*Lectio iij.* Cap. 7.

IN illo témpore: Rogábat Jeſum quidam de Phariſæis, ut manducáret cum illo. Et ingreſſus domum Phariſæi, diſcúbuit. Et ecce múlier quæ erat in civitáte peccátrix, ut cognóvit quòd accubuiſſet in domo Phariſæi, áttulit alabaſtrum unguenti. Et réliqua.

### Homília ſancti Gregórii Papæ.

*In Evang.* 33. *n.* 2.

LIquet, fratres, quòd illícitis áctibus prius múlier intenta, unguentum ſibi pro odóre ſuæ carnis adhíbuit. Quod ergo ſibi túrpiter exhibuérat, hoc jam Deo laudabíliter offerébat. Oculis terréna concupíerat: ſed hos jam per pœniténtiam cónterens flebat. Capillos ad compoſitiónem vultûs exhibúerat; ſed jam capillis lácrymas tergébat. Ore ſuperba díxerat; ſed pedes Dómini ósculans, hoc in Redemptóris ſui veſtígia fígebat. Quot ergo in ſe hábuit oblectamenta, tot de ſe invénit holocauſta. Convertit ad

virtútum número, número-rum críminum; ut totum ſerviret Deo in pœniténtia, quidquid ex ſe Deum contémpſerat in culpa. Tu autem.

℟. Múlier quæ erat in civitáte peccátrix, áttulit alabaſtrum unguenti: & * Stans retro ſecus pedes Jeſu, lácrymis cœpit rigáre pedes ejus, & capillis ſuis tergébat; oſculabátur pedes ejus, & unguento ungébat. ℣. Nonne lácrymæ aſcendunt uſque ad cœlum? Non diſcédet, donec Altíſſimus aſpíciat: * Stans. *Luc.* 7. *Eccli.* 35.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 2. D. Remittuntur ei peccáta multa, quóniam dilexit multum. *Luc.* 7.

*Oratio.*

DEus, qui multum diligéntibus multa peccáta remittis; ínfunde córdibus noſtris tui amóris affectum, ut ab ómnibus peccátis noſtris tuâ miſericórdiâ liberémur; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum, &c.

*VESPERÆ de Sequenti.*

FERIA SEXTA

*Fit Officium*

DE COMPASSIONE B. M.

*Duplex II. Ordinis.*

IN I. VESPERIS.

*Pſalmi de Feria; & ſic in toto Officio.*

*Ant.* FIlia pópuli mei, luc. 2. D. ctum unigéniti fac tibi planctum amárum. *Jer.* 6.

*Ant.* 3. a. Lácrymæ ejus in maxillis ejus: non eſt qui conſolétur eam ex ómnibus caris ejus. *Thren.* 1.

*Ant.* 8. c. Torcúlar calcávit Dóminus vírgini fíliæ Juda, quóniam inváluit inimícus. *Thren.* 1.

*Ant.* 6. Fília Sion oppreſſa eſt amaritúdine, & egreſſus eſt omnis decor ejus. *Thren.* 1.

*Ant.* 4. E. Ipſa gemens converſa eſt retrorsum: depósita eſt vehementer, non habens conſolatórem. *Thren.* 1.

*Capitulum.* Ruth. 1.

NE vocétis me, Nóemi (id eſt, pulcram:) ſed vocáte me, Mara (id eſt, amáram;) quia amaritúdine valde replévit me Omnípotens.

*Hymnus.*

DUM ſpargit aram sánguine
Jeſus ſalútis hóſtia,
Præſens dolóris æmulum
Maria pectus immolat.

CAPUT cruentum Fílii
Matris corónat vérticem:
Clavis iiſdem fígitur
Chriſtus cruci, Chriſto parens.

O PASSIONIS mútuæ,
Jeſu, Maria, cónſcii!
Alterna vobis vúlnera
Inferre tandem párcite.

QUEM vos dolétis, noſter eſt
Error, furorque críminum:
Totum ſcelus faténtibus
Partem dolóris réddite.

QUI natus es de Vírgine,
Jeſu, tibi ſit glória
Cum Patre, cumque Spíritu,
In ſempiterna ſécula.
Amen.

℣. Anima mea turbáta eſt valde; ℟. Sed tu, Dómine, úſquequò? *Pſ.* 6.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 5. C. Cui comparábo te, fília Jerúſalem? cui exæquábo te, virgo fília Sion? Magna eſt enim velut mare contrítio tua: quis

medébitur tuî! *Thren.* 2.

*Oratio.*

DA, quæsumus, Dómine, córdibus nostris íntimum veræ pietátis affectum; ut in tui Fílii passióne sanctíssimæ matri ejus dignè compatiéntes, salutáris mystérii fructum percípere mereámur; Per eumdem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum, &c.

*Pro Commem. Feriæ.*

*Ant.* 6. Fides tua te salvam fecit; vade in pace. *Luc.* 7.

℣. Captábunt in ánimam Justi, ℟. Et sánguinem innocéntem condemnábunt *Ps.* 93.

*Oratio.*

DEus, qui non solùm peccántibus véniam tríbuis, sed étiam præmia pœniténtibus impertíris: quod pérpeti malis opéribus promerémur, ineffábili pietáte depelle; ut nos ad tuæ majestátis cultum, & sálubri timóre dispónas, & sancto amóre perdúcas; Per.

COMPLETORIUM, *ut supra* 131. *Hymnus*, Virgo Dei génitrix. *Ibid.*

AD OFFICIUM NOCT.

*Invit.* Jesum crucifixum super quem planxit Mater quasi super unigénitum, * Veníte, adorémus. *Zach.* 12.

*Ps.* 94. Veníte. *sine* Glória Patri. *sed dicto* Quadraginta. *dicitur* * Veníte adorémus. *deinde repetitur Invitatorium.*

*Hymnus*, DUM spargit. *ut supra, in I. Vesperis.*

*IN I. NOCTURNO.*

*Ant.* 4. E. Ego plorans, & óculus meus deducens aquas; quia longè factus est à me consolátor. *Thren.* 1.

*Ant.* 6. Dolor meus super dolórem, in me cor meum mœrens. *Jerem.* 8.

*Ant.* 7. ç. Vocem meam audísti, Dómine; ne avertas aurem tuam à singultu meo & clamóribus. *Thren.* 3.

℣. Ad te clamávi, dum anxiarétur cor meum; ℟. Quia factus es spes mea Deus *Ps.* 60.

De Jeremía Prophéta.

*Lectio j.* Cap. 8.

QUómodò dicitis: Sapientes nos sumus, & lex Dómini nobíscum est? Vere mendácium operátus est stylus mendax scribárum. Confúsi sunt sapientes, pertérriti & capti sunt; verbum enim Dómini projecérunt, & sapiéntia nulla est in eis. Propterèa dabo mulíeres eórum éxteris, agros eórum hæredibus; quia à mínimo usque ad máximum omnes avarítiam sequuntur, à Prophéta usque ad Sacerdótem cuncti fáciunt mendácium. Et sanábant contritiónem fíliæ pópuli mei ad ignominiam, dicentes: Pax, pax, cùm non esset pax. Confúsi sunt, quia abominatiónem fecérunt: quinímò confusióne non sunt confúsi, & erubéscere nesciérunt; idcircò cadent inter corruéntes, in témpore visitatiónis suæ córruent, dicit Dóminus. Jerúsalem.

℟. Erit in die illa, dicit Dóminus, convertam ómnia cántica vestra in planctum, & * Ponam diem eam quasi luctum unigéniti, & novíssima ejus quasi diem amárum. ℣. Filius hóminis tradendus est in manus hóminum; & occí-

dent eum. * Ponam diem. *Amos* 8. *Matth.* 17.

*Lectio ij.*

ADan audítus est frémitus equórum ejus ; à voce hinnítuum pugnatórum ejus commóta est ómnis terra : & venérunt , & devoravérunt terram & plenitúdinem ejus , urbem & habitatóres ejus. Quia ecce ego mittam vobis serpentes régulos , quibus non est incantátio ; & mordébunt vos , ait Dóminus. Dólor meus super dolórem , in me cor meum mœrens. Ecce vox clamóris filiæ pópuli mei de terra longínqua : Numquid Dóminus non est in Sion ? aut rex ejus non est in ea ? Quare ergo me ad iracúndiam concitavérunt in sculptílibus suis , & in vanitátibus aliénis ? Tránsiit messis , finíta est æstas , & nos salvati non sumus. Super contritióne filiæ pópuli mei contrítus sum & contristátus ; stupor obtínuit me. Numquid resina non est in Gálaad ? aut médicus non est ibi ? Quare ígitur non est obducta cicátrix filiæ pópuli mei ? Jerúsalem.

℟. Multiplicátæ sunt mihi víduæ Jerúsalem : * Induxi eis super matrem adolescentis vastatórem merídie ; & resíduos in gládium dabo. ℣. Ecce vénient dies in quibus dicent : Beátæ stériles , & ventres qui non genuérunt , & úbera quæ non lactavérunt : * Induxi. *Jerem.* 15. *Luc.* 23.

*Lectio iij.* Cap. 9.

HÆc dicit Dóminus exercítuum , Deus Israel : Contemplámini , & vocáte lamentatrices , & véniant : & ad eas quæ sapientes sunt , míttite , & próperent : festínent , & assúmant super nos lamentum : dedúcant óculi nostri lácrymas , & pálpebræ nostræ défluant aquis. Quia vox lamentatiónis audíta est de Sion : Quómodo vastáti sumus & confúsi vehementer ? quia derelíquimus terram , quóniam dejecta sunt tabernácula nostra. Audíte ergo , mulíeres , verbum Dómini ; & assúmant aures vestræ sermónem oris ejus ; & docéte filias vestras lamentum , & unaquæque próximam suam planctum ; quia ascendit mors per fenestras nostras ; ingressa est domos nostras , dispérdere párvulos déforis , júvenes de pláteis. Jerúsalem.

℟. Deducant óculi mei lácrymam per noctem & diem , & non táceant ; * Quóniam contritióne magnâ contríta est vírgo filia pópuli mei, plagâ péssimâ vehementer. ℣. Si in viridi ligno hæc fáciunt , in árido quid fiet ? * Quóniam. *Non dicitur* Glória. *Jerem.* 14. *Luc.* 23.

*IN II. NOCTURNO.*

*Ant.* 1. a. Dóleo super te , decóre nimis & amábilis. Sicut únicum filium , ita ego te diligébam. 2. *Reg.* 1.

*Ant.* 4. *E.* Fili mi , fili mi , quis mihi dabit ut ego móriar pro te ? 2. *Reg.* 18.

*Ant.* 8. C. Præcipe , Dómine , récipi spíritum meum : expedit enim mihi mori magis quam vívere. *Tob.* 3.

℣. Sitívit ánima mea: quàm multipliciter tibi caro mea!

℟. Adhæsit ánima mea post te. *Ps.* 62.

Sermo sancti Bernardi Abbátis.

*Serm. de* 12. *Prærog. B. M. V. n.* 14.

*Lectio iv.*

MArtyrium Vírginis tam in Simeónis prophetía, quàm in ipsa Domínicæ passiónis históriа commendátur. Pósitus est hic, ait sanctus senex de párvulo Jesu, in signum cui contradicétur; & tuam ipsíus ánimam (ad Maríam autem dicébat) pertransibit gládius. Verè tuam, ô beáta Mater, ánimam gládius pertransívit; alióquin, nonnisi eam pertránsiens, carnem Fílii tui penetráret.

℟. Símeon dixit ad Maríam matrem Jesu: Ecce pósitus est hic in signum cui contradicétur: * Et tuam ipsíus ánimam pertransíbit gládius, ut revelentur ex multis córdibus cogitatiónes. ℣. Repléberis cálice mœróris & tristítiæ, & bibes illum, & epotábis usque ad fæces; * Et tuam. *Luc.* 2. *Ezech.* 23.

*Lectio v.*

ET quidem postéaquàm emísit spíritum tuus ille Jesus, ómnium quidem, sed speciáliter tuus; ipsíus planè non áttigit ánimam crudélis láncea, quæ ipsíus, nec mórtuo parcens cui nocére non posset, apéruit latus, sed tuam útique ánimam pertransívit. Ipsíus nimírum ánima jam ibi non erat: sed tua planè inde nequíbat avelli. Tuam ergo pertransívit ánimam vis dolóris, ut plusquàm Mártyrem non imméritò prædicémus, in qua nimírum corpóreæ sensum passiónis excésserit compassiónis affectus.

℟. Sequebátur Jesum turba mulíerum quæ plangébant & lamentabantur eum. Et postquàm venérunt in locum Calváriæ, crucifixérunt eum, * Stabat autem juxta crucem Jesu mater ejus. ℣. Sedérunt in terra, consperstérunt cinere cápita sua, abjecérunt in terram cápita sua vírgines Jerúsalem. * Stabat. *Luc.* 23. *Joan.* 19. *Thren.* 2.

*n.* 15. *Lectio vj.*

NOn mirémini, fratres, quòd Maria Martyr in ánima fuísse dicátur. Mirétur qui non meminerit se audísse Paulum inter máxima géntium crímina memorantem, quòd sine affectióne fuíssent. Longè id fuit à Maríæ viscéribus; longè *id sit étiam* à sérvulis ejus. Sed fortè quis dicat: Numquid non eum præscíerat moritúrum? Et indubitanter. Numquid non sperábat contínuò resurrectúrum? Et fidenter. Super hæc dóluit crucífixum? Et vehementer. Alióquin, quisnam tu, frater, aut unde tibi hæc sapiéntia, ut miréris plùs Maríam compatientem, quàm Maríæ Fílium patientem? Ille étiam mori córpore pótuit; ista cómmori corde non pótuit? Fecit illud cáritas, quâ majórem nemo hábuit: fecit & hoc cáritas, cui post illam símilis áltera non fuit.

℟. Vidit Jesus matrem, & discípulum stantem quem di-



*

ligébat; * Et dicit Jesus matri suæ: Múlier, ecce filius tuus. ℣. Supra modum mater mirábilis bono ánimo ferébat, propter spem quam in Deum habébat, femíneæ cogitatióni masculínum ánimum ínserens. * Et dicit Jesus. *Non dicitur* Glória Patri. *Joan.* 19. 2. *Mach.* 7.

*IN III. NOCTURNO.*

*Ant.* 3. a. Nemo gáudeat super me desolátam; ego enim derelícta sum sola, & clamábo ad Altíssimum in diébus meis. *Baruch* 4.

*Ant.* 2 D. Oculus meus non tácuit, eò quòd non esset réquies, donec respíceret & vidéret Dóminus de cœlis. *Thren.* 3.

*Ant.* 5. a. Non repellet in sempiternum Dóminus; quia si abjécit, & miserébitur secundùm multitúdinem miseratiónum suárum. *Thren.* 3.

℣. In umbra alárum tuárum sperábo, ℟. Donec tránseat iníquitas. *Ps.* 56.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

*Lectio vij.* Cap. 19.

IN illo témpore: Stabat juxta crucem Jesu mater ejus, & soror matris ejus María Cléophæ, & María Magdaléne. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Episcopi.

*De Institut. Virg. C. 7. n.* 48.

CLáudite ora, ímpii, aperíte aures, pii: audíte quid Christus loquátur. Testátur de cruce Dóminus Jesus; & paulisper públicam differt salútem; ne matrem inhonóram relinquat. Subscríbitur Joannes testamento Christi: legátur matri pudóris defénsio, testimónium integritátis: legátur & discípulo matris custódia, pietátis grátia commendátur. Ex illo suscépit eam discípulus in sua. Non útique Christus faciébat divórtium, non María relinquébat virum. Sed cum quo Virgo habitáre debébat, quàm cum eo quem Filii hærédem, integritátis sciret esse custódem? Stabat ante crucem mater; &, fugiéntibus viris, stabat intrépida.

℟. Dicit Jesus discípulo quem diligébat: * Ecce mater tua. ℣. Cùm accéperit Deus ánimam meam, honórem habébis matri tuæ ómnibus diébus vitæ ejus: * Ecce. *Joan.* 19. *Tob.* 4.

*n.* 49. *Lectio viij.*

STabat non degéneri mater spectáculo, quæ non metúeret peremptórem. Pendébat in cruce Filius, mater se persecutóribus offerébat. Si hoc solùm esset ut ante Filium prosternerétur, laudandus pietátis affectus, quòd Filio superstes esse nolébat. Sin verò, ut cum Filio morerétur, cum eódem gestiébat resúrgere, non ignára mystérii quòd genuísset resurrectúrum: simul quæ público úsui impendi mortem Filii nóverat, præstolabátur si fortè étiam suâ morte público múneri áliquid adderétur. Sed Christi pássio adjutório non éguit, sicut ipse Dóminus longè antè prædixit: Et respexi, & non erat auxiliátor; & attendi, &

nemo suscipiébat ; & liberábo eos brachio meo. Quómodò ergo extorquéri pótuit intégritas Mariæ, quæ, fugientibus Apóstolis, supplícia non metuébat, sed ipsa se offerébat perículis ?

℟. Ex illa hora accépit matrem Jesu discípulus in sua. * Erat ferè hora sexta ; & ténebræ factæ sunt in universam terram ℣. Misi repentè terrórem, dicit Dóminus : infirmáta est quæ péperit : óccidit ei sol, cùm adhuc esset dies. * Erat ferè hora sexta, & ténebræ. *Joan.* 19. *Luc.* 23. *Jerem.* 15.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

*Lectio ix.* Cap. 11.

IN illo témpore ; Collegérunt Pontífices & Phariséi concílium, & dicébant : Quid fácimus ? quia hic homo multa signa facit. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

*In Joan. Tract.* 49. *n.* 26.

DIcébant : Quid fácimus ? nec tamen dicébant : Credámus. Plus enim pérditi hómines cogitábant quómodò nocérent ut pérderent, quàm quómodò sibi consúlerent ne perírent. Et tamen timébant, & quasi consulébant. Dicébant enim : Quid fácimus ? quia hic homo multa signa facit. Si dimíttimus eum sic, omnes crédent in eum ; & vénient Románi, & tollent nostrum locum & gentem. Temporália pérdere timuérunt, & vitam æternam non cogitavérunt ; ac sic utrumque amisérunt.

℟. Omnis turba eórum qui simul áderant ad spectáculum istud, & videbant quæ fiébant, percutientes péctora sua revertebantur : stabant autem * Noti ejus & mulíeres de longè aspicientes, ℣. Plangent eum planctu quasi super unigénitum, & dolébunt super eum ut in morte primogéniti, * Noti ejus. *Non dicitur* Glória Patri. *sed repetitur* ℟. Omnis. *usque ad* ℣. Plangent eum. *Luc.* 23. *Marc.* 15. *Zach.* 12.

*Non dicitur* Te Deum.

AD LAUDES MATUTINAS.

*Ant.* 7. b. O Vos omnes qui transítis per viam, atténdite, & vidéte si est dolor sicut dolor meus. *Thren.* 1.

*Ant.* 1. f. Defecérunt præ lacrymis óculi mei : conturbáta sunt víscera mea. *Thren.* 2.

*Ant.* 8. c. Attenúati sunt óculi mei, suspicientes in excelsum : Dómine, vim pátior. *Is.* 38.

*Ant.* 2. D. Obtexit.

*Canticum.* Thren. 2.

QUómodo obtexit calígine in furóre suo Dóminus * filiam Sion :

Projécit de cœlo in terram * ínclytam Israël :

Et non est recordátus scabelli pedum suórum * in die furóris sui.

Præcipitávit Dóminus, nec pepércit, * ómnia speciósa Jacob :

Destrúxit in furóre suo munitiónes vírginis Juda : * & dejécit in terram.

Pólluit regnum * & príncipes ejus.

Confrégit in ira furóris sui * omne cornu Israël.

Avertit retrorsùm déxteram suam * a fácie inimici:

Et succendit in Jacob quasi ignem flammæ * devorantis in gyro.

Tetendit arcum suum quasi inimícus; * firmávit déxteram suam quasi hostis:

Et occídit omne quod pulchrum erat visu, * in tabernáculo filiæ Sion.

*Ant.* Obtexit calígine in furóre suo Dóminus filiam Sion. *Thren.* 2.

*Ant.* 4. *D.* Angústia possédit me sicut angústia parturientis: córrui, cùm audírem, *cùm vidérem*; ténebræ stupefecérunt me. *Is.* 21.

*Capitulum.* Thren. 1.

VIde, Dómine, quóniam tríbulor, conturbátus est venter meus, subversum est cor meum in memetipsa, quóniam amaritúdine plena sum.

*Hymnus.*

ILLÆSA, te, puérpera,
Non fécerat matrem dolor
Nascente quem nescíveras
Orbáta sentis Filio.

DUM te salútat últimùm,
Natóque tradit álteri,
Natumque tradit álterum,
In morte Christum páxturis.

NON ejulantem cérnimus;
Non ungue vellentem comas;
Silensque plus novit pati
Virtus dolóre fórtior.

QUI natus es de Vírgine,
Jesu, tibi sit glória
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula. Amen.

℣. Dùm turbábitur terra, ℟. Deus in médio ejus; non commovébitur. *Ps.* 45.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 7. G. Fortis est ut mors diléctio. Aquæ multæ non potuérunt extinguere caritátem, nec flúmina óbruent illam. *Cant.* 8.

*Oratio.*

DA, quæsumus, Dómine, córdibus nostris íntimum veræ pietátis affectum: ut in tui Fílii passióne sanctíssimæ matri ejus dignè compatientes, salutáris mystérii fructum percípere mereámur; Per eumdem Dóminum nostrum Jesum Christum, Fílium tuum, qui tecum.

*Pro Commem. Feriæ.*

*Ant.* 1. g. Collegérunt Pontífices & Phariséi concilium adversùs Jesum, & dicébant: Quid fácimus? quia hic homo multa signa facit. *Joan.* 11.

℣. Intende ánimæ meæ, & líbera eam: ℟. Propter inimícos meos éripe me. *Ps.* 68.

*Oratio.*

TUæ nos, Dómine, grátiâ pietátis illustra; ut semper in regendis áctibus & móribus potióra probantes, & quod nocet fúgere, & quod prodest elígere, te inspirante, possímus; Per Dóminum.

*AD HORAS, in fine Hymnorum dicitur:* Qui natus es de Vírgine.

AD PRIMAM.

*Ant.* O vos omnes.

*In ℟. br. ℣.* Qui natus es * de María Vírgine. *Et non dicitur* Glória Patri.

AD TERTIAM.

*Ant.* Defecérunt.

*Capitulum.* Job. 30.

INteriora mea efferbuérunt absque ulla réquie ; prævenérunt me dies afflictiónis : mœrens incedébam.

℟. *br.* Tribulatiónem * Et dolórem invéni. Tribulatiónem. ℣. Circumdedérunt me dolóres mortis , * Et dolórem invéni. *Repetitur* ℟. Tribulatiónem * & dolórem invéni. *Ps.* 114.

℣. Sustínui qui simul contristarétur, & non fuit ; ℟. Et qui consolarétur, & non invéni. *Ps.* 68.

AD SEXTAM.

*Ant.* Attenuáti sunt.

*Capitulum.* Thren. 3.

INundavérunt aquæ super caput meum ; dixi : Périi. Invocávi nomen tuum, Dómine, de lacu novíssimo.

℟. *br.* Usquequò , Deus, * Improperábit inimícus ? Usquequò. ℣. Irritat adversárius nomen tuum in finem ? * Improperábit. ℟. Usquequò. *Ps.* 73.

℣. Da impérium tuum púero tuo. ℟. Et salvum fac filium ancillæ tuæ. *Ps.* 85.

AD NONAM.

*Ant.* Angústia.

*Capitulum.* Jerem. 4.

VOcem quasi parturientis audivi , angústias , ut puérperæ. Vox filiæ Sion intermorientis expandentisque manus suas : Væ mihi , quia defécit ánima mea.

℟. *br.* Cor meum conturbátum est : * Derelíquit me virtus mea. Cor meum ℣. Lumen oculórum meórum , & ipsum non est mecum : * Derelíquit. ℟. Cor meum. *Ps.* 37.

℣. Tribulatiónem meam ante Dóminum pronúntio , ℟. In deficiendo ex me spíritum meum. *Ps.* 141.

AD II. VESPERAS.

*Ant.* 1. f. FEcit Dóminus quæ cogitávit , complévit sermónem suum , & non pepercit , & lætificávit super te inimícum. *Thren.* 2.

*Ant.* 2. D. Plausérunt super te mánibus omnes transeuntes per viam : sibilavérunt , & movérunt caput. *Thren.* 2.

*Ant.* 7. d. Consurge , filia Sion ; effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Dómini : leva ad eum manus tuas. *Thren.* 2.

*Ant.* 8. c. Persecútus est te inimícus tuus , sed citò vidébis perditiónem ipsíus , & super cervíces ipsíus ascendes. *Baruch* 4.

*Ant.* 6. Nocéntes períbunt qui te vexavérunt ; & exultátio multitúdinis erit in luctum. *Baruch.* 4.

*Capitulum.* Jerem. 15.

DIcit Dóminus : Si non reliquiæ tuæ in bonum , si non occurri tibi in témpore afflictionis , & in témpore tribulatiónis adversùs inimícum.

*Hymnus* , DUM spargit aram. *suprà* , 238.

℣. Quando consoláberis me , Dómine ? ℟. Quando fácies de persequéntibus me judícium ? *Ps.* 118.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 4. E. Animæquior esto : exhortátur enim te , qui nominávit ; & qui grátulati sunt in tua ruína, punientur. *Baruch.* 4.

*Oratio, ut suprà ad Laudes.*

*Pro Commem. Feriæ.*

*Ant. 6.* Ab illo die cogitavérunt ut interfícerent Jesum. Jesus ergo jam non in palàm ambulábat apud Judæos, sed âbiit in regiónem juxta desértum cum discípulis suis. *Joan. 11.*

℣. Captábunt in ánimam Justi, ℟. Et sánguinem innocéntem condemnábunt. *Ps. 93.*

*Oratio.*

Miserére, Dómine, deprecántis Ecclésiæ, & inclinántibus tibi sua corda propitiátus intende; ut quos unigéniti Fílii tui morte redemísti, nec peccátis fieri permíttas obnóxios, nec opprimi patiáris adversis; Per eumdem Dóminum nostrum.

Completorium, *ut suprà*, 131. *Hymnus*, Virgo Dei génitrix. *ut in Officio parvo.*

## SABBATO ANTE PALMAS.

De Jeremía Prophéta.

*Lectio j.* Cap. 9.

Loquere: Hæc dicit Dóminus: Et cadet morticínum hóminis quasi stercus super fáciem regiónis, & quasi fœnum post tergum metentis; & non est qui cólligat. Hæc dicit Dóminus: Non gloriétur sápiens in sapiéntia sua, & non gloriétur fortis in fortitúdine sua, & non gloriétur dives in divítiis suis; sed in hoc gloriétur, qui gloriátur, scire & nosse me, quia ego sum Dóminus, qui facio misericórdiam, & judícium, & justítiam in terra: hæc enim placent mihi, áit Dóminus. Ecce dies véniunt, dicit Dóminus, & visitábo super omnem qui circumcísum habet præpútium, super Ægyptum, & super Judam, & super Edom, & super filios Ammon, & super Moab, & super omnes qui attonsi sunt in comam habitantes in deserto; quia omnes gentes habent præpútium: omnis autem domus Israel incircumcísi sunt corde. Jerúsalem.

℟. Réspice. 219.

*Lectio ij.* Cap. 10.

Non est símilis tui, Dómine: magnus es tu, & magnum nomen tuum in fortitúdine. Quis non timébit te, ô Rex géntium? tuum est enim decus. Inter cunctos sapientes géntium, & in universis regnis eórum nullus est símilis tui. Páriter insipientes & fátui probabuntur; doctrína vanitátis eórum lignum est. Argentum involútum de Tharsis affertur, & aurum de Ophaz, opus artificis; & manus ærárii: hyacinthus & púrpura indumentum eórum; opus artificum universa hæc. Dóminus autem Deus verus est: ipse Deus vivens, & Rex sempiternus. Ab indignatióne ejus commovébitur terra; & non sustinébunt gentes comminatiónem ejus. Sic ergo dicétis eis: Dii, qui cœlo & terram non fecérunt, péreant de terra & de his quæ sub cælo sunt. Jerúsalem.

℟. Deus meus. 219.

Léctio

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

*Lectio iij.* Cap. 12.

IN illo tempore; Cogitavérunt príncipes Sacerdótum ut & Lázarum interfícerent; quia multi propter illum abíbant ex Judæis, & crédebant in Jesum. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

*In Joan. Tract.* 50. *n.* 24.

VIso Lázaro resuscitáto, quia tantum miráculum Dómini tantâ erat evidentiâ diffamátum, tantâ manifestatióne declarátum, ut non possent vel occultáre quod factum est, vel negáre; quid invenérunt vidéte. Cogitavérunt autem príncipes Sacerdótum ut & Lázarum interfícerent. O stulta cogitátio, & cæca sævítia! Dóminus Christus qui suscitáre potuit mórtuum, non posset occísum? Quando Lázaro inferebátis necem, numquid auferebátis Dómino potestátem? Si áliud vobis vidétur mórtuus, áliud occísus; ecce Dóminus utrumque fecit: & Lázarum mórtuum, & seipsum suscitávit occísum. Tu autem.

℟. Adhuc módicum, lumen in vobis est. * Ambuláte, dum lucem habétis; ut non vos ténebræ comprehendant. ℣. Date Dómino Deo vestro glóriam, ántequàm contenebrescat: * Ambuláte, dum lucem habétis, &c. *Joan.* 12. *Jerem.* 13.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 1. f. Venit hora, ut clarificétur Fílius hóminis. *Joan.* 12.



*Oratio.*

OMnípotens, sempitérne Deus, cleméntiam tuam suppliciter exorámus, ut salutáribus jejúniis castigáti, & bonórum óperum exercitatióne mundáti, ad celebrandum Paschále mystérium dignis sénsibus accedámus; Per Dóminum.

¶ *A Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis inclusivè, non fit de ullo Festo Duplici & suprà; sed ejus Officium transfertur post Octavam Paschæ.*

*De Semiduplici autem & Simplici nulla fit Commemoratio.*

## DOMINICA PALMARUM.

*Duplex I. Ordinis.*

### IN I. VESPERIS.

*Antiphona & Psalmi de Sabbato, ut in Psalterio.*

*Capitulum.* Jerem. 26.

ECce in mánibus vestris sum: fácite mihi quod bonum & rectum est in óculis vestris. Verúmtamen scitóte & cognóscite quod si occidéritis me, sánguinem innocentem tradétis contra vosmetipsos, & contra civitátem istam, & habitatóres ejus; in veritáte enim misit me Dóminus ad vos.

℟. Jerúsalem, Jerúsalem, quóties vólui congregáre fílios tuos? & noluísti: * Ecce relinquétur vobis domus vestra deserta. Dico enim vobis; non me vidébitis ámodò, donec dicátis: Benedictus qui venit in nómine Dómini. ℣. Dedi dilectam ánimam meam in manu inimicórum ejus:

hæréditas mea dedit contra me vocem, ídeò odívi eam. * Ecce relinquétur. *Non dicitur* Glória. *Matth.* 23. *Jerem.* 12.

*Hymnus*, VEXILLA, 225.

℣. Dixi: Ecce vénio, ℟. Ut fáciam, Deus, voluntátem tuam. *Hebr.* 10.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 8. G. Jerúsalem, si cognovísses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi! nunc autem abscóndita sunt ab óculis tuis. *Luc.* 19.

*Oratio, ut infrà ad Laudes.*

COMPLETORIUM, *ut supra*, 131.

## AD OFFICIUM NOCT.

*Invit.* Christum Jesum qui dedit redemptiónem semetipsum pro ómnibus, * Veníte, adorémus. 1. *Tim.* 2.

*Ps.* 94. Veníte. *sine* Glória Patri. *sed dicto* Quadraginta. *dicitur* * Veníte, adorémus. *Deinde repetitur Invitatorium.*

*Hymnus*, LUGETE, *ut supra*, 224.

### *IN I. NOCTURNO.*

*Antiph. Psalmi & ℣℣℣. ut in Psalterio.*

De Jeremía Prophéta.

*Lectio j.* Cap. 11.

QUid est quòd dilectus meus in domo mea fecit scélera multa? Numquid carnes sanctæ áuferent à te malítias tuas, in quibus gloriáta es? Olívam úberem, pulchram, fructíferam, speciósam vocávit Dóminus nomen tuum: ad vocem loquélæ, grandis exarsit ignis in ea; & combústa sunt frutéta ejus. Et Dóminus exercítuum qui plantávit te, locútus est super te malum pro malis domûs Israel & domûs Juda, quæ fecérunt sibi ad irritándum me, libantes Báalim. Tu autem, Dómine, demonstrásti mihi, & cognóvi; tunc ostendísti mihi stúdia eórum. Et ego quasi agnus mansuétus qui portátur ad víctimam; & non cognóvi quia cogitavérunt super me consília, dicentes: Mittámus lignum in panem ejus, & eradámus eum de terra vivéntium, & nomen ejus, non memorétur ámplius. Tu autem, Dómine sábaoth, qui júdicas justè, & probas renes & corda, vídeam ultiónem tuam ex eis: tibi enim revelávi causam meam. Jerúsalem.

℟. Décimâ die mensis hujus tollat unusquisque agnum per famílias, & domos suas; & servábitis eum usque ad quartam-décimam diem mensis hujus: * Immolábit eum univérsa multitúdo filiórum Israel ad vésperam. ℣. Venit dies azymórum, in quo necésse erat occídi Pascha. * Immolábit. *Exod.* 12. *Luc.* 22.

*Lectio ij.* Cap. 12.

JUstus quidem tu es, Dómine, si dispútem tecum; verumtamen justa loquar ad te: Quare via impiórum prosperátur? bene est ómnibus qui prævaricantur; & iníque agunt? Plantásti eos; & radícem misérunt; proficiunt, & fáciunt fructum: propè es tu ori eórum, & longè à rénibus eórum. Et tu, Dómine, nosti me, vidísti me, & probásti cor meum tecum: cóngrega eos quasi gregem ad víctimam, & sanctífica eos in die

occisiónis. Usquequò lugébit terra, & herba omnis regiónis siccábitur propter malítiam habitántium in ea? Consúmptum est ánimal, & vólucre, quóniam dixérunt: Non vidébit novíssima nóstra. Jerúsalem.

℟. Post hebdómades séptem, & hebdómades sexaginta duas * Occidétur Christus; & in dimídio hebdómadis defíciet hóstia & sacrifícium. ℣. Fílius hóminis tradétur princípibus Sacerdótum, & condemnábunt eum morte. * Occidétur. *Dan. 9. Matth. 20.*

*Lectio iij.*

RElíqui domum meam, dimísi hæreditátem meam: dedi dilectam ánimam meam in manu inimicórum ejus. Facta est mihi hæréditas mea quasi leo in sylva: dedit contra me vocem, ídeò odívi eam. Numquid avis discolor hæréditas mea mihi? numquid avis tincta per totum? Veníte; congregámini, omnes béstiæ terræ, properáte ad devorándum. Pastóres multi demoliti sunt víneam meam, conculcavérunt partem meam: dedérunt portiónem meam desiderábilem in desértum solitúdinis. Posuérunt eam in dissipatiónem, luxitque super me: desolatióne desoláta est omnis terra; quia nullus est qui recógitet corde. Jerúsalem.

℟. Si sanguis hircórum inquinátos sanctíficat ad emundatiónem carnis; * Quantò magis sanguis Christi emundábit consciéntiam nostram ab opéribus mórtuis? ℣. Dixit Dóminus ad Móysen; Hircus offerétur Dómino pro peccátis in holocaustum sempitérnum; * Quantò magis. *Non dicitur* Glória Patri. *Hebr. 9. Num. 28.*

*IN II. NOCTURNO.*

Sermo sancti Leónis Papæ. *Serm. 60. de Pass. Dom. II.*

*Lectio iv.* Cap. 1.

DEsiderata nobis, Dilectíssimi, & universo optábilis mundo, adest festívitas Dominicæ passiónis, quæ nos inter exultatiónes spirituálium gaudiórum sílere non pátitur; quia etsi difficile est de eádem solemnitáte sæpiùs dignè aptèque dissérere, non est tamen liberum Sacerdóti, in tanto divínæ misericórdiæ sacramento, fidélis pópuli áuribus subtráhere sermónis officium: cùm ipsa matéria ex eò quod est ineffábilis, fandi tríbuat facultátem; nec possit defícere quod dicátur, dum nunquam potest satis esse quod dícitur. Quid autem inter ómnia ópera Dei in quibus humánæ admiratiónis fatigátur inténtio, ita contemplatiónem mentis nostræ & oblectat & superat, sicut pássio Salvatóris? De cujus omnipoténtia quæ ei cum Patre unius & æquális essentiæ est, quóties, ut póssumus, cogitámus, mirabílior nobis fit in Deo humílitas quàm potestas; & difficíliùs cápitur divínæ majestátis exinanitio, quàm servílis formæ in summa provéctio.

℟. Factum est, dum complerentur dies assumptiónis Jesu, * Et ipse fáciem suam firmávit ut iret in Jerúsalem. ℣. Dedit se ut liberáret pópu-

lum ſuum, * Et ipſe. *Luc.* 9. 1. *Mach.* 6.

*Lectio v.*

CHriſtus, ut humánum genus vínculis mortíferæ prævaricatiónis abſólveret, & ſævienti diábolo poténtiam ſuæ majeſtátis occúluit, & infirmitátem noſtræ humilitátis objécit. Si enim crudélis & ſuperbus inimícus consílium miſericórdiæ Dei noſſe potuiſſet, Judæórum ánimos manſuetúdine pótius temperáre, quàm in juſtis ódiis ſtuduiſſet accéndere; ne ómnium captivórum amítteret ſervitútem, dum nihil ſibi debentis perſéquitur libertátem. Fefellit ergo illum malígnitas ſua: íntulit ſupplícium Fílio Dei, quod cunctis fíliis hóminum in remédium verterétur. Fudit sánguinem juſtum, qui reconciliando mundo & prétium eſſet & póculum. Suſcépit Dóminus quod ſecundùm propóſitum ſuæ voluntátis elégit. Admíſit in ſe ímpias manus furéntium, quæ dum próprio incumbunt ſcéleri, famuláræ ſunt Redemptóri. Cujus étiam circa interfectóres ſuos tanta erat pietátis affectio, ut de cruce ſupplicans Patri, non ſe vindicári, ſed illis poſtuláret ignóſci.

℟. Præcedébat diſcípulos Jeſus; & ſtupébant, & ſequentes timébant. Et cœpit illis dícere: * Ecce aſcéndimus Jeroſólymam, & damnábunt Fílium hóminis morte. ℣. Ego in flagella parátus ſum; inimíci autem mei confirmáti ſunt ſuper me. * Ecce aſcéndimus. *Marc.* 10. *Pſ.* 37.

*Lectio vj.* Cap. 5.

QUod ergo falſi teſtes, quod cruenti príncipes, quod ímpii Sacerdótes in Dómini Jeſu Chriſti myſtério, ignáviâ præſidis, & famulátu imperítæ cohortis egérunt, & deteſtandum univerſis ſéculis, & amplectendum fuit. Crux enim Dómini, ſicut in Judæórum erat mente crudélis, ita eſt in Crucifixi virtúte mirábilis. Furit in unum pópulus, & miſerétur ómnium Chriſtus. Quod ſævítia infertur, poteſtáte ſuſcípitur; ut licéntia facinoris æternæ opus impleat voluntátis. Unde omnis ordo rerum geſtárum, quem pleníſſimè Evangélica narrátio percurrit, ita fidélium eſt accipiendus auditu, ut ſalvâ fide actiónum quæ témpore Domínicæ paſſiónis implétæ ſunt, intelligámus non ſolùm remiſſiónem peccatórum in Chriſto complétam, ſed étiam formam juſtítiæ eſſe propóſitam.

℟. Ecce aſcéndimus Jeroſólymam, * Et conſummabuntur ómnia quæ ſcripta ſunt de Fílio hóminis: tradétur enim géntibus, & illudétur, & flagellábitur & conſpuétur; & occident eum. ℣. Inimíci mei dixérunt mala mihi: Quando moriétur, & períbit nomen ejus? Verbum iniquum conſtituérunt adversùm me. * Et conſummabuntur ómnia quæ ſcripta ſunt de Fílio hóminis: tradétur enim géntibus & illudétur, & flagellábitur, & conſpuétur; & occident eum. *Non dicitur* Glória Patri. *Luc.* 18. *Pſ.* 40.

*IN III. NOCTURNO.*
Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

*Lectio vij.* Cap. 21.

IN illo témpore; Cùm appropinquassent Jerosólymis, & venissent Béthphage ad montem Olivéti; tunc Jesus misit duos discípulos, dicens eis: Ite in castéllum quod contra vos est, & statim inveniétis ásinam alligátam, & pullum cum ea: sólvite, & addúcite mihi. Et réliqua.

Homília sancti Joannis Chrysóstomi.

*In Matth.* 67.

DUplicem in hoc facto prophetíam, álteram ópere, álteram verbis Jesus adimplet: ópere quidem, quòd super ásinam séderit: verbis verò, quia scriptum est à Zacharía quòd in ásina sicuti rex sedébit. Cùm ígitur id, véluti scriptum est, explesset: altérius ipse prophetíæ dabat inítium, quæ futúra erant ipsis factis significando. Immundárum enim vocatiónem géntium, & quòd in ipsis requiescet, & vénient atque adorábunt eum. res ista significábat: ita prophetíæ prophetía succéssit. Mihi veró, non idcircò solùm in ásina sedísse vidétur, verum étiam ut vivendi philosóphiâ nos erudíret. Ita simul, & prophetías adimplébat, & dógmata veritátis plantábat, & vívendi præcepta exemplis præbébat & affirmábat. Régulas enim nobis præbet, ne majóra quàm necessárius usus éxigat, requirámus.

℟. Vénier qui mittendus est, & ipse erit expectátio géntium; * Ligans ad víneam pullum suum, & ad vitem, ô fili mi; ásinam suam. ℣. Benedictus, qui venit in nómine Dómini, Rex Israel: * Ligans. *Gen.* 49. *Joan.* 12.

*Lectio viij.*

SEd videámus jam tam verborum quàm rerum prophetíam. Quæ ígitur est illa? Ecce Rex tuus venit tibi mansuétus, ascendens super jugálem & pullum novum. Non currus, ut reges céteri, agens; non vectigália éxigens, non elátus tumóre, nec satellítibus stipátus; sed magnam úndique monstrans humilitátem. Interrogétur ergo Judæus, quisnam regum ásinâ vectus Jerosólymam intrávit? Néminem profectò præter Christum dicere posset. Hæc faciébat, ut, quemádmodùm díximus, figúris ventúra significáret. Hìc enim Eccléfia & novus pópulus olim immundus per pullum significátur; qui, postquàm in eo Jesus quiévit, ab omni sorde liberátus, mundus effectus est. Perpende autem ad amussim imáginem esse conservátam. Discípuli quippe jumenta sólvunt; quóniam & nos, & illi per Apóstolos vocáti, & adducti ad Christum sumus; & nostra fides in zelum illos deduxit. Idcircò ásina pullum suum sequi perspícitur; quóniam, postquàm in géntibus Christus séderit, tunc & Israelítæ zelantes vénient; quod Paulus significans, dicébat; Quia cæcitas ex parte Israéli áccidit, quousque ple-

nitúdo géntium intráret ; & sic omnis Israel salvábitur.

℟. Dixit Jesus : Ite, invenietis ásinam alligátam, & pullum cum eâ : sólvite, & addúcite mihi : & * Si quis vobis áliquid díxerit, dícite quia Dóminus his opus habet : & confestim dimittet eos. ℣. Meæ sunt omnes feræ sylvárum, jumenta in montibus. * Si quis. *Matth.* 21. *Ps.* 49.

*Lectio ix.*

HÆc faciébat Jesus, non ut se hâc pompâ ostentáret ; sed partim ut & prophetíam, ut díximus, impléret ; & vitam nostram, instrúeret ; partim ut discípuli horum testes hinc máximè solámen mortis ejus habérent, cùm vidérent in nullo invítum posse violári. Tu verò id étiam admiráre quómodò tam à Zacharía quàm à David ad unguem ista prædicta fuérunt. Sic ígitur étiam nos faciámus ; & laudes cantémus, & vestimenta tradámus iis qui ipsum afferunt. Quâ enim véniâ digni érimus, cùm illórum álii ásinam vestimentis suis, Christi in ea sessúri grátiâ, ornárent, álii indumenta sub pédibus ásinæ stérnerent, si nos nudum ipsum vidéntes, à recónditis pro eo quidquàm impéndere nólumus ; & cùm illórum álii præcédant, álii subsequantur, nos advenientem repellámus atque contemnámus ? Quo putas hæc supplício digna esse? Accédit ad te Dóminus índigens ; tu ne supplicantem quidem audire vis, sed accúsas & increpas.

℟. Exulta satis, filia Sion, júbila, filia Jerúsalem : * Ecce Rex tuus véniet tibi justus, & salvátor : ipse pauper, & ascendens super ásinam & super pullum filium ásinæ. ℣. Invénit Jesus aséllum, & sedit super eum, sicut scriptum est : * Ecce. *Non dicitur.* Glória Patri. *sed repetitur.* ℟. Exulta. *usque ad* ℣. Invénit. *Zach.* 9. *Joan.* 12.

AD LAUDES.

*Ant.* 1. a. DIcite filiæ Sion : Ecce Rex tuus vénit tibi mansuétus, sedens super ásinam & pullum filium subjugális. *Matth.* 21.

*Ant.* 1. f. Testimónium perhibébat turba quæ erat cum eo, quando Lázarum suscitávit à mórtuis : propterèa & óbviàm venit ei turba, quia audiérunt eum fecísse hoc signum. *Joan.* 12.

*Ant.* 2. D. Multi autem vestimenta sua stravérunt in via ; álii autem frondes cædébant de arbóribus, & sternébant in via. *Marc.* 11.

*Ant.* 3. a. Cœpérunt turbæ laudáre Deum super ómnibus quas víderant virtútibus, dicentes : Benedictus qui venit Rex in nómine Dómini. *Luc.* 19.

*Ant.* 6. Dico vobis : Quia, si hi tacúerint, lápides clamábunt. *Luc.* 19.

*Capitulum.* Coloss. 2.

CHirógraphum decréti, quod erat contrárium nobis, & ipsum tulit Christus de médio, affigens illud cruci, & expólians principátus & potestátes, traduxit confidenter, palàm triumphans illos

in semetipso.

*Hymnus*, Dum, Christe, *ut suprà*, 224.

℣. Confiteantur tibi pópuli, Deus: ℟. Confiteantur tibi pópuli omnes. *Ps.* 66.

*Ad* Bened. *Ant.* 1. D. Turbæ quæ præcedébant, & quæ sequébantur, clamábant, dicentes: Hosanna Fílio David: benedictus qui venit in nómine Dómini: hosanna in altíssimis. *Matth.* 21.

*Oratio.*

OMnípotens, sempiterne Deus, qui humáno géneri ad imitandum humilitátis exemplum, Salvatórem nostrum carnem súmere & crucem subíre fecísti: concéde propítius, ut & patiéntiæ ipsíus habére documenta, & resurrectiónis consórtia meréamur; Per eumdem Dóminum nostrum Jesum.

AD PRIMAM.

*Ant.* Dícite.

*In* ℟. *br.* ℣. Qui passus es * pro nobis.

AD TERTIAM.

*Ant.* Testimónium.

*Capitulum.* Tob. 13.

IPse salvábit nos propter misericórdiam suam. Aspícite ergo quæ fecit nobíscum, & cum timóre & tremóre confitémini illi; Regemque seculórum exaltáte in opéribus vestris.

℟. *br.* Afferte Dómino * Glóriam & honórem. Afferte. ℣. Afferte Dómino glóriam nómini ejus. * Glóriam. ℟. Afferte. *Ps.* 95.

℣. Commoveátur à fácie ejus universa terra; ℟. Dícite in géntibus quia Dóminus regnávit. *Ps.* 95.

AD SEXTAM.

*Ant.* Multi.

*Capitulum.* Isaiæ. 55.

MOntes & colles cantábunt coram vobis laudem, & ómnia ligna regiónis plaudent manu. Pro saliunca ascendet ábies, & pro urtica crescet myrtus; & erit Dóminus nominátus in signum æternum quod non auferétur.

℟. *br.* Benedictus qui venit * in nómine Dómini. Benedictus. ℣. Deus Dóminus illuxit nobis, * In nómine Dómini. ℟. Benedictus qui venit * in nómine Dómini.

℣. Constitúite diem solemnem in condensis; ℟. Usque ad cornu altáris. *Ps.* 117.

AD NONAM

*Ant.* 6. Dico vobis.

*Capitulum.* Sap. 10.

DEcantavérunt, Dómine, nomen sanctum tuum, & victrícem manum tuam laudavérunt páriter; quóniam Sapiéntia apéruit os mutórum, & linguas infántium fecit dísertas.

℟. *br.* Ex ore infántium & lacténtium, * Perfeciſti laudẽ. Ex ore. ℣. Propter ínimicos tuos, Dómine, * Perfeciſti laudem. ℟. Ex ore infántium. *Ps.* 8.

℣. Laudáte, púeri, Dóminum: ℟. Laudáte nomen Dómini. *Ps.* 112.

AD VESPERAS.

*Ant.* VIdentes príncipes 8. G. Sacerdótum & Scribæ mirabília quæ fecit Jesus, & púeros clamantes in templo, Hosanna Fílio David, indignáti sunt. *Matth.* 21.

*Ant.* 7. d. Dixérunt ad semetipsos : Vidétis quia nihil proficimus : ecce mundus totus post eum ábiit. *Joan.* 12.

*Ant.* 2. D. Quærébant Jesum pérdere ; & non inveniébant quid fácerent illi. *Luc.* 19.

*Ant.* 1. g. Ex princípibus multi credidérunt in eum ; sed non confitebantur, ut è Synagóga non ejícerentur. *Joan.* 12.

*Ant.* 4. E. Jam enim conspiráverant Judæi, ut sit quis eum confiterétur esse Christum, extra Synagógam fieret. *Joan.* 9.

*Capitulum.* Hebr. 12.

RÉcogitáte eum qui talem sustínuit à peccatóribus adversùm semetipsum contradictiónem : ut ne fatigémini, animis vestris deficientes ; nondum enim usque ad sánguinem restitístis, adversùs peccátum repugnantes.

*Hymnus*, VEXILLA. 225.

℣. Dóminus regnávit, iracántur pópuli ; ℟. Confiteántur nómini tuo magno. *Ps.* 98.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 5. C. Pater, salvífica me ex hac hora, sed propterèa veni in horam hanc : Pater ; clarífica nomen tuum. *Joan.* 12.

*Oratio, ut suprà ad Laudes.*

COMPLETORIUM, *ut in Psalterio.* 26.

## FERIA SECUNDA.

¶ *Hâc Feriâ & duabus sequentibus, omnia ut in Feriis Hebdomadæ præcedentis, exceptis his quæ hic habentur propria.* ]

De Jeremía Prophéta.

*Lectio j.* Cap. 14.

DIxit Dóminus ad me : Noli oráre pro pópulo isto in bonum. Cùm jejunáverint, non exáudiam preces eórum : & si obtúlerint holocaustómata & víctimas, non suscípiam ea ; quóniam gládio, & fame, & peste consúmam eos. Et dixi : A, a, a, Dómine Deus ; prophétæ dicunt eis : Non vidébitis gládium, & fames non erit in vobis ; sed pacem veram dabit vobis in loco isto. Et dixit Dóminus ad me : Falsò prophétæ vaticinantur in nómine meo : non misi eos, & non præcépi eis, neque locútus sum ad eos : visiónem mendácem, & divinatiónem, & frauduléntiam, & seductiónem cordis sui prophétant vobis. Idcircò hæc dicit Dóminus de prophétis qui prophétant in nómine meo, quos ego non misi, dicentes, Gládius & fames non erit in terra hac : In gládio & fame consumentur prophétæ illi. Et pópuli quibus prophétant, erunt projecti in viis Jerúsalem præ fame & gládio, & non erit qui sepéliat eos. Jerúsalem.

℟. Décimâ die. 242.

*Lectio ij.* Cap. 18.

DIxérunt : Veníte, & cogitémus contra Jeremiam cogitatiónes ; non enim períbit lex à Sacerdóte, neque consílium à sapiente, nec sermo à Prophéta : veníte, & percutiámus eum linguâ, & non attendámus ad universos sermónes ejus. Atten-

de, Dómine, ad me & audi vocem adversariórum meórum. Numquid rédditur pro bono malum, quia fodérunt fóveam ánimæ meæ? Recordáre quòd stéterim in conspéctu tuo, ut lóquerer pro eis bonum, & avérterem indignatiónem tuam ab eis. Proptéreà da filios eórum in famem, & deduc eos in manus gládii: fiant uxóres eórum absque líberis, & víduæ; & viri eárum interficiántur morte, júvenes eórum confodiántur gládio in prælio; audiátur clamor de dómibus eórum. Addúces enim super eos latrónem repentè; quia fodérunt fóveam ut cáperent me, & láqueos abscondérunt pédibus meis. Tu autem, Dómine, scis omne consílium eórum adversùm me in mortem: ne propitiéris iniquitáti eórum, & peccátum eórum à fácie tua non deleátur. Jerúsalem, Jerúsalem, convértere ad Dóminum Deum tuum.

℟. Post hebdómades septem. 243.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

*Lectio iij.* Cap. 12.

IN illo témpore; Jesus ante sex dies Paschæ venit Bethániam; ubi Lázarus fuerat mórtuus, quem suscitávit Jesus. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

*In Joan. Tract. 50. n. 5. & 6.*

NE putárent hómines phantasma esse factum, quia mórtuus resurrexit, Lázarus unus erat ex recumbéntibus; vivébat, loquebátur, epulabátur: véritas ostendebátur, infidélitas Judæórum confundebátur. Discumbébat ergo Dóminus cum Lázaro & céteris, minístrabat Martha una ex soróribus Lázari. María verò, áltera soror Lázari, accépit libram unguenti nardi pístici pretiósi, unxit pedes Jesu, & extersit capillis suis pedes ejus; & domus impléta est ex odóre unguenti. Factum audívimus, mystérium requirámus. Quæcumque ánima fidélis vis esse, cum María unge pedes Dómini pretióso unguento: unge pedes Jesu; bene vivendo Dominica sectáre vestígia. Capillis terge: si habes superflua, da paupéribus, & Dómini pedes tersísti; capilli enim supérflua córporis videntur. Habes quod agas de supérfluis tuis: tibi supérflua sunt, sed Dómini pédibus necessária.

℟. Dixit Judas qui erat Jesum traditúrus: Quare hoc unguentum non væniit trecentis denáriis, & datum est egénis? * Dixit Jesus: Páuperes semper habétis vobíscum; me autem non semper habétis. ℣. Locútus est Móyses ad Israel in solitúdine: Non déerunt páuperes in terra habitatiónis tuæ. * Dixit Jesus: Páuperes semper habétis vobíscum. *Joan. 12. Deut. 15.*

AD LAUDES.

*Ant.* 2. D. VIde, Dómine, afflictiónem meam, quóniam erectus est inimícus. *Thren. 1.*

*Ant. 7.* d. Collégit furórem suum in me; & cómminans mihi, infrémuit contra

me dentibus ſuis hoſtis meus. *Job.* 16.

*Ant.* 8. c. Abjectiónem poſuiſti me in médio populórum: aperuérunt os ſuum omnes inimíci. *Thren.* 3.

*Ant.* 3. b. Factus ſum in deriſum omni pópulo meo, cánticum eórum totâ die. *Thren.* 3.

*Ant.* 4. E. Audiſti oppróbrium eórum, Dómine, omnes cogitatiónes eórum adversùm me. *Thren.* 3.

*Capitulum, Hymnus & ℣. ut ſuprà*, 224.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 6. María unxit pedes Jeſu, & extérſit capillis ſuis; & domus impléta eſt ex odóre unguenti. *Joan.* 12.

*Oratio.*

LArgíre nobis, Dómine, appropinquante Fílii tui paſſióne, grátiæ tuæ abundántius auxílium; ut per ópera caritátis, Chriſti bonum odórem ubíque diffundámus; Per eumdem Dóminum.

*AD HORAS, Antiph. de Laudibus, quartâ prætermiſſâ.*

*AD VESP. Pſ. & Ant. de Pſalterio, ſic & cras.*

*Ad* Magníficat. *Ant.* 1. D. Mittens hæc múlier unguentum hoc in corpus meum, ad ſepeliendum me fecit. *Matth.* 26.

*Oratio.*

DA, quæſumus, omnípotens Deus, ut qui in tot adverſis ex noſtra infirmitáte deficimus, intercedente unigéniti Fílii tui paſſióne, reſpirémus; Qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs ſancti Deus.

## FERIA TERTIA.

### De Jeremía Prophéta.

*Lectio j.* Cap. 26.

CUm compleſſet Jeremías, loquens ómnia quæ præcéperat ei Dóminus ut loquerétur ad univerſum pópulum, appréhendérunt eum Sacerdótes, & Prophétæ, & omnis pópulus, dicens: Morte moriátur. Quare prophetávit in nómine Dómini, dicens: Sicut Silo, erit domus hæc; & urbs iſta deſolábitur, eò quòd non ſit habitátor? Et congregátus eſt omnis pópulus adversùs Jeremíam in domo Dómini. Et audiérunt príncipes Juda verba hæc; & aſcendérunt de domo regis in domum Dómini, & ſedérunt in introítu portæ domûs Dómini novæ. Et locúti ſunt Sacerdótes & Prophétæ ad príncipes, & ad omnem pópulum, dicentes: Judícium mortis eſt viro huic; quia prophetávit adversùs civitátem iſtam, ſicut audiſtis áuribus veſtris. Jerúſalem.

℟. Præcedébat. 244.

*Lectio ij.*

ET ait Jeremías ad omnes príncipes & ad univerſum pópulum, dicens: Dóminus miſit me ut prophetárem ad domum iſtam & ad civitátem hanc ómnia verba quæ audiſtis. Nunc ergo bonas fácite vias veſtras & ſtúdia veſtra, & audíte vocem Dómini Dei veſtri: & pœnitébit Dóminum mali quod locútus eſt adversùm vos. Ego autem ecce in mánibus veſtris ſum: fácite mihi quod bonum & rectum eſt in óculis veſtris:

verúmtamen scitóte & cognóscite quòd si occidéritis me, sánguinem innocentem tradétis contra vosmetipsos, & contra civitátem istam & habitatóres ejus: in veritáte enim misit me Dóminus ad vos, ut lóquerer in áuribus vestris ómnia verba hæc. Et dixérunt príncipes & omnis pópulus ad Sacerdótes & ad Prophétas: Non est vir o huic judícium mortis; quia in nómine Dómini Dei nostri locútus est ad nos. Jerúsalem.

℟. Ecce ascéndimus. 244. Léctio sancti Evangélii secundùm Marcum.

*Lectio iij.* Cap. 14.

IN illo témpore; Erat Pascha & ázyma post bíduum: & quærébant summi Sacerdótes & Scribæ quómodo Jesum dolo tenérent, & occíderent. Et réliqua.

Homilia sancti Joannis Chrysóstomi.

*In Matth. 25. Hom. 80.*

PRíncipes Sacerdótum eos dicit, qui de princípibus Sacerdótum fuérant. Quod autem consílium cepérunt? Ut occúltiùs eum cáperent atque interfícerent? Utrumque: pópulum enim valde formidábant, ac ídeò præterire diem festum volebant, dicentes: Non in die festo. Nam diábolus, ne manifestè pássio extáret, ad áliud tempus rejícere ipsam stúdebat. Ne tumultus, ínquiunt, fiat in pópulo. Considera valde ipsos timére, non Deum, neque ne majus scelus esset in ipsa Paschæ celebratióne tam tetrum fácinus fácere, sed hómines & tumultum. Irâ tamen inflammáti, postéaquàm proditórem invenérunt, commutáti, expectáre non potuérunt, sed in ipsa solemnitáte eum occidérunt. Quasi enim cæci cupiditáte, furoreque irritáti, quámprimùm sibi facultas data est, peregérunt. Et quamvis ipse nequítiâ illórum dispensando in méliùs uterétur, non tamen hinc innóxii facti, propter hanc causam effúgere póterunt supplícium; cùm mille cruciátus ex voluntátis pravitáte mereantur, qui eo témpore quo nóxii étiam solvebantur, innocentem interfícere voluérunt, à quo innúmera & immensa beneficia susceperant, & qui propter illos gentes intérea negligere videbátur.

℟. Quærébant summi Sacerdótes & Scribæ quómodo Jesum dolo tenérent, & occíderent. * Dicébant autem: Non in die festo; ne fortè tumultus fieret in pópulo. ℣. Qui inquirébant mala, *locúti* sunt vanitátes, & dolos totâ die meditabantur; * Dicébant. *Marc. 14. Ps. 37.*

AD LAUDES.

*Ant.* DIxérunt ímpii: Op. 8. G. primámus virum justum, quóniam inútilis est nobis, & impróperat nobis peccáta legis. *Sap. 2.*

*Ant. 7. d.* Factus est nobis in traductiónem cogitatiónum nostrárum: gravis est nobis étiam ad videndum. *Sap. 2.*

*Ant. 5. a.* Tanquàm nugáces æstimáti sumus ab illo; & ábstinet se à viis nostris tan-

quàm ab immunditiis. *Sap.* 2.

*Ant.* 4. E. Contumeliâ & tormento interrogémus eum, ut sciámus reverentiam ejus, & probémus patiéntiam illíus. *Sap.* 2.

*Ant.* 1. g. Hæc cogitavérunt, & erravérunt: excæcávit enim illos malítia eórum. *Sap.* 2.

*Capitulum, Hymnus & ℣. ut suprà*, 224.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 3. c. Nemo tollit à me ánimam meam, sed ego pono eam à meipso; & potestátem hábeo ponendi eam, & potestátem hábeo íterum sumendi eam. *Joan.* 10.

*Oratio.*

REmínisce miseratiónum tuárum, Dómine, & fámulos tuos æternâ protectióne sanctifica, pro quibus Jesus Christus Fílius tuus sponte se morte trádidit, & Paschále sacrifícium fuso sánguine consummávit; qui tecum vivit & regnat. &c.

*AD HORAS, Antiphonæ de Laudibus, quartâ prætermissâ.*

*Ad* Magníficat. *Ant.* 1. D. Sciens Jesus quia venit hora ejus ut tránseat ex hoc mundo ad Patrem, cùm dilexísset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos. *Joan.* 13.

*Oratio.*

DEus, in cujus præcípuis mirabílibus est humána reparátio; solve ópera diáboli, & mortífera peccáti vincula dirumpe; ut, destructâ malignitáte quæ nócuit, vincat misericórdia quæ redémit; Per Dóminum.

## FERIA QUARTA.

Incipit liber Baruch Prophétæ.

*Lectio j.* Cap. 1.

ET hæc verba libri quæ scripsit Baruch filius Nériæ, filii Maásiæ, filii Sedéciæ, filii Sédei, filii Hélciæ in Babylónia, in anno quinto, in séptimo die mensis, in témpore quo cepérunt Chaldæi Jerúsalem, & succendérunt eam igni. Et legit Baruch verba libri hujus ad aures Jechóniæ filii Joakim regis Juda, & ad aures univérsi pópuli venientis ad librum, & ad aures poténtium filiórum regum, & ad aures Presbyterórum, & ad aures pópuli, à mínimo usque ad máximum, eórum ómnium habitántium in Babylónia, ad flumen Sodi. Qui audientes plorábant, & jejunábant, & orábant in conspectu Dñi. Jerúsalem.

℟. Congregáti sunt príncipes Sacerdótum, & Senióres pópuli in átrium príncipis Sacerdótum; * Et consílium fecérunt ut Jesum dolo tenérent, & occíderent. ℣. Principes convenérunt in unum adversùs Dóminum, & adversùs Christum ejus.* Et consílium. *Matth.* 26. *Ps.* 2.

*Lectio ij.* Cap. 3.

ET nunc, Dómine omnípotens, Deus Israel, ánima in angústiis, & spíritus ánxius clamat ad te. Audi, Dómine, & miserére, quia Deus es misericors; & miserére nostrî, quia peccávimus ante te. Quia tu sedes in sempiternum, & nos perímbus in ævum? Dómine omnípo-

tens, Deus Israel, audi nunc orationem mortuórum Israel, & filiórum ipsórum, qui peccavérunt ante te, & non audiérunt vocem Dómini Dei sui: & agglutinata sunt nobis mala. Noli meminísse iniquitátum patrum nostrórum; sed memento manûs tuæ & nóminis tui in tempore isto, quia tu es Dóminus Deus noster: & laudábimus te, Dómine, quia propter hoc dedisti timórem tuum in córdibus nostris, & ut invocémus nomen tuum, & laudémus te in captivitáte nostra, quia convértimur ab iniquitáte patrum nostrórum qui peccavérunt ante te. Et ecce nos in captivitáte nostra sumus hódie; quâ nos dispersísti in impropérium, & in maledictum, & in peccátum secundùm omnes iniquitátes patrum nostrórum qui recessérunt à te, Dómine Deus noster. Jerúsalem.

℟. Intrávit sátanas in Judam; & locútus est cum princípibus Sacerdótum quemádmodùm Jesum tráderet eis: & * Pacti sunt pecúniam illi dare, & spopondit. ℣. Sedet peccátor in insídiis cum divítibus in occultis, ut interficiat innocentem. * Pacti sunt. *Luc.* 22. *Ps.* 9.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

*Lectio iij.* Cap. 22.

IN illo témpore; Appropinquábat dies festus azymórum, qui dícitur Pascha: & quærébant príncipes Sacerdótum & Scribæ, quómodò Jesum interfícerent. Et réliqua. Homília venerábilis Bedæ Presbyteri.

*Comment. in Luc. Lib. 6. C. 22.*

ABiit Judas, & locútus est cum princípibus Sacerdótum & Magistrátibus quemádmodùm Jesum tráderet eis: & pacti sunt illi pecúniam dare; & spopondit. Et quærébat opportunitátem ut tráderet illum sine turba. Multi hódie Judæ scelus, quòd Dóminum ac Magistrum, Deumque suum pecúniâ vendiderit, velut immáne & nefárium exhorrent, nec tamen cavent. Nam cùm pro munéribus falsum contra quémlibet testimónium dicunt; profectò, quia veritátem pro pecúnia negant, Dóminum pecúniâ vendunt. Ipse enim dixit: Ego sum Véritas. Cùm societátem fraternitátis áliquâ discórdiæ peste commáculant, Dóminum produnt. Nam sicut Joannes Baptista qui non pro Christi confessióne, sed pro defensióne veritátis martyr occúbuit, ídeò tamen pro Christo, quia pro veritáte martyrium suscépit. Ita è contrário, qui caritátis & veritátis jura spernit, Christum útique, qui est cáritas & véritas, prodit.

℟. Appendérunt mercédem meâ trígenta argénteos, * Decórum prétium, quo appretiátus sum ab eis. ℣. Ait Judas: Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? At illi constituérunt ei triginta argénteos, * Decórum prétium. *Zach.* 11. *Matth.* 26.

## AD LAUDES.

*Ant.* FOdérunt fóveam, ut 4. *E.* cáperent me, & láqueos abscondérunt pédibus meis. Tu, Dómine, scis omne consílium eórum adversùm me in mortem. *Jerem.* 18.

*Ant.* 3. c. Desperiébant me, & detrahébant mihi, & quem máximè diligébam; aversátus est me. *Job.* 19.

*Ant.* 8. c. Et quidem Fílius hóminis, secundùm quod definítum est, vadit: verúmtámen væ hómini illi per quem tradétur. *Luc.* 22.

*Ant.* 6. Quod scriptum est, oportet impléri in me; étenim ea quæ sunt de me, finem habent. *Luc.* 22.

*Ant.* 2. D. Ecce appropinquávit hora, & Fílius hóminis tradétur in manus peccatórum. *Matth.* 26.

*Capitulum, Hymnus & ℣. ut suprà*, 224.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 1. f. Quærébat Judas opportunitátem ut tráderet Jesum sine turbis. *Luc.* 22.

*Oratio.*

PRætende nobis misericórdiam tuam, Dómine, qui ab infidéli discípulo tradi pertulísti; ut ab ejus cæcitáte aliéni, te Salvatórem toto corde agnoscámus: & in tua semper cruce gloriémur; Qui vivis.

*AD HORAS, Antiphonæ de Laudibus, quartâ prætermissâ.*

*Hodie Vesperæ inchoantur absolutè ab impositione primæ Antiphonæ,*

¶ *Officium deinceps usque ad Paschа dicitur sine* Deus, in adjutórium. *sine* Glória Patri. *sine* Dñus vobiscum. *sine* Orémus. *& sine* Benedicámus.

*Nec etiam dicuntur Capitula,* R.R.R. *brevia & Hymni; neque accinitur jubilus in fine Antiphonarum, usque ad Vesperas Sabbati in Albis exclusivè.* ]

## AD VESPERAS.

*Psalmi de Feria.*

*Ant.* SCitis quia post bí-8. G. duum Paschа fiet, & Fílius hóminis tradétur, ut crucifigátur. *Matth.* 26.

*Ant.* 3. b. Tempus meum propè est: euntes paráte nobis Paschа, ut manducémus. *Matth.* 26. *Luc.* 22.

*Ant.* 7. d. Ubi est refectio mea, ubi Paschа cum discípulis meis manducem. *Marc.* 14.

*Ant.* 6. Desidério desiderávi hoc Paschа manducáre vobiscum, ántequàm pátiar. *Luc.* 22.

*Ant.* 1. g. Dico vobis quia ex hoc non manducábo illud, donec impleátur in regno Dei. *Luc.* 22.

*Continuò imponitur Antiphona in Canticum.*

*Ad* Magníficat. *Ant.* 4. *E.* Vos estis qui permansístis mecum in tentatiónibus meis; & ego dispóno vobis sicut dispósuit mihi Pater meus regnum, ut edátis & bibátis super mensam meam. *Luc.* 22.

*Finitâ Antiphonâ, sine* Dóminus vobiscum. *& sine* Orémus. *dicitur Oratio sequens.*

REspice, quæsumus, Dómine, super hanc famíliam tuam, pro qua Dóminus noster Jesus Christus non dubitávit mánibus tradi nocéntium; & crucis subíre tormentum; *sub silentio dicitur*, Qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus; Per ómnia sæcula sæculórum. Amen. *Et nihil additur, sicque terminantur Horæ usque ad Vesperas Sabbati Sancti.*

COMPLETORIUM, *inchoatur absolutè à Psalmo*, Cum invocárem, *ut in Completorio Dominicæ; & continuò dicitur Cantic.* Nunc dimittis. *deinde Oratio*, Réspice. *ut suprà.*

¶ *Tribus Feriis sequentibus, dictis secretò.* Pater. Ave. Credo. *Officium inchoatur absolutè ab impositione Antiphonæ in primum Psalmum. Et in fine cujuslibet Antiphonæ Nocturnorum & Laudum extinguitur unus ex quindecim cereis in loco conspicuo ante vel retrò altare positis.* ]

## FERIA QUINTA.

### IN CŒNA DOMINI.

### *IN I. NOCTURNO.*

*Ant.* 1. g. Astitérunt.

*Psalmus.* 2.

QUare fremuérunt gentes, * & pópuli meditáti sunt inánia?

Astitérunt reges terræ, & príncipes convenérunt in unum * adversùs Dóminum, & adversùs Christum ejus.

Dirumpámus víncula eórum, * & projiciámus à nobis jugum ipsórum.

Qui hábitat in cœlis, irridébit eos. * & Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira sua, * & in furóre suo conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, * prædicans præceptum ejus.

Dóminus dixit ad me: * Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Póstula à me; & dabo tibi gentes hæreditátem tuam, * & possessiónem tuam términos terræ.

Reges eos in virga férrea, * & tanquàm vas figuli confringes eos.

Et nunc, reges, intellígite: * erudímini, qui judicátis terram.

Servíte Dómino in timóre, * & exultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplínam, nequando iratscátur Dóminus, * & pereátis de via justa.

Cùm, exárserit in brevi ira ejus, * béati omnes qui confídunt in eo.

*Ant.* Astitérunt reges terræ, & príncipes convenérunt in unum adversùs Dóminum, & adversùs Christum ejus.

*Ant.* 6. Parasti

*Psalmus* 22.

DOminus regit me, & nihil mihi déerit; * in loco páscuæ ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis educávit me, * ánimam meam convertit.

Deduxit me super sémitas justítiæ, * propter nomen suum.

Nam & ſi ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala, * quóniam tu mecum es.

Virga tua, & báculus tuus, * ipſa me conſoláta ſunt.

Paraſti in conſpectu meo menſam, * adversùs eos qui tríbulant me.

Impinguaſti in óleo caput meum: * & calix meus inébrians quàm præclárus eſt!

Et miſericórdia tua ſubſequétur me * ómnibus diébus vitæ meæ.

Et út inhábitem in domo Dómini, * in longitúdinem diérum.

*Ant.* Paraſti, Dómine, in conſpectu meo menſam adversùs eos qui tríbulant me: & calix meus inébrians quàm præclárus eſt!

*Ant.* 8. G. Cùm ímpiis.

*Pſalmus.* 25.

JUdíca me, Dómine, quóniam ego in innocéntia mea ingreſſus ſum, * & in Dómino ſperans, non infirmábor.

Proba me, Dómine, & tenta me; * ure renes meos & cor meum;

Quóniam miſericórdia tua ante óculos meos eſt, * & complácui in veritáte tua.

Non ſedi cum concílio vanitátis, * & cum iníqua geréntibus non introíbo.

Odívi eccléſiam malignántium, * & cum ímpiis non ſedébo.

Lavábo inter innocentes manus meas, * & circumdábo altáre tuum, Dómine;

Ut áudiam vocem laudis, * & enarrem univerſa mirabília tua.

Dómine, dilexi decórem domûs tuæ, * & locum habitiónis glóriæ tuæ.

Ne perdas cum ímpiis, Deus, ánimam meam, * & cum viris sánguinum vitam meam,

In quorum mánibus iniquitátes ſunt: * déxtera eórum repléta eſt munéribus.

Ego autem in innocéntia mea ingreſſus ſum; * rédime me, & miſerére meî.

Pes meus ſtétit in directo, * in eccléſiis benedícam te, Dómine.

*Ant.* Cum ímpiis non ſedébo: lavábo inter innocentes manus meas.

℣. Lavábis me, Dómine; ℟. Et ſuper nivem dealbábor. *Pſ.* 50.

*Hoc triduo, poſt ℣. cujuſque Nocturni*, Pater noſter, *dicitur totum ſecretò. Et ſtatim ſine Abſolutione & ſine Benedictione leguntur Lectiones, in quarum fine non dicitur* Tu autem, Dómine.

Incipit lamentátio Jeremíæ Prophétæ.

*Lectio j.* Cap. 1.

QUómodò ſedet ſola cívitas plena pópulo? facta eſt quaſi vídua dómina géntium: princeps provinciárum facta eſt ſub tribúto. Plorans plorávit in nocte, & lácrymæ ejus in maxíllis ejus: non eſt qui conſolétur eam ex ómnibus caris ejus: omnes amíci ejus ſprevérunt eam, & facti ſunt ei inimíci. Migrávit Judas propter afflictiónem & multitúdinem

túdinem servitútis ; habitávit inter gentes , nec invénit réquiem : omnes persecutóres ejus apprehendérunt eam inter angústias. Viæ Sion lugent , eò quòd non sint qui véniant ad solemnitátem : omnes portæ ejus destructæ , sacerdótes ejus gementes , vírgines ejus squálidæ , & ipsa oppressa amaritúdine. Facti sunt hostes ejus in cápite , inimíci ejus locupletáti sunt ; quia Dóminus locútus est super eam propter multitúdinem iniquitátum ejus : párvuli ejus ducti sunt in captivitátem ante fáciem tribulantis. Jerúsalem , Jerúsalem.

℟. Cœnâ factâ , surgit Jesus à cœna , & cœpit laváre pedes discipulórum , & dicit Petro : * Vos mundi estis , sed non omnes ; sciébat enim quisnam esset qui tráderet eum. ℣. Non supergáudeant mihi qui adversántur mihi iníquè ; qui odérunt me gratis , & ánnuunt óculis : * Vos. *Joan.* 13. *Ps.* 34.

*Lectio ij.*

ET egréssus est à fília Sion omnis decor ejus : facti sunt príncipes ejus velut aríetes non invenientes páscua ; & abiérunt absque fortitúdine ante fáciem subsequentis. Recordáta est Jerúsalem diérum afflictiónis suæ , & prævaricatiónis ómnium desiderabílium suórum , quæ habúerat à diébus antíquis , cùm cáderet pópulus ejus in manu hostíli , & non esset auxiliátor : vidérunt eam hostes , & derisérunt sábbata ejus. Peccátum peccávit Jerúsalem : propterèa instábilis facta est. Omnes qui glorificábant eam , sprevérunt illam ; quia vidérunt ignomíniam ejus ; ipsa autem gemens , conversa est retrorsum. Sordes ejus in pédibus ejus , nec recordáta est finis sui : depósita est vehementer , non habens consolatórem : vide , Dómine , afflictiónem meam , quóniam erectus est inimícus. Jerúsalem , Jerúsalem , convértere ad Dóminum Deum tuum.

℟. Turbátus est Jesus spíritu , & protestátus est , & dixit : Amen , amen dico vobis , quia unus ex vobis tradet me : * Ecce manus tradentis me mecum est in mensa ℣. Homo pacis meæ , qui edébat panes meos , magnificávit super me supplantatiónem : * Ecce. *Joan.* 15. *Luc.* 22. *Ps.* 40.

*Lectio iij.*

MAnum suam misit hostis ad ómnia desiderabília ejus ; quia vidit gentes ingressas sanctuárium suum , de quibus præcéperas ne intrárent in Eccléstam tuam. Omnis pópulus ejus gemens , & quærens panem , dedérunt prétiosa quæque pro cibo ad refocillandam ánimam. Vide , Dómine , & considera , quóniam facta sum vilis. O vos omnes qui transítis per viam , atténdite , & vidéte si est dolor sicut dolor meus ; quóniam , vindemiávit me , ut locútus est Dóminus , in die iræ furóris sui. De excelso misit ignem in ósibus meis , & erudívit me : expandit rete pédibus meis , convertit me retrorsùm ; pósuit me desolátam ,

totâ die mœróre confectam. Vigilávit jugum iniquitátum, meárum; in manu ejus convolútæ sunt, & impósitæ collo meo; infirmáta est virtus mea: dedit me Dóminus in manu, de qua non pótero súrgere. Jerúsalem.

℟. Fílius hóminis vadit, sicut scriptum est de illo: væ autem hómini illi per quem Fílius hóminis tradétur; * Bónum erat ei si natus non fuísset homo ille. ℣. Dilexit maledictiónem, & véniet ei; & nóluit benedictiónem, & elongábitur ab eo: * Bonum erat ei. *Matth.* 26. *Ps.* 108.

*IN II. NOCTURNO.*

*Ant.* 5. a. Cum operántibus.

*Psalmus* 27.

Ad te, Dómine, clamábo: Deus meus, ne síleas à me: * nequando táceas à me, & assimilábor descendéntibus in lacum.

Exaudi, Dómine, vocem deprecatiónis meæ, dum oro ad te, * dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum.

Ne simul trahas me cum peccatóribus: * & cum operántibus iniquitátem ne perdas me:

Qui loquuntur pacem cum próximo suo, * mala autem in córdibus eórum.

Da illis secundùm ópera eórum,* & secundùm nequítiã adinventiónum ipsórum.

Secundùm ópera mánuum eórum tríbue illis; * redde retributiónem eórum ipsis.

Quóniam non intellexérunt ópera Dómini: & in ópera mánuum ejus: * déstrues illos, & non ædificábis eos.

Benedictus Dóminus, * quóniam exaudivit vocem deprecatiónis meæ.

Dóminus adjútor meus, & protector meus: * in ipso sperávit cor meum, & adjútus sum.

Et refloruit caro mea, * & ex voluntáte mea confitébor ei.

Dóminus fortitúdo plebis suæ, * & protector salvatiónum christi sui est.

Salvum fac pópulum tuum, Dómine, & bénedic hæreditáti tuæ, * & rege eos, & extolle illos usque in æternum.

*Ant.* Cum operántibus iniquitátem ne perdas me: qui loquuntur pacem cum próximo suo; mala autem in córdibus eórum.

*Ant.* 4. A. Confundantur.

*Psalmus.* 39.

Expectans, expectávi Dóminum, * & intendit mihi.

Et exaudívit preces meas; * & eduxit me de lacu misériæ, & de luto fæcis.

Et státuit super petram pedes meos, * & direxit gressus meos.

Et immísit in os meum cánticum novum, * carmen Deo nostro.

Vidébunt multi, & timébunt; * & sperábunt in Dómino.

Beátus vir cujus est nomen Dómini spes ejus: * & non respexit in vanitátes & insánias falsas.

Multa fecísti tu, Dómine

Deus meus, mirabília tua : * & cogitatiónibus tuis non est qui símilis sit tibi.

Annuntiávi & locútus sum : * multiplicáti sunt super número.

Sacrificium & oblatiónem noluísti : * aures autem perfeciſti mihi.

Holocaustum & pro peccáto non postulásti ; * tunc dixi: Ecce vénio.

In cápite libri scriptum est de me, ut fácerem voluntátem tuam : * Deus meus, vólui, & legem tuam in médio cordis mei.

Annuntiávi justítiam tuam in eccléſia magna ; * ecce lábia mea non prohibébo : Dómine, tu sciſti.

Justítiam tuam non abscondi in corde meo ; * veritátem tuam & salutáre tuum dixi.

Non abscondi misericórdiam tuam & veritátem tuam * à concílio multo.

Tu autem, Dómine, ne longè fácias miseratiónes tuas à me : * misericórdia tua & véritas tua semper susceperunt me.

Quóniam circumdedérunt me mala, quorum non est número : * comprehendérunt me iniquitátes meæ, & non pótui ut vidérem.

Multiplicátæ sunt super capillos cápitis mei : * & cor meum derelíquit me.

Compláceat tíbi, Dómine, ut éruas me ; * Dómine, ad adjuvandum me réspice.

Confundantur & revereántur simul, qui quærunt ánimam meam, * ut áuferant eam.

Convertantur retrorsùm, & revereantur, * qui volunt mihi mala.

Ferant confestim confusiónem suam, * qui dicunt mihi : Euge, euge.

Exultent & lætentur super te omnes quærentes te ; * & dicant semper, Magnificétur Dóminus, qui díligunt salutáre tuum.

Ego autem, mendícus sum, & pauper : * Dóminus sollícitus est meî.

Adjútor meus, & protector meus tu es : * Deus meus, ne tardáveris.

*Ant.* Confundantur & revereantur simul ; qui quærunt ánimam meam, ut áuferant eâ.

*Ant.* 1. a. Adversùm me.

*Psalmus.* 40.

BEátus qui intélligit super egénum & páuperem : * in die mala liberábit eum Dóminus.

Dóminus conservet eum, & vivíficet eum, & beátum fáciat eum in terra : * & non tradat eum in ánimam inimicórum ejus.

Dóminus opem ferat illi super lectum dolóris ejus : * universum stratum ejus versásti in infirmitáte ejus.

Ego dixi : Dómine, miserére meî ; * sana ánimam meam, quia peccávi tibi.

Inimíci mei dixérunt mala mihi : * Quando moriétur, & períbit nomen ejus.

Et si ingrediebátur ut vidéret, vana loquebátur : * cor ejus congregávit iniquitátem sibi.

Egrediebátur foràs, * & loquebátur in idipsum.

Adversùm me susurrábant omnes inimíci mei : * adversùm me cogitábant mala mihi.

Verbum iníquum constituérunt adversùm me : * numquid qui dormit, non adjíciet ut resurgat ?

Etenim homo pacis meæ, in quo sperávi, * qui edébat panes meos, magnificávit super me supplantatiónem.

Tu autem, Dómine miserére meî, & resúscita me ; * & retríbuam eis.

In hoc cognóvi quóniam voluísti me, * quóniam non gaudébit inimícus meus super me.

Me autem propter innocéntiam suscepísti, * & confirmásti me in conspéctu tuo in ætérnum.

Benedíctus Dóminus Deus Israel à século, & usque in séculum : * fiat, fiat.

*Ant.* Adversùm me susurrábant omnes inimíci mei : verbum iníquum constituérunt adversùm me.

℣. Pro eo ut me dilígerent, detrahébant mihi ; ℟. Ego autem orábam. *Ps.* 108.

Pater noster. *secreto.*

Sermo sancti Joannis Chrysóstomi.

*Homil. 1. in prodit. Judæ & in Paschæ. Ed. Ben. t. 2. n. 1.*

*Lectio iv.*

HOdie, dilectíssimi fratres, Dóminus noster Jesus Christus tráditus est : hujus namque diéi vésperâ Judæi, illo comprehénso, abiérunt. Verùm ne contristéris audiens Christum pródi-tum esse : imò pótiùs contrístare, & acerbè luge non próditum, sed proditórem Judam. Etenim qui próditus est, mundum salvum fecit ; próditor verò ánimam suam pérdidit. Qui próditus est, ad déxteram Patris sedet in cœlis : próditor in inferno nunc est, inevitábile ferens supplícium. Hujus causâ luge & ingemísce : hujus causâ lacrymáre ; ejus quippe causâ flevit Christus. Nam cùm vidísset eum, inquit, turbátus est, & dixit : Unus ex vobis tradet me.

℟. Jesus cùm intinxísset panem, dedit Judæ Simónis Iscariótæ ; & * Post buccellam introívit in eum sátanas. ℣. Fiat mensa eórum coram ipsis in láqueum, & in retributiónes, & in scándalum. * Post. *Joan.* 13. *Ps.* 68. *n.* 5.

*Lectio v.*

ERat olim Pascha Judáicum, sed nunc solùt est ; advenitque spirituále cha, quod trádidit Chr us. Illis enim manducántib s ac bibéntibus, inquit, acc.piens panem, fregit & dixit : Hoc est corpus meum, quod pro vobis frángitur in remissiónem peccatórum. Sciunt, ii qui initiáti sunt illa quæ dicuntur. Et rursus cálicem, dicens : Hic est sánguis meus, qui pro multis effúnditur in remissiónem peccátorum. Aderat Judas, hæc Christo dicente. Hoc est corpus quod vendidísti, Juda, triginta argénteis, pro quo nuper pacta impudenter inibas cum ímprobis Phariséis. O Christi benignitátem ! O Judæ demén-

tiam & insániâ ! Ille namque véndidit illum triginta denáriis : Christus verò póstea non recusávit hunc ipsum sánguinem véndítum vendenti dare in remissiónem peccatórum, si ipse voluísset. Aderat Judas, & sacræ mensæ párticeps erat. Sicut enim pedes ejus lavit, ut & aliórum discipulórum ; ita & sacræ mensæ párticeps ille fuit, ut nullum excusatiónis locum habéret, si in nequítia perseveráret. Omnia enim quæ penès se erant, Dóminus ei tribúerat & protúlerat ; ille verò in malo suo propósito mansit.

℟. Accepto Jesus pane, grátias egit, & fregit, & dedit discípulis suis, dicens : Hoc est corpus meum quod pro vobis datur : * Hoc fácite in meam commemoratiónem. ℣. Cùm dixerint vobis fílii vestri : Quæ est ista religio ? dícite eis : Víctima tránsitûs Dómini est : * Hoc fácite. *Luc.* 22. *Exod.* 12.

*n.* 6. *Lectio vj.*

SEd tempus demum est ad terribilem hanc mensam accedendi. Omnes ítaque accedámus cum congruenti temperántia ac vigilántia. Nullus ultrà Juda esto, nullus ímprobus, nullus venéno infectus, neque ália in ore versans, ália in mente rétinens. Adest Christus ; & nunc is qui mensam illam apparávit, hic ipse hanc nunc exornat. Non enim homo est qui facit ut propósita efficiantur corpus & sanguis Christi ; sed ipse Christus qui pro nobis crucifixus est. Figúram implens stat sacerdos, verba illa próferens, virtus autem & grátia Dei est. Hoc est corpus meum, inquit. Hoc verbum transformat ea quæ propósita sunt. Ac quemádmodùm vox illa, Créscite & multiplicámini, & repléte terram, semel quidem proláta est, omni verò témpore natúræ nostræ vim præbet ad filiórum procreatiónem ; ita & vox hæc semel prolàta in Ecclésiis ad unamquamque mensam ab illo, ad hodiernum usque tempus, & usque ad adventum ejus, sacrificium perfectum éfficit.

℟. Accepto Jesus cálice, grátias agens dedit eis ; & bibérunt ex illo omnes. * Et ait Jesus : Hic est sanguis meus novi testamenti qui pro vobis fundétur. ℣. Móyses sumptum sánguinem respersit in pópulum, & ait : Hic est sanguis fœderis quod pépigit Dóminus vobíscum. *. Et ait. *Marc.* 14. *Luc.* 22. *Exod.* 24.

*IN III. NOCTURNO.*

*Ant.* 2 D. Cor meum.

*Psalmus.* 54.

EXaudi, Deus, oratiónem meam, & ne despéxeris deprecatiónem meam : * íntende mihi, & exaudi me.

Contristátus sum in exercitatióne mea, * & conturbátus sum à voce inimíci, & à tribulatióne peccatóris.

Quóniam declinavérunt in me iniquitátes, * & in ira molesti erant mihi.

Cor meum conturbátum est in me, * & formído mortis cécidit super me.

Timor & tremor venérunt super me, * & contexérunt me ténebræ.

Et dixi: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, * & volábo, & requiescam?

Ecce elongávi fúgiens; * & mansi in solitúdine.

Expectábam eum qui salvum me fecit à pusillanimitáte spíritûs, * & tempestáte.

Præcípita, Dómine, divide linguas eórum; * quóniam vidi iniquitátem & contradictiónem in civitáte.

Die ac nocte circúmdabit eam super muros ejus iniquitas; * & labor in médio ejus; & injustítia.

Et non defécit de platéis ejus * usúra & dolus.

Quóniam si inimícus meus maledixísset mihi: * sustinuíssem útique.

Et si is qui óderat me, super me magna locútus fuísset: * abscondíssem me fórsitan ab eo.

Tu verò, homo unánimis, * dux meus & notus meus.

Qui simul mecum dulces capiébas cibos; * in domo Dei ambulávimus cum consensu.

Véniat mors super illos: * & descendant in infernum viventes.

Quóniam nequítiæ in habitáculis eórum, * in médio eórum.

Ego autem ad Deum clamávi; * & Dóminus salvábit me.

Vespere, & mane, & meridie, narrábo & annuntiábo: * & exáudiet vocem meam.

Rédimet in pace ánimam meam ab his qui appropinquant mihi: * quóniam inter multos erant mecum.

Exáudiet Deus, & humiliábit illos, * qui est ante sécula.

Non enim est illis commutátio, & non timuérunt Deum: * extendit manum suam in retribuendo.

Contaminavérunt testamentum ejus, divísi sunt ab ira vultûs ejus: * & appropinquávit cor illíus.

Mollíti sunt sermónes ejus supor óleum: * & ipsi sunt jácula.

Jacta super Dóminum curam tuam, & ipse te enútriet: * non dabit in æternum fluctuatiónem justo.

Tu verò, Deus, * dedúces eos in púteum interitûs.

Viri sánguinum & dolósi non dimidiábunt dies suos: * ego autem sperábo in te, Dómine.

*Ant.* Cor meum conturbátum est in me, & fórmido mortis cécidit super me.

*Ant.* 4. E. Sustinuérunt.

*Psalmus.* 55.

MIserére meî, Deus, quóniam conculcávit me homo: * totâ die impugnans tribulávit me.

Conculcavérunt me inimíci mei totâ die: * quóniam multi bellantes adversùm me.

Ab altitúdine diéi, timébo: * ego verò in te sperábo.

In Deo laudábo sermónes meos, in Deo sperávi: * non

timébo quid fáciat mihi caro.

Totâ die verba mea exécrabantur : * adversùm me omnes cogitatiónes eórum in malum.

Inhabitábunt & abscondent : * ipsi calcáneum meum observábunt.

Sicut sustinuérunt ánimam meam, pro níhilo salvos fácies illos : * in ira pópulos confringes.

Deus, vitam meam annuntiávi tibi : * posuísti, lácrymas meas in conspéctu tuo.

Sicut & in promissióne tua : * tunc convertentur inimíci mei retrorsùm.

In quacumque die invocávero te : * ecce cognóvi quóniam Deus meus es.

In Deo laudábo verbum, in Dómino laudábo sermónem : * in Deo sperávi, non timébo quid fáciat mihi homo.

In me sunt, Deus, vota tua, * quæ reddam laudatiónes tibi.

Quóniam eripuísti ánimam meam de morte, & pedes meos de lapsu : * ut pláceam coram Deo in lúmine vivéntium.

*Ant.* Sustinuérunt ánimam meam ; posuísti lácrymas meas in conspéctu tuo, Dómine.

*Ant.* 1. D. Líbera me.

*Psalmus* 108.

DEus, laudem, meam ne tacúeris : * quia os peccatóris, & os dolósi super me apertum est.

Locúti sunt adversùm me linguâ dolósâ, & sermónibus ódii circumdedérunt me : * & expugnavérunt me gratis.

Pro eo ut me dilígerent, detrahébant mihi, * ego autem orábam.

Et posuérunt adversùm me mala pro bonis, * & ódium pro dilectióne mea.

Constitue [ Dómine ] super eum peccatórem ; * & diábolus stet à dextris ejus.

Cùm judicátur, éxeat condemnátus ; * & orátio ejus fiat in peccátum.

Fiant dies ejus pauci ; * & episcopátum ejus accípiat alter.

Fiant filii ejus órphani, * & uxor ejus vídua.

Nutantes transferantur filii ejus, & mendícent, * & ejiciantur de habitatiónibus suis.

Scrutétur fœnerátor omnem substántiam ejus ; * & dirípiant aliéni labóres ejus.

Non sit illi adjútor ; * nec sit qui misereátur pupillis ejus.

Fiant nati ejus in intéritum ; * in generatióne una deleátur nomen ejus.

In memóriam redeat iníquitas patrum ejus in conspéctu Dómini ; * & peccátum matris ejus non deleátur.

Fiant contra Dóminum semper, & dispéreat de terra memória eórum ; * pro eo quòd non est recordátus fácere misericórdiam ;

Et persecútus est hóminem ínopem & mendícum, * & compunctũ corde mortificáre.

Et dilexit maledictiónem, & véniet ei, * & nóluit benedictiónem, & elongábitur ab eo ;

Et índuit maledictiónem sicut vestimentum; * & intrávit sicut aqua in interióra ejus, & sicut oleum in óssibus ejus.

Fiat ei sicut vestimentum quo opéritur, * & sicut zona quâ semper præcíngitur.

Hoc opus eórum qui détrahunt mihi apud Dóminum, * & qui loquuntur mala adversùs ánimam meam.

Et tu, Dómine, Dómine, fac mecum propter nomen tuum; * quia suávis est misericórdia tua.

Libera me quia egénus, & pauper ego sum, * & cor meum conturbátum est intra me.

Sicut umbra, cùm declínat, ablátus sum; * & excussus sum sicut locustæ.

Génua mea infirmáta sunt à jejúnio; * & caro mea immutáta est propter óleum.

Et ego factus sum oppróbrium illis: * vidérunt me, & movérunt cápita sua.

Adjuva me, Dómine Deus meus: * salvum me fac secundùm misericórdiam tuam.

Et sciant quia manus tua hæc: * & tu, Dómine, fecísti eam.

Maledícent illi, & tu benedíces: * qui insúrgunt in me, confundantur; servus autem tuus lætábitur.

Induantur, qui détrahunt mihi, pudóre: * & operiántur sicut diplóide confusióne suâ.

Confitébor Dómino nimis in ore meo, * & in médio multórum laudábo eum;

Quia astitit à dextris páuperis, * ut salvam fáceret à persequéntibus ánimam meam.

*Ant.* Líbera me quia pauper ego sum, & cor meum conturbátum est intra me.

℣. Circumdedérunt me dolóres mortis, ℟. Et torrentes iniquitátis conturbavérunt me. *Ps.* 17.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

*Lectio vij.* Cap. 11.

HOc præcípio, non laudans quòd non in mélius, sed in detérius convenítis. Primùm quidem, conveniéntibus vobis in Eccléfiam, áudio scissúras esse inter vos; & ex parte credo. Nam oportet & hæreses esse; ut & qui probáti sunt, manifésti fiant in vobis. Conveniéntibus ergo vobis in unum, jam non est Domínicam cœnam manducáre. Unusquísque enim suam cœnam præsúmit ad manducándum. Et álius quidem ésurit; álius autem ébrius est. Numquid domos non habétis ad manducándum & bibendum? aut Eccléfiam Dei contémnitis, & confúnditis eos qui non habent? Quid dicam vobis? Laudo vos? in hoc non laudo.

℟. Filíoli, adhuc módicum vobíscum sum. Quærétis me, & quò ego vado, vos non potéstis veníre. * Mandátum novum do vobis: Ut diligátis ínvicem, sicut dilexi vos. ℣. Custodíte præcepta mea, & fácite ea: ego Dóminus qui sanctífico vos. * Mandátum novum do vobis. *Joan.* 13. *Levit.* 20.

*Lectio viij.*

EGo enim accépi à Dómino quod & trádidi vobis; quóniam Dóminus Jesus in qua nocte tradebátur, accépit panem, & grátias agens, fregit, & dixit: Accípite, & manducáte: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradétur, hoc fácite in meam commemoratiónem. Simíliter & cálicem postquàm cœnávit, dicens: Hic calix novum testamentũ est in meo sánguine; hoc fácite, quotiescumque bibétis, in meam commemoratiónem. Quotiescumque enim manducábitis panem hunc, & cálicem bibétis, mortem Dómini annuntiábitis donec véniat.

℟. Omnes vos scándalum patiémini in me in ista nocte; scriptum est enim: Percútiam pastórem, * Et dispergentur oves gregis. ℣. Frámea, suscitáre super pastórem meum, & super virum cohærentem mihi, dicit Dñus: pércute pastórem, * Et. *Matth.26. Zach.13.*

*Lectio ix.*

ITaque quicumque manducáverit panem hunc, vel bíberit cálicem Dñi indignè, reus erit córporis & sánguinis Dómini. Probet autem seipsum homo; & sic de pane illo edat, & de cálice bibat. Qui enim mandúcat & bibit indignè, judícium sibi mandúcat & bibit, non dijúdicans corpus Dómini. Ideò inter vos multi infirmi & imbecilles, & dórmiunt multi. Quòd si nosmetipsos dijudicarémus, non útique judicarémur. Dum judicámur autem, à Dómino corrípimur, ut non cum hoc mundo damnémur. Itaque, fratres mei, cùm convenítis ad manducandum, ínvicem expectáte. Si quis éfurit, domi mandúcet; ut non in judícium conveniátis. Cétera autem, cúm vénero, dispónam.

℟. Pater, sanctífica eos in veritáte. * Non pro eis rogo tantùm, sed & pro eis, qui créditúri sunt per verbum eórum in me: ut unum sint, & credat mundus quia tu me misísti. ℣. Díligis ómnia quæ sunt, & nihil odísti eórum quæ fecísti. * Non. *Repet.* ℟. Pater. *usque ad* ℣. Díligis. *Joan.17. Sap.11.*

AD LAUDES.

*Ant. 6.* Cœpit Jesus.

*Psalmus 6.*

DOmine, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me.

Miserére meî, Dómine, quóniam infirmus sum; * sana me, Dómine, quóniam conturbáta sunt ossa mea.

Et ánima mea turbáta est valde; * sed tu, Dñe, usquequò?

Convértere, Dómine, & éripe ánimam meam; * salvum me fac propter misericórdiam tuam.

Quóniam non est in morte qui memor sit tui: * in inferno autem quis confitébitur tibi?

Laborávi in gémitu meo, lavábo per síngulas noctes lectum meum; * lácrymis meis stratum meum rigábo.

Turbátus est à furóre óculus meus: * inveterávi inter omnes inimícos meos.

Discédite à me, omnes qui operámini iniquitátem: * quóniam exaudívit Dóminus vocem fletûs mei.

*

Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam : * Dóminus oratiónem meam ſuſcépit.

Erubeſcant & conturbentur vehementer omnes inimíci mei : * convertantur & erubeſcant valde velóciter.

*Ant.* Cœpit Jeſus pavére & tædére ; & ait diſcípulis ſuis : triſtis eſt ánima mea uſque ad mortem : ſuſtinéte hìc & vigiláte mecum.

*Ant.* 7. d. Vigiláte.

*Pſalmus* 12.

USquequò, Dómine, oblivíſceris me in finem ; * úſquequò avertis fáciem tuam à me ?

Quámdiù ponam consília in ánima mea, * dolórem in corde meo per diem ?

Uſquequò exaltábitur inimícus meus ſuper me ? * réſpice, & exaudi me, Dómine Deus meus.

Illúmina óculos meos, ne umquam obdórmiam in morte : * nequando dicat inimícus meus : Præválui adversùs eum.

Qui tríbulant me, exultábunt ſi motus fúero : * ego autem in miſericórdia tua ſperávi.

Exultábit cor meum in ſalutári tuo : cantábo Dómino qui bona tríbuit mihi, * & pſallam nómini Dómini altíſſimi.

*Ant.* Vigiláte & oráte, ut non intrétis in tentatiónem : ſpíritus quidem promptus eſt, caro autem infirma.

*Ant.* 2. D. Prócidit.

*Pſalmus* 16.

EXaudi, Dómine, juſtítiam meam : * intende deprecatiónem meam.

Auribus pércipe oratiónem meam, * non in lábiis dolóſis.

De vultu tuo judícium meum pródeat : * óculi tui vídeant æquitátes.

Probaſti cor meum, & viſitaſti nocte : * igne me examinaſti, & non eſt inventa in me iniquitas.

Ut non loquátur os meum ópera hóminum : * propter verba labiórum tuórum ego cuſtodívi vias duras.

Pérfice greſſus meos in sémitis tuis : * ut non moveantur veſtígia mea.

Ego clamávi, quóniam exaudiſti me, Deus : * inclína aurem tuam mihi, & exaudi verba mea.

Mirífica miſericórdias tuas * qui ſalvos facis ſperantes in te.

A reſiſténtibus déxteræ tuæ cuſtódi me, * ut pupillam óculi.

Sub umbra alárum tuárum prótege me : * à fácie impiórum qui me afflixérunt.

Inimíci mei ánimam meam circumdedérunt, ádipem ſuum concluſérunt : * os eórum locútum eſt ſupérbiam.

Projicientes me nunc circumdedérunt me : * óculos ſuos ſtatuérunt declináre in terram.

Suſcepérunt me ſicut leo parátus ad prædam, * & ſicut cátulus leónis hábitans in ábditis.

Exurge, Dómine, præveni eum, & ſupplanta eum ; * éripe ánimam meam ab ímpio, frámeam tuam ab inimícis manûs tuæ.

Dómine, à paucis de terra divide eos in vita eórum : *

de abscónditis tuis adimplétus est venter eórum.

Saturáti sunt filiis: * & dimiserunt relíquias suas párvulis suis.

Ego autem in justítia apparébo conspéctui tuo; * satiábor cùm apparúerit glória tua.

*Antiph.* Prócidit in fáciem suam, orans & dicens: Pater mi, si possíbile est, tránseat à me calix iste; verúmtamen non mea voluntas, sed tua fiat. *Matth.* 26. *Luc.* 22.

*Ant.* 3. c. Appáruit.

*Canticum.* 2. Reg. 22.

DOminus petra mea, & robur meum, * & salvátor meus.

Deus fortis meus; sperábo in eum: * scutum meum, & cornu salútis meæ;

Elevátor meus, & refúgium meum: * salvátor meus, de iniquitáte liberábis me.

Laudábilem invocábo Dóminum; * & ab inimícis meis salvus ero.

Quia circumdedérunt me contritiónes mortis, * torrentes Bélial terruérunt me.

Funes inferni circumdedérunt me: * prævenérunt me láquei mortis.

In tribulatióne mea invocábo Dóminum, * & ad Deum meum clamábo.

Et exáudiet de templo suo vocem meam: * & clamor meus véniet ad aures ejus.

*Ant.* Appáruit illi Angelus de cœlo, confortans eum. Et factus in agónia, prolíxius orábat: & factus est sudor ejus sicut guttæ sánguinis decurrentis in terram. *Luc.* 22.

*Ant.* 4. a. Appropinquávit.

*Psalmus* 148.

LAudáte Dñum de cœlis: * laudáte eum in excelsis.

Laudáte eum, omnes Angeli ejus; * laudáte eum, omnes virtútes ejus.

Laudáte eum, sol & luna: * laudáte eum, omnes stellæ & lumen.

Laudáte eum, cœli cœlórum; * & aquæ omnes quæ super cœlos sunt, laudent nomen Dómini;

Quia ipse dixit, & facta sunt; * ipse mandávit, & creáta sunt.

Státuit ea in æternum, & in séculum séculi: * præceptum pósuit, & non præteríbit.

Laudáte Dñum de terra: * dracónes, & omnes abyssi;

Ignis, grando, nix, glácies, spíritus procellárum, * quæ fáciunt verbum ejus;

Montes, & omnes colles, * ligna fructífera, & omnes cedri:

Béstiæ, & universa pécora, * serpentes, & vólucres pennátæ:

Reges terræ, & omnes pópuli; * príncipes, & omnes júdices terræ:

Júvenes & vírgines, senes cum junióribus, laudent nomen Dómini: * quia exaltátum est nomen ejus sólius.

Conféssio ejus super cœlum & terram: * & exaltávit cornu pópuli sui.

Hymnus ómnibus sanctis ejus, * filiis Israël, pópulo appropinquanti sibi.

*Ant.* Appropinquávit Judas, ut oscularétur eum; dixitque illi Jesus: Amíce, ad quid ve-

nisti? Juda, ósculo filium hóminis tradis? *Matt.* 26. *Luc.* 22.

*Dum cantatur* Benedictus. *extinguuntur cerei altaris.*

*Ad* Benedictus. *Ant.* 1. g. Dixit Jesus ad eos qui vénerant ad se: Quasi ad latrónem existis cum gládiis & fústibus. Cùm quotídie vobiscum fúerim in templo, non extendistis manus in me: sed hæc est hora vestra & potestas tenebrárum. *Luc.* 22.

*Dum dicitur hæc Antiphona, amovetur à cuspide summus cereus accensus, & absconditur retro altare.*

*Finitâ Antiphonâ, cantatur hâc nocte, retro altare flexis genibus,* Kyrie. *cum Tropis; & omnes de Choro repetunt* Kyrie *vel* Christe. *ut infrà notatur: quod etiam observatur in secundâ & tertiâ nocte.*

PRECES.

*Clerici.* KYrie, eléïson. *Chorus,* Kyrie, eléïson.

*Cl.* Dómine, miserére: parce fámulis: Christus Dóminus factus est obédiens usque ad mortem. *Phil.* 2. *Ch.* Kyrie, eléïson.

*Cl.* Qui dedisti redemptiónem teipsum pro ómnibus. 1. *Tim.* 2. *Chorus,* Christe, eléïson.

*Cl.* Qui à Juda ósculo tráditus, sicut ovis ad occisiónem ductus es. *Luc.* 22. *Is.* 53. *Chorus,* Christe, eléïson.

*Cl.* Qui exaltátus à terra, ómnia traxisti ad teipsum. *Joan.* 12. *Ch.* Christe, eléïson.

*Cl.* Qui per Prophétam dixisti: Ero mors tua, ô mors. *Os.* 13. *Ch.* Kyrie, eléïson.

*Cl.* Auctor vitæ per mortem destruxit eum qui habébat mortis impérium. *Act.* 3. *Hebr.* 2. *Ch.* Kyrie, eléïson.

*Cl.* A forti prædam ábstulit, expólians potestátes, & palàm triumphávit. *Is.* 49. *Col.* 2. *Ch.* Kyrie, eléïson. Dómine, miserére; parce fámulis: Christus Dóminus factus est obédiens usque ad mortem. *Cl.* Mortem autem crucis. *Phil.* 2.

*Inchoatur absolutè à Celebrante genuflexo, Ps.* Miserére meî, Deus. 124. *quem omnes, flexis genibus, alternis Choris prosequuntur mediocri voce.*

*Quo finito, Celebrans, flexis genibus, simili voce dicit absolutè Orat.* Réspice. 255.

*Et statim fit strepitus à Celebrante in signum exeundi. Mox profertur cereus accensus; & omnes surgunt, & cum silentio discedunt.*

*AD HORAS, dicuntur rectò vocis tono Psalmi de Dominica; excepto quòd ad Primam, loco Ps.* Confitémini, Dómino, quóniam bonus. *dicitur Ps.* Deus, in nómine tuo salvum me fac. 96. *omisso Symbolo* Quicumque. *Quibus finitis, dicitur Ant.* Christus factus est pro nobis obédiens usque ad mortem. *Phil.* 2. *Deinde,* Miserére meî, Deus. 124. *flexis genibus, & Oratio.* Réspice 255.

*Hoc triduo Officium Capituli & Lectio Martyrologii omittuntur.*

[*Legitur verò Canon, verùm absolutè, seu sine benedictione præmissâ; & in ejus fine non additur* Tu autem. *nec aliud quidquam, sed eo Prima terminatur.*]

AD

AD VESPERAS.

*Ant.* 4. E. Occidétur.

*Psalmus* 114.

DIlexi, quóniam exáudiet Dóminus * vocem oratiónis meæ.

Quia inclinávit aurem suam mihi, * & in diébus meis invocábo.

Circumdedérunt me dolóres mortis, * & perícula inferni invenérunt me.

Tribulatiónem & dolórem invéni, * & nomen Dómini invocávi.

O Dómine, líbera animam meam: * miséricors Dóminus, & justus, & Deus noster miserétur.

Custódiens párvulos Dóminus; * humiliátus sum, & liberávit me.

Convértere, ánima mea, in réquiem tuam, * quia Dóminus benefécit tibi;

Quia erípuit ánimam meam de morte, * óculos meos à lácrymis, pedes meos à lapsu.

Placébo Dómino * in regióne vivórum.

*Ant.* Occidétur Christus & non erit ejus pópulus qui eum negatúrus est. *Dan.* 9.

*Ant.* 1. a. Omnes nos.

*Psalmus* 115.

CRédidi, propter quod locútus sum; * ego autem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excessu meo: * Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino * pro ómnibus quæ rétribuit mihi?

Calicem salutáris accípiam, * & nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo ejus: * pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus.

O Dómine, quia ego servus tuus; * ego servus tuus, & fílius ancillæ tuæ.

Dirupísti vincula mea; * tibi sacrificábo hóstiam laudis, & nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis pópuli ejus, * in átriis domûs Dómini, in médio tui, Jerúsalem.

*Ant.* Omnes nos quasi oves errávimus, unusquísque in viam suam declinávit; & pósuit Dóminus in eo iniquitátem ómnium nostrum. *Is. cap.* 53.

*Ant.* 2. D. Oblátus est.

*Psalmus* 119.

AD Dóminum, cùm tribulárer, clamávi, * & exaudívit me.

Dómine, líbera ánimam meam à lábiis iníquis, * & à lingua dolósa.

Quid detur tibi, aut quid apponátur tibi * ad linguam dolósam?

Sagittæ potentis acútæ, * cum carbónibus desolatóriis.

Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus est! habitávi cum habitántibus Cedar; * multùm íncola fuit ánima mea.

Cum his qui odérunt pacem, eram pacíficus; * cùm loquébar illis, impugnábant me gratis.

*Ant.* Oblátus est quia ipse vóluit, sicut ovis ad occisiónem ducétur, & quasi agnus coràm tondente se obmutéscet. *Is.* 53.

*Ant.* 7. ç. Conſummátus.

*Pſalmus* 120.

LEvávi óculos meos in montes, * unde véniet auxílium mihi.

Auxílium meum à Domino, * qui fecit cœlum & terram.

Non det in commotiónem pedem tuum; * neque dormítet qui cuſtódit te.

Ecce non dormitábit neque dórmiet, * qui cuſtódit Iſraël.

Dóminus cuſtódit te, Dóminus protéctio tua * ſuper manum déxteram tuam.

Per diem ſol non uret te, * neque luna per noctem.

Dóminus cuſtódit te ab omni malo: * cuſtódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus cuſtódiat introítum tuum & éxitum tuum, * ex hoc nunc, & uſque in ſéculum.

*Ant.* Conſummátus factus eſt ómnibus obtemperántibus ſibi cauſa ſalútis ætérnæ. *Hebr.* 10.

*Ant.* 6. Unâ,

*Pſalmus* 127.

BEáti omnes qui timent Dóminum, * qui ámbulant in viis ejus.

Labóres mánuum tuárum quia manducábis; * béatus es, & bene tibi erit.

Uxor tua ſicut vitis abundans, * in látteribus domûs tuæ.

Fílii tui ſicut novellæ olivárum, * in circúitu menſæ tuæ.

Ecce ſic benedicétur homo: * qui timet Dóminum.

Benedícat tibi Dóminus ex Sion; * & videas bona Jerúſalē ómnibus diébus vitæ tuæ.

Et videas fílios filiórum tuórum, * pacem ſuper Iſraël.

*Ant.* Unâ oblatióne conſummávit in ſempiternum ſanctificátos. *Hebr.* 10.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 1. D. Spíritus oris noſtri Chriſtus Dóminus captus eſt in peccátis noſtris. *Thren.* 4.

*Pro Oratinne in Choro, dicitur Poſtcommunio: extrà Chorum, Oratio*, Réſpice, *ſuprà ad Laudes.*

*Horâ competenti, facto ſigno cum tabula, lavantur Altaria, & fit Mandatum, &c.*

COMPLETORIUM, *ut ſuprà, Feria quarta.*

## FERIA SEXTA IN PARASCEVE.

### *IN I. NOCTURNO.*

*Ant.* 6. Non timébo.

*Pſalmus* 3.

DOmine, quid multiplicáti ſunt qui tríbulant me? * multi inſurgunt adversùm me.

Multi dicunt ánimæ meæ: * Non eſt ſalus ipſi in Deo ejus.

Tu autem, Dómine, ſuſceptor meus es, * glória mea, & exaltans caput meum.

Voce meâ ad Dóminum clamávi, * & exaudívit me de monte ſancto ſuo.

Ego dormívi, & ſoporátus ſum: * & exurrexi, quia Dóminus ſuſcépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdantis me: * exurge, Dómine; ſalvum me fac, Deus meus.

Quóniam tu percuſſiſti omnes adverſantes mihi ſine cauſa; * dentes peccatórum contriviſti.

Dómini eſt ſalus; * & ſuper pópulum tuum benedictio tua.

*Ant.* Non timébo míllia pópuli circumdantis me: exurge, Dómine; ſalvum me fac Deus meus.

*Ant.* 5. a. Aperuérunt.

*Pſalmus* 21.

DEus, Deus meus, réſpice in me: quare me dereliquiſti? * longè à ſalúte mea verba delictórum meórũ.

Deus meus, clamábo per diem, & non exáudies; * & nocte, & non ad inſipiéntiam mihi.

Tu autem in ſancto hábitas, * laus Iſraël.

In te ſperavérunt patres noſtri; * ſperavérunt, & liberaſti eos.

Ad te clamavérunt, & ſalvi facti ſunt: * in te ſperavérunt, & non ſunt confúſi.

Ego autem ſum vermis, & non homo; * oppróbrium hóminum, & abjéctio plebis.

Omnes vidéntes me, deriſérunt me; * locúti ſunt lábiis, & movérunt caput.

Sperávit in Dómino, erípiat eum; * ſalvum fáciat eum, quóniam vult eum.

Quóniam tu es qui extraxiſti me de ventre; * ſpes mea ab ubéribus matris meæ.

In te projectus ſum ex utero: * de ventre matris meæ Deus meus es tu.

Deus meus, ne diſcéſſeris à me, * quóniam tribulátio próxima eſt, quóniam non eſt qui ádjuvet.

Circumdedérunt me vítuli multi: * tauri pingues obſedérunt me.

Aperuérunt ſuper me os ſuum: * ſicut leo rápiens & rúgiens.

Sicut aqua effúſus ſum, * & diſperſa ſunt ómnia oſſa mea.

Factum eſt cor meum tamquam cera liqueſcens * in médio ventris mei.

Aruit tamquam teſta virtus mea, & lingua mea adhæſit fáucibus meis; * & in púlverem mortis deduxiſti me.

Quóniam circumdedérunt me canes multi: * concílium malignántium obſédit me.

Fodérunt manus meas & pedes meos, * dinumeravérunt ómnia oſſa mea.

Ipſi verò conſideravérunt, & inſpexérunt me: * diviſérunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſérunt ſortem.

Tu autem, Dómine, ne elongáveris auxílium tuum à me: * ad defenſiónem meam cónſpice.

Erue à frámea Deus, ánimam meam, * & de manu canis únicam meam.

Salva me ex ore leónis, * & à córnibus unicórnium humilitátem meam.

Narrábo nomen tuum frátribus meis: * in médio eccléſiæ laudábo te.

Qui timétis Dóminum, laudáte eum: * univerſum ſemen Jacob, glorificáte eum.

Tímeat eum omne ſemen Iſraël: * quóniam non ſprevit, neque deſpexit deprecatiónem páuperis.

Nec avertit fáciem ſuam à me: * & cùm clamárem ad eum, exaudívit me.

Apud te laus mea in eccléſia magna : * vota mea reddam in conſpectu timéntium eum.

Edent páuperes , & ſaturabuntur ; & laudábunt Dóminum qui requirunt eum : * vivent corda eórum in ſéculum ſéculi.

Reminiſcentur & convertentur ad Dóminum * univerſi fines terræ.

Et adorábunt in conſpectu ejus * univerſæ familiæ géntium.

Quóniam Dómini eſt regnum * & ipſe dominábitur géntium.

Manducavérunt & adoravérunt omnes pingues terræ : * in conſpectu ejus cadent omnes qui deſcendunt in terram.

Et ánima mea illi vivet ; * & ſemen meum ſérviet ipſi.

Annuntiábitur Dómino generátio ventúra ; * & annuntiábunt cœli juſtitiam ejus pópulo qui naſcétur , quem fecit Dóminus.

*Ant.* Aperuérunt ſuper me os ſuum , ſicut leo rápiens & rúgiens : concílium malignántium obſédit me.

*Ant.* 8. G. Inſurrexérunt,

*Pſalmus 26.*

DOminus illuminátio mea ; & ſalus mea , * quem timébo ?

Dóminus protéctor vitæ meæ ; * à quo trepidábo ?

Dum appropiant ſuper me nocentes , * ut edant carnes meas.

Qui tríbulant me inímici mei , * ipſi infirmáti ſunt & cecidérunt.

Si conſiſtant adversùm me caſtra , * non timébit cor meum.

Si exurgat adversùm me prælium , * in hoc ego ſperábo.

Unam pétii à Dómino , hanc requíram , * ut inhábitem in domo Dómini ómnibus diébus vitæ meæ.

Ut vídeam voluptátem Dómini , * & viſitem templum ejus.

Quóniam abſcondit me in tabernáculo ſuo : * in die malórum protexit me in abſcóndito tabernáculi ſui.

In petra exaltávit me : * & nunc exaltávit caput meum ſuper inimícos meos.

Circuívi & immolávi in tabernáculo ejus hóſtiam vociferatiónis : * cantábo , & pſalmum dicam Dómino.

Exaudi , Dómine , vocem meam quâ clamávi ad te : * miſerére meî , & exaudi me.

Tibi dixit cor meum , Exquisívit te fácies mea : * fáciem tuam , Dómine , requírã.

Ne avertas fáciem tuam à me ; * ne declínes in ira à ſervo tuo.

Adjútor meus eſto , ne derelinquas me , * neque deſpícias me , Deus ſalutáris meus.

Quóniam pater meus & mater mea dereliquérunt me : * Dóminus autem aſſumpſit me.

Legem pone mihi , Dómine , in via tua ; * & dirige me in ſémitam rectam propter inimícos meos.

Ne tradideris me in ánimas tribulántium me ; * quóniam inſurrexérunt in me teſtes iníqui , & mentíta eſt iníquitas ſibi.

Credo

Credo vidére bona Dómini * in terra vivéntium.

Expecta Dóminum, virílitér age, * & confortétur cor tuum, & sústine Dóminum.

*Ant.* Insurrexérunt in me testes iníqui; & mentíta est iníquitas sibi.

℣. Acuérunt linguas suas sicut serpentis: ℟. Venénum áspidum sub lábiis eórum. *Ps.* 139.

De Lamentatióne Jeremíæ Prophétæ.

*Lectio j.* Cap. 3.

EGo vir videns paupertátem meam in virga indignatiónis ejus. Me minávit, & adduxit in ténebras, & non in lucem. Tantùm in me vertit, & convertit manum suam totâ die. Vetustam fecit pellem meam, & carnem meam; contrívit ossa mea. Ædificávit in gyro meo, & circúmdedit me felle & labóre. In tenebrósis collocávit me, quasi mórtuos sempitérnos. Circumædificávit adversùm me, ut non egrédiar; aggravávit cómpedem meum. Sed & cum clamávero & rogávero, exclúsit oratiónem meam. Conclúsit vias meas lapídibus quadris; sémitas meas subvertit. Ursus insídians factus est mihi, leo in abscónditis. Jerúsalem.

℟. Quærébant adversùs Jesum testimónium, ut eum morti tráderent; nec inveniébant. * Multi enim testimóniũ falsũ dicébant; & convenientia testimónia non erant. ℣. Surgentes testes iníqui quæ ignorábam interrogábant me: * Multi. *Marc.* 14. *Ps.* 34.

*Lectio ij.*

TEtendit arcum suum, & posuit me quasi signum ad sagittam. Misit in rénibus meis filias pháretræ suæ. Factus sum in derísum omni pópulo meo, cánticum eórum totâ die. Replévit me amaritudínibus, inebriávit me absynthio. Et fregit ad número dentes meos, cibávit me cínere. Et repulsa est à pace ánima mea, oblítus sum bonórum. Et dixi: Périit finis meus, & spes mea à Dómino. Recordáre paupertátis & transgressiónis meæ, absynthii & fellis. Memória memor ero, & tabescet in me ánima mea. Hæc récolens in corde meo, ídeò sperábo. Jerúsalem, Jerúsalem, convértere ad Dóminum Deum tuum.

℟. Princeps Sacerdótum ait: Adjúro te per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Christus Fílius Dei. Dicit illi Jesus: Tu dixísti. At illi dixérunt: * Reus est mortis. ℣. Locúti sunt Sacerdótes: Judícium mortis est viro huic, quia prophetávit sicut audístis áuribus vestris: * Reus est mortis. *Matth.* 26. *Jerem.* 26.

*Lectio iij.*

VEnátione cepérunt me quasi avem inimíci mei gratis. Lapsa est in lacum vita mea, & posuérunt lápidem super me. Inundavérunt aquæ super caput meum: dixi, Périi. Invocávi nomen tuum, Dómine, de lacu novíssimo. Vocem meam audísti: ne avertas aurem tuam à singultu meo & clamóribus. Appropinquásti in die quando invo-

cávi te : dixiſti, Ne tímeas. Judicaſti, Dómine, cauſam ánimæ meæ, Redemptor vitæ meæ. Vidiſti, Dómine, iniquitátem illórum adversùm me : júdica judícium meum. Vidiſti omnem furórem, univerſas cogitatiónes eórum adversùm me. Audiſti opprobrium eórum, Dómine : omnes cogitatiónes eórum adversùm me, lábia inſurgéntium mihi, & meditatiónes eórum adversùm me totâ die. Seſſiónem eórum & reſurrectiónem eórum vide : ego ſum pſalmus eórum. Reddes eis vicem, Dómine, juxta opéra mánuum ſuárum. Jerúſalem, Jerúſalem, convértere ad Dóminum, &c.

℟. Dicébant Petro : Verè ex illis es. * Ille cœpit anathematizáre & juráre : Quia néſcio hóminem iſtum quem dicitis. ℣. Inquilíni domûs meæ ſicut aliénum habuérunt me, & quaſi peregrínus fui in óculis eórum. * Ille. *Marc.* 14. *Job.* 19.

*IN II. NOCTURNO.*

*Ant.* 8. G. Vim faciébant.

*Pſalmus* 37.

DOmine, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me.

Quóniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi, * & confirmaſti ſuper me manum tuam.

Non eſt ſánitas in carne mea à fácie iræ tuæ; * non eſt pax óſſibus meis à fácie peccatórum meórum.

Quóniam iniquitátes meæ ſupergreſſæ ſunt caput meũ, * & ſicut onus grave gravátæ ſunt ſuper me.

Putruérunt & corruptæ ſunt cicatríces meæ, * à fácie inſipiéntiæ meæ.

Miſer factus ſum & curvátus ſum uſque in finem : * totâ die conſtritátus ingrediébar.

Quóniam lumbi mei impléti ſunt illuſiónibus, * & non eſt ſánitas in carne mea.

Afflictus ſum & humiliátus ſum nimis : * rugiébam à gémitu cordis mei.

Dómine, ante te omne deſidérium meum, * & gémitus meus à te non eſt abſcónditus.

Cor meum conturbátum eſt, derelíquit me virtus mea : * & lumen oculórum meórum, & ipſum non eſt mecum.

Amíci mei, & próximi mei * adversùm me appropinquavérunt & ſtetérunt.

Et qui juxta me erant, de longè ſtetérunt; * & vim faciébant qui quærébant ánimam meam.

Et qui inquirébant mala mihi, locúti ſunt vanitátes, * & dolos totâ die meditabántur.

Ego autem tamquam ſurdus non audiébam, * & ſicut mutus non apériens os ſuum.

Et factus ſum ſicut homo non áudiens, * & non habens in ore ſuo redargutiónes.

Quóniam in te, Dómine, ſperávi : * tu exáudies me, Dómine Deus meus.

Quia dixi : Nequando ſupergáudeant mihi inimíci mei : * & dum commoventur pedes mei, ſuper me magna locúti ſunt.

Quóniam ego in flagella parátus sum : * & dolor meus in conspéctu meo semper.

Quóniam iniquitátem meã annuntiábo : * & cogitábo pro peccáto meo.

Inimíci autem mei vivunt, & confirmáti sunt super me : * & multiplicáti sunt qui odérunt me iniquè.

Qui retribuunt mala pro bonis, detrahébant mihi : * quóniam sequébar bonitátem.

Ne derelinquas me, Dómine Deus meus : * ne discéderis à me.

Intende in adjutórium * Dómine Deus salútis meæ.

*Ant.* Vim faciébant qui quærébant ánimam meam.

*Ant.* 3. c. Irruérunt.

*Psalmus* 58.

ERipe me de inimícis meis, Deus meus : * & ab insurgéntibus in me líbera me.

Eripe me de operántibus iniquitátem, * & de viris sánguinum salva me :

Quia ecce cepérunt ánimam meam, * irruérunt in me fortes.

Neque iníquitas mea, neque peccátum meum, Dómine : * sine iniquitáte cucurri, & direxi.

Exurge in occursum meum, & vide : * & tu, Dómine, Deus virtútum, Deus Israël,

Intende ad visitandas omnes gentes : * non misereáris ómnibus qui operantur iniquitátem.

Convertentur ad vésperam, & famem patiéntur ut canes : * & circuíbunt civitátem.

Ecce loquentur in ore suo, & gládius in lábiis eórum : * quóniam quis audívit ?

Et tu, Dómine, deridébis eos : * ad níhilum dedúces omnes gentes.

Fortitúdinem meam ad te custódiam, quia Deus susceptor meus es : * Deus meus, misericórdia ejus prævéniet me.

Deus ostendet mihi super inimícos meos, ne occídas eos : * nequando oblíviscantur pópuli mei.

Dispérge illos in virtúte tua : * & depóne eos, protector meus, Dómine.

Delictum oris eórum, sermónem labiórum ipsórum : * & comprehendántur in supérbia sua.

Et de execratióne & mendácio annuntiabúntur in consummatióne : * in ira consummatiónis, & non erunt.

Et scient quia Deus dominábitur Jacob, * & finium terræ.

Convertentur ad vésperam, & famem patiéntur ut canes : * & circuíbunt civitátem.

Ipsi dispergéntur ad manducándum : * si verò non fúerint saturáti, & murmurábunt.

Ego autem cantábo fortitúdinem tuam : * & exultábo manè misericórdiam tuam ;

Quia factus es susceptor meus, * & refúgium meum in die tribulatiónis meæ.

Adjútor meus, tibi psallam, quia Deus susceptor meus es : * Deus meus, misericórdia mea.

*Ant.* Irruérunt in me fortes : neque iníquitas mea, neque peccátum meum Dómine.

*Ant. 7. d.* Deo ſubjecta.

*Pſalmus 61.*

NOnne Deo ſubjecta erit ánima mea? * ab ipſo enim ſalutáre meum.

Nam & ipſe Deus meus, & ſalutáris meus, * ſuſceptor meus, non movébor ámplius.

Quo uſque irrúitis in hóminem? * interficitis univerſi vos, tanquam parieti inclináto, & macériæ depulſæ?

Verúmtamen prétium meum cogitavérunt repéllere, cucurri in ſiti: * ore ſuo benedicébant, & corde ſuo maledicébant.

Verúmtamen Deo ſubjecta eſto, ánima mea, * quóniam ab ipſo patiéntia mea.

Quia ipſe Deus meus, & ſalvátor meus; * adjútor meus, non emigrábo.

In Deo ſalutáre meum, & glória mea: * Deus auxílii mei, & ſpes mea in Deo eſt.

Speráte in eo, omnis congregátio pópuli, effúndite coram illo corda veſtra: * Deus adjútor noſter in ætérnum.

Verúm tamen vani filii hóminum, mendáces filii hóminum in ſtatéris, * ut decípiant ipſi de vanitáte in idipſum.

Nolíte ſperáre in iniquitáte, & rapínas nolíte concupíſcere: * divítiæ ſi áffluant, nolíte cor appónere.

Semel locútus eſt Deus, duo hæc audívi; quia poteſtas Dei eſt, & tibi, Dómine, miſericórdia; * quia tu reddes unicuíque juxta ópera ſua.

*Ant.* Deo ſubjecta eſto ánima mea; quóniam ab ipſo patiéntia mea.

℣. Subſannavérunt me ſubſannatióne. ℟. Frenduérunt ſuper me dentibus ſuis. *Pſ.* 34.

Sermo Sancti Joannis Chryſóſtomi.

*Lectio iv.*

HOdie Paſcha noſtrum pro nobis immolátus eſt Chriſtus. Ubi quæſo, immolátus? In excelſo patíbulo. Novum altáre hujus ſacrificii, quia ipſum ſacrificium novum ſtupendumque eſt. Idem quippe & ſacrificium & ſacerdos erat: ſacrificium ſecundùm carnem, ſacerdos ſecundùm ſpíritum, Idem & offerébat, & ſecundùm carnem offerebátur. Et crux fuit altáre. Et cur, ínquies, non in templo hóſtia offertur, ſed extra urbem & mœnia? Ut implerétur illud: Cum iníquis reputátus eſt. Cur autem in ſublími patíbulo jugulátur, non ſub tecto? Ut áeris natúram purgáret, cùm ovis in ſublími immolarétur. Purgabátur item & terra; fluébat enim è látere ſanguis in ipſam. Ideò non ſub tecto, ídeo non in templo Judáico, ne ſibi Judæi hóſtiam vindicárent, neve putáres pro illa gente tantùm hanc offerri. Idcircò extra urbem & mœnia; ut diſcas univerſále ſacrificium eſſe, quia pro univerſa terra erat oblátio; & purgatiónem item eſſe commúnem, non peculiárem, quemádmodùm apud Judæos.

℟. Quem vultis dimittam vobis, Barabbam, an Jeſum? Dixérunt: Barabbam. Quid ígitur fáciam de Jeſu? Dicunt

ómnes: * Crucifigátur. ℣. Dixérunt: Rogámus ut occidátur homo ille; síquidem non quærit pacem pópulo, ſed malum: * Crucifigátur. *Matth* 27. *Jerem.* 38.

*N.* 2. *Lectio v.*

VIs díſcere áliud ejus inſigne opus? Paradíſum clauſum hódie nobis apéruit, Hâc quippe die; hâc ipſâ horâ latrónem eò introduxit Deus. Hódie antíquam pátriam nobis réddidit: hódie in pátriam cívitátem nos reduxit: nam, Hódie, inquit, mecum eris in paradíſo. Quid dicis? Crucifixus es & clavis affixus, & paradíſum pollicéris? Etiam, inquit; ut in cruce virtútem meam ediſcas. Quia enim res erat triſtis, ne natúræ crucis atténderes, ſed Crucifixi virtútem ediſceres, in cruce hoc pérpetrat miráculum, quod ejus máximè virtútem demonſtrat. Non enim cùm mórtuum ſuſcitáret, non cùm ventos ac mare increpáret, non cùm dæmones fugáret; ſed crucifixus, clavis perforátus, contuméliis, ſputis, convíciis, oppróbriis onerátus, ímprobum latrónis ánimum mutáre pótuit, ut ex omni párte virtútem ejus vídeas. Creatúram quippe totam commóvit, petras ſcidit; ſed petrâ duriórem latrónis ánimam attraxit.

℟. Jeſum flagellis cæſum mílites índuunt púrpurâ, & impónunt ei ſpíneam corónam; & cœpérunt ſalutáre eum: Ave, Rex Judæórum; & * Percutiébant caput ejus arúndine, & conſpuébant eum. ℣. Corpus meum dedi percutiéntibus, & genas meas velléntibus; fáciem meam non averti à conſpuéntibus in me: * Percutiébant. *Marc.* 15. *l.* 50.

*n.* 3. *Lectio vj.*

SEd quid tantum fecit latro, ínquies, ut poſt crucem paradíſum ſit adeptus? Viſne ut virtútem ejus bréviter demonſtrem? Cùm Petrus negábat infra, tunc ille ſupra confitebátur. Diſcípulus vilíſſimæ puellæ minas non tulit: latro autem videns pópulum totum circumſtantem, clamantem, blaſphémias & dictéria jaculantem, non attendit illis: non cogitávit præſentem Crucifixi vilitátem; ſed fidei óculis hæc ómnia prætergrédiens, miſſis illis vílibus impedimentis, agnóvit cœlórum Dóminum, & ad ipſum ánimo procumbens, dicébat: Memento meî, Dómine, cùm véneris in regnum tuum. Viden quantórum nobis bonórum crux cauſa fúerit? Dic mihi, regnum petis? Quid vides hujúſmodi? Clavi & crux in conſpectu ſunt. Verùm ea ipſa crux, inquit, eſt ſymbolum regni. Ideò ipſum regem voco, quia vídeo crucifixum. Regis enim eſt pro ſúbditis mori. Hic ipſe dixit: Bonus paſtor ánimam ſuam ponit pro óvibus: ergo & bonus rex ánimam ſuam ponit pro ſúbditis. Quóniam ígitur ánimam ſuam póſuit, ideò regem illum voco. Memento meî, Dómine, in regno tuo.

℟. Suſcepérunt Jeſum, & eduxérunt. * Et bájulans ſibi

crucem, exívit Jeſus in eum qui dícitur Calváriæ locum. ℣. Tulit Abraham ligna holocauſti, & impóſuit ſuper Iſaac fílium ſuum: * Et bájulans. *Joan.* 19. *Geneſ.* 22.

*IN III. NOCTURNO.*

*Ant.* 1. f. Protexiſti me.

*Pſalmus* 63.

EXaudi, Deus, oratiónem meam cùm déprecor: * à timóre inimíci éripe ánimam meam.

Protexiſti me à conventu malignántium, * à multitúdine operántium iniquitátem.

Quia exacuérunt ut gládium linguas ſuas; * intendérunt arcum, rem amáram, ut ſagittent in occultis immaculátum.

Súbitò ſagittábunt eum, & non timébunt; * firmavérunt ſibi ſermónem nequam.

Narravérunt ut abſcónderent láqueos; * dixérunt, Quis vidébit eos.

Scrutáti ſunt iniquitátes: * defecérunt ſcrutantes ſcrutínio.

Accédet homo ad cor altum: * & exaltábitur Deus.

Sagittæ parvulórum factæ ſunt plagæ eórum: * & infirmátæ ſunt contra eos linguæ eórum.

Conturbáti ſunt omnes qui vidébant eos: * & tímuit omnis homo.

Et annuntiavérunt ópera Dei, * & facta ejus intellexérunt.

Lætábitur juſtus in Dómino, & ſperábit in eo, * & laudabuntur omnes recti corde.

*Ant.* Protexiſti me, Deus, à conventu malignántium, à multitúdine operántium iniquitátem; quia exacuérunt ut gládium linguas ſuas.

*Ant.* 4. *E.* Quem tu percuſſiſti.

*Pſalmus* 68.

SAlvum me fac, Deus: * quóniam intravérunt aquæ uſque ad ánimam meam.

Infixus ſum in limo profundi, * & non eſt ſubſtántia.

Veni in altitúdinem maris, * & tempeſtas demerſit me.

Laborávi clamans, raucæ factæ ſunt fauces meæ: * defecérunt óculi mei, dum ſpero in Deum meum.

Multiplicáti ſunt ſuper capillos capitis mei, * qui odérunt me gratis.

Confortáti ſunt qui perſecúti ſunt me inimíci mei injuſtè: * quæ non rápui, tunc exolvébam.

Deus, tu ſcis inſipiéntiam meam, * & delicta mea à te noñ ſunt abſcóndita.

Non erubeſcant in me qui expectant te, Dómine, * Dómine virtútum.

Non confundantur ſuper me, * qui quærunt te, Deus Iſraël.

Quóniam propter te ſuſtínui oppróbrium, * opériuit confúſio fáciem meam.

Extráneus factus ſum frátribus meis, * & peregrínus fíliis matris meæ.

Quóniam zelus domûs tuæ comédit me; * & oppróbria exprobrántium tibi cecidérunt ſuper me.

Et opérui in jejúnio ánimam meam; * & factum eſt in oppróbrium mihi.

Et póſui veſtimentum meum cilícium ; * & factus ſum illis in parábolam.

Adversùm me loquebantur qui ſedébant in porta ; * & in me pſalébant qui bibébant vinum.

Ego verò oratiónem meam ad te, Dómine ; * tempus beneplàciti, Deus.

In multitúdine miſericórdiæ tuæ exaudi me, * in veritáte ſalútis tuæ.

Eripe me de luto, ut non infigar ; * libera me ab iis qui odérunt me, & de profundis aquárum.

Non me demergat tempeſtas aquæ, neque absórbeat me profundum, * neque úrgeat ſuper me púteus os ſuum.

Exaudi me, Dómine, quóniam benigna eſt miſericórdia tua ; * ſecundùm multitúdinem miſeratiónum tuárum réſpice in me.

Et ne avertas fáciem tuam à púero tuo * quoniam tríbulor, velóciter exaudi me.

Intende ánimæ meæ, & líbera eam ; * propter inimícos meos éripe me.

Tu ſcis impropérium meum, & confuſiónem meam, * & reveréntiam meam.

In conſpectu tuo ſunt omnes qui tríbulant me : * impropérium expectávit cor meum, & miſériam.

Et ſuſtínui qui ſimul contriſtarétur, & non fuit ; * & qui conſolarétur, & non invéni.

Et dedérunt in eſcam meam fel, * & in ſiti mea potavérunt me acéto.

Fiat menſa eórum coram ipſis in láqueum, * & in retributiónes, & in ſcándalum.

Obſcurentur óculi eórum, ne videant, * & dorſum eórum ſemper incurva.

Effunde ſuper eos iram tuam, * & furor iræ tuæ comprehendat eos.

Fiat habitátio eórum deſerta, * & in tabernáculis eórum non ſit qui inhábitet.

Quóniam quem tu percuſſiſti, perſecúti ſunt ; * & ſuper dolórem vúlnerum meórum addidérunt.

Appóne iniquitátem ſuper iniquitátem eórum ; * & non intrent in juſtítiam tuam.

Deleantur de libro vivéntium ; * & cum juſtis non ſcribantur.

Ego ſum pauper & dolens : * ſalus tua, Deus, ſuſcépit me.

Laudábo nomen Dei cum cántico, * & magnificábo eum in laude.

Et placébit Deo ſuper vítulum novellum, * córnua producentem & úngulas.

Vídeant páuperes, & lætentur : * quærite Deum, & vivet ánima veſtra ;

Quóniam exaudívit páuperes Dóminus, * & vinctos ſuos non deſpexit.

Laudent illum cœli & terra, * mare, & ómnia reptília in eis.

Quóniam Deus ſalvam fáciet Sion, * & ædificabuntur civitátes Juda.

Et inhabitábunt ibi, * & hæreditáte acquírent eam.

Et ſemen ſervórum ejus poſſidébit eam ; & qui díligunt nomen ejus, habitábunt in ea.

*Ant.* Quem tu percussísti, persecúti sunt; & super dolórem vúlnerum meórum addidérunt.

*Ant.* 2. D. Exurge.

*Psalmus* 73.

UT quid Deus repulísti in finem, * irátus est furor tuus super oves páscuæ tuæ?

Memor esto congregatiónis tuæ, * quam possedísti ab initio.

Redemísti virgam hæreditátis tuæ: * mons Sion, in quo habitásti in eo.

Leva manus tuas in supérbias eórum in finem: * quanta malignátus est ínimicus in sancto?

Et gloriáti sunt qui odérunt te, * in médio solemnitátis tuæ.

Posuérunt signa sua, signa; * & non cognovérunt, sicut in éxitu super summum.

Quasi in sylva lignórum secúribus excidérunt januas ejus in idipsum, * in secúri & ascia dejecérunt eam.

Incendérunt igni sanctuárium tuum, * in terra polluérunt tabernáculum nóminis tui.

Dixérunt in corde suo cognátio eórum simul: * Quiéscere faciámus omnes dies festos Dei à terra.

Signa nostra non vídimus, jam non est prophéta; * & nos non cognoscet ámplius.

Usquequò, Deus, improperábit inimícus? * irritat adversárius nomen tuum in finem?

Ut quid avertis manum tuam & déxteram tuam * de médio sinu tuo in finem?

Deus autem, rex noster ante sécula, * operátus est salútem in médio terræ.

Tu confirmásti in virtúte tua mare, * contribulásti cápita draconum in aquis.

Tu confregísti cápita dracónis, * dedísti eum escam pópulis Æthíopum.

Tu dirupísti fontes & torrentes, * tu siccásti flúvios Ethan.

Tuus est dies, & tua est nox: * tu fabricátus es auróram & solem.

Tu fecísti omnes términos terræ: * æstátem & ver, tu plasmásti ea.

Memor esto hujus, inimícus improperávit Domino, * & pópulus insípiens incitávit nomen tuum.

Ne tradas béstiis ánimas confitentes tibi; * & ánimas páuperum tuórum ne obliviscáris in finem.

Réspice in testamentum tuum; * quia repléti sunt, qui obscurati sunt terræ, dómibus iniquitátum.

Ne avertátur húmilis factus confúsus: * pauper & inops laudábunt nomen tuum.

Exurge, Deus, júdica causam tuam; * memor esto improperiórum tuórum, eórum quæ ab insipiente sunt totâ die.

Ne obliviscáris voces inimicórum tuórum; * supérbia eórum qui te odérunt, ascendit semper.

*Ant.* Exurge, Deus, judica causam tuam: memor esto improperiórum tuórum.

℣. Opprobria exprobrán-

tium tibi. ℟. Cecidérunt ſuper me. *Pſ.* 68.

De Epiſtola beáti Pauli Apóſtoli ad Hebræos.

*Lectio vij.* Cap. 4. & 5.

HAbentes Pontificem magnum qui penetrávit cœlos, Jeſum Fílium Dei, teneámus confeſſiónem. Non enim habémus Pontificem qui non poſſit cómpati infirmitátibus noſtris; tentátum autem per ómnia pro ſimilitúdine abſque peccáto. Adeámus ergo cum fidúcia ad thronum grátiæ, ut miſericórdiam conſequámur, & grátiam inveniámus in auxílio opportúno. Omnis namque Póntifex ex homínibus aſſúmptus, pro homínibus conſtitúitur in iis quæ ſunt ad Deum, ut ófferat dona & ſacrifícia pro peccátis: qui condolére poſſit iis qui ignórant & errant; quóniam & ipſe circúmdatus eſt infirmitáte: & propterèa debet, quemádmodum pro pópulo, ita étiam & pro ſemetipſo offerre pro peccátis.

℟. Crucifixérunt Jeſum, & latrónes, unum à dextris, & álterum à ſiniſtris. Jeſus autem dicébat: * Pater, dimitte illis; non enim ſciunt quid fáciunt. ℣. Cum ſcelerátis reputátus eſt; & ipſe peccáta multórum tulit, & pro tranſgreſſóribus rogávit, * Pater. *Luc.* 23. *Iſ.* 53.

*Lectio viij.*

NEc quiſquam ſumit ſibi honórem, ſed qui vocátur à Deo, tanquam Aaron. Sic & Chriſtus non ſemetipſum clarificávit, ut Póntifex fieret; ſed qui locútus eſt ad eum: Fílius meus es tu, ego hódie génui te. Quemádmodùm & in álio loco dicit: Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm órdinem Melchíſedech. Qui in diébus carnis ſuæ, preces ſupplicationeſque ad eum qui poſſit illum ſalvum fácere à morte, cum clamóre válido & lácrymis ófferens, exauditus eſt pro ſua reveréntia. Et quidem cùm eſſet Fílius Dei, didicit ex eis quæ paſſus eſt, obediéntiam; & conſummátus, factus eſt ómnibus obtemperántibus ſibi cauſa ſalútis æternæ, appellátus à Deo Póntifex juxta órdinem Melchíſedech.

℟. Ipſe vulnerátus eſt propter iniquitátes noſtras, attrítus eſt propter ſcélera noſtra: * Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & livóre ejus ſanáti ſumus. ℣. Peccáta noſtra ipſe pértulit in córpore ſuo ſuper lignum; ut peccátis mórtui juſtítiæ vivámus. * Diſciplína. *Iſ.* 53. 1. *Petr.* 2.

*Lectio ix.* Cap. 7.

ET álii quidem plures facti ſunt ſacerdótes, idcircò quòd morte prohiberentur permanére: hic autem eò quòd máneat in æternum, ſempiternum habet ſacerdótium. Unde & ſalváre in perpétuum poteſt accedentes per ſemetipſum ad Deum, ſemper vivens ad interpellandum pro nobis. Talis enim decébat ut nobis eſſet Póntifex, ſanctus, ínnocens, impollútus, ſegregátus à peccatóribus, & excélſior cœlis factus: qui non habet neceſſitátem quotídie, quem-

ádmodùm ſacerdótes, priùs pro ſuis delictis hóſtias offerre, deinde pro pópuli; hoc enim fecit ſemel, ſeipſum offerendo.

℟. In hoc appáruit cáritas Dei in nobis: quóniam prior dilexit nos, & * Miſit fílium ſuum propitiatiónem pro peccátis noſtris. ℣. Quis lóquetur poténtias Dómini, áuditas fáciet omnes laudes ejus? * Miſit. *Repetitur* ℟. In hoc appáruit. *uſque ad* ℣. 1. *Joan.* 4. *Pſ.* 105.

AD LAUDES.

*Ant.* 8. c. Póſuit.

*Pſalmus* 5.

VErba mea áuribus pércipe, Dómine; * intélli ge clamórem meum.

Intende voci oratiónis meæ, * Rex meus & Deus meus.

Quóniam ad te orábo, Dómine; * manè exáudies vocem meam.

Manè aſtábo tibi, & vidébo; * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malignus; * neque permanébunt injuſti ante óculos tuos.

Odiſti omnes qui operantur iniquitátem; * perdes omnes qui loquuntur mendácium.

Virum ſánguinum & dolóſum abominábitur Dóminus: * ego autem in multitúdine miſericórdiæ tuæ,

Introíbo in domum tuam; * adorábo ad templum ſanctum tuum in timóre tuo.

Dómine, deduc me in juſtítia tua: * propter inimícos meos dírige in conſpéctu tuo viam meam;

Quóniam non eſt in ore eórum véritas, * cor eórum vanum eſt.

Sepulchrum patens eſt guttur eórum, linguis ſuis dolóſe agébant; * júdica illos, Deus.

Décidant à cogitatiónibus ſuis; ſecundùm multitúdinem impietátum eórum expelle eos, * quóniam irritavérunt te, Dómine.

Et lætentur omnes qui ſperant in te: * in æternum exultábunt, & habitábis in eis.

Et gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum, * quóniam tu benedíces juſto.

Dómine, ut ſcuto bonæ voluntátis tuæ * coronaſti nos.

*Ant.* Póſuit Pilátus títulum ſuper crucem; erat autem ſcriptum: Jeſus Nazarénus, Rex Judæórum. *Joan.* 19.

*Ant.* 5. a. Milites.

*Pſalmus* 41.

QUemádmodum deſíderat cervus ad fontes aquárum: * ita deſíderat ánima mea ad te, Deus.

Sitívit ánima mea ad Deum fortem, vivum: * quando véniam & apparébo ante fáciem Dei?

Fuérunt mihi láchrymæ meæ panes die ac nocte, * dum dícitur mihi quotídie: Ubi eſt Deus tuus?

Hæc recordátus ſum, & effúdi in me ánimam meam, * quóniam transíbo in locum tabernáculi admirábilis, uſque ad domum Dei.

In voce exultatiónis & confeſſiónis, * ſonus epulantis.

Quare triſtis es, ánima

mea?* & quare conturbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi*: ſalutáre vultûs mei, & Deus meus.

Ad meipſum ánima mea conturbáta eſt; * proptérea memor ero tuî de terra Jordánis, & Hermóniim à monte módico.

Abyſſus abyſſum ínvocat,* in voce cataractárum tuárum.

Omnia excelſa tua, & fluctus tui * ſuper me tranſiérunt.

In die mandávit Dóminus miſericórdiam ſuam,* & nocte cánticum ejus.

Apud me orátio Deo vitæ meæ, * dicam Deo: Suſceptor meus es;

Quare oblítus es meî? * & quare contriſtátus incédo, dum afflígit me inimícus?

Dum confringuntur oſſa mea, * exprobravérunt mihi qui tríbulant me inimici mei;

Dum dicunt mihi per síngulos dies: Ubi eſt Deus tuus?* quare triſtis es, ánima mea? & quare conturbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: * ſalutáre vultûs mei, & Deus meus.

*Ant.* Mílites cùm crucifixiſſent eum, accepérunt veſtimenta ejus & túnicam, mittentes ſortem ſuper eis, quis quid tólleret. *Joan.* 19. *Marc.* 15.

*Ant.* 7. a. Prætereuntes.

*Pſalmus* 56.

MIſerére meî, Deus, miſerére meî: * quóniam in te confidit ánima mea.

Et in umbra alárum tuárum ſperábo: * donec tránſeat iníquitas.

Clamábo ad Deum altíſſimum, * Deum qui benefécit mihi.

Miſit de cœlo, & liberávit me: * dedit in oppróbrium conculcantes me.

Miſit Deus miſericórdiam ſuam & veritátem ſuam: * & erípuit ánimam meam de médio catulórum leónum, dormívi conturbátus.

Fílii hóminum, dentes eórum arma & ſagittæ: * & lingua eórum gládius acútus.

Exaltáre ſuper cœlos, Deus: * & in omnem terram glória tua.

Láqueum paravérunt pédibus meis: * & incurvavérunt ánimam meam.

Fodérunt ante fáciem meam fóveam: * & incidérunt in eam.

Parátum cor meum, Deus, parátum cor meum: * cantábo & pſalmum dicam.

Exurge, glória mea, exurge, pſaltérium & cíthara: * exurgam dilúculo.

Confitébor tibi in pópulis, Dómine, * & pſalmum dicam tibi in géntibus:

Quóniam magnificáta eſt uſque ad cœlos miſericórdia tua: * & uſque ad nubes véritas tua.

Exaltáre ſuper cœlos, Deus: * & ſuper omnem terram glória tua.

*Ant.* Prætereuntes blaſphemábant eum, moventes cápita ſua, & dicentes: Salva temetipſum, ſi Fílius Dei es, deſcende de Cruce. *Matth.* 27.

*Ant.* 3. a Illudébant.

*Canticum.* Iſaïæ 5.

CAntábo dilécto meo * cánticum patruélis mei vineæ ſuæ.

Vínea facta eſt dilecto meo* in cornu filio ólei.

Et ſepívit eam, & lápides elégit ex illa, * & plantávit eam electam;

Et ædificávit turrim in médio ejus, * & torcúlar extruxit in ea.

Et expectávit ut fáceret uvas, * & fecit labruſcas.

Nunc ergo, habitatóres Jerúſalem, & viri Juda, * judicáte inter me & víneam meam.

Quid eſt quod débui ultrà fácere víneæ meæ, & non feci ei? * an quód expectávi ut fáceret uvas, & fecit labruſcas?

Et nunc oſtendam vobis quid ego fáciam víneæ meæ: * áuferam ſepem ejus, & erit in direptiónem.

Díruam macériam ejus, * & erit in conculcatiónem.

Et ponam eam deſertam: non putábitur, & non fodiétur: * & aſcendent vepres & ſpinæ.

Et núbibus mandábo * ne pluant ſuper eam imbrem.

*Ant.* Illudébant ei & mílites, acétum offerentes ei, & dicentes: Si tu es Rex Judæórum, ſalvum te fac. *Matth.* 27. *Luc.* 23.

*Ant.* 6. Unus.

*Pſalmus* 149.

CAntáte Dómino cánticum novum: * laus ejus in eccléſia ſanctórum.

Lætétur Iſraël in eo qui fecit eum, * & filii Sion exultent in rege ſuo.

Laudent nomen ejus in choro, * in tympano & pſaltério pſallant ei;

Quia beneplácitum eſt Dómino in pópulo ſuo; * & exaltábit manſuétos in ſalútem.

Exultábunt ſancti in glória: * lætabuntur in cubílibus ſuis.

Exaltatiónes Dei in gútture eórum, * & gládii ancípites in mánibus eórum.

Ad faciendam vindictam in natiónibus, * increpatiónes in pópulis:

Ad alligandos reges eórum in compédibus, * & nóbiles eórum in mánicis férreis.

Ut fáciant in eis judícium conſcriptum: * glória hæc eſt ómnibus ſanctis ejus.

*Ant.* Unus de latrónibus blaſphemábat eum. Reſpondens autem alter, increpábat eum, dicens: nos quidem digna factis recípimus, hic verò nihil mali geſſit. *Luc.* 24.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 1. g. Dicébat ad Jeſum: Dómine, memento mei, cùm véneris in regnum tuum. Et dixit illi Jeſus: Amen dico tibi; hódie mecum eris in paradiſo. *Joan.* 19. *Luc.* 23.

Kyrie, &c. *ut herì*, 268.

*AD HORAS.*

*Poſt Pſalmos dicitur*: Chriſtus factus eſt pro nobis obédiens uſque ad mortem, mortem autem crucis. *Philipp.* 2.

*Pſalm.* Miſerére. 124. *Oratio*, Réſpice. 268.

AD VESPERAS.

*Dicuntur ſine cantu Pſalmi & Antiphonæ ſequentes.*

*Ant.* Cum vidiſſet.

*Pſalmus* 123.

NIſi quia Dóminus erat in nobis, dicat nunc Iſraël: * niſi quia Dóminus erat in nobis.

Cùm exúrgerent hómines

in nos, * fortè vivos deglutíſſent nos;

Cùm iraſcerétur furor eórum in nos, * fórſitan aqua abſorbuíſſet nos.

Torrentem pertransívit ánima noſtra, * forſitan pertranſíſſet ánima noſtra aquam intolerábilem.

Benedíctus Dóminus, * qui non dedit nos in captiónem déntibus eórum.

Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt * de láqueo venántium.

Láqueus contrítus eſt, * & nos liberáti ſumus.

Adjutórium noſtrum in nómine Dómini, * qui fecit cœlum & terram.

*Ant.* Cùm vidiſſet Jeſus, matrem & diſcípulum ſtantem quem diligébat, dicit matri ſuæ: múlier, ecce Filius tuus; deinde dicit diſcípulo: ecce Mater tua. *Joan.* 19.

*Ant.* Erat.

*Pſalmus* 128.

SÆpè expugnavérunt me à juventúte mea, * dicat nunc Iſraël.

Sæpè expugnavérunt me à juventute mea; * étenim non potuérunt mihi.

Supra dorſum meum fabricavérunt peccatóres: * prolongavérunt iniquitátem ſuam.

Dóminus juſtus * concídit cervices peccatórum.

Confundantur & convertantur retrorsùm * omnes qui odérunt Sion.

Fiant ſicut fœnum tectórum, * quod priuſquàm evellátur, exáruit:

De quo non implévit manum ſuam, qui métit; * & ſinum ſuum, qui manípulos cólligit.

Et non dixérunt qui prætereíbant: Benedíctio Dómini ſuper vos: * benediximus vobis in nómine Dómini.

*Ant.* Erat ferè hora ſexta, & tenebræ factæ ſunt in univerſam terram, uſque in horam nonam; & obſcurátus eſt ſol. *Luc.* 23.

*Ant.* Circà.

*Pſalmus* 139.

ERipe me, Dómine, ab hómine malo, * à viro iníquo eripe me.

Qui cogitavérunt iniquitátes in corde, * totâ die conſtituébant prælia.

Acuérunt linguas ſuas ſicut ſerpentis, * venénum áſpidum ſub lábiis eórum.

Cuſtódi me, Dómine, de manu peccatóris, * & ab homínibus iníquis éripe me.

Qui cogitavérunt ſupplantáre greſſus meos, * abſcondérunt ſuperbi láqueum mihi:

Et funes extendérunt in láqueum; * juxta iter ſcándalum poſuérunt mihi.

Dixi Dómino: Deus meus es tu; * exaudi, Dómine, vocem deprecatiónis meæ.

Dómine, Dómine, virtus ſalútis meæ, * obumbraſti ſuper caput meum in die belli;

Ne tradas me, Dómine, à deſidério meo peccátori; * cogitavérunt contra me, ne derelinquas me, ne fortè exaltentur.

Caput circúitus eórum; * labor labiórum ipſórum opériet eos.

Cadent ſuper eos carbónes: in ignem dejícies eos; * in

miſériis non ſubſiſtent.

Vir linguóſus non dirigétur in terra ; * virum injuſtum mala cápient in intéritu.

Cognóvi quia fáciet Dóminus judícium ínopis , * & vindictam páuperum.

Verúmtamen juſti confitebuntur nómini tuo ; * & habitábunt recti cum vultu tuo.

*Ant.* Circà horam nonam clamávit Jeſus voce magnâ : Deus meus , Deus meus , ut quid dereliquiſti me ? *Matth.* 27.

*Ant.* Sciens Jeſus.

*Pſalmus* 140.

DOmine, clamávi ad te, exaudi me ; * intende voci meæ , cùm clamávero ad te.

Dirigátur orátio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo : * elevátio mánuum meárum , ſacrifícium veſpertínum.

Pone , Dómine , cuſtódiam ori meo , * & óſtium circumſtántiæ lábiis meis.

Non declínes cor meum in verba malítiæ , * ad excuſandas excuſatiónes in peccátis.

Cum homínibus operántibus iniquitátem ; * & non communicábo cum electis eórum.

Corrípiet me juſtus in miſericórdia , & increpábit me ; * óleum autem peccatóris non impinguet caput meum.

Quóniam adhuc & orátio mea in beneplácitis eórum : * abſorpti ſunt juncti petræ júdices eórum.

Audient verba mea , quóniam potuérunt ; * ſicut craſſitúdo terræ erupta eſt ſuper terram.

Diſſipáta ſunt oſſa noſtra ſecùs infernum : * quia ad te , Dómine , Dómine , óculi mei ; in te ſperávi , non áuferas ánimam meam.

Cuſtódi me à láqueo quem ſtatuérunt mihi , * & à ſcándalis operántium iniquitátem.

Cadent in retiáculo ejus peccatóres : * ſinguláriter ſum ego , donec tránſeam.

*Ant.* Sciens Jeſus quia ómnia conſummáta ſunt , ut conſummarétur ſcriptúra , dicit : Sítio. *Joan.* 19.

*Ant.* Vas erat.

*Pſalmus* 76.

VOce meâ ad Dóminum clamávi : * voce meâ ad Dóminum deprecátus ſum.

Effundo in conſpectu ejus oratiónem meam * & tribulatiónem meam ante ipſum pronúntio.

In deficiendo ex me ſpíritum meum ; * & tu cognovíſti ſémitas meas.

In via hac quâ ambulábam , * abſcondérunt láqueum mihi.

Conſiderábam ad déxteram , & vidébam ; * & non erat qui cognóſceret me.

Périit fuga à me ; * & non eſt qui requírat ánimam meâ.

Clamávi ad te , Dómine : * dixi , Tu es ſpes mea , pórtio mea in terra vivéntium.

Intende ad deprecatiónem meam ; * quia humiliátus ſum nimis.

Líbera me à perſequéntibus me ; * quia confortáti ſunt ſuper me.

Educ de cuſtódia ánimam meam , ad confitendum nómini tuo : * me expectant juſti , donec retribuas mihi.

*Ant.* Vas erat acéto ple-

num ; illi autem ſpóngiam plenam acéto , hyſſópo circumponentes obtulérunt ori ejus. *Joan.* 19.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Cùm accepiſſet Jeſus acétum , dixit: Conſummátum eſt. Et clamans voce magnâ , ait : Pater , in manus tuas commendo ſpíritum meum. Et inclináto cápite , trádidit ſpíritum. *Joan.* 19. *Luc.* 23.

*Oratio* , Réſpice. 268.

COMPLETORIUM , *ut ſuprà , Feriâ quartâ.*

## SABBATO SANCTO.

### *IN I. NOCTURNO.*

*Ant.* 2. D. Conſumétur.

*Pſalmus* 7.

DOmine Deus meus , in te ſperávi : * ſalvum me fac ex ómnibus perſequéntibus me , & libera me.

Nequando rápiat ut leo ánimam meam , * dum non eſt qui rédimat , neque qui ſalvum fáciat.

Dómine Deus meus , ſi feci iſtud , * ſi eſt iníquitas in mánibus meis :

Si réddidi retribuéntibus mihi mala , * décidam méritò ab inimícis meis inánis :

Perſequátur inimícus ánimam meam , & comprehendat , & conculcet in terra vitam meam , * & glóriam meam in púlverem dedúcat.

Exurge , Dómine , in ira tua : * & exaltáre in finibus inimicórum meórum.

Et exurge , Dómine Deus meus , in præcepto quod mandásti : * & ſynagóga populórum circúmdabit te.

Et propter hanc in altum regrédere : * Dóminus júdicat pópulos.

Júdica me , Dómine , ſecundùm juſtítiam meam , * & ſecundùm innocéntiam meam ſuper me.

Conſumétur nequítia peccatórum , & díriges juſtum , * ſcrutans corda & renes , Deus.

Juſtum adjutórium meum à Dómino , * qui ſalvos facit rectos corde.

Deus judex juſtus , fortis & pátiens : * numquid iráſcitur per ſingulos dies ?

Niſi converſi fuéritis , gládium ſuum vibrábit : * arcum ſuum tetendit , & parávit illum :

Et in eo parávit vaſa mortis ; * ſagittas ſuas ardentibus effécit.

Ecce partúriit injuſtítiam ; * concépit dolórem , & péperit iniquitátem.

Lacum apéruit , & effódit eum ; * & incidit in fóveam quam fecit.

Convertétur dolor ejus in caput ejus ; * & in vérticem ipsíus iníquitas ejus deſcendet.

Confitébor Dómino ſecundùm juſtítiam ejus : * & pſallam nómini Dómini altíſſimi.

*Ant.* Conſumétur nequítia peccatórum ; & díriges juſtum , Dómine.

*Ant.* 4. E. Habitábit.

*Pſalmus* 14

DOmine, quis habitábit in tabernáculo tuo ? * aut quis requieſcet in monte ſancto tuo ?

Qui ingréditur ſine mácula , * & operátur juſtítiam ;

Qui lóquitur veritátem in corde ſuo ; * qui non egit do-

lúm in lingua ſua;

Nec fecit próximo ſuo malum, * & oppróbrium non accépit adversùs próximos ſuos.

Ad níhilum deductus eſt in conſpectu ejus malignus: * timentes autem Dóminum glorificat.

Qui jurat próximo ſuo, & non décipit; * qui pecúniam ſuam non dedit ad uſúram, & múnera ſuper innocentem non accépit.

Qui facit hæc, * non movébitur in æternum.

*Ant.* Habitábit in tabernáculo tuo: Requieſcet in monte ſancto tuo.

*Ant.* 7. ç. Caro mea.

*Pſalmus* 15.

COnſerva me, Dómine, quóniam ſperávi in te: * dixi Dómino: Deus meus es tu, quóniam bonórum meórum non eges.

Sanctis qui ſunt in terra ejus, * mirificávit omnes voluntátes meas in eis.

Multiplicátæ ſunt infirmitátes eórum: * póſtea acceleravérunt.

Non congregábo conventícula eórum de ſanguínibus: * nec memor ero nóminum eórum per lábia mea.

Dóminus pars hæreditátis meæ & cálicis mei: * tu es qui reſtitues hæreditátem meam mihi.

Funes cecidérunt mihi in præcláris; * étenim hæréditas mea præclára eſt mihi.

Benedícam Dóminum qui tríbuit mihi intellectum: * ínſuper & uſque ad noctem increpuérunt me renes mei.

Providébam Dóminum in conſpectu meo ſemper: * quóniam à dextris eſt mihi, ne commóvear.

Propter hoc lætátum eſt cor meum, & exultávit lingua mea; * ínſuper & caro mea requieſcet in ſpe:

Quóniam non derelinques ánimam meam in inferno: * nec dabis ſanctum tuum vidére corruptiónem.

Notas mihi feciſti vias vitæ; adimplébis me lætítiâ cum vultu tuo: * delectatiónes in déxtera tua uſque in finem.

*Ant.* Caro mea requieſcet in ſpe.

℣. Non derelinques ánimam meam in inferno, ℟. Nec dabis Sanctum tuum vidére corruptiónem. *Pſ.* 15.

De Lamentatióne Jeremíæ Prophétæ.

*Lectio* 1. Cap. 4.

QUómodò obſcurátum eſt aurum, mutátus eſt color óptimus, diſperſi ſunt lápides ſanctuárii in cápite ómnium plateárum? Fílii Sion ínclyti, & amicti auro primo, quómodò reputáti ſunt in vaſa téſtea, opus mánuum figuli? Sed & lamíæ nudavérunt mammam, lactavérunt cátulos ſuos: fília pópuli mei crudélis quaſi ſtrúthio in deſerto. Adhæſit lingua lactentis ad palátum ejus in ſiti: párvuli petiérunt panem, & non erat qui frángeret eis. Qui veſcebantur voluptuóſè, interiérunt in viis: qui nutriebantur in cróceis, amplexáti ſunt ſtércora. Et major effecta eſt iníquitas filiæ pópuli

puli mei peccáto Sodomórum, quæ subversa est in momento, & non cepérunt in ea manus. Jerúsalem.

℟. Aspícient ad me quem confixérunt: & * Plangent eum planctu quasi super unigénitum, & dolébunt super eum ut in morte primogéniti. ℣. Centúrio, & qui cum eo erant, timuérunt valde, dicentes: Verè Fílius Dei erat iste. Et percutientes péctora sua, revertebantur: * Plangent. *Zach.* 12. *Matth.* 27. *Luc.* 23.

*Lectio ij.*

CUm adhuc subsísterémus, defecérunt óculi nostri ad auxílium nostrum vanum, cùm respicerémus attenti ad gentem quæ salváre non póterat. Lubricavérunt vestígia nostra in itínere plateárum nostrárum, appropinquávit finis noster: compléti sunt dies nostri, quia venit finis noster. Velocióres fuérunt persecutóres nostri áquilis cœli: super montes persecúti sunt nos, in desérto insidiáti sunt nobis. Spíritus oris nostri Christus Dóminus captus est in peccátis nostris; cui díximus: In umbra tua vivémus in géntibus. Gaude & lætáre, filia Edom quæ hábitas in terra Hus: ad te quoque pervéniet calix, inebriáberis atque nudáberis. Compléta est iníquitas tua, filia Sion; non addet ultrà ut tránsmigret te: visitávit iniquitátem tuam, filia Edom, discoopéruit peccáta tua. Jerúsalem.

℟. In una domo comedétur agnus, nec efferétis de cárnibus ejus foràs, & * Os non comminuétis ex eo. ℣. Ut vidérunt Jesum jam mórtuum, non fregérunt ejus crura, ut Scriptúra implerétur: * Os. *Exod.* 12. *Joan.* 19.

De Oratióne Jeremíæ Prophétæ.

*Lectio iij.* Cap. 5.

DEfécit gáudium cordis nostri: versus est in luctum chorus noster. Cécidit coróna cápitis nostri: væ nobis quia peccávimus. Propterèa mœstum factum est cor nostrum; ideò contenebráti sunt óculi nostri. Propter montem Sion quia dispériit, vulpes ambulavérunt in eo. Tu autem, Dómine, in æternum permanébis, sólium tuum in generatiónem & generatiónem. Quare in perpétuum oblivíscéris nostrî? derelinques nos in longitúdine diérum? Converte nos, Dómine, ad te, & convertémur: ínnova dies nostros sicut à princípio. Sed projíciens repulísti nos; irátus es contra nos vehementer. Jerúsalem.

℟. In die illa erit fons patens dómui David, & habitántibus Jerúsalem, * In ablutiónem peccatóris. ℣. Unus mílitum lánceâ latus Jesu apéruit; & continuò exívit sanguis & aqua * In ablutiónem. *Zach.* 13. *Joan.* 19.

*IN II. NOCTURNO.*

*Ant.* 5. a. Elevámini.

*Psalmus* 23.

DOmini est terra, & plenitúdo ejus, * orbis terrárum, & univérsi qui hábitant in eo:

Quia ipse super mária fun-

dávit eum, * & super flúmina præparávit eum.

Quis ascendet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus & mundo corde, * qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem à Dómino, * & misericórdiam à Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas príncipes vestras; & elevámini, portæ æternáles: * & introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus fortis & potens, Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas príncipes vestras; & elevámini, portæ æternáles: * & introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est rex glóriæ.

*Ant.* Elevámini portæ æternáles, & introíbit rex glóriæ.

*Ant.* 8. G. Dómine.

*Psalmus* 29.

EXaltábo te, Dómine, quóniam suscepísti me, * nec delectásti inimícos meos super me.

Dómine Deus meus, clamávi ad te, * & sanásti me.

Dómine, eduxísti ab inferno ánimam meam: * salvásti me à descendéntibus in lacum.

Psállite Dómino, sancti ejus, * & confitémini memóriæ sanctitátis ejus:

Quóniam ira in indignatióne ejus, * & vita in voluntáte ejus.

Ad vésperum demorábitur fletus, * & ad matutínum lætítia.

Ego autem dixi in abundántia mea: * Non movébor in æternum.

Dómine, in voluntáte tua * præstitísti decóri meo virtútem.

Avertísti fáciem tuam à me, * & factus sum conturbátus.

Ad te, Dómine, clamábo, * & ad Deum meum deprecábor.

Quæ utílitas in sánguine meo, * dum descendo in corruptiónem?

Numquid confitébitur tibi pulvis, * aut annuntiábit veritátem tuam?

Audívit Dóminus, & misértus est meî: * Dóminus factus est adjútor meus.

Convertísti planctum meum in gáudium mihi: * conscidísti saccum meum, & circumdedísti me lætítiâ;

Ut cantet tibi glória mea, & non compungar: * Dómine Deus meus, in æternum confitébor tibi.

*Ant.* Dómine, eduxísti ab inferno ánimam meam.

*Ant.* 1. g. Intende.

*Psalmus* 60.

EXaudi, Deus, deprecatiónem meam: * intende oratióni meæ.

A finibus terræ ad te clamávi: * dum anxiarétur cor meum, in petra exaltásti me.

Deduxísti me, quia factus es spes mea, * turris fortitú-

dinis à fácie inimíci.

Inhabitábo in tabernáculo tuo in sécula : * próteger in velamento alárum tuárum ;

Quóniam tu, Deus meus, exaudísti oratiónem meam : * dedísti hæreditátem timéntibus nomen tuum.

Dies super dies regis adjícies, * annos ejus usque in diem generatiónis & generatiónis.

Pérmanet in æternum in conspectu Dei : * misericórdiam & veritátem ejus quis requíret ?

Sic psalmum dicam nómini tuo in séculum séculi, * ut reddam vota mea de die in diem.

*Ant.* Intende, Deus, oratióni meæ : à finibus terræ ad te clámavi.

℣. Tu, Dómine, miserére mei, ℟. Et resúscita me, & & retríbuam eis.

Sermo sancti Joannis Chrysóstomi.

*De Cœmet. & Cruce. t. 2. Ed. Ben. n. 2.*

*Lectio iv.*

HOdie, dilectíssimi, ómnia inferórum loca circuit Dóminus noster : hódie portas æreas confrégit, hódie vectes férreos contrívit. Vide in Prophéta dicti accuratiónem. Non dixit, Apéruit portas æreas ; sed, Confrégit ; ut inútilis deinceps carcer fiat. Non ábstulit vectes, sed contrívit ; ut custódia deinceps frágilis & infirma reddátur, ubi neque jánua, neque vectis, & licèt quis intret, non tenétur. Quando ígitur Christus confrégit, quis álius reparáre póterit ? Reges cùm vinctos dimíttere volunt, missis epístolis non ita agunt ; sed tam fores quàm custódes relinquunt, ut ostendant eò dénuò ingrediendum esse, vel illis qui jam líberi abiérunt, vel eórum loco áliis. Non ita Christus : sed demonstráre volens mortem jam ad finem metamque perveníisse, æreas ejus portas confrégit, hoc est, immítem illam, & inexorábilem mortis necessitátem.

℟. Christus pro peccátis nostris mórtuus est, ut nos offerret Deo, mortificátus carne, vivificátus autem spíritu, in quo * Et his qui in cárcere erant, spirítibus véniens prædicávit. ℣. Confiteantur Dómino misericórdiæ ejus, quia contrívit portas æreas, & vectes férreos confrégit ; * Et his. 1. *Petr.* 3. *Ps.* 106.

*Lectio v.*

POrrò, quod admiratióne dignissimum est, Rex ipse ad vinctos venit. Atqui nullus rex unquam hoc dignarétur fácere ; sed ministri vinctos dimittunt. Secùs hîc : ipsemet Rex ad vinctos venit. Non erúbuit cárcerem, neque detentos in cárcere, (de eo enim quem finxerat erubéscere non pótuit) & confrégit fores, & vectes contrívit. Superástitit inferno ; & desertam fecit totam illius custódiam ; carcerisque custóde in vincula conjecto, ad nos remeávit. Tyrannus captívus ducebátur ; fortis vinctus ; ipsa mors, abjectis armis,

nuda ad pedes regis cucurrit.

℟. Participávit carni & sánguini, * Ut per mortem destrúeret eum qui habébat mortis impérium, id est, diábolum, & liberáret eos qui timóre mortis per totam vitam obnóxii erant servitúti. ℣. Præcipitábit mortem in sempiternum, quia Dóminus locútus est; * Ut per mortem. *Hebr.* 2. *Is.* 25.

*Lectio vj.*

VIdísti mirandam victóriam? vidísti crucis beneficia? De morte immortáles facti sumus: hæc sunt præclára crucis facínora. Intellexísti victóriam, intellexísti modum victóriæ; dísce nunc quómodo sine labóre & sudóre nostro victória hæc fúerit parta. Nos arma non cruentávimus, non stétimus in ácie, non accépimus vúlnera, neque vídimus bellum: & tamen victóriam obtinúimus. Certámen Dómini fuit coróna nostra. Cùm ergo & nostra sit victória, mílites imitémur, lætíque vócibus victóriæ laudes & cármina hódie decantémus. Dicámus, Dóminum laudantes: Absorpta est mors in victória. Ubi est, mors, victória tua? ubi stímulus tuus, inferne? Hæc ómnia præclára facta crux nobis péperit. Crux trophæum contra dæmones erectum, gládius contra peccátum, gládius quo serpentem confódit Christus. Crux Patris voluntas, Unigéniti glória, Spíritûs exultátio, Angelórum decus, Eccléſiæ secúritas, gloriátio Pauli, Sanctórum mutus, totíus orbis lumen.

℟. Beáti qui lavant stolas suas in sánguine Agni; * Ut sit potestas eórum in ligno vitæ, & per portas intrent in civitátem. ℣. In sánguine testamenti tui emisísti de lacu vinctos tuos; * Ut sit potestas. *Apoc.* 22. *Zach.* 9.

*IN III. NOCTURNO.*

*Ant.* 7 d. In pace.

*Psalmus* 75.

NOtus in Judæa Deus: * in Israël magnum nomen ejus.

Et factus est in pace locus ejus; * & habitátio ejus in Sion.

Ibi confrégit poténtias árcuum, * scutum, gládium, & bellum.

Illúminans tu mirabíliter à móntibus æternis: * turbáti sunt omnes insipientes corde.

Dormiérunt somnũ suum, * & nihil invenérunt omnes viri divitiárum in mánibus suis.

Ab increpatióne tua, Deus Jacob, * dormitavérunt qui ascendérunt equos.

Tu terríbilis es, & quis resístet tibi? * ex tunc ira tua.

De cœlo audítum feciſti judícium: * terra trémuit, & quiévit,

Cùm exúrgeret in judícium Deus, * ut sálvos fáceret omnes mansuétos terræ.

Quóniam cogitátio hóminis confitébitur tibi; * & relíquiæ cogitatiónis diem festum agent tibi.

Vovéte, & réddite Dómino Deo vestro, * omnes qui

in circúitu ejus affertis múnera.

Terríbili, & ei qui aufert spíritum príncipum; * terríbili apud reges terræ.

*Ant.* In pace factus est locus ejus, & in Sion habitátio ejus.

*Ant.* 4. a. Factus sum.

*Psalmus* 87.

DOmine Deus salútis meæ, * in die clamávi & nocte coram te.

Intret in conspectu tuo orátio mea; * inclína aurem tuam ad precem meam:

Quia repléta est malis ánima mea; & * vita mea inferno appropinquávit.

Æstimátus sum cum descendéntibus in lacum; * factus sum sicut homo sine adjutório, inter mórtuos liber.

Sicut vulneráti dormientes in sepulchris, quorum non es memor ámplius, * & ipsi de manu tua repulsi sunt.

Posuérunt me in lacu inferióri, * in tenebrósis, & in umbra mortis.

Super me confirmátus est furor tuus; * & omnes fluctus tuos induxísti super me.

Longè feciísti notos meos à me; * posuérunt me abominatiónem sibi.

Tráditus sum, & non egrediébar; * óculi mei languérunt præ inópia.

Clamávi ad te, Dómine, totâ die; * expandi ad te manus meas.

Numquid mórtuis fácies mirabília; * aut médici susci-tábunt, & confitebuntur tibi?

Numquid narrábit áliquis in sepulchro misericórdiam tuam; * & veritátem tuam in perditióne?

Numquid cognoscentur in ténebris mirabília tua, * & justítia tua in terra oblivionis?

Et ego ad te, Dómine, clamávi; * & manè orátio mea prævéniet te.

Ut quid, Dómine, repellis oratiónem meam? * avertis fáciem tuam à me?

Pauper sum ego, & in labóribus à juventúte mea; * exaltátus autem, humiliátus sum & conturbátus.

In me transiérunt iræ tuæ, * & terróres tui conturbavérunt me;

Circumdedérunt me sicut aqua totâ die, * circumdedérunt me simul.

Elongásti à me amícum & próximum, & notos meos à miséria.

*Ant.* Factus sum sicut homo sine adjutório, inter mórtuos liber.

*Ant.* 6. Nisi quia.

*Psalmus* 93.

DEus ultiónum Dóminus, * Deus ultiónum líberè egit.

Exaltáre, qui júdicas terram: * redde retributiónem superbis.

Usquequò peccatóres, Dómine, * úsquequo peccatóres gloriabuntur?

Effabuntur & loquentur iniquitátem, * loquentur omnes qui operantur injustítiam?

Pópulum tuum, Dómine, humiliavérunt, * & hæreditátem tuam vexavérunt.

Víduam & ádvenam interfecérunt, * & pupillos occidérunt.

Et dixérunt : Non vidébit Dóminus , * nec intélliget Deus Jacob.

Intellígite , insípientes in pópulo ; * & stulti, aliquando sápite.

Qui plantávit autem , non áudiet ? * aut qui finxit óculum , non considerat ?

Qui córripit gentes , non árguet ; * qui docet hóminem sciéntiam ?

Dóminus scit cogitatiónes hóminum , * quóniam vanæ sunt.

Beátus homo , quem tu erudíeris , Dómine , * & de lege tua docúeris eum ;

Ut mítiges ei à diébus malis , * donec fodiátur peccatóri fóvea.

Quia non repellet Dóminus plebem suam , * & hæreditátem suam non derelinquet ;

Quoadúsque justítia convertátur in judícium , * & qui juxta illam omnes qui recto sunt corde.

Quis consurget mihi adversùs malignantes ? * aut quis stabit mecum adversùs operantes iniquitátem ?

Nisi quia Dóminus adjúvit me , * paulò minùs habitásset in inferno ánima mea.

Si dicébam : Motus est pes meus ; * misericórdia tua , Dómine , adjuvábat me.

Secundùm multitúdinem dolórum meórum in corde meo , * consolatiónes tuæ lætificavérunt ánimam meam.

Numquid adhæret tibi sedes iniquitátis , * qui fingis labórem in præcepto ?

Captábunt in ánimam justi , * & sánguinem innocentem condemnábunt.

Et factus est mihi Dóminus in refúgium , * & Deus meus in adjutórium spei meæ ;

Et reddet illis iniquitátem ipsórum ; & in malítia eorum dispérdet eos : * dispérdet illos Dóminus Deus noster.

*Ant.* Nisi quia Deus adjúvit me , paulò minùs habitásset in inferno ánima mea.

℣. Verbum iníquum constituérunt adversùm me : ℟. Numquid qui dormit non adjíciet ut resurgat ?

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

*Lectio vij.* Cap. 9.

CHristus assistens Póntifex futurórum bonórum , per ámplius & perfectius tabernáculum non manufactum , id est , non hujus creatiónis , neque per sánguinem hircórum aut vitulórum , sed per próprium sánguinem introívit semel in Sancta , æternâ redemptióne inventâ. Si enim sanguis hircórum & taurórum , & cinis vítulæ aspersus iniquinátos sanctíficat ad emundatiónem carnis , quantò magìs sanguis Christi , qui per Spíritum sanctum semetipsum óbtulit immaculátum Deo , emundábit conscriéntiam nostram ab opéribus mórtuis , ad serviendum Deo viventi ?

℟. Quando appensus fuérit homo in patíbulo , non permanébit cadáver ejus in ligno , sed in eádem die sepeliétur : * Quia maledictus à Deo est omnis qui pendet in ligno. ℣. Christus nos redémit de maledicto legis , factus pro

nobis maledictum ; * Quia. *Deut.* 21. *Galat.* 3.

*Lectio viij.*

ET ídeò novi teſtamenti mediátor eſt ; ut morte intercedente, in redemptiónem eárum prævaricatiónum, quæ erant ſub prióri teſtamento, repromiſſiónem accípiant qui vocáti ſunt, æternæ hæreditátis. Ubi enim teſtamentum eſt, mors neceſſe eſt intercédat teſtatóris. Teſtamentum enim in mórtuis confirmátum eſt : alióquin nondum valet, dum vivit qui teſtátus eſt. Unde nec primum quidem ſine sánguine dedicátum eſt. Lecto enim omni mandáto legis à Móyſe univerſo pópulo, accípiens sánguinem vitulórum & hircórum cum aqua, & lana coccínea, & hyſſópo ; ipſum quoque librum & omnem pópulum aſperſit, dicens : Hic ſanguis teſtamenti quod mandávit ad vos Deus. Etiam tabernáculum & ómnia vaſa miniſtérii sánguine ſimíliter aſperſit. Et ómnia penè in sánguine ſecundùm legem mundantur ; & ſine sánguinis effuſióne non fit remíſſio.

℟. In die illa radix Jeſſe qui ſtat in ſignum populórum, ipſum gentes deprecabuntur : * Et erit ſepulcrum ejus glorióſum. ℣. Chriſtus mórtuus eſt pro peccátis noſtris ſecundùm Scriptúras, & ſepultus eſt : * Et erit. *Iſ.* 11. 1. *Cor.* 15.

*Lectio ix.*

NEceſſe eſt ergo exemplária quidem cœléſtium his mundári, ipſa autem cœléſtia melióribus hóſtiis quàm iſtis. Non enim in manufacta ſancta Jeſus introívit, exemplária verórum ; ſed in ipſum cœlum, ut appáreat nunc vúltui Dei pro nobis : neque ut ſæpè ófferat ſemetipſum, quemádmodùm Póntifex intrat in ſancta per ſíngulos annos in sánguine alièno, alióquin opportébat eum frequenter pati ab orígine mundi : nunc autem ſemel in conſummatióne ſeculórum, ad deſtitutiónem peccáti, per hóſtiam ſuam appáruit. Et quemádmodum ſtatútum eſt homínibus ſemel mori, poſt hoc autem judícium ; ſic & Chriſtus ſemel oblátus eſt ad multórum exhaurienda peccáta : ſecundò ſine peccáto apparébit expectántibus ſe in ſalútem.

℟. Chriſtus novi teſtamenti mediátor, * Initiávit nobis viam novam & viventem per velámen, id eſt, carnem ſuam, in introítum ſanctórum ; nondum propalátam, adhuc prióre tabernáculo habente ſtatum. ℣. Aſcendet pandens iter ante eos, Dóminus in cápite eórum, * Initiávit nobis. *Repetitur.* ℟. Chriſtus. *uſque ad* ℣. Aſcendet. *Heb.* 9. & 10. *Mich.* 2.

## AD LAUDES.

*Ant.* 4. a. Ero.

*Pſalmus* 42.

JUdica me, Deus, & diſcerne cauſam meam de gente non ſancta : * ab hómine iníquo & dolóſo erue me ;

Quia tu es, Deus, fortitúdo mea : * quare me repuliſti ?

& quare tristis incédo, dum affligit me inimícus?

Emitte lucem tuam & veritátem tuam: * ipsa me deduxérunt, & adduxérunt in montem sanctum tuum, & in tabernácula tua.

Et introíbo ad altáre Dei, * ad Deum qui lætíficat juventútem meam.

Confitébor tibi in cíthara, Deus, Deus meus: * quare tristis es, ánima mea? & quare conturbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: * salutáre vultûs mei, & Deus meus.

*Ant.* Ero mors tua, ô mors: morsus tuus ero, inferne. *Os.* 13.

*Ant.* 3. *a.* De manu.

*Psalmus* 85.

INclína, Dómine, aurem tuam, & exaudi me; * quóniam inops & pauper sum ego.

Custódi ánimam meam, quóniam sanctus sum. * salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te.

Miserére meî, Dómine, quóniam ad te clamávi totâ die: * lætífica ánimam servi tui, quóniam ad te, Dómine, ánimam meam levávi;

Quóniam tu, Dómine, suávis & mitis, * & multæ misericórdiæ ómnibus invocántibus te.

Auribus pércipe, Dómine, oratiónem meam, * & intende voci deprecatiónis meæ.

In die tribulatiónis meæ clamávi ad te, * quia exaudísti me.

Non est símilis tuî in diis, Dómine, * & non est secundùm ópera tua.

Omnes gentes quascumque fecísti, vénient & adorábunt coram te, Dómine; * & glorificábunt nomen tuum;

Quóniam magnus es tu, & fáciens mirabília; * tu es Deus solus.

Deduc me, Dómine, in via tua, & ingrédiar in veritáte tua: * lætétur cor meum, ut tímeat nomen tuum.

Confitébor tibi, Dómine Deus meus, in toto corde meo, * & glorificábo nomen tuum in æternum:

Quia misericórdia tua magna est super me, * & eruísti ánimam meam ex inferno inferióri.

Deus, iníqui insurrexérunt super me, & synagóga poténtium quæsiérunt ánimã meã: * & non proposuérunt te in conspectu suo.

Et tu, Dómine, Deus miserátor & miséricors, * pátiens, & multæ misericórdiæ, & verax.

Réspice in me, & miserére meî; * da impérium tuum púero tuo, & salvum fac fílium ancillæ tuæ.

Fac mecum signum in bonum, ut vídeant qui odérunt me, & confundantur; * quóniam tu, Dómine, adjuvísti me, & consolátus es me.

*Ant.* De manu mortis liberábo eos; de morte rédimam eos. *Os.* 13.

*Ant.* 8. *c.* Penetrábo.

*Psalmus* 142.

DOmine, exaudi oratiónem meam, áuribus pércipe obsecratiónem meam in veritáte tua; * exaudi me in tua justítia:

Et non intres in judícium cum servo tuo ; * quia non justificábitur in conspéctu tuo omnis vivens.

Quia persecútus est inimícus ánimam meam, * humiliávit in terra vitam meam.

Collocávit me in obscúris sicut mórtuos séculi, * & anxiátus est super me spíritus meus : in me turbátum est cor meum.

Memor fui diérum antiquórum, meditátus sum in ómnibus opéribus tuis, * in factis mánuum tuárum meditábar.

Expandi manus meas ad te : * ánima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velóciter exaudi me, Dómine ; * defécit spíritus meus.

Non avertas fáciem tuam à me ; * & símilis ero descendéntibus in lacum.

Audítam fac mihi manè misericórdiam tuam, * quia in te sperávi.

Notam fac mihi viam in qua ámbulem, * quia ad te levávi ánimam meam.

Éripe me de inimícis meis, Dómine, ad te confúgi ; * doce me fácere voluntátem tuam, quia Deus meus es tu.

Spíritus tuus bonus deducet me in terram rectam : * propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me in æquitate tua.

Edúces de tribulatióne ánimam meam, * & in misericórdia tua dispérdes inimícos meos.

Et perdes omnes qui tríbulant ánimam meam, * quóniam ego servus tuus sum.

*Ant.* Penetrábo omnes inferióres partes terræ, & inspíciam omnes dormientes, & illumináb omnes sperantes in Dómino. *Eccli.* 24.

*Ant.* 4. E. Sicut.

*Canticum Jonæ.* Cap. 2.

CLamávi de tribulatióne mea ad Dóminum, * & exaudívit me.

De ventre ínferi clamávi, * & exaudísti vocem meam.

Et projecísti me in profundum in corde maris, * & flumen circúmdedit me.

Omnes gúrgites tui & fluctus tui * super me transiérunt.

Et ego dixi : Abjectus sum à conspéctu oculórum tuórum : * verúmtamen rursus vidébo templum sanctum tuum.

Circumdedérunt me aquæ * usque ad ánimam.

Abyssus vallávit me, * pélagus opéruit caput meum.

Ad extréma móntium descendi : * terræ vectes conclusérunt me in æternum.

Et sublevábis de corruptióne vitam meam, * Dómine Deus meus.

Cùm angustiarétur in me ánima mea, Dómini recordátus sum ; * ut véniat ad te orátio mea ad templum sanctum tuum.

Qui custódiunt vanitátes frustrà, * misericórdiam suam derelinquunt.

Ego autem in voce laudis immolábo tibi ; * quæcumque vovi, reddam pro salúte Dómino.

*Ant.* Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diébus & tribus nóctibus, sic erit Fílius hóminis in corde terræ. *Matth.* 12.

*Ant.* 2. D. Dabit.

*Psalmus* 150.

LAudate Dóminum in sanctis ejus : * laudáte eum in firmamento virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus : * laudáte eum secundùm multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in sono tubæ : * laudáte eum in psaltério & cíthara.

Laudáte eum in tympano & choro : * laudáte eum in chordis & órgano.

Laudáte eum in cymbalis benesonántibus ; laudáte eum in cymbalis jubilatiónis : * omnis spíritus laudet Dóminum.

*Ant.* Dabit ímpios pro sepultúrâ, & dívitem pro morte suâ, eò quòd iniquitátem non fécerit, neque dolus fúerit in ore ejus. *Is.* 53.

*Ad* Benedictus *Ant.* 6. Accepérunt Joseph & Nicodémus corpus Jesu, & ligavérunt illud línteis cum aromátibus, & posuérunt illud in monumento. *Joan.* 19.

Kyrie, &c. *ut suprà*, 273.

*AD HORAS, post Psalmos dicitur :* Christus factus est pro nobis obédiens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltávit illum, & donávit illi nomen quod est super omne nomen. *Philipp.* 2.

*Ps.* 50. Miserére. 124.

*Oratio.*

REspice, quæsumus, Dómine, super hanc famíliam tuam, pro qua Dóminus noster Jesus Christus non dubitávit mánibus tradi nocéntium, & crucis subíre tormentum ; Qui tecum.

℣ *Factâ Communione in Missa, pro Vesperis dicitur tantùm Psalmus & Canticum sequens, cum suis Antiphonis, sine* Glória Patri.]

AD VESPERAS.

*Non præmittitur* Deus, in adjutórium.

*Ant.* 5. a. Allelúia.

*Psalmus* 116.

LAudáte Dóminum, ómnes gentes : * laudáte eum, omnes pópuli.

Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus, * & véritas Dómini manet in æternum.

*Ant.* Allelúia, quóniam in æternum, allelúia, misericórdia ejus, allelúia, allelúia. *Ps.* 135.

*Ad* Magnificat. *Ant.* 6. Cùm transísset Sábbatum, María Magdaléne, & María Jacóbi, & Salóme, emérunt arómata, ut venientes úngerent Jesum, allelúia. *Marc.* 16.

*Sacerdos ad altare dicit :*

℣. Dóminus vobíscum,

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

DEus, qui nos per Paschále mystérium docuísti vetustátem vitæ relínquere, & in novitáte spíritûs ambuláre : præsta ut Unigénitus tuus per hoc sacramentum nobis vitam suam tríbuat, qui mortem nostram suscépit, & occídit ; Qui tecum vivit & regnat.

*Deinde*, ℣. Dóminus vobíscum, ℟. Et cum spíritu tuo.

*Diaconus dicit*, Ite, Missa est, allelúia, allelúia. ℟. Deo grátias, allelúia, allelúia.

¶ *Extra Chorum*, *Vespera dicuntur ut suprà prætermissis* Pater & Ave: *& loco*, Ite, Missa est, *dicitur*, Benedicámus Dómino, allelúia, allelúia. ℟. Deo grátias, allelúia, allelúia. *Deinde additur* Pater noster. ]

AD COMPLETORIUM.

*Dicitur* ℣. Converte nos. ℣. Deus in adjutórium. Glória Patri. *In cujus fine*, Allelúia. *Postea dicuntur Psalmi*, Cùm invocárem, exaudívit me. Qui hábitat in adjutório. *&* Ecce nunc benedícite. 26. *Quibus finitis, cantu speciali dicitur* Allelúia *de* 2.

*Deinde*, Nunc dimittis servum tuum, Dómine. 28. de 8. *in* G. *Cùm* Glória Patri. *sub Antiphona* Vespere sábbati, quæ lucescit in prima sábbati, venit María Magdaléne, & áltera María, vidére sepulcrum, allelúia. *Matth.* 28.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

*Oratio.*

VIsita, quæsumus, Dómine, habitatiónem istam; & omnes insídias inimíci ab ea longè repelle: Angeli tui sancti hábitent in ea, qui nos in pace custódiant; & benedíctio tua sit super nos semper; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus.

Dóminus vobíscum.

Benedicámus Dómino *fine* Allelúia.

# *IN DIE SANCTO*
# PASCHÆ.
## *SOLEMNE PRIMI ORDINIS.*

AD NOCTURNUM.

℣. Dómine, lábia, &c. Glória Patri, &c. *Cum* Allelúia.

*Invitat.* Allelúia, Surrexit Dóminus verè, * Veníte, adorémus, allelúia, *Luc.* 24.

*Psal.* 94. Veníte. 2.

*Non dicitur Hymnus, nec accinitur jubilus in fine Antiphonarum; quod servatur etiam ad omnes Horas per totam Octavam.*

*Ant.* 1. *D.* Repromissiónem.

*Psalmus* 2.

QUare fremuérunt gentes, * & pópuli meditáti sunt inánia?

Astitérunt reges terræ, & príncipes convenérunt in unũ* adversùs Dóminum, & adversùs Christum ejus.

Dirumpámus víncula eórum, * & projiciámus à nobis jugum ipsórum.

Qui hábitat in cœlis irridébit eos, * & Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira sua, * & in furóre suo conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, * prædicans præceptum ejus.

Dóminus dixit ad me: * Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditátem tuam, * & possessiónem tuam términos terræ.

Reges eos in virga férrea, * & tamquam vas fíguli confringes eos.

Et nunc, reges, intellígite: * erudímini, qui judicátis terram.

Servíte Dómino in timóre, * & exultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplínam, nequando irascátur Dóminus, * & pereátis de via justa.

Cùm exárserit in brevi ira ejus, * beáti omnes qui confídunt in eo.

*Ant.* Repromissiónem Deus adimplévit, resúscitans Jesum, sicut & in Psalmo secundo scriptum est: Fílius meus es tu, ego hódie génui te, allelúia. *Act.* 13.

*Ant.* 4. *D.* Quod Deus.

*Psalmus* 15.

CONserva me, Dómine, quóniam sperávi in te; * dixi Dómino: Deus meus es tu, quóniam bónorum meórum non eges.

Sanctis qui sunt in terra ejus, * mirificávit omnes voluntátes meas in eis.

Multiplicátæ sunt infirmitátes eórum; * póstea acceleravérunt.

Non congregábo conventícula eórum de sanguínibus; * nec memor ero nóminum eórum per lábia mea.

Dóminus pars hæreditátis meæ & cálicis mei: * tu es qui restítues hæreditátem meã mihi.

Funes cecidérunt mihi in præcláris; * étenim hæréditas mea præclára est mihi.

Benedícam Dóminum qui tríbuit mihi intellectum: * ínsuper & usque ad noctem increpuérunt me renes mei.

Providébam Dóminum in conspectu meo semper; * quóniam à dextris est mihi, ne commóvear.

Propter hoc lætátum est cor meum, & exultávit lingua mea; * ínsuper & caro mea requiescet in spe:

Quóniam non derélinques ánimam meam in inferno, * nec dabis sanctum tuum vidére corruptiónem.

Notas mihi feci*sti* vias vitæ; adimplébis me lætítiâ cum vultu tuo, * delectatiónes in déxtera tua usque in finem.

*Ant.* Quod Deus suscitávit eum à mórtuis, ámpliùs jam non reversúrum in corruptiónem, ita dixit: Non dabis Sanctum tuum vidére corruptiónem, alleluia. *Act.* 13.

*Ant.* 8. G. Definíto.

*Psalmus* 29.

EXaltábo te, Dómine, quóniam suscepi*sti* me, * nec delectasti inimícos meos super me.

Dómine Deus meus, clamávi ad te, * & sanasti me.

Dómine, eduxi*sti* ab inferno ánimam meam: * salvasti me à descendéntibus in lacum.

Psállite Dómino, sancti ejus, * & confitémini memóriæ sanctitátis ejus:

Quóniam ira in indignatióne ejus, * & vita in voluntáte ejus.

Ad vésperum demorábitur fletus, * & ad matutínum lætítia.

Ego autem dixi in abundántia mea: * Non movébor in æternum.

Dómine, in voluntáte tua * præstitisti decóri meo virtútem.

Avertisti fáciem tuam à me; * & factus sum conturbátus.

Ad te, Dómine, clamábo, * & ad Deum meum deprecábor.

Quæ utílitas in sánguine meo, * dum descendo in corruptiónem?

Numquid confitébitur tibi pulvis, * aut annuntiábit veritátem tuam?

Audívit Dóminus, & misértus est meî: * Dóminus factus est adjutor meus.

Convertisti planctum meum in gáudium mihi: * conscidisti saccum meum, & circumdedisti me lætítiâ;

Ut cantet tibi glória mea, & non compungar: * Dómine Deus meus, in æternum confitébor tibi.

Glória Patri.

*Ant.* Definíto consílio &

prælciéntiâ Dei tráditum Deus suscitávit, solútis dolóribus inferni, juxta quod impossíbile erat tenéri illum ab eo, allelúia. *Act.* 2.

℣. Dómine, eduxísti ab inferno ánimam meam: ℟. Salvásti me à descendéntibus in lacum. *Ps.* 29.

Pater noster.

*Absol.* Benedictus Deus & *Bened.* Confiteámur. 138.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

*Lectio j.* Cap. 6.

AN ignorátis, fratres, quia quícumque baptizáti sumus in Christo Jesu, in morte ipsíus baptizáti sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptísmum in mortem; ut quómodò Christus surrexit à mórtuis per glóriam Patris, ita & nos in novitáte vitæ ambulémus. Si enim complantáti facti sumus similitúdini mortis ejus, simul & resurrectiónis érimus. Hoc scientes quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruátur corpus peccáti, & ultrà non serviámus peccáto. Qui enim mórtuus est, justificátus est à peccáto. Si autem mórtui sumus cum Christo, crédimus quia simul étiam vivémus cum Christo; scientes quòd Christus resúrgens ex mórtuis, jam non móritur, mors illi ultrà non dominábitur. Quòd enim mórtuus est peccáto, mórtuus est semel; quòd autem vivit, vivit Deo. Ita & vos existimáte vos mórtuos quidem esse peccáto; vivéntes autem Deo in Christo Jesu Dómino nostro. Tu autem, Dómine, miserére nostri.

℟. Ego sum primus & novíssimus; & vivus, & fui mórtuus, * Et ecce sum vivens in sécula seculórum: † Et hábeo claves mortis & inferni; allelúia, allelúia, allelúia. ℣. Ego dormívi & soporátus sum, & exurrexi, quia Dóminus suscépit me; Et ecce. Glória. † Et hábeo. *Ap.* 1. *Ps.* 3.

*Bened.* Interpellet. 138.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

*Tom. 5. Serm.* 231. *in diebus Pasch. II. n.* 2.

*Lectio ij.*

RESurréctio Dómini nostri Jesu Christi nova vita est credéntium in Jesum; & hoc est sacramentum passiónis & resurrectiónis ejus, quod valde nosse & ágere debétis. Non enim sine causa vita venit ad mortem; non sine causa fons vitæ, unde bíbitur ut vivátur, bibit hunc cálicem qui ei non debebátur. Non enim Christo debebátur mors. Huic conditióni mortis obstrictus náscitur omnis homo, sed præter illum hóminem qui homo factus est, ne períret homo. Pœna culpæ mors: Dóminus Jesus Christus mori venit, peccáre non venit. Communicando nobíscum sine culpa pœnam, & culpam solvit & pœnam. Quàm pœnam solvit? Quæ nobis debebátur post istam vitam. Ergo crucifixus est, ut in cruce osténderet véteris hóminis nostri occásum; & résurrexit, ut in sua vita osténderet nostræ vitæ novitátem.

℟. Pascha nostrum immo-

látus est Christus : ítaque epulémur * Non in fermento véteri, neque in fermento malítiæ, sed † In ázymis sinceritátis & veritátis, allelúia, allelúia. ℣. Exurgat Deus, & dissipentur inimici ejus : & justi epulentur & exultent in conspectu Dei, * Non in fermento véteri. Glória Patri. † In ázymis. 1. *Cor.* 5. *Ps.* 67. *Bened.* Fúlgeat. 138.

Léctio sancti Evangélii secundùm Marcum.

*Lectio iij.* Cap. 16.

IN illo témpore ; María Magdaléne, & María Jacóbi, & Salóme, emérunt arómata, ut venientes úngerent Jesum. Et réliqua.

Homília sancti Grégorii Papæ.

*In Evang. 21. habit. in Basílica B. Mariæ in die Paschæ, n. 2.*

AUdístis, fratres caríssimi, quòd sanctæ mulíeres quæ Dóminum fúerant secútæ, cum aromátibus ad monumentum venérunt ; & ei quem viventem diléxerant, étiam mórtuo, stúdio humanitátis, obsequuntur. Sed res gesta áliquid in sancta Eccléfia signat gerendum. Sic quippe necesse est ut audiámus quæ facta sunt, quátenus cogitémus étiam quæ nobis sint ex eórum imitatióne facienda. Et nos ergo in eum qui est mórtuus credentes, si odóre virtútum referti, cum opinióne bonórum óperum Dóminum quærimus, ad monumentum profectò illíus cum aromátibus venímus. Illæ autem mulíeres Angelos vident, quæ cum aromátibus venérunt ; quia vidélicet illæ mentes supernos cives aspíciunt, quæ cum virtútum odóribus ad Dóminum per sancta desidéria proficíscuntur. Notandum verò nobis est quidnam sit quòd in dextris sedére Angelus cérnitur, qui stolâ cándidâ coopertus appáruit. Sed quid advenientes féminas affátur, audiámus : Nolíte expavéscere ; ac si apertè dicat : Páveant illi qui non amant adventum supernórum cíviũ. Vos cur pertiméscitis, quæ vestros concíves vidétis ? Unde & Matthæus Angelum apparuísse descríbens, ait : Erat aspectus ejus sicut fulgur, & vestimenta ejus sicut nix. In fulgóre étenim terror timóris est, in nive autem blandimentum candóris. Quia verò omnípotens Deus, & terríbilis peccatóribus, & blandus est justis ; rectè testis resurrectiónis ejus Angelus, & in fulgóre vultûs, & in candóre hábitûs demonstrátur : ut de ipsa sua spécie & terréret réprobos, & mulcéret pios.

Tu autem.

℟. Ecce terræ motus factus est magnus ; * Angelus enim Dómini descendit de cœlo, & accédens revolvit lápidem, & sedébat super eum, allelúia, allelúia, allelúia. ℣. Terra trémuit & quiévit, cùm exúrgeret in judícium Deus, ut salvos fáceret omnes mansuétos terræ ; * Angelus. Glória. * Angelus. *Repetitur* ℟. Ecce. *usque ad* ℣. Terra. *Matth.* 28. *Ps.* 75.

Te Deum.

## AD LAUDES.

*Psalmi de Dominica.*

*Ant* 8. G. VAlde manè unâ Sabbatórum véniunt mulíeres ad monumentum orto jam sole, allelúia. *Marc.* 16. 2.

*Ant.* 7. d. Dicébant ad ínvicem : Quis revolvet nobis lápidem ? Et respicientes vidérunt revolútum lápidem, allelúia. *Ibid.* 3. 4.

*Ant.* 1. D. Introeuntes in monumentum, vidérunt júvevenem sedentem in dextris coopertum stolâ cándidâ, qui dicit illis : Surrexit ; non est hîc, allelúia. *Ibid.* 5. 6.

*Ant.* 6. Surrexit.

*Canticum.* Apoc. 5.

ECce vicit leo de tribu Juda, * radix David.

Dignus es, Dómine, accípere librum, * & aperíre signácula ejus :

Quóniam occísus es, * & redemísti nos Deo in sánguine tuo,

Ex omni tribu, & linguâ, * & pópulo, & natióne ;

Et fecísti nos Deo nostro regnum ; * & sacerdótes.

Dignus est Agnus qui occísus est, * accípere virtútem ;

Et divinitátem, & sapiéntiam, * & fortitúdinem ;

Et honórem, & glóriam, * & benedictiónem.

Sedenti in throno & Agno, * benedíctio, & honor ;

Et glória & potéstas, * in sécula seculórum.

Glória Patri, &c.

*Ant.* Surrexit, sicut dixit, veníte & vidéte locum ubi pósitus erat Dóminus, allelúia. *Matth.* 28.

*Ant.* 8. G. Cito euntes dícite discípulis ejus quia surrexit : & ecce præcédit vos in Galilæam, ibi eum vidébitis, allelúia. *Matth.* 28.

*Loco Capituli, Hymni, & Versículi, dicitur :*

Hæc dies quam fecit Dóminus ; exultémus & lætémur in ea. *Ps.* 117.

*Ad* Benedict. *Ant.* 1. D. Exiérunt citò de monumento cum timóre & gáudio magno, currentes nuntiáre discípulis ejus ; & ecce Jesus occurrit illis, allelúia. *Matth.* 28.

*Oratio.*

DEus, qui hodiernâ die per Unigénitum tuum æternitátis nobis áditum, devictâ morte, reserásti : vota nostra, quæ præveniendo aspíras, étiam adjuvando prosequere ; Per eumdem Dóminum.

℣. Dóminus vóbiscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus.

℟. Deo grátias.

*AD HOR. Pss. de Dominica.*

*Ad Primam non dicitur Symbolum* Quicumque.

*Dicto* Deus, in adjutórium ; *non dicitur Hymnus ; sed absolutè inchoatur Psalmus, & loco Antiphonæ, Capituli,* ℟ ℟℟. *brev. & Versic. dicitur* Allelúia. *semel ; deinde*, Hæc dies quam fecit Dóminus ; exultémus & lætémur in ea. *Et statim dicitur*, Dóminus vóbiscum. *& Oratio, quæ ad Primam est Oratio solita ; quam sequitur lectio Martyrologii, & reliquum Capituli Officium, ad cujus absolutionem legitur Canon.*

AD

AD VESPERAS.

*Psalmi de Dominica.*

*Ant.* CHristus surrexit I. D. quáliter locútus est, dicens: quia oportet fílium hóminis crucifigi, & tértiâ die resúrgere, allelúia. *Luc.* 24.

*Ant.* 2. a. Dedit eum Deus manifestum fieri, non omni pópulo, sed téstibus præordinátis, allelúia. *Act.* 10.

*Ant.* 4. E. Vísus est Cephæ & post hoc undecim: deinde vísus est plusquam quingentis frátribus símul, allelúia. 1. *Cor.* 15.

*Ant.* 5. C. Mors illi ultra non dominábitur, quod enim mórtuus est peccáto, mórtuus est semel, quod autem vivit vivit Deo, allelúia. *Rom.* 6.

*Ant.* 6. Quómodò Christus surrexit à mortuis per glóriam Patris, ita & nos in novitáte vitæ ambulémus, allelúia. *Rom.* 6.

*Loco Capituli, dicitur, ut ad Laudes:*

Hæc dies quam fecit Dóminus; exultémus & lætémur in ea.

*Prosa.*

VIctimæ Pascháli laudes immolent Christíani.

Agnus redémit oves; Christus innocens Patri reconciliávit peccatóres.

Mors & vita duello conflixêre mirando: dux vitæ mórtuus, regnat vivus.

Dic nobis, María; quid vidísti in via?

Sepulcrum Christi viventis, & glóriam vidi resurgentis,

Angélicos testes, sudárium, & vestes.

Surrexit Christus spes mea; præcédet suos in Galilæam.

Scimus Christum surrexísse à mórtuis verè. Tu nobis, victor Rex, miserére.

Amen.

*Continuò dicitur:*

*Ad* Magníficat. *Ant.* 3. E. Cum serò esset die illo, & fores essent clausæ, ubi erant discípuli congregáti; venit Jesus, & stetit in médio, & dixit eis: Pax vobis, allelúia. *Joan.* 20.

*Oratio, ut suprà ad Laudes.*

℣. Dóminus vobiscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino.

℟. Deo grátias.

AD COMPLETORIUM.

*Dicto* Converte nos. *dicuntur absolutè Psalmi* Cùm invocárem. Qui hábitat. & Ecce nunc. 26. *Et in fine*, Allelúia *semel.*

*Deinde imponitur* Hæc dies. *& dicitur* Nunc dimittis. de 2. *Posteà dicitur integrè* Hæc dies. *ut suprà ad Laudes. Oratio*, Vísita.

¶ *Prædictus modus Horarum servatur usque ad Nonam Sabbati in Albis inclusivè.*]

DIEBUS INTRA OCTAVAM Paschæ.

*Omnia ut in die, exceptis quæ sequuntur.*

AD NOCTURNUM.

*Invit.* Surrexit Dóminus verè, * Allelúia. *Luc.* 24.

*Ps.* 94. Venite. 2.

*Tres Psalmi in unaquaque Feria notati. Feria* II, *&* III *in quibus fit Officium ritus Duplici, dicuntur tres Anti-*

phonæ sequentes. *Ant.* 8. c. Christus mórtuus est pro peccátis nostris, & sepultus est, & resurrexit tértiâ die secundùm Scriptúras, allelúia. 1. *Cor* 15.

*Ant.* 1. a. Christus resurrexit à mórtuis, primítiæ dormiéntium; quóniam quidem per hóminem mors, & per hóminem resurréctio mortuórum, allelúia. 1. *Cor.* 15.

*Ant.* 2. D. Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur, allelúia. 1. *Cor.* 15.

*Feriâ IV. dicitur tantùm tertia ejusmodi Antiphonarum super tres Psalmos: Feriâ V. dicitur prima: Feriâ VI. dicitur secunda, & Sabbato tertia.*

℣. Cor meum & caro mea ℟. Exultavérunt in Deum vivum. *Ps.* 83.

*Lectiones & ℟℟℟. ut infrà in qualibet die.*

AD LAUDES.

*Ant. & Psalmi cum Cantico, ut in die Paschæ.* 304.

*Antiph. ad* Benedictus. *& Oratio, ut infrà in qualibet die.*

*AD HORAS, ut in die Paschæ, præter Orationem.*

*CANON unicuique diei assignatus.*

AD VESPERAS.

*Psalmi & Antiph. ut in die Paschæ.* 35.

*Graduale*, Hæc dies, &c. *& Ant. ad* Magníficat. *cum Oratione, ut infrà in qualibet die.*

COMPLETORIUM, *ut in die.*

FERIA SECUNDA.

*Duplex I. Ordinis.*

AD NOCTURNUM.

*Tres Psalmi è I. Nocturno Dominicæ, ut in Psalterio.* 2.

Incipiunt Actus Apostolórum.

*Lectio* 1. Cap. 1.

PRimùm quidem sermónem feci de ómnibus, ô Theóphile, quæ cœpit Jesus fácere & docére, usque in diem quâ præcípiens Apóstolis per Spíritum sanctum, quos elégit, assúmptus est: quibus & præbuit seipsum vivum post passiónem suam in multis argumentis, per dies quadraginta appárens eis, & loquens de regno Dei. Et convescens, præcépit eis ab Jerosólymis ne discéderent, sed expectárent promissiónem Patris, quam audístis, inquit, per os meum: quia Joannes quidem baptizávit aquâ, vos autem baptizabímini Spíritu sancto, non post multos hos dies. Igitur qui convénerant, interrogábant eum, dicentes: Dómine, si in témpore hoc restítues regnum Israël? Dixit autem eis: Non est vestrûm nosse témpora vel momenta quæ Pater pósuit in sua potestáte; sed accipiétis virtútem supervenientis Spíritûs sancti in vos, & éritis mihi testes in Jerúsalem, & in omni Judæa, & Samaría, & usque ad últimum terræ.

℟. Qui habitábant Jerúsalem, & príncipes ejus ignorántes Jesum, * Petiérunt à Pilato ut interfícerent eum; Deus verò suscitávit eum à mórtuis tértiâ die, allelúia, allelúia. ℣. Ipsi non cognové-

runt cogitatiónes Dómini, & non intellexérunt consílium ejus : * Petiérunt. *Act.* 13. *Mich.* 4.

Sermo sancti Leónis Papæ.

*De Resur. Domini.* 1.

*Lectio ij.*

CUm quadraginta diérum observántiâ hoc voluérimus operári, ut áliquid sentirémus crucis in témpore Domínicæ passiónis ; admitendum nobis est ut étiam Resurrectiónis Christi inveniámur esse consortes, & de morte ad vitam, dum in isto sumus córpore, transeámus. Moriendum ergo est diábolo, & vivendum Deo : deficiendum iniquitáti, ut justítiæ resurgátur. Occumbant vétera, ut oriantur nova. Resurréctio Dómini, non finis carnis, sed commutátio fuit, nec virtútis augmento consúmpta substántia est. Quálitas tránsiit, non natúra defécit : & factum est corpus impassíbile, quod pótuit crucifigi ; factum est immortále, quod pótuit occídi ; factum est incorruptíbile, quod pótuit vulnerári. Agnoscat ígitur pópulus novam se esse in Christo creatúram. Nemo in id récidat, unde surrexit ; sed etiamsi pro infirmitáte corpórea in aliquibus adhuc languóribus jacet, sanári instánter desíderet ac levári. Hæc est enim salútis via, & cœptæ in Christo resurrectiónis imitátio. Hæc meditátio, dilectíssimi, non pro sola solemnitáte Pascháli, sed pro totíus vitæ sanctificatióne retinenda est.

℟. Christus crucifixus est ex infirmitáte ; sed vivit ex virtúte Dei : & nos infirmi sumus in illo ; sed vivémus cum eo * Ex virtúte Dei, allelúia, allelúia. ℣. Vivificábit nos, & suscitábit nos ; & vivémus in conspectu ejus * Ex. 2. *Cor.* 13. *Os.* 6.

Léctio sancti Evangélii secundum Lucam.

*Lectio iij.* Cap. 24.

IN illo témpore : Duo ex discípulis Jesu ibant ipsâ die in castéllum quod erat in spátio stadiórum sexaginta ab Jerúsalem, nómine Emmaüs. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

*Serm.* 235. *in diebus Paschæ. VI. n.* 2. *&* 3.

IN via cum illis tanquam comes ambulábat, & ipse dux erat : útique vidébant, sed non agnoscébant. Tenebantur enim óculi eórum, sicut audívimus, ne eum agnóscerent. Eia, fratres, ubi vóluit Dóminus agnosci ? In fractióne panis. Secúri sumus : panem frángimus, & Dóminum agnóscimus. Nóluit agnosci, nisi ibi, propter nos qui non eum visúri erámus in carne, & tamen manducatúri erámus ejus carnem. Quisquis ergo fidélis es, quisquis non inániter Christiánus vocáris, quisquis Ecclésiam non sine causa ingréderis, quisquis verbum Dei cum timóre & spe audis, consolétur te fráctio panis. Abséntia Dómini non est abséntia : habéto fidem, & tecum est quem non vides.

℟. O stulti & tardi corde

ad credendum in ómnibus quæ locúti sunt Prophétæ! * Nonne hæc opórtuit pati Christum, & ita intráre in glóriam suam? allelúia, allelúia. ℣. Dóminus vóluit contérere eum in infirmitáte: * Nonne. Glória. * Nonne. *Luc.* 24. *Is.* 53.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 7. a. Incípiens Jesus à Móyse & ómnibus Prophétis, interpretabátur illis in ómnibus Scriptúris quæ de ipso erant, allelúia. *Luc.* 24.

*Oratio.*

DEus, qui solemnitáte Pascháli mundo remédia contulísti: pópulum tuum, quæsumus, cœlésti dono prosequere; ut & perfectam libertátem cónsequi mereátur, & ad vitam proficiat sempiternam; Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 7. G. Regressi sunt in Jerúsalem, & invenérunt congregátos úndecim, & eos qui cum illis erant; & ipsi narrábant quómodo cognovérunt Jesum in fractióne panis, allel. *Luc.* 24.

*Oratio ut suprà ad Laudes.*

## FERIA TERTIA.

*Duplex I. Ordinis.*

### AD NOCTURNUM.

*Tres Psalmi è II. Nocturno Dominicæ, ut in Psalterio.* 4.

De Actibus Apostolórum.

*Lectio j.* Cap. 2.

STans Petrus cum úndecim, levávit vocem suam, & locútus est: Viri Israelítæ, audíte verba hæc: Jesum Nazarénum, virum approbátum à Deo in vobis, virtútibus, & prodígiis, & signis, quæ fecit Deus per illum in médio vestrî, sicut & vos scitis; hunc definito consílio, & præsciéntiâ Dei tráditum per manus iniquórum affigentes, interemístis: quem Deus suscitávit, solútis dolóribus inferni, juxta quod impossíbile erat tenéri illum ab eo. David enim dicit in eum: Providébam Dóminum in conspéctu meo semper; quóniam a dextris est mihi, ne commóvear: propter hoc lætátum est cor meum, & exultávit lingua mea, insuper & caro mea requiéscet in spe; quóniam non derelinques ánimam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum vidére corruptiónem. Notas mihi fecísti vias vitæ; & replébis me jucunditáte cum fácie tua. Viri fratres, líceat audenter dícere ad vos de Patriarcha David, quóniam defunctus est, & sepultus: & sepulcrum ejus est apud nos usque in hodiernum diem. Prophéta ígitur cùm esset, & sciret quia jurejurando juravísset illi Deus de fructu lumbi ejus sedére super sedem ejus; próvidens locútus est de Resurrectióne Christi, quia neque derelictus est in inferno, neque caro ejus vidit corruptiónem. Hunc Jesum resuscitávit Deus, cujus omnes nos testes sumus.

℟. Vos Sanctum & Justum negastis, & petistis virum homicidam donári vobis: auctórem verò vitæ interfecístis, * Quem Deus suscitávit à mórtuis, cujus nos testes sumus, allelúia, alle-

lúia. ℣. Fílii hóminum, scitóte quia Dóminus mirificávit Sanctum suum, * Quem Deus suscitávit à mórtuis, &c. *Act.* 3. *Ps.* 4.

Sermo sancti Augustíni Episcopi.

*Enarr. in Ps.* 101. *Serm.* 2. *n.* 7. *Lectio ij.*

NOn laus fidei Christiánorum est, quia credunt mórtuum Christum, sed quia credunt resurrexísse Christum. Nam mórtuum & pagánus credit; & hoc tibi pro crímine óbjicit, quia in mórtuum credidísti. Quæ ígitur laus tua? Crédere resurrexísse Christum, & speráre te resurrectúrum esse per Christum, hæc est laus fidei. Si enim credideris in corde tuo quia Dóminus est Jesus, & confessus fúeris ore tuo quia eum Deus suscitávit à mórtuis, salvus eris. Non ait: Si confessus fúeris quia Deus eum trádidit occidendum; sed quia eum Deus suscitávit à mórtuis, si confessus fúeris, tunc salvus eris.

℟. Crédimus, scientes quóniam * Qui suscitávit Jesum, & nos cum Jesu suscitábit, allelúia, allelúia. ℣. Inclináte aurem vestram: & veníte, audite, & vivet ánima vestra. * Qui suscitávit Jesum. 2. *Cor.* 4. *Is.* 55.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

*Lectio iij.* Cap. 24.

IN illo témpore; Stetit Jesus in médio discipulórum suórum, & dixit eis: Pax vobis; ego sum, nolíte timére. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

*Homil.* 26. *in Evang. n.* 1.

PRima lectiónis hujus Evangélicæ quæstio ánimum pulsat, quómodo post resurrectiónem corpus Domínicum verum fuit, quod, clausis jánuis, ad discípulos ingredi pótuit. Sed sciendum nobis est quòd divína operátio, si ratióne comprehénditur, non est admirábilis; nec fides habet méritum, cui humána ratio præbet experimentum. Sed hæc ipsa nostri Redemptóris ópera, quæ ex semetipsis comprehendi nequáquam possunt, exália ejus operatióne pensanda sunt; ut rebus mirabílibus fidem præbeant facta mirabilióra. Illud enim corpus Dómini intrávit ad discípulos, jánuis clausis, quod vidélicet ad humános óculos, per nativitátem suam, clauso éxiit útero Vírginis. Quid ergo mirum, si clausis jánuis, post resurrectiónem suam, in æternum jam victúrus intrávit, qui moritúrus véniens, non aperto Vírginis útero exívit?

℟. Stetit Jesus in médio discipulórum suórum, & dixit eis: * Pax vobis; ego sum, nolíte timére, allelúia, allelúia. ℣. Ego sum frater vester, nolíte pavére; pro salúte enim vestra misit me Deus ante vos: * Pax vobis. Glória. * Pax vobis. *Luc.* 24. *Gen.* 45.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 1. g. Obtulérunt discípuli Dómino partem piscis assi, & favum mellis: & cùm manducásset coram eis, sumens réliquias

dedit eis, allelúia. *Luc.* 24.

*Oratio.*

DEus, qui Ecclésiam tuam novo semper fœtu multíplicas: concéde fámulis tuis, ut sacraméntum vivendo téneant, quod fide percepérunt; Per Dóminum.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 3. a. Sic scriptum est, & sic oportébat Christum pati, & resúrgere à mórtuis tértiâ die, & prædicári in nómine ejus pœniténtiam, & remissiónem peccatórum in omnes gentes, allelúia. *Luc.* 24.

*Oratio, ut suprà ad Laudes.*

## FERIA QUARTA.

*Semiduplex.*

### Ad Nocturnum.

*Tres Psalmi è III. Nocturno Dominicæ, ut in Psalterio.* 6.

De Actibus Apostolórum.

*Lectio j.* Cap. 2.

HIs auditis, compuncti sunt corde, & dixérunt ad Petrum & ad réliquos Apóstolos: Quid faciémus, viri fratres? Petrus verò ad illos: Pœniténtiam, inquit, ágite, & baptizétur unusquísque vestrûm in nómine Jesu Christi in remissiónem peccatórum vestrórum; & accipiétis donum Spíritûs sancti. Vobis enim est repromíssio, & filiis vestris, & ómnibus qui longè sunt, quoscumque advocáverit Dóminus Deus noster. Aliis étiam verbis plúrimis testificátus est, & exhortabátur eos, dicens: Salvámini à generatióne ista prava. Qui ergo recepérunt sermónem ejus, baptizáti sunt: & appósitæ sunt in die illa animæ circiter tria míllia. Erant autem persevérantes in doctrína Apostolórum, & communicatióne fractiónis panis, & oratiónibus. Fiébat autem omni ánimæ timor: multa quoque prodígia & signa per Apóstolos in Jerúsalem fiébant, & metus erat magnus in universis.

℟. Secundùm misericórdiam suam magnam regenerávit nos Deus in spem vivam per resurrectiónem Jesu Christi ex mórtuis, * In hæreditátem incorruptíbilem & incontamináta, allelúia, allelúia. ℣. Memor fuit nostrî, redémit nos Dóminus, quóniam in æternum misericórdia ejus; * In hæreditátem. 1. *Petr.* 1. *Ps.* 135.

Sermo sancti Gregórii Nazianzéni.

*Orat.* 41. *Lectio ij.*

RESurrectiónis dies, faustumque princípium: proinde ob festum diem exsplendescámus: ei qui pro nobis passus est ac resurrexit, múnera offerámus. Aurum fortasse me dícere putátis, aut argentum, aut textúras, aut pellúcidos & ingentis prétii lápides, fluxam fragilemque matériam, cujus ferè majórem partem póssident ímprobi, & servi rerum terrenárum mundique príncipis. Imò verò nosmetipsos offerámus, hoc est, opes Deo carissímas, ipsóque máximè dignas. Imáginis decus imágini reddámus: dignitátem nostram agnoscámus: exemplar nostrum honóre prosequámur: mystérii vim intelligámus, & pro quo Christus morte functus est. Simus ut Chri-

ſtus, quóniam Chriſtus quoque ſicut nos. Efficiámur dii propter ipſum, quóniam ipſe quoque homo propter nos factus eſt. Aſſumpſit quod detérius erat, ut det quod præſtántius eſt: mendicus factus eſt, ut nos illíus mendicitáte ditémur. Servi formam ſuſcépit, ut nos in libertátem aſſerámur: deſcendit, ut evehámur: tentátus eſt, ut vincámus: comtemptus eſt, ut nos glóriâ afficiámur: mórtuus eſt, ut ſalútem nobis áfferat: aſcendit, ut eos qui in peccáti lapſu jacébant, ad ſeipſum trahat. Omnia quiſque donet: ómnia, inquam, ei qui ſeipſum redemptiónis prétium pro nobis ac culpæ noſtræ ſuccidáneum dedit, nemo non offerat. Nihil autem datúrus eſt tantum, quantum ſi ſeipſum obtúlerit, hujus myſtérii vim ac ratiónem probè intelligentem, & totum in eo nitentem, ut propter illum ómnia ſit, quæcumque ipſe propter nos factus eſt.

℟. Sive vívimus, ſive mórimur, Dómini ſumus: * In hoc enim Chriſtus mórtuus eſt, & reſurrexit, ut & mortuórum & vivórum dominétur, Allelúia, allelúia. ℣. Fórtium dívidet ſpólia, pro eo quòd trádidit in mortem ánimam ſuam: * In hoc enim Chriſtus. *Rom.* 14. *Iſ.* 53.

Léctio ſancti Evangélii ſecundùm Joannem.

*Lectio iij.* Cap. 21.

IN illo témpore: Manifeſtávit ſe íterum Jeſus diſcípulis ad mare Tiberíadis. Manifeſtávit autem ſic: Erant ſimul Simon Petrus, & Thomas qui dicitur Dídymus. Et réliqua.

Homília ſancti Gregórii Papæ.

*In Evang. 24. hab. in Baſilica ſancti Laurentii foris muros, Feriâ quartâ Paſchæ.*

LEctio ſancti Evangélii, quæ modò in áuribus veſtris lecta eſt, fratres mei, quæſtióne ánimum pulſat, ſed pulſatióne ſuâ vim diſcretiónis índicat. Quæri étenim poteſt cur Petrus qui piſcátor ante converſiónem fuit, poſt converſiónem ad piſcatiónem rédiit; & cùm Véritas dicat, Nemo mittens manum ſuam ad arátrum, & aſpíciens retro, aptus eſt regno Dei; cur repétiit quod dereliquit? ſed ſi virtus diſcretiónis inſpícitur, citiùs vidétur quia nimírum negótium quod ante converſiónem ſine peccáto éxtitit, hoc étiam poſt converſiónem repétere culpa non fuit.

℟. Stetit Jeſus in líttore; non tamen cognovérunt diſcípuli quia Jeſus eſt. * Dicit eis: Míttite in déxteram navígii rete. Miſérunt, & jam non valébant illud tráhere præ multitúdine píſcium, allelúia, allel. ℣. Omnia quæcumque vóluit, Dóminus fecit in cœlo, in terra, in mari, & in ómnibus abyſſis. * Dicit eis. Glória. * Dicit. *Joan.* 21. *Pſ.* 134.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 8. G. Dicit diſcípulis ſuis Jeſus: veníte, prandéte. Et nemo audébat diſcumbéntium interrogáre eum: Tu quis es, ſcientes quia Dóminus eſt, allelúia. *Joan.* 21.

*Oratio.*

DEus: qui nos resurrectiónis Domínicæ ánnuâ solemnitáte lætíficas: concéde propítius, ut per temporália festa quæ ágimus, pervenire ad gáudia æterna mereámur; Per eumdem Dóminum nostrum Jesum Christum, Fílium tuum.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 8 G. Accipit Jesus panem, & dat discípulis suis, & piscem símiliter. Hoc jam tértio manifestátus est Jesus, postquàm resurrexit à mórtuis, allelúia. *Joan.* 21. *Act.* 10.

*Oratio, ut suprà ad Laudes.*

FERIA QUINTA.

*Semiduplex.*

AD NOCTURNUM.

*Tres Psalmi è I. Nocturno Dominicæ, ut in Psalterio.*

2.

De Actibus Apostolórum.

*Lectio j.* Cap. 3.

PEtrus & Joannes ascendébant in templum ad horam oratiónis nonam. Et quidam vir, qui erat claudus ex útero matris suæ, bajulabátur: quem ponébant quotídie ad portam templi, quæ dicitur Speciósa, ut péteret eleemósynam ab introeúntibus in templum. Is cùm vidísset Petrum & Joannem incipientes introíre in templum, rogábat ut eleemósynam acciperet. Intuens autem in eum Petrus cum Joanne, dixit: Réspice in nos. At ille intendébat in eos, sperans se áliquid acceptúrum ab eis. Petrus autem dixit: Argentum & aurum non est mihi; quod autem hábeo, hoc tibi do: in nómine Jesu Christi Nazaréni surge, & ámbula. Et apprehensâ manu ejus déxterâ, allevávit eum; & protínus consolidátæ sunt bases ejus & plantæ. Et exíliens stetit, & ambulábat: & intrávit cum illis in templum ámbulans, & exíliens, & laudans Deum. Et vidit omnis pópulus eum ambulántem, & laudántem Deum. Cognoscébant autem illum, quòd ipse erat qui ad eleemósynam sedébat ad Speciósam portam templi; & impléti sunt stupóre.

℟. Jesum Nazarénum virum approbátum à Deo virtútibus & prodígiis, per manus iniquórum affigentes, interemístis: * Quem Deus suscitávit, allelúia, allelúia. ℣. Ipse est Deus vivens, & æternus in sécula, fáciens signa & mirabília in cœlo & in terra: * Quem. *Act.* 2. *Dan.* 6.

Sermo Sancti Joannis Chrysóstomi.

*Cur initio Pentecostes leguntur Actus Apostolorum.*

*Serm.* 4. *n.* 5. *&* 6.

*Lectio ij.*

MEritò quæret áliquis quam tandem ob causam statútum fúerit ut históriam crucis in die crucis & passiónis legámus; Apostolórum autem Acta non ipsis illis diébus, aut illo témpore quo patrata sunt, legámus. Causam diligenter atténdite. Statim post crucem ac resurrectiónem miracula légimus Apostolórum, ut manifestam & indubitátam resurrectiónis probatiónem habeámus. Excitátum

illum à mortuis, corpóreis at per illa miracula excitátum óculis non vidísti; sed óculis fidei cernis illum à mórtuis excitátū. Non vidísti illum his óculis à mórtuis excitátum; ac per illa miracula excitárum illum à mórtuis intuébere. Ad illum enim fidei conspectum signórum exhibitio te dedúcet. Itaque multò major & evidéntior illa fuit demonstrátio, quòd in ejus nómine signa fierent, quam quòd excitátus ille à mórtuis apparéret. Cùm enim Petrum audivíssent turbæ claudo dicéntem: In nómine Jesu Christi surge, & ámbula, tria míllia & quínque millia virórum Christo credidérunt. At discípulus cùm suscitátum vidéret, nisi étiam tángeret, incrédulus fuit: hæc cùm vel inimíci ipsi spectássent, prótinus credidérunt. Ita in huiúsmodi miráculis majus áliquid visu fuit & evidéntius, pluísque ad illos alliciendos váluit atque flectendos, ut resurrectióni fidem adhibérent.

Tu autem, Dómine, miserére nostrî.

℟. Per Christum fidéles estis in Deo qui suscitávit eum à mórtuis, & dedit ei glóriam; * Ut fides vestra & spes esset in Deo, allelúia, allelúia. ℣. Antíquus diérum dedit ei potestátem, & honórem, & regnum; * Ut fides. 1. *Petr.* 1. *Dan.* 7.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

*Lectio iij.* Cap. 20.

IN illo témpore; María stabat ad monumentum foris, plorans. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

*In Evang.* 25. *hab. in Basílica S. Joan. Later. n.* 4. *&* 5.

*Feriâ quintâ Paschæ.*

MUlier, quid ploras? quē quæris? Interrogátur dolóris causa, ut augeátur desidérium; quátenus cùm nominâret quem quæreret, in amóre ejus ardéntius æstuáret. Illa exístimans quia hortulánus esset, dicit ei: Dómine, si tu sustulísti eum. Quid est quòd viso eo quem hortulánum crédidit, cui necdum díxerat quem quærébat, ait: Dómine, si tu sustulísti eum? Quasi enim jam dixísset ex cujus desidério plángeret, eum dicit quem non dixerat. Sed vis amóris hoc ágere solet in ánimo, ut quem ipse semper cógitat, nullum álium ignoráre credat. Rectè & hæc múlier quem quærit, non dicit; & tamen dicit, Si tu sustulísti eum; quia álteri non putat incógnitum, quem sic ipsa continuo plangit desidério.

℟. María stabat ad monumentum foris, plorans. Dicit ei Jesus: Múlier, quid ploras? quem quæris? Illa exístimans quia hortulánus esset, dicit ei: Dómine, * Si tu sustulísti eum, dicito mihi ubi posuísti eum; & ego eum tollam, allelúia, allel. ℣. Indica mihi quem diligit ánima mea. * Si. Glória. * Si tu sustulísti. *Joan.* 20. *Cantic.* 1.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 8 G. Surgens Jesus mane, primâ sábbati, appáruit primò Maríæ Magdaléne, allelúia *Marc.* 16.

*Oratio.*

OMnípotens, sempiterne Deus, qui Paschále sacraméntum in reconciliatiónis humánæ fœdere contulísti: da méntibus nostris, ut quod professióne celebrámus, imitémur effectu; Per.

*Ad* Magníficat. *Ant. 6.* Venit Maria Magdaléne, annúntians discípulis: Quia vidi Dóminum, allelúia. *Joan. 20.*

*Oratio, ut suprà, ad Laudes.*

## FERIA SEXTA.

*Semiduplex.*

## AD NOCTURNUM.

*Tres Psalmi è II. Nocturno Dominicæ, ut in Psalterio. 4.*

De Actibus Apostolórum.

*Lectio j.* Cap. 3.

CUm teneret [claudus] Petrum & Joannem, cucurrit omnis pópulus ad eos ad pórticum, quæ appellátur Salomónis, stupéntes. Videns autem Petrus, respondit ad pópulum: Viri Israelítæ, quid mirámini in hoc, aut nos quid intuémini, quasi nostrâ virtúte aut potestáte fecérimus hunc ambuláre? Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob, Deus patrum nostrórum glorificávit Fílium suum Jesum, quem vos quidem tradidístis, & negástis ante fáciem Piláti, judicante illo dimitti. Vos autem Sanctum & justum negástis, & petístis virum homicídam donári vobis: auctórem verò vitæ interfeciístis, quem Deus suscitávit à mórtuis, cujus nos testes sumus. Et in fide nóminis ejus, hunc quem vos vidístis & nostis, confirmávit nomen ejus; & fides quæ per eum est, dedit íntegram sanitátem istam in conspéctu ómnium vestrûm.

Tu autem, Dómine.

℟. Convenérunt in civitáte ista adversùs sanctum Púerum tuum Jesum, quem unxísti: * Et nunc, Dómine, da servis tuis cum fidúcia loqui, in eo quòd manum tuam extendas ad sanitátes & prodígia, per nomen sancti Fílii tui Jesu allelúia, allelúia. ℣. Astitérunt reges terræ, & príncipes convenérunt in unum adversùs Dóminum & adversùs Christum ejus. * Et nunc. *Act. 4. Ps. 2.*

Sermo sancti Gregórii Papæ.

*Hom. 21. in Evang. n. 7.*

*Lectio ij.*

ECce ad memóriam redit quòd crucifixo Dei Fílio Judæi insultántes dicébant: Si Rex Israël est, descendat de cruce, & crédimus ei. Qui si de cruce tunc descénderet, nimírum insultántibus cedens, virtútem patiéntiæ non demonstráret. Sed expectávit páululùm, tolerávit oppróbria, irrisiónes sustínuit, servávit patiéntiam, dístulit admiratiónem; & qui de cruce descéndere nóluit, de sepulcro surrexit. Plùs ígitur fuit de sepulcro súrgere, quàm de cruce descéndere. Plus fuit mortem resurgendo destrúere, quàm vitam descendendo servâre. Sed cùm Judæi hunc ad insultatiónes suas de cruce descéndere mínimè cérnerent, cùm morientem vidérent, cum se vicísse credidérunt,

nomen illíus se quasi extinxísse gavísi sunt. Sed ecce de morte nomen ejus per mundum crevit, ex quo hoc infidélis turba extinxísse se crédidit: & quem gaudébat occísum, dolet mórtuum; quia hunc ad suam glóriam cognóscit perveníssse per pœnam.

Tu autem, Dómine.

℟. Ubi est, mors, victória tua? ubi est, mors, stímulus tuus? Stímulus mortis peccátum est; * Deo autem grátias qui dedit nobis victóriam per Dóminum nostrum Jesum Christum, allelúia, allelúia. ℣. Oblivióni tráditæ sunt angústiæ priores, & abscónditæ ab óculis; * Deo. 1. *Cor.* 15. *Is.* 65.

Léctio sancti Evangélii secundum Matthæum.

*Lectio iij.* Cap. 28.

IN illo témpore; Undecim discípuli abiérunt in Galilæam in montem ubi constitúerat illis Jesus. Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbyteri.

*In Matth. Lib.* 4.

POst resurrectiónem Jesus in monte Galilææ conspícitur, ibique adorátur; licèt quidam dúbitent, & dubitátio eórum nostram áugeat fidem. Tunc maniféstiùs osténditur Thomæ; & latus lánceâ vulnerátum, & manus fixas demonstrat clavis. Et accédens Jesus locútus est eis, dicens: Data est mihi omnis potéstas in cœlo & in terra. Illi potestas data est, qui paulò antè crucifixus, qui sepultus in túmulo, qui mórtuus jacúerat, qui póstea resurrexit. In cœlo autem & in terra potestas data est; ut qui antè regnábat in cœlo, per fidem crédentium regnet in terris.

℟. Vidéntes Jesum discípuli adoravérunt. Et accédens Jesus locútus est eis, dicens: * Data est mihi omnis potéstas in cœlo & in terra, allelúia, allelúia. ℣. Ego constitútus sum rex à Dómino super Sion montem sanctum ejus: * Data est. Glória Patri. * Data est. *Matth.* 28. *Ps.* 2.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 3 a. Euntes docéte omnes gentes, baptizántes eos in nómine Patris, & Fílii, & Spíritûs sancti, allelúia. *Matth.* 28.

*Oratio.*

DEus, qui diversitátem géntium in confessióne tui nóminis adunásti: da ut renátis fonte baptísmatis una sit fides méntium, & pietas actiónum; Per.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 1 f. Qui crediderit & baptizátus fúerit, salvus erit, allelúia. *Marc.* 16.

*Oratio, ut ad Laudes.*

## SABBATO IN ALBIS.

*Semiduplex.*

## AD NOCTURNUM.

*Tres Psalmi è III. Nocturno Dominicæ, ut in Psalterio 6.*

De Actibus Apostolórum.

*Lectio j.* Cap. 3.

ET nunc fratres, scio quia per ignorántiam feciſtis, sicut & príncipes vestri. Deus autem, quæ prænuntiávit per os ómnium Prophetárum, pati Christum suum, sic implévit. Pœnitémini ígitur & convertímini;

ut deleantur peccáta vestra; ut cum venérint témpora refrigérii à conspectu Dómini, & miserit eum, qui prædicátus est vobis, Jesum Christum, quem oportet quidem cœlum suscípere usque in témpora restitutiónis ómnium quæ locútus est Deus per os sanctórum suórum à século Prophetárum. Móyses quidem dixit: Quóniam Prophétã suscitábit vobis Dóminus Deus vester de frátribus vestris, tanquam me; ipsum audiétis, justa ómnia quæcumque locútus fúerit vobis. Erit autem; omnis ánima quæ non audierit Prophétam illum, extermináburt de plebe. Et omnes Prophétæ à Sámuel, & deinceps qui locúti sunt, annuntiavérunt dies istos. Vos estis filii Prophetárum, & testamenti quod dispósuit Deus ad patres nostros, dicens ad Abraham: Et in sémine tuo benedicentur omnes famíliæ terræ. Vobis primùm Deus súscitans Fílium suum, misit eum benedicentem vobis, ut convertat se unusquísque à nequítia sua.

℟. Jesum à Názareth suscitávit Deus tértiâ die, & præcépit nobis testificári* Quia ipse est qui constitútus est à Deo judex vivórum & mortuórum, allelúia, allel. ℣. Correxit orbem terræ, qui non commóvebitur: judicábit pópulos in æquitáte;* Quia. *Act.* 10. *Ps.* 95. Sermo S. Augustíni Epíscopi. *Serm.* 228. *in die Pasch. V. n.* 1. *& 2.* *Lectio ij.*

DIes istos, quibus post passiónem Dómini nostri Deo cantámus Allelúia, festos habémus in lætítia usque ad Pentecósten, quando missus est de cœlo promíssus Spíritus sanctus. Ex his diébus septem vel octo qui nunc aguntur, sacraméntis infántium deputantur. Qui paulò antè vocabantur competentes, modò vocantur infantes. Competentes dicebantur, quòniam materna víscera, ut nascerentur, petendo pulsábant. Infantes dicuntur, quia modò nati sunt Christo, qui prius nati fúerant século. In illis est vita novàta, quæ in vobis debet esse firmáta; & qui jam fidéles estis, non eis exempla quibus péteant, sed quibus proficiant, præbéatis. Jam ipsos álloquor, ut grana sint in área. Vos fratres, vos filii, vos novella gérmina matris Eccléfiæ, óbsecro vos per quod accepístis, ut attendátis in eũ qui vos vocávit, qui dilexit vos, qui pérditos quæsívit vos, qui inventos illumináv it vos, ut non sectémini vias perditórum, in quibus errat nomen fidélium. Elígite vobis quos imitémini, Deum timentes, Eccléfiam Dei cum timóre intrantes, verbum Dei diligenter audientes, memóriâ retinentes, cogitatióne ruminantes, factis implentes.

℟. Estis in illo repléti qui est caput omnis principátûs & potestátis; consepulti ei in baptísmo,* In quo & resurrexístis per fidem operatiónis Dei, qui suscitávit illum à mórtuis, allelúia, all. ℣. Cognóscite hódie quæ ignórant, qui non vidérunt magnália Dómini, & robustam ma-

num, extentumque brachium; * In quo. *Coloss.* 2. *Deut.* 11.

Léctio sancti Evangélii secundum Joannem.

*Lectio iij.* Cap. 20.

IN illo témpore; Una sábbati, María Magdaléne venit manè, cùm adhuc ténebræ essent, ad monumentum. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

*In Evang. 22. hab. in Basílica S. Joan. Later. Sabb. post Páscha, n. 1.*

LEctio sancti Evangélii, quam modò, fratres, audístis, valde in superfície histórica est aperta; sed ejus nobis sunt mystéria sub brevitáte riquirenda. María Magdaléne, cùm adhuc ténebræ essent, venit ad monumentum. Juxta históriam notátur hora: juxta intellectum verò mysticum requirentis signátur intelligéntia. María étenim auctórem ómnium, quem carne víderat mórtuum, quærébat in monumento: & quia hunc minimè invénit, furátum crédidit. Adhuc ergo erant ténebræ, cùm venit ad monumentum. Cucurrit cítiùs, discipulísque nuntiávit. Sed illi præ céteris cucurrérunt, qui præ céteris amaverunt; vidélicet Petrus & Joannes.

℟. Una sábbati, María Magdaléne * Venit manè, cum adhuc ténebræ essent, ad monumentum, allelúia, allelúia. ℣. Fortis est ut mors diléctio. * Venit. Glória Patri. * Venit. *Joan.* 20. *Cant.* 8.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 4. *D.* Nondum sciébant Scriptúram, quia oportébat Jesum à mórtuis resúrgere, allelúia. *Joan.* 20.

*Oratio.*

CONcéde, quæsumus, omnípotens Deus, ut qui festa Paschália venerando égimus, per hæc contingere ad gáudia æterna mereámur; Per.

DOMINICA IN ALBIS DEPOSITIS.

*Duplex I. Ordinis.*

IN I. VESPERIS.

*Psalmi de Sabbato, ut in Psalterio.*

*Ant.* CONfortábo domum 1. g. Juda, & domum Joseph: ego enim Dóminus Deus eórum: & congregábo illos, quia redemi eos, allelúia. *Zach.* 10.

*Ant.* 6. Ad pópulos exaltábo signum meum: & áfferent fílios in ulnis, & filias super húmeros portábunt, allelúia. *Is.* 49.

*Ant.* 5. a. Addúcet illos Deus Israël cum jucunditáte, in lúmine majestátis suæ, cum misericórdia & justítia, quæ est ex ipso, allelúia. *Baruch.* 5.

*Ant.* 4. E. Miserátor eórum reget eos, & ad fontes aquárum potábit eos, allel. *Is.* 49.

*Ant.* 7. d. Ambulábunt mecum in albis, quia digni sunt, allelúia. *Apoc.* 3.

*Capitulum.* Is. 60.

NOn occídet ultrà sol tuus, Jerúsalem, & luna tua non minuétur; quia erit tibi Dóminus in lucem sempiternam, & complebuntur dies luctûs tui. Pópulus autem tuus omnes justi; in perpétuum hæreditábunt terram.

℟. Liberávit nos Deus secúndum grátiam quæ manifestáta est nunc per illuminatiónem Salvatóris nostri Jesu Christi; * Qui destruxit quidem mortem, illumináit autem vitam & incorruptiónem, allelúia, allelúia. ℣. Cantáte Deo, psalmum dícite nómini ejus: iter fácite ei qui ascendit super occásum; * Qui. Glória. Qui. 2. *Tim.* 1. *Ps.* 67.

*Hymnus.* Forti. *infrà.* 325.

℣. Dómine, in lúmine vultûs tui ambulábunt, ℟. Et in nómine tuo exultábunt. *Ps.* 88.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 5. C. Nunc qui redempti sunt à Dómino, revertentur laudantes; & lætítia sempiterna super cápita eórum, allelúia. *Is.* 51.

*Oratio, ut infrà ad Laudes*

*COMPLET. ut in Psalterio Tempore Paschali.* 132.

AD NOCTURNUM.

*Invit.* Surrexit Dóminus verè, * Allelúia. *Luc.* 24.

*Ps.* 94. Veníte. 2.

*Hymnus* Adeste. *infrà.* 322.

*Tres Psalmi è 1. Nocturno Dominicæ.*

*Ant.* 1. a. Converti estis ad Deum servíre Deo vivo & vero & expectáre Filium ejus de cœlo, quem suscitávit ex mórtuis, Jesum, allel. 1. *Thess.* 1.

*Ant.* 2. D. Vétera transiérunt: ecce facta sunt ómnia nova, allelúia. 1. *Cor.* 15.

*Ant.* 3. c. Liberáti à peccáto servi facti estis justítiæ, allelúia. *Rom.* 6.

℣. Dicant qui redempti sunt à Dómino, ℟. Quóniam in séculum misericórdia ejus. *Ps.* 106.

De Actibus Apostolórum.

*Lectio.* 1. Cap. 4.

FActum est in crástinum ut congregarentur Príncipes sacerdótum, & Senióres, & Scribæ in Jerúsalem, & Annas princeps Sacerdótum, & Cáiphas, & Joannes, & Alexander, & quotquot erant de génere Sacerdotáli. Et statuentes Apóstolos in médio, interrogábant: In qua virtúte, aut in quo nómine fecístis hoc vos? Tunc replétus Spíritu sancto Petrus, dixit ad eos: Príncipes pópuli, & Senióres, audíte: Si nos hódie dijudicámur in benefacto hóminis infirmi, in quo iste salvus factus est, notum sit ómnibus vobis & omni plebi Israël, quia in nómine Dómini nostri Jesu Christi Nazaréni, quem vos crucifixístis, quem Deus suscitávit à mórtuis, in hoc iste astat coram vobis sanus. Hic est lapis qui reprobátus est à vobis ædificántibus, qui factus est in caput ánguli; & non est in álio áliquo salus. Nec enim áliud nomen est sub cœlo datum homínibus, in quo opórteat nos salvos fieri.

℟. Vos pópulus acquisitiónis; qui aliquando non pópulus, nunc autem pópulus Dei: * Qui non consecúti misericórdiam, nunc autem misericórdiam consecúti, allelúia, allelúia ℣. Dóminus elégit vos, quia dilexit vos, & redémit de domo servitútis: * Qui non consecúti misericórdiam, nunc autem misericórdiam consecúti, allelúia, allelúia. 1. *Petr.* 2. *Deut.* 7.

Homília sancti Augustíni Episcopi.

*Serm. 260. alias 11. habit. die Dominicâ, in Octava Paschæ.*

*Lectio ij.*

NE moras faciámus, actúri multa, regenerándis in baptísmo, qui hódie miscendi sunt pópulo, brevis, sed gravis sermo reddendus est. Vos qui baptizáti estis, & hódie complétis sacramentum Octavárum vestrárum, bréviter accípite, & intellígite translátam fuísse figúram circumcisiónis carnis ad circumcisiónem cordis. Infantes appellámini, quóniam regeneráti estis, & novam vitam ingressi estis, & ad vitam æternam renáti estis, si hoc quod in vobis renátum est, malè vivendo non suffocétis. Reddendi estis pópulis, miscendi estis plebi fidélium: cavéte ne imitémini malos fidéles, imò falsos fidéles; quasi confitendo fidéles, sed malè vivendo infidéles. Vidéte quia testificor vobis coram Deo & Angelis ejus; castitátem servâte, sive conjugálem, sive omnímodæ continéntiæ. Quicumque continéntiam vovístis; réddite quod vovístis; quia non exigerétur, si non vovísses. Quod pótuit licére, non licet; non quia núptiæ damnantur, sed qui retrò réspicit, damnátur. Cavéte à fraudibus in negótiis vestris. Cavéte à mendáciis & perjúriis. Cavéte à verbositáte & luxúria. Quæcumque non vultis fieri vobis, nolíte fácere áliis, & homínibus, & Deo. Quid vos ónerem? hæc ágite, & Deus pacis erit vobíscum.

℟. Deponentes omnem malítiam, * Sicut modò géniti infantes, rationábile sine dolo lac concupíscite; ut in eo crescátis in salútem, allelúia, allelúia. ℣. Testes vos estis quia ipsi elegéritis vobis Dóminum, ut serviátis ei: nunc ergo inclináte corda vestra ad Dóminum; * Sicut. 1. *Petr.* 2. *Josue* 24.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

*Lectio iij.* Cap. 20.

IN illo témpore; Cùm serò esset die illo, unâ sabbatórum, & fores essent clausæ, ubi erant discípuli congregáti propter metum Judæórum, venit Jesus, & stetit in médio: & dixit eis, Pax vobis. Et reliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

*In Evang. 26. hab. in Basílica sancti Joan. Later. in Oct. Paschæ, n. 2.*

DIxit eis, Pax vobis; sicut misit me Pater, & ego mitto vos; id est; Sicut misit me Pater, Deus Deum; & ego mitto vos, homo hómines. Pater Fílium misit, qui hunc pro redemptióne géneris humáni incarnári constituit. Quem vidélicet in mundum veníre ad passiónem vóluit: sed tamen amávit Fílium, quem ad passiónem misit. Electos verò Apóstolos Dóminus non ad mundi gáudia, sed, sicut ipse missus est, ad passiónes in mundum mittit. Quia ergo & Filius amátur à Patre, & tamen ad passiónem

míttitur: ita & discípuli à Dómino amantur, qui tamen ad passiónem mittuntur in mundum. Itaque dícitur: Sicut misit me Pater, & ego mitto vos; id est, Eâ vos caritáte diligo, cùm inter scándala persecutórum mitto, quâ me caritáte Pater diligit, quem venire ad tolerandas passiónes fecit.

℟. Pax vobis; sicut misit me Pater, & ego mitto vos: * Accípite Spíritum sanctum: quorum remiséritis peccáta, remíttuntur eis; & quorum retinuéritis, retenta sunt, allelúia, allelúia. ℣. Vos sacerdótes Dómini vocabímini: Minístri Dei nostri, dicétur vobis: * Accípite. Glória Patri. * Accípite. *Joan.* 20. *Is.* 61.

Te Deum.

AD LAUDES.

*Psalmi de Dominica.*

*Ant.* CUm mórtui essétis in delíctis, convivificávit vos cum Christo Deus, donans vobis ómnia delícta, allelúia. *Coloss.* 2.

*Ant.* 2. D. Mortificáti estis legi per corpus Christi, ut sitis altérius, qui ex mórtuis resurrexit, ut fructificémus Deo, allelúia. *Rom.* 7.

*Ant.* 5. a. Vos nunc salvos facit baptísma per resurrectiónem Jesu Christi, qui est in déxtera Dei, deglútiens mortem, allelúia. 1. *Petr.* 3.

*Ant.* 3. c. Omnes vos fílii Dei estis per fidem, quæ est in Christo Jesu, allelúia. *Galat.* 3.

*Ant.* 1. a. Quícumque in Christo baptizáti estis, Christum indúistis, allelúia. *Galat.* 3.

*Capitulum.* Apoc. 1.

GRátia vobis, & pax à Jesu Christo, qui est testis fidélis, primogénitus mortuórum & príncipes regum terræ: qui dilexit nos, & lavit nos à peccátis nostris in sánguine suo.

*Hymnus*, Auróra lucis. *ut infrà*, 327.

℣. Tu es Deus qui facis mirabília: ℟. Redemísti in bráchio tuo pópulum tuum. *Ps.* 76.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 8. c. Post dies octo, iterùm venit Jesus, jánuis clausis, & stetit in médio, & dixit: Pax vobis, allelúia. *Joan.* 20.

*Oratio.*

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut qui paschália festa perégimus, hæc, te largiente, móribus & vitâ teneámus; Per Dóminum nostrum.

*AD HORAS, dicuntur Hymni cum Doxologia propria, ut infrà.* 323.

*Psalmi de Dominica ut in Psalterio, sub Antiphonis de Laudibus, quarta prætermissâ.*

AD PRIMAM.

*Ant.* Cùm mórtui.

*Dicitur Symb.* Quicumque.

*Capit. & ℟. br. ut infrà, in Feriis Temporis Paschalis.* 324.

AD TERTIAM.

*Ant.* Mortificáti.

*Capitulum.* Rom. 6.

VEtus homo noster simul crucifixus est, ut destruátur corpus peccáti, & ultrà non serviámus peccáto. Qui enim mórtuus est, justificátus est à peccáto.

℟. *br.* Beáti quorum remis-

sæ

fæ sunt iniquitátes, * Allelúia, allelúia. Beáti. ℣. Et quorum tecta sunt peccáta, * Allelúia. Glória. Beáti.

℣. Beatus vir cui non imputávit Dóminus peccátum, ℟. Nec est in spíritu ejus dolus. *Ps.* 31.

AD SEXTAM.

*Ant.* Vos nunc salvos.

*Capitulum.* Tit. 3.

NOn ex opéribus justítiæ quæ fécimus nos, sed secundùm suam misericórdiam salvos nos fecit per lavácrum regeneratiónis & renovatiónis Spíritûs sancti, quem effúdit in nos abundè per Jesum Christum salvatórem nostrum.

℟. *br.* Salvávit eos propter nomen suum, * Allelúia, allelúia. Salvávit. ℣. Ut notam fáceret poténtiam suam, * Allelúia. Glória Patri. Salvávit eos.

℣. Deduxit eos in abyssis sicut in desérto: ℟. Et salvávit eos de manu odiéntium. *Ps.* 105.

AD NONAM.

*Ant.* Quicumque.

*Capitulum.* Eccles. 9.

DEo placent ópera tua. Omni témpore sint vestimenta tua cándida, & óleum de cápite tuo non deficiat.

℟. *br.* Non discédimus à te, vivificábis nos; * Allelúia, allelúia. Non discédimus. ℣. Et nomen tuum invocábimus, * Allelúia. Glória Patri. Non discédimus. *Ps.* 79.

℣. Beáta gens cujus est Dóminus Deus ejus: ℟. Pópulus quem elégit in hæreditátem sibi. *Ps.* 32.

MIR. *Pars Verna.*

AD II. VESPERAS.

*Psalmi de Dominica.*

*Ant.* 1. D. CHristus resurrexit mórtuis, allelúia; oportet autem illum regnáre, donec ponat Deus omnes inimícos sub pédibus ejus, allelúia. 1. *Cor.* 15.

*Ant.* 2. D. Dedit semetipsum pro nobis, ut nos redímeret ab omni iniquitáte, & mundáret sibi pópulum acceptábilem, allelúia. *Tit.* 2.

*Ant.* 3. a. Vos genus electum, regále sacerdótium, gens sancta; ut virtútes annuntiétis ejus qui de ténebris vos vocávit in admirábile lumen suum, allel. 1. *Petr.* 2.

*Ant.* 4. *D.* Crédimus in Deo secundùm operatiónem poténtiæ virtútis ejus, quam operátus est in Christo, súscitans illum à mórtuis, & constítuens ad déxteram suam, allelúia. *Ephes.* 1.

*Ant.* 5. C. Pro ómnibus mórtuus est Christus; ut & qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mórtuus est & resurrexit, allelúia. 2. *Cor.* 5.

*Capitulum.* 1. Petr. 1.

BEnedictus Deus & pater Dómini nostri Jesu Christi, qui secundùm misericórdiam suam magnam regenerávit nos in spem vivam, per resurrectiónem Jesu Christi ex mórtuis in hæreditátem incorruptíbilem.

*Hymnus.* Forti. *infrà*, 325.

℣. Pro pátribus tuis nati sunt tibi filii; ℟. Proptéreà pópuli confitebuntur tibi in æternum. *Ps.* 44.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 8. G.

Multa fecit Jesus quæ non sunt scripta : hæc autem scripta sunt, ut credátis quia Jesus est Christus Filius Dei ; & ut credentes vitam habeátis in nómine ejus, allel. *Joan.* 20.

*Oratio, ut suprà ad Laudes.*

COMPLET. *ut in Psalterio, pro Tempore Paschali.*

## IN FERIIS TEMPORIS PASCHALIS, *usque ad Ascensionem Domini.*

### AD NOCTURNUM.

*Invit.* Qui crucifixus est surrexit, * Allelúia. *Matth.* 28.

*Ps.* 94. Venite 2.

*Hymnus.*

ADeste, Cœlitûm chori, Lætum sonantes cánticum,
Dum liber inter mórtuos
Christus sepulcrum déserit.

Frustra sepulcro milites
Appónit insánus furor :
Fruſtrà ſpecûs gens pérfida
Firmat ſigillis óſtium.

Inanis abſiſtat metus :
Nemo cadáver áuferet :
Sed vi reviviſcet ſuâ
Qui ſponte mortem pértulit.

Clausa, ſigillis íntegris,
Exíre ſpeluncâ poteſt,
Quem matris alvo Virginis
Effúdit illæſus pudor.

Ridebat hunc turpi trabe
Vesána pendentem cohors :
Deſcendat, inquit, & Deum
Illi Patrem fatébimur.

At tu, paternis óbſequens
Ad uſque mortem légibus,
Orbem ſacerdos víctima
Toto piábas ſánguine.

Non ille deſcendit cruce ;
Plus fecit : ecce mórtuus
Se reddit ipſe lúmini :
Deo ſatum jam crédite

¶ Da, Chriſte, nos tecum mori ;
Tecum ſimul da súrgere ;
Terréna da contémnere ;
Amáre da cœléſtia.

Sit laus Patri ; laus Fílio,
Qui nos, triumphâtâ nece,
Ad aſtra ſecum dux vocat ;
Compar tibi laus, Spíritus.
Amen.

¶ *Hæc Strophe*, Da, Chriſte, *& doxologia*, Sit laus Patri, *dicitur uſque ad Aſcenſionem, in fine Hymnorum hujus metri, niſi aliter notetur.* ]

*Tres Pſalmi, ut diſtribuuntur infrà in qualibet Feria, ſub ſola Ant.* 1. a. Allelúia. *ſemel.*

℣. Dóminus regnávit, decórem indútus eſt : ℟. Indútus eſt Dñus fortitúdinem. *Pſ.* 92.

*Benedictiones, ut poſt Pſalterium pro Tempore Paſchali.*

*Lectiones & ℟ℝ℟. ut notantur infrà in qualibet Feria.*

Te Deum.

### AD LAUDES.

*Pſſ. de Feria ſub ſola Ant.* 3. a.

Verbum miſit Deus annúntians pacem per Jeſum. Hunc Deus ſuſcitávit tértiâ die, allelúia. *Act.* 10.

*Capitulum.* Hebr. 13.

DEus pacis, qui eduxit de mórtuis Paſtórem magnum óvium in ſánguine teſtamenti æterni, Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum, aptet vos in omni bono ; ut faciátis ejus voluntátem, fáciens in vobis quod pláceat coram ſe.

*Hymnus.*

AUrora lucis dum novæ
Spargit polû fulgóribus,
Victóris Agni júbilans
Orbis triumphos pérſonet.

Fuso redemptor sánguine
Piávit orbis crímina;
Scissóque sanctuárium
Patére dat velámine.

Granum solo recónditum
Iners manére non potest;
Vix mórtuum jam gérminat:
Hinc quanta púllulat seges!

Non destruuntur fúnere,
Sed seminantur córpora:
Fecit resúrgendi viam
Surgens ab ínferis Deus.

Affixa cum Christo cruci
Christo caro commórtua,
Et ipsa surget splendídis
Christi decóra dótibus.

Da, Christe, nos tecum mori;
Tecum simul da súrgere:
Terréna da contémnere;
Amáre da cœléstia.

Sit laus Patri; laus Fílio,
Qui nos, triumphátâ nece,
Ad astra secum dux vocat:
Compar tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Déxtera Dómini fecit virtútem: ℟. Déxtera Dómini exaltávit me. *Ps.* 117.

*Ad* Benedictus. *Ant. propria ut in qualibet Feria.*

*Oratio Dominica præcedens.*

*Dictâ Oratione Dominicæ, in Officio Feriali & in Semiduplicibus, præter quàm intrà Octavas, fit Comm. de Cruce & Resurrectione Christi, ut sequitur.*

*Ant.* Crucifixus est ex infirmitáte, sed vivit ex virtúte Dei, allelúia, allelúia. 2. *Cor.* 13.

℟. Dícite in natiónibus ℟. Quia Dóminus regnávit. *Ps.* 95.

*Oratio.*

Deus, qui pro nobis Fílium tuum Crucis patíbulum subíre voluísti, ut inimíci à nobis expélleres potestátem: concéde nobis fámulis tuis, ut resurrectiónis grátiam consequámur; Per eumdem Dóminum.

## AD PRIMAM.

*Hymnus.*

Jam lucis orto sídere,
Deum precémur súpplices,
Nostras ut ipse dirigat,
Lux increáta, sémitas.

Nil lingua, nil peccet manus,
Nil mens ináne cógitet:
In ore simplex véritas,
In corde regnet cáritas.

Incœpta dum fluet dies,
O Christe, custos pérvigil,
Quas sævus hostis óbsidet,
Portas tuére sénsuum.

Præsta diurnus ut tuæ
Subsérviat laudi labor:
Auctóre quæ te cœpimus,
Da te favente prósequi.

Superba ne nimis caro
Menti licenter ímperet;
Carnis domet supérbiam
Potûs cibíque parcitas.

℣ Da, Christe, nos tecum mori;
Tecum simul da súrgere:
Terréna da contémnere;
Amáre da cœléstia.

Sit laus Patri; laus Fílio,
Qui nos, triumphátâ nece,
Ad astra secum dux vocat:
Compar tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣ *Ad Primam, & ad alias Horas, hâc Strophe,* Da, Christe. *dicitur usque ad Pentecosten; Doxologia verò,* Sit laus Patri. *usque ad Ascensionem.*

*Psalmi de Feria; & sic ad alias Horas.*

*Ant.* 7. d. Conresuscitávit nos Deus in Christo, ut osténderet abundantes divítias grátiæ suæ in bonitáte super nos, allelúia. *Ephes.* 2.

*Capitulum.* Ephes. 5.

ERátis aliquando ténebræ; nunc autem lux in Dómino. Ut fílii lucis ambuláte; fructus enim lucis est in omni bonitáte, & justítia, & veritáte: probantes quid sit beneplácitum Deo.

℟. *br.* Christe Fili Dei vivi, miserére nobis, * Allelúia, allelúia. Christe. ℣. Qui surrexísti à mórtuis, * Allelúia. Glória. Christe. *Rom.* 6.

℣. Exurge, Dómine, ádjuva nos; ℟. Et rédime nos propter nomen tuum. *Ps.* 43.

*In Duplicibus & supra, nec non intrà Octavas, continuò dicitur*: Dóminus vobíscum. *vel*: Dómine, exaudi. *& Oratio*: Dómine Deus, &c. 129.

*In Semiduplicibus autem & infrà, post* ℣. Exurge. *dicuntur Preces, ut ad calcem Psalterii.* 127.

AD TERTIAM.

*Hymnus.*

O Fons amóris, Spíritus,
O sancte donórum parens,
Tuas refúsus íntimis
Accende flammas córdibus.

Qui caritátis vínculo
Cum Patre nectis Fílium,
Et nos amóris mútui
Arctis coapta néxibus.

Da, Christe, nos tecum mori;
Tecum simul da súrgere:
Terréna da contémnere;
Amáre da cœléstia.

Sit laus Patri; laus Fílio,
Qui nos, triumphátâ nece,
Ad astra secum dux vocat:
Compar tibi laus, Spíritus.
Amen.

*Ant.* 1. a. Ipse est caput córporis Eccléfiæ, qui est princípium, primogénitus ex mórtuis; ut sit in ómnibus ipse primátum tenens, allelúia. *Coloss.* 1.

*Capitulum.* Rom. 8.

SI spíritus ejus qui suscitávit Jesum à mórtuis, hábitat in vobis: qui suscitávit Jesum à mórtuis, vivificábit & mortália córpora vestra, propter inhabitántem Spíritum ejus in vobis.

℟. *br.* Vivit Dóminus, & benedictus Deus meus, * Allelúia, allelúia. Vivit. ℣. Et exaltétur Deus salútis meæ, * Allelúia. Glória Patri. Vivit. *Ps.* 17.

℣. Salvávit sibi déxtera ejus, ℟. Et brachium sanctum ejus. *Ps.* 97.

AD SEXTAM.

*Hymnus.*

JAm solis excelsum jubar
Toto coruscat lúmine;
Sinusque pandens áureos,
Ignita vibrat spícula.

Tu, Christe, qui mundum novâ,
Sol verus, accendis face,
Fac nostra plenam cáritas
Crescendo surgat ad diem.

Da, Christe, nos tecum mori;
Tecum simul da súrgere:
Terréna da contémnere;
Amáre da cœléstia.

Sit laus Patri; laus Fílio,
Qui nos, triumphátâ nece,

Ad astra secum dux vocat:
Compar tibi laus, Spíritus.
Amen.

*Ant.* 8. G. Si complantáti facti sumus similitúdini mortis ejus, simul & resurrectiónis érimus, allelúia. *Rom.* 6.

*Capitulum.* Rom. 6.

SI mórtui sumus cum Christo, crédimus quia simul étiam vivémus cum Christo; scientes quòd Christus resúrgens ex mórtuis jam non móritur, mors illi ultrà non dominábitur.

℟. *br.* Audítam fácite vocem laudis ejus, * Allelúia, allelúia. Audítam. ℣. Qui pósuit ánimam meam ad vitam, * Allelúia. Glória. Audítam. *Ps.* 65.

℣. Notas mihi feci*sti* vias vitæ: ℟. Adimplébis me lætítiâ cum vultu tuo, Dómine. *Ps.* 15.

AD NONAM.

*Hymnus.*

LABENTE jam solis rotâ,
Inclínat in noctem dies;
Sic vita suprémam cito
Festínat ad metam gradu.

O Christe, dum fixus cruci
Expandis orbi bráchia,
Amáre da crucem; tuo
Da nos in amplexu mori.

DA, Christe, nos tecum mori;
Tecum simul da súrgere:
Terréna da contémnere;
Amáre da cœléstia.

SIT laus Patri; laus Fílio,
Qui nos, triumphátâ nece,
Ad astra secum dux vocat:
Compar tibi laus, Spíritus.
Amen.

*Ant.* 2. D. Corpus quidem mórtuum est propter peccátum; spíritus verò vivit propter justificatiónem, allelúia. *Rom.* 8.

*Capitulum.* 1. Petr. 3.

CHristus semel pro peccátis nostris mórtuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo, mortificátus quidem carne, vivificátus autem spíritu.

℟. *br.* Convertísti planctum meum in gáudium mihi, * Allelúia, allelúia. Convertísti. ℣. Conscidísti saccum meum, & circumdedísti me lætítiâ, * Allelúia. Glória. Convertísti. *Ps.* 29.

℣. In Deo sperávit cor meum, & adjútus sum; ℟. Et reflóruit caro mea. *Ps.* 27.

AD VESPERAS.

*Psalmi de Feria sub solâ Ant.* 4. a. Deus & Dóminum suscitávit; & nos suscitábit per virtútem suam, allelúia. 1. *Cor.* 6.

*Capitulum.* 1. Cor. 15.

CUm mortále hoc indúerit immortalitátem, tunc fiet sermo qui scriptus est: Absorpta est mors in victória. Ubi est, mors, victória tua? ubi est, mors, stímulus tuus?

*Hymnus.*

FORTI tegente bráchio,
Evásimus rubrum mare,
Tandemque durum pérfidi
Jugum tyranni frégimus.

NUNC ergo lætas víndicæ
Grates rependámus Deo;
Agníque mensam cándidis
Cingámus ornáti stolis.

HUJUS sacráto córpore,
Amóris igne férvidi,
Vescámur atque sánguine
Vescendo, vivimus Deo.

JAM Pascha nostrum Christus est,
Hic agnus, hæc est víctima,
Cruóre cujus íllitos
Transímittit ultor Angelus.
O digna cœlo víctima,
Mors ipsa per quam víncitur,
Per quam refractis ínferi
Prædam relaxant póstibus.
CHRISTUS sepulcri fáucibus
Emersus ad lucem redit;
Hostem retrúdit tártaro,
Cœlique pandit íntima.
DA, Christe, nos tecum mori;
Tecum simul da súrgere:
Terréna da contémnere;
Amáre da cœléstia.
SIT laus Patri; laus Fílio,
Qui nos, triumphátâ nece,
Ad astra secum dux vocat:
Compar tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Iter fácite ei qui ascendit super occásum: ℟. Dóminus nomen illi. *Ps.* 67.

*Ad* Magníficat. *Ant. propria. Oratio Dominicæ præcedentis.*

*In Officio Feriali & in Semiduplicibus, præterquàm intrà Octavas, fit Commemorat. de Cruce & Resurrect. Christi, ut sequitur.*

*Ant.* Dignus est Agnus qui occísus est, accípere virtútem, & divinitátem, & sapiéntiam, & fortitúdinem, & honórem, & glóriam, & benedictiónem, allelúia. *Apoc.* 5.

℣. Omnis terra adóret te, & psallat tibi: ℟. Psalmum dicat nómini tuo, Dómine. *Ps.* 65.

*Oratio.*

DEus, qui pro nobis Fílium tuum Crucis patíbulum súbire voluísti, ut inimici à nobis expélleres potestátem: concéde nobis famulis tuis, ut resurrectiónis grátiam consequámur; Per eumdem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum; qui tecum vivit & regnat, in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia sécula seculórum. ℟. Amen.

AD COMPLETORIUM.

*Psalmi de Feria, & cetera omnia ut in Psalterio, pro Tempore Paschali.* 132.

FERIA SECUNDA.

AD NOCTURNUM.

*Psalmi è I. Noctur. Fer. II.* 29.

De Actibus Apostolórum. *Lectio j.* Cap. 4.

VIdentes Petri constántiam & Joannis, comperto quòd hómines essent sine lítteris, & idiótæ, admirabantur, & cognoscébant eos, quóniam cum Jesu fúerant: hóminem quoque vidéntes stantem cum eis, qui curátus fúerat, nihil póterant contradícere. Jussérunt autem eos foràs extrà concílium secédere; & conferébant ad ínvicem, dicentes: Quid faciémus homínibus ístis? quóniam quidem notum signum factum est per eos ómnibus habitántibus Jerúsalem: manifestum est, & non póssumus negáre. Sed ne ámplius divulgétur in pópulum, comminémur eis ne ultrà loquantur in nómine hoc ulli hóminum.

℟. Príncipes Jerúsalem cùm consummassent ómnia quæ de Jesu scripta erant, deponéntes eum de ligno, posuérunt eum in monumento: * Deus

verò suscitávit eum à mórtuis, allelúia, allel. ℣. De angústia & de judício sublátus est; absciſſus est de terra vivéntium: * Deus. *Act.* 13. *Is.* 53.

*Lectio ij.*

ET vocantes eos, denuntiavérunt ne omníno loquerentur, neque docérent in nómine Jesu. Petrus verò & Joannes respondentes, dixérunt ad eos: Si justum est in conspéctu Dei vos pótiùs audíre quàm Deum, judicáte; non enim póssumus quæ vídimus & audívimus, non loqui. At illi comminantes dimisérunt eos, non inveniéntes quómodo punírent eos, propter pópulum, quia omnes clarificábant id quod factum fúerat in eo quod acciderat. Annórum enim erat ámpliùs quadraginta homo, in quo factum fúerat signum istud sanitátis.

℟. Visus est Jesus per dies multos his * Qui ascénderant cum eo de Galilæa in Jerúsalem; qui usque nunc sunt testes ejus ad plebem, allelúia, allelúia. ℣. In viis ostendit se illis hiláriter, & in omni providéntia occurrit illis, * Qui ascénderant cum eo. *Act.* 13. *Sap.* 6.

*Lectio iij.*

DImissi autem venérunt ad suos, & annuntiavérunt eis quanta ad eos príncipes Sacerdótum & senióres dixíssent. Qui cùm audíssent, unanímiter levavérunt vocem ad Deum, & dixérunt: Dómine, tu es qui feciſti cœlum & terram, mare, & ómnia quæ in eis sunt; qui Spíritu sancto per os patris nostri David púeri tui dixisti: Quare fremuérunt gentes, & pópuli meditáti sunt inánia? Astitérunt reges terræ, & príncipes convenérunt in unum adversùs Dóminum & adversùs Christum ejus. Convenérunt enim verè in civitáte ista adversùs sanctum púerum tuum Jesum quẽ unxisti, Heródes & Póntius Pilátus cum géntibus, & pópulis Israël, facere quæ manus tua & consílium tuum decrevérunt fieri. Et nunc, Dómine, réspice in minas eórum, & da servis tuis cum omni fidúcia loqui verbum tuum, in eo quod manum tuam extendas ad sanitátes, & signa, & prodígia fieri per nomen sancti Filii tui Jesu. Et cùm orassent, motus est locus in quo erant congregáti; & repléti sunt omnes Spíritu sancto, & loquebantur verbum Dei cum fidúcia.

℟. Quem vos interemisti suspendentes in ligno, * Hunc príncipem & salvatórem Deus exaltávit déxterâ suâ ad dandam pœniténtiam Israéli, & remissiónem peccatórum, allelúia, allelúia. ℣. In sciéntia sua justificábit ipse justus servus meus multos. * Hunc príncipem. Glória. Hunc príncipem & salvatórem. *Actor.* 5. *Is.* 53.

*Ad* Benedictus. *Antiph.* 1. Deum patrum nostrórum glorificávit Filium suum Jesum, allelúia. *Act.* 3.

*Ad* Magníficat. *Antiph.* 6. Vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, allelúia. *Joan.* 20.

FERIA TERTIA.

AD NOCTURNUM.

*Pſalmi è I. Nocturno Fer. III.* 46.

De Actibus Apoſtolórum.

*Lectio j.* Cap. 4.

MUltitúdinis credéntium erat cor unum & ánima una: nec quiſquam eórum quæ poſſidébat áliquid ſuum eſſe dicébat; ſed erant illis ómnia communia. Et virtúte magnâ reddébant Apóſtoli teſtimónium reſurrectiónis Jeſu Chriſti Dómini noſtri; & grátia magna erat in ómnibus illis. Neque enim quiſquam egens erat inter illos. Quotquot enim poſſeſſóres agrórum aut domórum erant, vendentes afferébant prétia eórum quæ vendébant, & ponébant ante pedes Apoſtolórum. Dividebátur autem ſingulis prout cuique opus erat. Joſeph autem qui cognominátus eſt Bárnabas ab Apóſtolis (quod eſt interpretátum Fílius conſolatiónis) Levites, Cyprius génere, cùm habéret agrum, véndidit eum, & átulit prétium, & póſuit ante pedes Apoſtolórum.

℣. Virtúte magnâ reddébant Apóſtoli * Teſtimónium reſurrectiónis Jeſu Chriſti Dómini noſtri, allel. allel. ℣. Invocábant Dóminum, & ipſe exaudiébat eos: cuſtodiébant præceptum quod dedit illis, * Teſtimónium reſurrectiónis Jeſu Chriſti Dómini noſtri. *Act.* 4. *Pſ.* 98.

*Lectio ij.* Cap. 5.

VIr autem quidam nómine Ananias, cum Saphira uxóre ſua, véndidit agrum, & fraudávit de prétio agri, cónſciâ uxóre ſuâ: & áfferens partem quamdam, ad pedes Apoſtolórum póſuit. Dixit autem Petrus: Anánia, cur tentávit sátanas cor tuum mentíri te Spíritui ſancto, & fraudáre de prétio agri? Nonne manens tibi manébat, & venúndatum in tua erat poteſtáte? Quare poſuiſti in corde tuo hanc rem? Non es mentitus homínibus, ſed Deo. Audiens autem Ananías hæc verba, cécidit, & expirávit. Et factus eſt timor magnus ſuper omnes qui audiérunt. Surgentes autem júvenes, amovérunt eum, & efferentes ſepeliérunt.

℟. Certiſſimè ſciat omnis domus Iſraël * Quia & Dóminum & Chriſtum fecit Deus hunc Jeſum quem vos crucifixiſtis, allelúia, allel. ℣. Ecce ſervus meus exaltábitur & elevábitur, & ſublímis erit valde; * Quia. *Act.* 2. *Iſ.* 52.

*Lectio iij.*

FActum eſt autem quaſi horárum trium ſpátium; & uxor ipsius néſciens quod factum fúerat, introívit. Dixit autem ei Petrus: Dic mihi, múlier, ſi tanti agrum vendidiſtis. At illa dixit: Etiam tanti. Petrus autem ad eam: Quid útique convenit vobis tentáre Spíritum Dómini? Ecce pedes eórum qui ſepeliérunt virum tuum ad óſtium, & éfferent te. Confeſtim cécidit ante pedes ejus, & expirávit. Intrantes autem júvenes, invenérunt illam mórtuam; & extulérunt, & ſepeliérunt ad virum ſuum. Et factus eſt timor magnus in univerſa Ec-

cléſia, & in omnes qui audiérunt hæc.

℟. Hic eſt lapis reprobátus ab ædificántibus, qui factus eſt in caput ánguli; * Et non eſt in álio áliquo ſalus, allelúia, allelúia. ℣. Ecce ego mittam in fundamentis Sion lápidem, lápidem probátum, angulárem, pretióſum, in fundamento fundátum; * Et non eſt. Glória. * Et non eſt. *Act.* 4. *Iſ.* 28.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 5. C. Cùm reſurrexiſſet Jeſus à mórtuis, recordáti ſunt diſcípuli ejus quia dicébat: Sólvite templum hoc, & in tribus diébus excitábo illud, allelúia. *Joan.* 2.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 7. ç. Noli eſſe incrédulus, ſed fidélis, allelúia. *Joan.* 20.

## FERIA QUARTA.

### Ad Nocturnum.

*Pſalmi è I. Noct. Fer. IV.* 62.

De Actibus Apoſtolórum.

*Lectio j.* Cap. 5.

PEr manus Apoſtolórum fiébant ſigna & prodígia multa in plebe. Et erant unanímiter omnes in pórticu Salomónis. Ceterórum autem nemo audébat ſe conjúngere illis, ſed magnificábat eos pópulus. Magis autem augebátur credéntium in Dómino multitúdo virórum ac mulíerum; ita ut in pláteas ejícerent infírmos, & pónerent in léctulis ac grabátis, ut, veniente Petro, ſaltèm umbra illíus obumbráret quemquam illórum, & liberarentur ab infirmitátibus ſuis. Concurrébat autem & multitúdo vicinárum civitátum Jerúſalem, afferentes ægros, & vexátos à ſpíritibus immundis; qui curabantur omnes.

℟. Quæ ad patres noſtros repromíſſio facta eſt, hanc Deus adimplévit filiis noſtris, * Reſúſcitans Jeſum, allelúia, allelúia. ℣. Dóminus Deus noſter adimplévit miſericórdiam ſuam quam promíſit dómui Iſraël, * Reſúſcitans. *Act.* 13. *Judith* 13.

*Lectio ij.*

EXurgens autem princeps Sacerdótum, & omnes qui cum illo erant, quæ eſt hæreſis Sadducæórum, repléti ſunt zelo: & injecérunt manus in Apóſtolos, & poſuérunt eos in cuſtódia pública. Angelus autem Dómini per noctem apériens jánuas cárceris, & edúcens eos, dixit: Ite, & ſtantes loquímini in templo plebi ómnia verba vitæ hujus. Qui cùm audiſſent, intravérunt dilúculo in templum, & docébant. Advéniens autem princeps Sacerdótum, & qui cum eo erant, convocavérunt concílium, & omnes Senióres filiórum Iſraël; & miſérunt ad cárcerem ut adducerentur. Cùm autem veniſſent miniſtri, & aperto cárcere, non inveniſſent illos, reverſi nuntiavérunt, dicentes: Cárcerem quidem invénimus clauſum cum omni diligéntia, & cuſtódes ſtantes ante jánuas; aperientes autem, néminem intùs invénimus.

℟. Deus dedit Jeſum manifeſtum fieri, non omni pópulo, ſed téſtibus præordinátis à Deo, nobis * Qui manducávimus & bíbimus cum illo,

poſtquàm reſurrexit à mórtuis, allelúia, allelúia. ℣. Pépigit fœdus nobiſcum qui in præſentiárum ſumus & vivimus; fácie ad fáciem locútus eſt nobis, * Qui manducávimus. *Act.* 10. *Deut.* 5.

*Lectio iij.*

UT autem audiérunt hos ſermónes Magiſtrátus templi, & príncipes Sacerdótum, ambigébant de illis quidnam fieret. Advéniens autem quidam nuntiávit eis: Quia ecce viri quos poſuiſtis in cárcerem, ſunt in templo ſtantes, & docentes pópulum. Tunc ábiit Magiſtrátus cum miniſtris, & adduxit illos ſine vi; timébant enim pópulum, ne lapidarentur. Et cùm adduxiſſent illos, ſtatuérunt in concílio. Et interrogávit eos princeps Sacerdótum, dicens: Præcipiendo præcépimus vobis ne docerétis in nómine iſto; & ecce repleſtis Jerúſalem doctrínâ veſtrâ; & vultis indúcere ſuper nos ſánguinem hóminis iſtíus. Reſpondens autem Petrus & Apóſtoli, dixérunt: Obedíre oportet Deo magis quàm homínibus. Deus patrum noſtrórum ſuſcitávit Jeſum, quem vos interemiſtis, ſuſpendentes in ligno. Hunc príncipem & ſalvatórem Deus exaltávit déxterâ ſuâ ad dandam pœniténtiam Iſraéli, & remiſſiónem peccatórum. Et nos ſumus teſtes horum verbórum, & Spíritus ſanctus quem dedit Deus ómnibus obediéntibus ſibi.

℟. Per Chriſtum vobis remiſſio peccatórum annuntiátur, & ab ómnibus quibus non potuiſtis in lege Móyſi juſtificári: * In hoc omnis qui credit juſtificátur, allelúia, allelúia. ℣. Iſraël ſalvátus eſt in Dómino ſalúte æternâ: * In hoc. Glória Patri. * In hoc. *Act.* 13. *Iſ.* 45.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 8. G. Hæc ſunt verba quæ locútus ſum ad vos, cùm adhuc eſſem vobiſcum; quóniam neceſſe eſt impléri ómnia quæ ſcripta ſunt de me, allelúia. *Luc.* 24.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 6. Dóminus meus, & Deus meus, allelúia. *Joan.* 20.

## FERIA QUINTA.

### AD NOCTURNUM.

*Pſalmi è I. Nocturno Feriæ V.* 78.

De Actibus Apoſtolórum.

*Lectio j.* Cap. 5.

HÆc cùm audiſſent, diſſecabantur, & cogitábant interficere illos. Surgens autem quidam in concílio Phariſæus, nómine Gamáliel, legis doctor, honorábilis univerſæ plebi, juſſit foràs ad breve hómines fieri; dixitque ad illos: Viri Iſraelítæ, atténdite vobis ſuper homínibus iſtis quid actúri ſitis. Ante hos enim dies éxtitit Théodas, dicens ſe eſſe áliquem, cui conſenſit número virórum círciter quadringentórum, qui occíſus eſt; & omnes qui credébant ei, diſſipáti ſunt & redácti ad níhilum. Poſt hunc éxtitit Judas Galilæus in diébus profeſſiónis, & avertit pópulum poſt ſe, & ipſe périit; & omnes, quotquot conſenſérunt ei, diſperſi ſunt.

℟. Príncipes. 326.

*Lectio ij.*

ET nunc ítaque dico vobis: Discédite ab homínibus istis, & sínite illos; quóniam si est ex homínibus consílium hoc aut opus, dissolvétur: si verò ex Deo est, non potéritis dissólvere illud, ne fortè & Deo repugnáre inveniámini. Consensérunt autem illi. Et convocántes Apóstolos, cæsis denuntiavérunt ne omníno loquerentur in nómine Jesu: & dimisérunt eos. Et illi quidem ibant gaudentes à conspéctu concílii, quóniam digni hábiti sunt pro nómine Jesu contuméliam pati. Omni autem die non cessábant, in templo & circa domos docéntes, & evangelizántes Christum Jesum.

℟. Visus est. 327.

*Lectio iij.* Cap. 8.

SAulus autem devastábat Eccléstam, per domos intrans; & trahens viros ac mulieres, tradébat in custódiam. Igitur qui dispérsi erant pertransíbant, evangelizántes verbum Dei. Philippus autem descéndens in civitátem Samaríæ, prædicábat illis Christum. Intendébant autem turbæ his quæ à Philippo dicebántur, unánimiter audientes, & vidéntes signa quæ faciébat. Multi enim eórum qui habébant spíritus immundos, clamántes voce magnâ, exíbant. Multi autem paralytici & claudi curáti sunt. Factum est ergo gáudium magnum in illa civitáte.

℟. Quem vos. 327.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 8. c. Oportébat Christum pati, & resúrgere à mórtuis tértiâ die, allelúia. *Luc.* 24.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 3. a. Beáti qui non vidérunt, & credidérunt, allelúia. *Joan.* 20.

FERIA SEXTA.

AD NOCTURNUM.

*Psalmi è I. Nocturno Feriæ VI.* 92.

De Actibus Apostolórum.

*Lectio j.* Cap. 8.

VIr quidam nómine Simon, qui antè fúerat in civitáte magus, sedúcens gentem Samaríæ, dicens se esse áliquem magnum; cui auscultábant omnes à mínimo usque ad máximum, dicéntes: Hic est virtus Dei, quæ vocátur magna. Attendébant autem eum: propter quod multo témpore mágiis suis dementásset eos. Cùm verò credidíssent Philippo evangelizánti de regno Dei, in nómine Jesu Christi baptizabántur viri ac mulíeres. Tunc Simon & ipse crédidit: & cùm baptizátus esset, adhærébat Philippo. Videns étiam signa & virtútes máximas fieri, stupens admirabátur.

℟. Virtúte magnâ. 328.

*Lectio ij.*

CUm autem audíssent Apóstoli, qui erant Jerosólymis, quòd recepíssset Samaría verbum Dei, misérunt ad eos Petrum & Joannem: qui cùm veníssent, oravérunt pro ipsis, ut accíperent Spíritum sanctum; nondum enim in quemquam illórum vénerat, sed baptizáti tantùm erant in nómine Dómini Jesu. Tunc impónebant manus super illos, & accipiébant Spíritum san-

ctum. Cùm vidiſſet autem Simon, quia per impoſitiónem manûs Apoſtolórum darétur Spíritus ſanctus, óbtulit eis pecúniam, dicens: Date & mihi hanc poteſtátem, ut cuicumque imposúero manus, accípiat Spíritum ſanctum.

℟. Certíſſimè ſciat omnis domus Iſrael. 328.

*Lectio iij.*

PEtrus autem dixit ad eum: Pecúnia tua tecum ſit in perditiónem, quóniam donum Dei exiſtimaſti pecúniâ poſſidéri. Non eſt tibi pars neque ſors in ſermóne iſto; cor enim tuum non eſt rectum coram Deo: pœniténtiam ítaque age ab hac nequítia tua, & roga Deum, ſi fortè remittátur tibi hæc cogitátio cordis tui; in felle enim amaritúdinis, & obligatióne iniquitátis vídeo te eſſe. Reſpondens autem Simon, dixit: Precámini vos pro me ad Dóminum, ut nihil véniat ſuper me horum quæ dixiſtis.

℟. Hic eſt lapis. 329.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 1. D. Prædeſtinávit nos Deus in adoptiónem filiórum per Jeſum Chriſtum, in quo habémus redemptiónem per sánguinem ejus, allel. *Epheſ.* 1.

AD VESPERAS.

*Fit à Capitulo de beata Maria in Sabbato, (niſi occurrat Feſtum Semiduplex & ſuprà) cum Commemorat. de Cruce; & ſic in tribus Sabbatis ſequentibus.*

SABBATO.

AD NOCTURNUM.

*Pſalmi è I. Nocturno Sabbati.* 108.

De Actibus Apoſtolórum.

*Lectio j.* Cap. 10.

VIr quidam erat in Cæſaréa, nómine Cornélius, centúrio cohortis quæ dícitur Itálica, religióſus ac timens Deum cum omni domo ſua, fáciens eleemóſynas multas plebi, & déprecans Deum ſemper. Is vidit in viſu manifeſtè, quaſi horâ diéi nonâ, Angelum Dei introeuntem ad ſe, & dicentem ſibi, Cornéli. At ille íntuens eum, timóre correptus, dixit: Quid eſt, Dómine? Dixit autem illi: Oratiónes tuæ & eleemóſynæ tuæ aſcendérunt in memóriam in conſpectu Dei. Et nunc mitte viros in Joppen, & accerſi Simónem quemdam, qui cognominátur Petrus: hic hoſpitátur apud Simónem quemdam coriárium, cujus eſt domus juxta mare: hic dicet tibi quid te opórteat fácere. Et cùm diſceſſiſſet Angelus qui loquebátur illi, vocávit duos domésticos ſuos, & mílitem metuentem Dóminum ex his qui illi parébant. Quibus cùm narraſſet ómnia, miſit illos in Joppen.

*Lectio ij.*

POſterâ autem die, iter illis faciéntibus & appropinquántibus civitáti, aſcendit Petrus in ſuperióra, ut oráret, circa horam ſextam. Et cùm eſuríret, vóluit guſtáre. Parántibus autem illis, cécidit ſuper eum mentis exceſſus: & vidit cœlum apertum, & deſcendens vas quoddam velut línteum magnum, quátuor inítiis ſubmitti de cœlo in terram, in quo erant ómnia

quadrupédia & ſerpéntia terræ, & volatília cœli. Et facta eſt vox ad eum: Surge, Petre, occíde, & mandúca. Ait autem Petrus: Abſit, Dómine, quia nunquam manducávi omne commúne & immundum. Et vox íterum ſecundò ad eum: Quod Deus purificávit, tu commúne ne díxeris. Hoc autem factum eſt per ter; & ſtatim receptum eſt vas in cœlum. Et dum intrà ſe hæſitáret Petrus quidnam eſſet viſio quam vidiſſet, ecce viri qui miſſi erant à Cornélio, inquirentes domum Simónis, aſtitérunt ad jánuam. Et cùm vocaſſent, interrogábant ſi Simon qui cognominátur Petrus, illíc habéret hoſpítium. Petro autem cogitante de viſióne, dixit Spíritus ei: Ecce viri tres quærunt te. Surge ítaque, deſcende, & vade cum eis nihil dúbitans, quia ego miſi illos. Deſcendens autem Petrus ad viros, dixit: Ecce ego ſum quem quæritis: quæ cauſa eſt propter quam veniſtis? Qui dixérunt: Cornélius centúrio, vir juſtus & timens Deum, & teſtimónium habens ab univerſa gente Judæórum, reſponſum accépit ab Angelo ſancto accersíre te in domum ſuam, & audíre verba abs te.

## DOMINICA II.
### poſt Paſcha.

*IN VESPERIS Sabbati, Pſalmi de Sabbato, ſub ſola Ant.* 4. a. Deus & Dóminum ſuſcitávit; & nos ſuſcitábit per virtútem ſuam, allelúia. 1. *Cor.* 6.

*Capitulum.* Jerem. 31.

AUdíte verbum Dómini, gentes; & annuntiáte in ínſulis quæ procul ſunt, & dícite: Qui diſperſit Iſraël, congregábit eum, & cuſtódiet eum ſicut paſtor gregem ſuũ; redémit enim Dóminus Jacob, & liberávit eum de manu potentióris.

*Hymnus* Forti. *ſuprà.* 325.

℣. Dóminus ipſe eſt Deus noſter; ℟. Nos autem pópulus ejus, & oves páſcuæ ejus. *Pſ.* 94.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 2. D. Tanquam ovis ad occiſiónem ductus eſt, & ſicut agnus non apéruit os ſuum. In humilitáte judícium ejus ſublátum eſt; generatiónem ejus quis enarrábit? allelúia. *Act.* 8.

*Oratio, ut infrà ad Laudes.*

*COMPLET. ut ad calcem Pſalterii*, 132. *ſine precibus.*

## AD NOCTURNUM.

*Invit.* Auctórem vitæ quem Deus ſuſcitávit à mórtuis, * Veníte, adorémus, all. *Act.* 3.

*Pſ.* Veníte. 2.

*Hymnus.* Adeſte. *ſuprà.* 322.

*Tres Pſalmi è II. Nocturno Dominicæ, ut in Pſalterio*, 4.

*Ant.* 8. c. Chriſtus mórtuus eſt pro peccátis noſtris, & ſepultus eſt; & reſurrexit tértiâ die ſecundùm Scriptúras, allelúia. 1. *Cor.* 15.

*Ant.* 1. a. Chriſtus reſurrexit à mórtuis, primítiæ dormiéntium. Quóniam quidem per hóminem mors, & per hóminem reſurréctio mortuórum, allelúia. 1. *Cor.* 15.

*Ant.* 2. D. Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur, allelúia. 1. *Cor.* 15.

℣. Cor meum & caro mea ℟. Exultavérunt in Deum vivum. *Ps.* 83.

De Actibus Apostolórum.

*Lectio j.* Cap. 13.

ERant in Ecclésia quæ erat Antiochiæ, Prophétæ, & Doctóres, in quibus Bárnabas, & Simon qui vocabátur Niger, & Lúcius Cyrenénsis, & Mánahem qui erat Heródis Tetrarchæ collactáneus, & Saulus. Minístrántibus autem illis Dómino, & jejunántibus, dixit illis Spíritus sanctus: Segregáte mihi Saulum & Bárnabam in opus ad quod assúmpsi eos. Tunc jejunántes, & oránte, impónentesque eis manus, dimisérunt illos. Et ipsi quidem missi à Spíritu sancto, abiérunt Seléuciam, & inde navigavérunt Cyprum. Et cùm veníssent Salamínam, prædicábant verbum Dei in synagógis Judæórum. Habébant autem & Joannem in minístério. Et cùm perambulássent univérsam ínsulam usque Paphum, invenérunt quemdam virum magum pseudo-prophétam, Judæum, cui nomen erat Bárjesu, qui erat cum Procónsule Sérgio Paulo viro prudente. Hic, accersítis Bárnabâ & Saulo, desiderábat audíre verbum Dei. Resistébat autem illis Elymas magus, (sic enim interpretátur nomen ejus) quærens avértere Procónsulem à fide. Saulus autem qui & Paulus, replétus Spíritu sancto, íntuens in eum, dixit: O plene omni dolo & omni fallácià, fili diáboli, ínimice omnis justítiæ, non désinis subvértere vias Dómini rectas. Et nunc ecce manus Dómini super te; & eris cæcus, non videns solem usque ad tempus. Et confestim cécidit in eum calígo, & ténebræ; & circúiens, quærébat qui ei manum daret. Tunc Proconsul cùm vidísset factum, crédidit, admírans super doctrína Dómini.

℟. Lætentur cœli, & exultet terra: & dicant in natiónibus: Dóminus regnávit. * Exultent agri & ómnia quæ in eis sunt, quia venit Dóminus judicáre terram, allelúia, allelúia. ℣. Deus judicatúrus est orbem in viro in quo státuit, fidem præbens ómnibus, súscitans eum à mórtuis. * Exultent. 1. *Paral.* 16. *Act.* 17.

Sermo sancti Augustíni Episcopi.

*Enarr. in Ps.* 110.

*Lectio ij.*

VEnérunt dies ut cantémus Allelúia. Et hi quidem dies véniunt transitúri, transeúntque ventúri, & significant diem qui non venit & transit. Ad quem sanè nos cùm venérimus, inhærentes ei, nec nos transíbimus. Sicut enim dies ísti, prætéritis diébus Quadragésimæ quibus ante resurrectiónem Dominici córporis vitæ hujus significátur mœror, solémniter gratâ hilaritáte succédunt; sic dies ille qui post resurrectiónem dábitur plenário córpori Dómini, hoc est, sanctæ Ecclésiæ, cunctis vitæ hujus ærumnis atque dolóribus exclúsis, perpétuâ beatitáte succédet.

Quod promísit Christus, non est hîc expectándum, non hîc sperándum; sed hoc est verum & justum, ut hîc laborétur, illîc requiescátur. Non ergo réquies, nisi in cœlesti patria requirátur. Non tale áliquid meditéris adipísci, quale solet hîc óculus avarítiæ concupíscere. Pro delíciis ómnibus hujus séculi immortálium deliciárum matrem concupísce sapiéntiam. Delectábit illa, & ineffabíliter procul dúbio delectábit castis atque æternis veritátis ampléxibus. Inítium sapiéntiæ, timor Dómini; laus ejus manet in séculum séculi: & hoc erit præmium, hic finis, hæc státio sedesque perpétua.

℟. Per vicos Jerúsalem Alleluia cantábitur. Benedictus Dóminus qui exaltávit eam; & * Sit regnum ejus in sécula seculórum, alleluia, alleluia. ℣. Allelúia: salus, & glória, & virtus Deo nostro est; quia vera & justa judícia sunt ejus: * Sit. *Tob.* 13. *Apoc.* 19.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joannem.

*Lectio iij.* Cap. 10.

IN illo témpore; Dixit Jesus quibusdam ex Phariséis: Ego sum pastor bonus. Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

*In Evang.* 14. *habit. in Basílica S. Petri, Dom.* 2. *post Pascha.*

FEcit Dóminus quod mónuit, ostendit quod jussit. Bonus Pastor pro óvibus suis ánimam suam póstuit; ut in sacramento nostro corpus suum & sánguinem vérteret, & oves quas redémerat, carnis suæ alimento satiáret. Ostensa nobis est de contemptu mortis via quam sequámur; appósita est forma cui imprimámur. Primum nobis est, exterióra nostra misericórditer óvibus ejus impéndere; postrémum verò, si necesse sit, étiam mortem nostram pro eísdem óvibus minístráre. A primo autem hoc mínimo pervenítur ad postrémum majus. Sed cùm incomparabíliter longè sit mélior ánima quâ vívimus, terrénâ substántiâ quam extérius possidémus; qui non dat pro óvibus substántiam suam, quando pro his datúrus est ánimam suam?

℟. Ego sum pastor bonus: & * Cognósco oves meas, & cognoscunt me meæ, alleluia, alleluia. ℣. Ecce ego ipse requíram oves meas, & visitábo eas, & edúcam eas de pópulis, & pascam eas. * Cognósco. Glória. * Cognósco oves. *Joan.* 10. *Ezech.* 34.

Te Deum.

AD LAUDES.

*Psalmi & Antiphonæ, ut in Psalterio.* 9.

*Capitulum.* Isaïæ 49.

SUper vias pascentur, & in ómnibus planis páscua eórum. Non esúrient, neque sítient: & non percútiet eos æstus & sol; quia miserátor eórum reget eos, & ad fontes aquárum potábit eos.

*Hymnus.* Auróra. 322.

℣. Pópulus Dómini oves páscuæ ejus: ℟. Introíte portas ejus in confessióne. *Ps.* 99.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 1. D. Ego sum óstium óvium : veni ut vitam hábeant, & abundántiùs hábeant. Ego sum pastor bonus, allelúia. *Joan.* 10.

*Oratio.*

DEus, qui errántibus, ut in viam possint redíre justítiæ, veritátis tuæ lumen ostendis : da cunctis qui Christiánâ professióne censentur, & illa respúere quæ huic inimica sunt nómini, & ea quæ sunt apta sectári ; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus ; per ómnia sécula seculórum.

℟. Amen.

*AD HORAS, ut in Psalt. Ant. Capit.* ℟.℟.℟. *ut suprà in Feriis Temporis Paschalis*, 323.

AD VESPERAS.

*Psalmi ut in Psalterio.* 23.

*Antiphonæ ut Dominica in Albis ad Vesperas.* 321.

*Capitulum.* 1. Petr. 2.

ERátis sicut oves errantes ; sed conversi estis nunc ad Pastórem & Epíscopum animárum vestrárum.

*Hymnus.* Forti. 330.

℣. Abstulit sicut oves pópulum suum, ℟. Et deduxit eos in spe. *Ps.* 77.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 8. G. Alias oves hábeo quæ non sunt ex hoc ovíli : & illas oportet me addúcere : & vocem meam áudient, & fiet unum ovíle, & unus pastor, allelúia. *Joan.* 10.

*Oratio, ut suprà ad Laudes.*

*COMPLET. ut in Psalterio.* 26.

FERIA SECUNDA.

AD NOCTURNUM.

*Psalmi è II. Nocturno Feriæ II.* 30.

De Actibus Apostolórum.

*Lectio j.* Cap. 15.

SUrrexérunt quidam de hæresi Phariséorum qui credidérunt, dicentes : Quia oportet circumcídi eos, præcípere quoque servare legem Móysi. Convenerúntque Apóstoli & Seniores, vidére de verbo hoc. Cùm autem magna conquisítio fieret, surgens Petrus dixit ad eos : Viri fratres, vos scitis quóniam ab antíquis diébus Deus in nobis elégit per os meum audíre Gentes verbum Evangélii, & crédere. Et qui novit corda Deus, testimónium perhíbuit, dans illis Spíritum sanctum sicut & nobis, & nihil discrévit inter nos & illos, fide purificans corda eórum. Nunc ergo quid tentátis Deum, impónere jugum super cervices discipulórum, quod neque patres nostri, neque nos portáre potúimus ? Sed per grátiam Dómini Jesu Christi crédimus salvári, quemádmodùm & illi. Tácuit autem omnis multitúdo : & audiébant Bárnabam & Paulum, narrantes quanta Deus fecísset signa & prodígia in Géntibus per eos.

℟. Príncipes. 326.

*Lectio ij.*

ET, postquàm tacuérunt, respondit Jacóbus, dicens : Viri fratres, audíte me : Simon narrávit quemádmodùm primùm Deus visitávit súmere ex Géntibus pópulum nómini suo. Et huic concordant

dant verba Prophetárum, ſicut ſcriptum eſt: Poſt hæc revertar, & reædificábo tabernáculum David, quod décidit: & díruta ejus reædificábo, & érigam illud; ut requírant céteri hóminum Dóminum, & omnes gentes ſuper quas invocátum eſt nomen meum, dicit Dóminus fáciens hæc. Notum à ſéculo eſt Dómino opus ſuum. Propter quod ego júdico non inquietári eos qui ex Géntibus convertuntur ad Deum; ſed ſcríbere ad eos, ut abſtíneant ſe à contaminatiónibus ſimulacrórum, & fornicatióne, & ſuffocátis, & ſánguine. Móyſes enim à temporibus antíquis habet in ſíngulis civitátibus qui eum prædícent in ſynagógis, ubi per omne sábbatum légitur.

℟. Viſus eſt. 332.

*Lectio iij.*

TUnc plácuit Apóſtolis, & Senióribus cum omni Eccléſia elígere viros ex eis, & míttere Antiochíam cum Paulo & Bárnaba, Judam, qui cognominabátur Bárſabas, & Silam, viros primos in frátribus; ſcribentes per manus eórum: Apóſtoli & ſenióres fratres, his qui ſunt Antiochíæ, & Syriæ, & Cilíciæ, frátribus ex Géntibus, ſalútem. Quóniam audívimus quia quidam ex nobis exeuntes, turbavérunt vos verbis, evertentes ánimas veſtras, quibus non mandávimus: plácuit nobis collectis in unum, elígere viros, & míttere ad vos cum caríſſimis noſtris Bárnaba & Paulo, homínibus qui tradidérunt ánimas ſuas pro nómine Dómini noſtri Jeſu Chriſti. Míſimus ergo Judam & Silam, qui & ipſi vobis verbis réferent éadem. Viſum eſt enim Spíritui ſancto & nobis, nihil ultrà impónere vobis óneris quàm hæc neceſsária: Ut abſtineátis vos ab immolátis ſimulacrórum, & sánguine, & ſuffocáto, & fornicatióne; à quibus cuſtodientes vos, bene agétis. Valéte.

℟. Quem vos. 332.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 4. E. Ite, nuntiáte frátribus meis ut eant in Galilæam: ibi me vidébunt, allelúia. *Matth.* 28.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 6. Paſtor próprias oves vocat nominátim, & edúcit eas, allelúia. *Joan.* 10.

FERIA TERTIA.

AD NOCTURNUM.

*Pſalmi è II. Nocturno Feriæ III.* 47.

De Actibus Apoſtolórum.

*Lectio j.* Cap. 17.

PAulus cùm Athénis Silam & Timótheum expectáret, incitabátur ſpíritus ejus in ipſo, videns idololatríæ déditam civitátem. Diſputábat ígitur in ſynagóga cum Judæis & coléntibus, & in foro, per omnes dies ad eos qui áderant. Quidam autem Epicúrei & Stóici philóſophi diſſerébant cum eo, & quidam dicébant: Quid vult ſeminivérbius hic dícere? Alii verò: Novórum dæmoniórum vidétur annuntiátor eſſe, quia Jeſum & reſurrectiónem annuntiábat eis. Et apprehenſum eum ad Areopágum duxérunt, dicentes: Poſſumus ſcire quæ eſt hæc nova, quæ à te

dícitur, doctrína? nova enim quædam infers áuribus noſtris: vólumus ergo ſcire quidnam velint hæc eſſe. (Athenienſes autem omnes, & ádvenæ hóſpites, ad nihil áliud vacábant, niſi aut dicere aut audíre áliquid novi.)

℟. Virtúte magnâ. 333.

*Lectio ij.*

STans autem Paulus in médio Areopági, ait: Viri Athenienſes, per ómnia quaſi ſuperſtitioſióres vos vídeo. Prætériens enim, & videns ſimulácra veſtra, invéni & aram, in qua ſcriptum erat: Ignóto Deo. Quod ergo ignorántes cólitis, hoc ego annúntio vobis. Deus qui fecit mundum & ómnia quæ in eo ſunt, hic cœli & terræ cùm ſit Dóminus, non in manufactis templis hábitat, nec mánibus humánis cólitur índigens áliquo, cùm ipſe det ómnibus vitam, & inſpiratiónem, & ómnia: fecitque ex uno omne genus hóminum inhabitáre ſuper univerſam fáciem terræ, definiens ſtatúta témpora, & términos habitatiónis eórum, quærere Deum ſi fortè attrectent eum, aut invéniant; quamvìs non longè ſit ab unoquóque noſtrûm. In ipſo enim vívimus, & movémur, & ſumus; ſicut & quidam veſtrórum poetárum dixérunt: Ipſíus enim & genus ſumus.

℟. Certíſſimè ſciat. 333.

*Lectio iij.*

GEnus ergo cùm ſimus Dei, non debémus æſtimáre auro, aut argento, aut lápidi, ſculptúræ artis & cogitatiónis hóminis, Divínum eſſe símile. Et témpora quidem hujus ignorántiæ deſpíciens Deus, nunc annúntiat homínibus ut omnes ubíque pœniténtiam agant, eò quòd ſtatuit diem in quo judicatúrus eſt orbem in æquitáte, in viro in quo ſtatuit, fidem præbens ómnibus, ſúſcitans eum à mórtuis. Cùm audiſſent autem reſurrectiónem mortuórum, quidam quidem irridébant, quidam verò dixérunt: Audiémus te de hoc ìterùm. Sic Paulus exívit de médio eórum. Quidam verò viri adhærentes ei, credidérunt; in quibus & Dionyſius Areopagíta, & múlier nómine Dámatis, & álii cum eis.

℟. Hic eſt lapis. 334.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 8. G. Dedit eum Deus manifeſtum fieri, non omni pópulo, ſed téſtibus præordinátis, allelúia. *Act.* 10.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 2. D. Cùm próprias oves paſtor emíſerit, ante eas vadit; & oves illum ſequuntur, quia ſciunt vocem ejus, allelúia. *Joan.* 10.

## FERIA QUARTA.

### AD NOCTURNUM.

*Pſalmi è II. Nocturno Feriæ IV.* 64.

De Actibus Apoſtolórum.

*Lectio j.* Cap. 20.

AMiléto Paulus mittens Ephéſum, vocávit majóres natu Eccléſiæ. Qui cùm veniſſent ad eum, & ſimul eſſent, dixit eis: Vos ſcitis à prima die quâ ingreſſus ſum in Aſiam, quáliter vobíſcum per omne tempus fúerim, ſérviens Dómino cum omni

humilitáte, & lácrymis, & tentatiónibus quæ mihi accidérunt ex insídiis Judæórum: quómodò nihil subtráxerim utílium, quóminùs annuntiárem vobis, & docérem vos públicè & per domos; testificans Judæis atque Gentílibus in Deum pœniténtiam, & fidem in Dóminum nostrum Jesum Christum. Et nunc ecce alligátus ego spíritu, vado in Jerúsalem, quæ in ea ventúra sint mihi, ignórans; nisi quod Spíritus sanctus per omnes civitátes mihi protestátur, dicens: Quóniam víncula & tribulatiónes Jerosólymis me manent. Sed nihil horum véreor: nec fácio ánimam meam pretiosiórem quàm me, dúmmodò consúmmem cursum meum, & ministérium verbi, quod accépi à Dómino Jesu testificári Evangélium grátiæ Dei.

℟. Quæ ad patres. ℣. 334.

*Léctio ij.*

ET nunc ecce ego scio, quia ámplius non vidébitis fáciem meam vos omnes, per quos transívi prædicans regnum Dei. Quapropter contéstor vos hodiernâ die, quia mundus sum à sánguine ómnium; non enim subterfúgi quóminùs annuntiárem omne consílium Dei vobis. Atténdite vobis, & universo gregi, in quo vos Spíritus sanctus pósuit Episcopos régere Eccléstam Dei, quam acquisívit sánguine suo. Ego scio quóniam intrábunt post discessiónem meam lupi rapáces in vos, non parcentes gregi; & ex vobis ipsis exurgent viri loquentes perversa, ut abdúcant discípulos post se. Propter quod vigiláte, memóriâ retinentes quóniam per triénnium nocte & die non cessávi, cum lácrymis monens unumquemque vestrùm. Et nunc commendo vos Deo, & verbo grátiæ ipsius, qui potens est ædificáre & dare hæreditátem in sanctificátis ómnibus. Argentum & aurum, aut vestem nullíus concupívi, sicut ipsi scitis; quóniam ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt, ministravérunt manus istæ. Omnia ostendi vobis, quóniam sic laborantes oportet suscípere infírmos, ac memínisse verbi Dómini Jesu, quóniam ipse dixit: Beátius est magìs dare quàm accípere.

℟. Deus dedit. ℣. 334.

*Léctio iij.* Cap. 20. & 21.

ET cùm hæc dixísset, pósitis génibus suis, orávit cùm ómnibus illis. Magnus autem fletus factus est ómnium; & procumbentes super collum Pauli, osculabantur eum, dolentes máximè in verbo quod dixerat, quóniam ámplius fáciem ejus non essent visúri. Et deducébant eum ad navem. Cùm autem factum esset ut navigarémus, abstracti ab eis, recto cursu vénimus Coum, & sequenti die Rhodum, & inde Pátaram. Et cùm invenísséemus navem transfretantem in Phœnícen, ascendentes navigávimus. Cùm apparuíssémus autem Cypro, relinquentes eam ad sinístram, navigávimus in Syriam, & vénimus

Tyrum : ibi enim navis expoſitúra erat onus. Inventis autem diſcípulis, mánſimus ibi diébus ſeptem, qui Paulo dicébant per Spíritum ne aſcénderet Jeroſólymam. Et explétis diébus, profecti ibámus, deducéntibus nos ómnibus cum uxóribus & filiis uſque foràs civitátem; & póſitis génibus in líttore, oràvimus. Et cùm valefeciſſémus invicem, aſcéndimus navem; illi autem rediérunt in ſua.

℟. Per Chriſtum vobis remíſſio. ℣. 35.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 1. D. Duóbus ex diſcípulis oſtenſus eſt Jeſus in ália effigie eúntibus in villam: óculi autem eórum tenebantur ne eum agnóſcerent, allel. *Marc.* 16. *Luc.* 24.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 7. *d.* Per Jeſum fidéles eſtis in Deo, qui ſuſcitávit eum à mórtuis, & dedit ei glóriam, allelúia. 1. *Petr.* 1.

## FERIA QUINTA.

### Ad Nocturnum.

*Pſalmi è II. Nocturno Feriæ V.* 79.

De Actibus Apoſtolórum.

*Lectio j.* Cap. 24.

DEſcendit Princeps Sacerdótum, Ananías, cum Senióribus quibuſdam, & Tertullo quodam oratóre, qui adiérunt Præſidem adversùs Paulum. Et citáto Paulo, cœpit accusáre Tertullus, dicens: Cùm in multa pace agámus per te, & multa corrigantur per tuam providéntiam; ſemper & ubíque ſuſcípimus, óptime Felix, cum omni gratiárum actióne. Ne diútiùs autem te prótraham, oro, bréviter áudias nos pro tua cleméntia. Invénimus hunc hóminem peſtíferum & concitantem ſeditiónes ómnibus Judæis in univerſo orbe, & auctórem ſeditiónis ſectæ Nazarenórum: qui étiam templum violáre conátus eſt; quem & apprehenſum volúimus ſecundùm legem noſtram judicáre. Supervéniens autem Tribúnus Lyſias, cum vi magna erípuit eum de mánibus noſtris, jubens accuſatóres ejus ad te veníre, à quo póteris ipſe júdicans de ómnibus iſtis cognóſcere de quibus nos accusámus eum.

℟. Príncipes. ℣. 31.

*Lectio ij.*

REſpondit autem Paulus, (annuente ſibi Præſide dicere:) Ex multis annis te eſſe júdicem genti huic ſciens, bono ánimo pro me ſatisfáciam. Potes enim cognóſcere quia non plùs ſunt mihi dies quàm duódecim, ex quo aſcendi adoráre in Jerúſalem: & neque in templo invenérunt me cum áliquo diſputantem, aut concurſum facientem turbæ, neque in ſynagógis, neque in civitáte: neque probáre poſſunt tibi de quibus nunc me accúſant. Confíteor autem hoc tibi, quòd ſecundùm ſectam quam dicunt hæreſim, ſic deſérvio Patri & Deo meo, credens ómnibus quæ in lege & Prophétis ſcripta ſunt; ſpem habens in Deum, quam & hi ipſi expectant, reſurrectiónem futúram juſtórum & iniquórum. In hoc & ipſe ſtúdeo ſine offendículo conſciéntiam habére ad Deum & ad hómines

ſemper. Poſt annos autem plures, eleemóſynas factúrus in gentem meam veni, & oblatiónes & vota; in quibus invenérunt me purificátum in templo, non cum turba, neque cum tumultu. Quidam autem ex Aſia Judæi, quos oportébat apud te præſtò eſſe, & accusáre ſi quid habérent adversùm me, aut hi ipſi dicant ſi quid invenérunt in me iniquitátis, cùm ſtem in concílio, niſi de una hac ſolúmmodò voce, quâ clamávi inter eos ſtans: Quóniam de reſurrectióne mortuórum ego júdicor hódie à vobis.

℟. Viſus eſt Jeſus per dies multos. 332.

*Lectio iij.*

DIſtulit autem illos Felix, certiſſimè ſciens de via hac, dicens: Cùm Tribúnus Lyſias deſcénderit, áudiam vos. Juſſítque Centurióni cuſtodíre eum, & habére réquiem, nec quemquam de ſuis prohibére miniſtráre ei. Poſt áliquot autem dies véniens Felix cum Druſilla uxóre ſua quæ erat Judæa, vocávit Paulum, & audívit ab eo fidem quæ eſt in Chriſtum Jeſum. Diſputante autem illo de juſtítia & caſtitáte, & de judício futúro, tremefactus Felix reſpondit: Quod nunc áttinet, vade; témpore autem opportúno accerſam te. Simul & ſperans quòd pecúnia ei darétur à Paulo; propter quod & frequenter accerſens eum, loquebátur cum eo. Biénnio autem expléto, accépit ſucceſsórem Felix Pórtium Feſtum. Volens autem grátiam præſtáre Judæis Felix, relíquit Paulum victum.

℟. Quem vos. 332.

*Ad* Benedictus, *Ant.* 3. a. Dum Jeſus recúmberet cum illis, accépit panem, & benedixit, ac fregit; & porrigébat illis, allelúia. *Luc.* 24.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 1. g. Cùm apparúerit Princeps paſtórum, percipiétis immarceſcíbilem glóriæ corónam, allelúia. 1. *Petr.* 5.

## FERIA SEXTA.

### Ad Nocturnum.

*Pſalmi è II. Nocturno Feriæ VI.* 94.

De Actibus Apoſtolórum.

*Lectio j.* Cap. 25.

FEſtus deſcendit Cæſaréam, & álterâ die ſedit pro tribunáli, & juſſit Paulum addúci. Qui cùm perductus eſſet, circumſtetérunt eum, qui ab Jeroſólyma deſcénderant Judæi, multas & graves cauſas objicientes, quas non póterant probáre, Paulo ratiónem reddente: Quóniam neque in legem Judæórum, neque in templum, neque in Cæſarem quidquam peccávi. Feſtus autem volens grátiam præſtáre Judæis, reſpondens Paulo, dixit: Vis Jeroſólymam aſcéndere, & ibi de his judicári apud me? Dixit autem Paulus: Ad tribúnal Cæſaris ſto, ibi me oportet judicári: Judæis non nócui, ſicut tu méliùs noſti. Si enim nócui, aut dignum morte áliquid feci, non recúſo mori: ſi verò nihil eſt eórum quæ hi accúſant me, nemo poteſt me illis donáre. Cæſarem appello. Tunc Feſtus cum concílio

locútus reſpondit : Cæſarem appellaſti, ad Cæſarem ibis.

℟. Virtúte magnâ. 333.

*Lectio ij.* Cap. 27.

INvéniens Centúrio Lyſtræ navem Alexandrínam navigántem in Itáliam, tranſpóſuit nos in eam. Et cùm multis diébus tardè navigarémus, & vix deveniſſémus contra Gnidum, prohibente nos vento, adnavigávimus Cretæ juxta Salmónem : & vix juxta navigántes, vénimus in locum quemdam qui vocátur Boniportus, cui juxta erat cívitas Thalaſſa. Multo autem témpore peracto, & cùm jam non eſſet tuta navigátio, eò quòd & jejúnium jam præteriiſſet, conſolabátur eos Paulus, dicens eis : Vìri, vídeo quóniam cum injúria & multo damno non ſolùm óneris & navis, ſed étiam animárum noſtrárum, íncipit eſſe navigátio. Centúrio autem gubernatóri & naucléro magis credébat, quàm his quæ à Paulo dicebantur. Et cùm aptus portus non eſſet ad hiemandum, plúrimi ſtatuérunt consílium navigáre inde, ſi quo modo poſſent, devenientes Phœnícen, hiemáre.

℟. Certíſſimè. 333.

*Lectio iij.*

VAlidâ autem nobis tempeſtáte jactátis, ſequenti die jactum fecérunt ; & tértiâ die ſuis mánibus armamenta navis projecérunt. Neque autem ſole, neque ſidéribus apparéntibus per plures dies, & tempeſtáte non exíguâ imminente, jam abláta erat ſpes omnis ſalútis noſtræ. Et cùm multa jejunátio fuiſſet, tunc ſtans Paulus in médio eórum, dixit : Oportébat quidem, ó viri, audíto me, non tóllere à Creta, lucríque fácere injúriam hanc & jactúram. Et nunc ſuádeo vobis bono ánimo eſſe: amíſſio enim nullíus ánimæ erit ex vobis, præter quam navis. Aſtitit enim mihi hâc nocte Angelus Dei, cujus ſum ego, & cui deſérvio, dicens : Ne tímeas, Paule, Cæſari te oportet aſsíſtere ; & ecce donávit tibi Deus omnes qui návigant tecum. Propter quod bono ánimo eſtóte, viri : credo enim Deo, quia ſic erit, quemádmodùm dictum eſt mihi. In ínſulam autem quamdam oportet nos devenire.

℟. Hic eſt lapis. 334.

*Ad* Benedictus. *Ant. 6.* Cognovérunt Dóminum in fractióne panis, allelúia. *Luc. 24.*

AD VESPERAS.

*A Capitulo de Beata in Sabbato ( niſi occurrat Feſtum Duplex ) cum Commemoratione de Cruce.*

SABBATO

AD NOCTURNUM.

*Pſalmi è II. Nocturno Sabbati.* 109.

De Actibus Apoſtolórum.

*Lectio j.* Cap. 28.

CUm veniſſémus Romam, permiſſum eſt Paulo manére ſibimet cum cuſtodiente ſe mílite. Poſt tértium autem diem convocávit primos Judæórum ; cùmque conveniſſent, dicébat eis : Ego, viri fratres, nihil adversùs plebem fáciens aut morem paternum, vinctus ab Jeroſólymis tráditus

ſum in manus Romanórum: qui, cùm interrogatiónem de me habuiſſent, voluérunt me dimittere, eò quòd nulla eſſet cauſa mortis in me. Contradicéntibus autem Judæis, coactus ſum appellâre Cæſarem, non quaſi gentem meam habens áliquid accusáre. Propter hanc ígitur cauſam rogávi vos vidére, & álloqui; propter ſpem enim Iſraël caténâ hâc circúmdatus ſum.

*Lectio ij.*

CUm conſtituiſſent autem illi diem, venérunt ad eum in hoſpítium plúrimi, quibus exponébat teſtíficans regnum Dei, ſuadenſque eis de Jeſu ex lege Móyſi & Prophétis à mane uſque ad véſperam. Et quidam credébant his quæ dicebantur; quidam verò non credébant. Cùmque ínvicem non eſſent conſentientes, diſcedébant, dicente Paulo unum verbum: Quia bene Spíritus ſanctus locútus eſt per Iſaíam Prophétam ad patres noſtros, dicens: Vade ad pópulum iſtum, & dic ad eos: Aure audiétis, & non intelligétis; & vidéntes vidébitis, & non perſpiciétis. Incraſsátum eſt enim cor pópuli hujus, & áuribus gráviter audiérunt; & óculos ſuos compreſſérunt, ne fortè vídeant óculis, & áuribus áudiant, & corde intélligant, & convertantur, & ſanem eos. Notum ergo ſit vobis quóniam Géntibus miſſum eſt hoc ſalutáre Dei, & ipſi áudient. Et cùm hæc dixiſſet, exiérunt ab eo Judæi, multam habentes inter ſe quæſtiónem. Manſit autem biénnio toto in ſuo conducto; & ſuſcipiébat omnes qui ingrediebantur ad eum, prædicans regnum Dei, & docens quæ ſunt de Dómino Jeſu-Chriſto, cum omni fidúcia, ſine prohibitióne.

## DOMINICA III. poſt Paſcha.

*IN VESPERIS Sabbati, Pſalmi de Sabbato, ſub ſola Ant.* 4. a. Deus & Dóminum ſuſcitávit; & nos ſuſcitábit per virtútem ſuam, allelúia. 1. *Cor.* 6.

*Capitulum.* Exod. 19.

SI audiéritis vocem meam, & cuſtodiéritis pactum meum, éritis mihi in pecúlium de cunctis pópulis; mea eſt enim omnis terra: & vos éritis mihi in regnum ſacerdotále, & gens ſancta.

*Hymnus.* Forti. 325.

℣. Redemptiónem miſit Dóminus pópulo ſuo: ℟. Mandávit in æternum teſtamentum ſuum. *Pſ.* 110.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 3. a. Occíſus es, Dómine, & redemíſti nos Deo in ſánguine tuo, ex omni tribu, & linguâ, & pópulo, & natióne; & feciſti nos Deo noſtro regnum & ſacerdótes, allelúia. *Apoc.* 5.

*Oratio, ut infrà ad Laudes.*

*COMPLET. ut in Pſalterio.* 132. *ſine Precibus.*

## AD NOCTURNUM.

*Invit.* Auctórem vitæ quem Deus ſuſcitávit à mórtuis, * Veníte, adorémus, allelúia. *Act.* 3.

*Pſ.* 94. Veníte. 2.

*Hymnus.* Adeſte. *ut ſuprà.* 327.

*Tres Psalmi è III. Nocturno Dominicæ, ut in Psalterio, 6. Antiphonæ & ℣. ut in Domin. II.* 333.

℣. Cor meum & caro mea ℟. Exultavérunt in Deum vivum. *Ps.* 83.

Incipit liber Apocalypsis beáti Joannis Apóstoli.

*Lectio j.* Cap. 1.

APocalypsis Jesu Christi quam dedit illi Deus palàm fácere servis suis quæ oportet fieri citò; & significávit, mittens per Angelum suum servo suo Joanni, qui testimónium perhibuit verbo Dei, & testimónium Jesu Christi, quæcumque vidit. Beátus qui legit & audit verba prophetiæ hujus, & servat ea quæ in ea scripta sunt; tempus enim propè est. Joannes septem Ecclésiis quæ sunt in Asia: Grátia vobis & pax ab eo qui est, & qui erat, & qui ventúrus est; & à septem spirítibus qui in conspéctu throni ejus sunt; & à Jesu Christo, qui est testis fidélis, primogénitus mortuórum, & princeps regum terræ; qui dilexit nos, & lavit nos à peccátis nostris in sánguine suo, & fecit nos regnum & sacerdótes Deo & Patri suo: ipsi glória & impérium in sécula seculórum: amen. Ecce venit cum núbibus; & vidébit eum omnis óculus, & qui eum pupugérunt: & plangent se super eum omnes tribus terræ: Etiam, amen. Ego sum Alpha & Oméga, princípium & finis, dicit Dóminus Deus, qui est, & qui erat, & qui ventúrus est, Omnípotens.

℟. Grátia vobis & pax à Jesu Christo, * Qui est testis fidélis, primogénitus mortuórum, & princeps regum terræ, allelúia, allelúia. ℣. Ejus regnum, regnum sempitérnum est: & omnes reges sérvient & obédient ei, * Qui. *Apoc.* 1. *Dan.* 7.

Ex libro sancti Ambrósii Episcopi.

*De fide Res. lib.* 2. *n.* 90. *&* 91.

*Lectio ij.*

QUóniam Deus mori non póterat, mori non póterat Sapiéntia: resúrgere autem non póterat quod mórtuum non erat; assúmitur caro, quæ mori posset; ut dum móritur quod solet, quod mórtuum fúerat hoc resúrgeret. Neque enim póterat esse nisi per hóminem resurréctio. Ergo resurrexit homo, quóniam homo mórtuus est: resuscitátus homo, sed resúscitans Deus. Tunc secundùm carnem homo, nunc per ómnia Deus. Nunc enim secundùm carnem jam non nóvimus Christum, sed carnis grátiam tenémus; ut ipsum primítias quiescéntium, ipsum primogénitum ex mórtuis novérimus. Itaque sicut primítiæ mortis in Adam, ita étiam primítiæ resurrectiónis in Christo. Omnes resúrgunt, sed nemo despéret, neque justus dóleat commúne consórtium resúrgendi, cùm præcípuum fructum virtútis expectet. Omnes quidem resúrgent; sed unusquísque, ut ait Apóstolus, in suo órdine. Commúnis est divínæ fructus cleméntiæ, sed distínctus ordo meritórum.

℟. Beátus & ſanctus qui habet partem in reſurrectióne prima : * In his ſecunda mors non habet poteſtátem ; ſed erunt ſacerdótes Dei & Chriſti, & regnábunt cum illo, allelúia, allelúia. ℣. Vivent mórtui tui, Sion ; interfecti mei reſurgent : expergiſcímini & laudáte, qui habitátis in púlvere. * In his. *Apoc.* 20. *Iſ.* 26.

Léctio ſancti Evangélii ſecundum Joannem.

*Lectio iij.* Cap. 16.

IN illo témpore ; Dixit Jeſus diſcípulis ſuis : Módicum, & jam non vidébitis me : & íterum módicum, & vidébitis me ; quia vado ad Patrem. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

*In Joan. Tract.* 101. *n.* 6.

MOdicum eſt hoc totum ſpátium, quo præſens pérvolat ſéculum. Unde dicit idem ipſe Evangeliſta in epíſtola ſua : Noviſſima hora eſt. Illis ergo ait, Módicum, & jam non vidébitis me, qui eum corporáliter tunc vidébant : quia itúrus erat ad Patrem, & eum deinceps mortálem viſúri non erant, qualem cùm iſta loquerétur vidébant. Quod verò áddidit, Et íterum módicum, & vidébitis me, univerſæ promíſit Eccléſiæ, ſicut univerſæ promíſit, Ecce ego vobíſcum ſum uſque in conſummatiónem ſéculi. Non tardat Dóminus promíſſum : módicum, & vidébimus eum, ubi jam nihil rogémus, nihil interrogémus ; quia nihil deſiderandum remanébit, nihil quærendum latébit. Hoc módicum longum nobis vidétur, quóniam adhuc ágitur : cùm finítum fúerit, tunc ſentiémus quàm módicum fúerit.

℟. Módicum, & jam non vidébitis me : & íterum módicum, & vidébitis me ; * Quia vado ad Patrem, allelúia, allelúia. ℣. Ego conſolábor vos, & conſolabímini : vidébitis, & gaudébit cor veſtrum ; * Quia. Glória Patri. * Quia. *Joan.* 16. *Iſ.* 66.

Te Deum.

AD LAUDES.

*Antiph. ut in Pſalterio.*

*Capitulum.* Rom. 8.

SCimus quòd omnis creatúra ingemíſcit, & párturit uſque adhuc. Non ſolùm autem illa, ſed & nos ipſi primítias Spíritûs habentes, & ipſi intrà nos gémimus, adoptiónem filiórum Dei expectantes, redemptiónem córporis noſtri : ſpe enim ſalvi facti ſumus.

*Hymnus.* Auróra. *ut ſuprà.* 322.

℣. Ad véſperum demorábitur fletus, ℟. Et ad matutínum lætítia. *Pſ.* 29.

*Ad* Benedictus. *Antiph.* 6. Amen, amen, dico vobis quia plorábitis & flébitis vos ; mundus autem gaudébit : vos autem contriſtabímini, ſed triſtítia veſtra vertétur in gáudium, allelúia. *Joan.* 16.

*Oratio.*

DEus, qui in Fílii tui humilitáte jacéntem mundum erexiſti : fidélibus tuis perpétuam concéde lætítiam, ut quos perpétuæ mortis eripuiſti cásibus, gáudiis fácias

sempiternis pérfrui; Per Dóminum.

*AD HORAS, Antiph. ut in Feriis Temp. Paschalis.* 324.

AD VESPERAS.

*Antiph. ut in Dominica in Albis.* 324.

*Capitulum.* 1. Petr. 4.

CÁrissimi, nolíte peregrinári in fervóre qui ad tentatiónem vobis fit, quasi novi áliquid vobis contingat; sed communicantes Christi passiónibus, gaudéte, ut & in revelatióne glóriæ ejus gaudeátis exultantes.

*Hymnus.* Forti. 325.

℣. Lætári sumus pro diébus quibus non humiliásti, ℟. Annis quibus vídimus mala. *Ps.* 89.

*Ad* Magníficat. *Antiph. 6.* Nunc quidem tristítiam habétis: iterum autem vidébo vos, & gaudébit cor vestrum; & gáudium vestrum nemo tollet à vobis, allelúia. *Joan. 16.*

*Oratio, ut suprà ad Laudes.*

*COMPLET. ut in Psalterio.* 26.

FERIA SECUNDA.

AD NOCTURNUM.

*Psalmi è III. Nocturno Fer. II.* 32.

De libro Apocalypsis beáti Joannis Apóstoli.

*Lectio j.* Cap. 1.

EGo Joannes frater vester, & párticeps in tribulatióne, & regno & patiéntiâ in Christo Jesu, fui in ínsula quæ appellátur Patmos, propter verbum Dei, & testimónium Jesu. Fui in spíritu in Domínica die, & audívi post me vocem magnam tanquam tubæ, dicentis: Quod vides, scribe in libro; & mitte septem Eccléstiis quæ sunt in Asia, Epheso, & Smyrnæ, & Pérgamo, & Thyátiræ, & Sardis, & Philadelphiæ, & Laodiciæ. Et conversus sum ut vidérem vocem quæ loquebátur mecum; & conversus, vidi septem candelábra áurea, & in médio septem candelabrórum aureórum similem Fílio hóminis, vestitum pódere, & præcinctum ad mamillas zonâ áureâ. Caput autem ejus & capilli erant cándidi tanquam lana alba & tanquam nix, & óculi ejus tanquam flamma ignis, & pedes ejus símiles aurichalco sicut in camino ardenti, & vox illíus tanquam vox aquárum multárum: & habébat in déxtera sua stellas septem; & de ore ejus gládius utráque parte acútus exibat: & fácies ejus sicut sol lucet in virtúte sua.

℟. Jesus Christus dilexit nos, & lavit nos à peccátis nostris in sánguine suo, allelúia: * Ipsi glória & impérium in sécula seculórum: Amen, allelúia, allelúia. ℣. Sanctus vocábitur omnis qui scriptus est in vita in Jerúsalem, si ablúerit Dóminus sordes filiárum Sion. * Ipsi. *Apoc.* 1. *Is.* 4.

*Lectio ij.*

ET cùm vidíssem eum, cécidi ad pedes ejus tanquam mórtuus; & pósuit déxteram suam super me, dicens: Noli timére, ego sum primus & novíssimus: & vivus, &

fui mórtuus ; & ecce sum vivens in sécula seculórum, & hábeo claves mortis & inferni. Scribe ergo quæ vidísti, & quæ sunt, & quæ oportet fieri post hæc. Sacramentum septem stellárum quas vidísti in déxtera mea, & septem candelábra áurea : Septem stellæ, Angeli sunt septem Ecclesiárum ; & candelábra septem, septem Ecclésiæ sunt.

℟. Ecce vicit leo de tribu Juda, radix David. * Dignus est Agnus qui occísus est, accípere virtútem, & divinitátem, & glóriam, allelúia, allelúia. ℣. Ipse est Deus vivens in sécula : ipse liberátor, atque salvátor. * Dignus est Agnus. *Apoc.* 5. *Dan.* 6.

*Lectio iij.* Cap. 2.

ANgelo Ephesi Ecclésiæ scribe : Hæc dicit qui tenet septem stellas in déxtera sua, qui ámbulat in médio septem candelabrórum aureórum : Scio ópera tua, & labórem, & patiéntiam tuam, & quia non potes sustinére malos ; & tentásti eos qui se dicunt Apóstolos esse, & non sunt, & inveníti eos mendáces ; & patiéntiam habes, & sustinuísti propter nomen meum, & non defecísti. Sed hábeo adversùm te, quòd caritátem tuam primam reliquísti. Memor esto ítaque unde excíderis, & age pœniténtiam ; & prima ópera fac. Sin autem, vénio tibi ; & movébo candelábrum tuum de loco suo, nisi pœniténtiam égeris. Sed hoc habes, quia odísti facta Nicolaïtárum, quæ & ego odi. Qui habet aurem, áudiat quid Spíritus dicat Ecclésiis : Vincenti dabo édere de ligno vitæ, quod est in Paradíso Dei mei.

℟. In cápite ejus diadémata multa, habens nomen scriptum quod nemo novit, nisi ipse ; * Et † Habet in vestimento & in fémore suo scriptum : Rex regum, & Dóminus dominántium, allelúia, allel. ℣. Magnificéntia tua, Deus, in diadémate cápitis illius sculpta erat ; * Et habet in vestimento. Glória. † Habet. *Apoc.* 19. *Sap.* 18.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 1. D. Manducávimus & bíbimus cum illo, postquàm resurrexit à mórtuis, allelúia. *Act.* 10.

*Ad* Magnificat. *Ant.* 4. E. Adhuc módicum, & mundus me jam non videt ; vos autem vidétis me, quia ego vivo, & vos vivétis, allelúia. *Joan.* 14.

FERIA TERTIA.

AD NOCTURNUM.

*Psalmi è III. Nocturno Fer. III.* 48.

De libro Apocalypsis beáti Joannis Apóstoli.

*Lectio j.* Cap. 2.

ET Angelo Smyrnæ Ecclésiæ scribe : Hæc dicit primus & novíssimus, qui fuit mórtuus, & vivit : Scio tribulatiónem tuam, & paupertátem tuam ; sed dives es, & blaspheméris ab his qui se dicunt Judæos esse, & non sunt ; sed sunt synagóga sátanæ. Nihil horum tímeas quæ passúrus es. Ecce missúrus est diábolus áliquos ex vobis in cárcerem, ut tentémini ; & habébitis tribulatiónem diébus

decem. Eſto fidélis uſque ad mortem, & dabo tibi corónam vitæ. Qui habet aurem, áudiat quid Spíritus dicat Eccléſiis: Qui vícerit, non lædétur à morte ſecunda.

℟. Cantábant cánticum Agni, dicentes: Magna & mirabília ſunt ópera tua, Dómine Deus omnípotens: * Juſtæ & veræ ſunt viæ tuæ, Rex ſeculórum, allelúia, allelúia. ℣. Quis símilis tuî in fórtibus, Dómine? quis símilis tuî? magníficus in ſanctitáte, fáciens mirabília: * Juſtæ. *Apoc.* 15. *Exod.* 15.

*Lectio ij.*

ET Angelo Pérgami Eccléſiæ ſcribe: Hæc dicit qui habet romphæam utrâque parte acútam: Scio ubi hábitas, ubi ſedes eſt sátanæ: & tenes nomen meum, & non negaſti fidem meam. Et in diébus illis Antípas teſtis meus fidélis, qui occíſus eſt apud vos, ubi sátanas hábitat. Sed hábeo adversùs te pauca; quia habes illìc tenentes doctrínam Bálaam, qui docébat Balac míttere ſcándalum coram fíliis Iſraël, édere, & fornicári: ita habes & tu tenentes doctrínam Nicolaïtárum. Similiter pœniténtiam age: ſi quóminùs véniam tibi citò, & pugnábo cum illis in gládio oris mei. Qui habet aurem, áudiat quid Spíritus dicat Eccléſiis: Vincenti dabo manna abſcónditum, & dabo illi cálculum cándidum; & in cálculo nomen novum ſcriptum, quod nemo ſcit, niſi qui áccipit.

℟. Audívi vocem dicéntium: * Allelúia. Gaudeámus & exultémus, quia venérunt núptiæ Agni, allelúia, allelúia. ℣. Dóminus regnávit, lætáta eſt Sion, & exultavérunt fíliæ Judæ: * Allelúia. Gaudeámus. *Apoc.* 19. *Pſ.* 96.

*Lectio iij.*

ET Angelo Thyatíræ Eccléſiæ ſcribe: Hæc dicit Fílius Dei, qui habet óculos tanquam flammam ignis, & pedes ejus símiles aurichalco: Novi ópera tua, & fidem, & caritátem tuam, & miniſtérium, & patiéntiam tuam, & ópera tua noviſſima plura prióribus. Sed hábeo adversùs te pauca, quia permíttis mulíerem Jézabel, quæ ſe dicit Prophéten, docére, & ſedúcere ſervos meos, fornicári, & manducáre de idolóthytis. Et dedi illi tempus ut pœniténtiam ágeret, & non vult pœnitére à fornicatióne ſua. Ecce mittam eam in lectum; & qui mœchantur cum ea, in tribulatióne máxima erunt, niſi pœniténtiam ab opéribus ſuis égerint. Et fílios ejus interfíciam in morte: & ſcient omnes Eccléſiæ quia ego ſum ſcrutans renes & corda, & dabo unicuíque veſtrûm ſecundùm ópera ſua.

℟. Vidi ſanctam civitátem Jerúſalem, deſcendentem de cœlo à Deo, ſicut ſponſam; & audívi vocem dicentem: Ecce tabernáculum Dei cum homínibus, & habitábit cum eis: * Et † Ipſe Deus cum eis erit eórum Deus, allelúia, allelúia. ℣. Ergo-ne credíbile eſt, ut hábitet Deus cum homínibus ſuper terram? * Et ipſe Deus. Glória Patri. † Ipſe

Deus cum eis erit. *Apoc.* 21. 2. *Paral.* 6.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 8. c. Apériuit illis sensum, ut intelligerent Scriptúras, allelúia. *Luc.* 24.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 7. G. In illo die vos cognoscétis quia ego sum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis, allelúia. *Joan.* 14.

## FERIA QUARTA.

### Ad Nocturnum.

*Psalmi è III. Nocturno Fer. IV.* 65.

De libro Apocalypsis beáti Joannis Apóstoli.

*Lectio ij.* *Cap.* 3.

ET Angelo Ecclésiæ Sardis scribe: Hæc dicit qui habet septem spíritus Dei, & septem stellas: Scio ópera tua, quia nomen habes quòd vivas, & mórtuus es. Esto vígilans, & confirma cétera quæ moritúra erant; non enim invénio ópera tua plena coram Deo meo. In mente ergo habe quáliter acceperis & audieris, & serva, & pœniténtiam age. Si ergo non vigiláveris, véniam ad te tanquam fur, & néscies quâ horâ véniam ad te. Sed habes pauca nómina in Sardis, qui non inquinavérunt vestimenta sua: & ambulábunt mecum in albis, quia digni sunt. Qui vícerit, sic vestiétur vestimentis albis; & non delébo nomen ejus de libro vitæ, & confitébor nomen ejus coram Patre meo, & coram Angelis ejus. Qui habet aurem, áudiat quid Spíritus dicat in Ecclésiis.

℟. Omnem creatúram, quæ in cœlo est, & super terram, & sub terra, & quæ sunt in mari, omnes audívi dicentes: * Sedenti in throno, & Agno, benedíctio, & honor, & glória, & potestas in sécula seculórum, allelúia, allelúia. ℣. Dicant qui redempti sunt à Dómino, quos redémit de manu inimíci: * Sedenti in throno, & Agno. *Apoc.* 5. *Ps.* 106.

*Lectio ij.*

ET Angelo Philadelphíæ Ecclésiæ scribe: Hæc dicit Sanctus & Verus, qui habet clavem David; qui áperit, & nemo claudit; claudit, & nemo áperit: Scio ópera tua. Ecce dedi coram te óstium apertum, quod nemo potest cláudere; quia módicam habes virtútem, & servásti verbum meum, & non negásti nomen meum. Ecce dabo de synagóga sátanæ, qui dicunt se Judæos esse, & non sunt, sed mentiuntur: ecce fáciam illos ut véniant, & adórent ante pedes tuos; & scient quia ego dilexi te. Quóniam servásti verbum patiéntiæ meæ, & ego servábo te ab hora tentatiónis quæ ventúra est in orbem universum tentáre habitantes in terra. Ecce vénio citò: tene quod habes, ut nemo accípiat corónam tuam. Qui vícerit, fáciam illum columnam in templo Dei mei: & foràs non egrediétur ámplius: & scribam super eum nomen Dei mei, & nomen civitátis Dei mei, novæ Jerúsalem, quæ descendit de cœlo à Deo meo, & nomen meum novum. Qui habet

rem, áudiat quid Spíritus dicat Eccléſiis.

℟. Ego ſum inítium & finis; ego ſitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis: * Qui vícerit, ero illi Deus, & ille erit mihi fílius, allelúia, allelúia. ℣. Ego dixi: Patrem vocábis me, & poſt me íngredi non ceſsábis. * Qui vícerit. *Apoc.* 21. *Jerem.* 3.

*Lectio iij.*

ET Angelo Laodicíæ Eccléſiæ ſcribe: Hæc dicit, Amen, teſtis fidélis, & verus, qui eſt princípium creatúræ Dei: Scio ópera tua; quia neque frigidus es, neque cálidus. Utinam frígidus eſſes, aut cálidus! ſed quia tépidus es, & nec frigidus, nec cálidus, incípiam te evómere ex ore meo. Quia dicis: Quòd dives ſum, & locupletátus, & nullíus égeo; & neſcis quia tu es miſer, & miſerábilis, & pauper, & cæcus, & nudus. Suádeo tibi émere à me aurum ignítum probátum, ut lócuples fias, & veſtimentis albis induáris, & non appáreat confúſio nuditátis tuæ; & collyrio inunge óculos tuos ut vídeas. Ego quos amo, árguo & caſtígo. Æmuláre ergo, & pœniténtiam age; ecce ſto ad óſtium, & pulſo. Si quis audíerit vocem meam, & aperúerit mihi jánuam, intrábo ad illum, & cœnábo cum illo, & ipſe mecum. Qui vícerit, dabo ei ſedére mecum in throno meo: ſicut & ego vici, & ſedi cum Patre meo in throno ejus. Qui habet aurem, áudiat quid Spíritus dicat Eccléſiis.

℟. Ego ſum radix & genus David, ſtella ſpléndida & matutína: * Et ſpíritus & ſponſa dicunt, Veni; & qui audit, dicat, Veni: † Amen, veni, Dómine Jeſu, allelúia, allelúia. ℣. Omnes ſitientes, veníte ad aquas: inclináte aurem veſtram, & veníte ad me. * Et ſpíritus & ſponſa dicunt. Glória Patri. † Amen, veni. *Apoc.* 22. *Iſ.* 55.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 1. g. Inſufflávit Jeſus in diſcípulos ſuos, & dixit eis: Accípite Spíritum ſanctum; quorum remiſéritis peccáta, remittúntur eis, allelúia. *Joan.* 20.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 2. D. Deus omnis grátiæ, qui vocávit nos in æternam ſuam glóriam in Chriſto Jeſu, módicum paſſos ipſe perficiet, allelúia. 1. *Petr.* 5.

## FERIA QUINTA.

### AD NOCTURNUM.

*Pſalmi è III. Nocturno Fer. V.* 80.

De libro Apocalypſis beáti Joannis Apoſtoli.

*Lectio j.* Cap. 4.

FUi in ſpíritu: & ecce ſedes póſita erat in cœlo, & ſupra ſedem ſedens. Et qui ſedébat, ſimilis erat aſpéctui lápidis jáſpidis & ſárdinis: & iris erat in circúitu ſedis, ſimilis viſióni ſmaragdínæ. Et in circúitu ſedis ſedília viginti quátuor, & ſuper thronos viginti quátuor ſenióres ſedentes, circumamicti veſtimentis albis, & in capítibus eórum corónæ áureæ. Et de throno procedébant fúlgura, & voces, & tonítrua: & ſeptem lámpades ardentes an-

te thronum, qui ſunt ſeptem ſpíritus Dei. Et in conſpectu ſedis tanquam mare vítreum, símile cryſtallo: & in médio ſedis, & in circúitu ſedis, quátuor animália plena óculis antè & retrò. Et ánimal primum símile leóni, & ſecundum ánimal símile vítulo, & tértium ánimal habens fáciem quaſi hóminis, & quartum ánimal símile áquilæ volanti. Et quátuor animália, síngula eórum habébant alas ſenas; & in circúitu & intùs plena ſunt óculis; & réquiem non habébant, die ac nocte dicéntia: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus omnípotens, qui erat, & qui eſt, & qui ventúrus eſt.

℟. Jeſus Chriſtus. 346.

*Lectio ij.* Cap. 5.

ET vidi in déxtera ſedéntis ſupra thronum librum ſcriptum intùs & foris, ſignátum ſigillis ſeptem. Et vidi Angelum fortem, prædicántem voce magnâ: Quis eſt dignus aperíre librum, & sólvere ſignácula ejus? Et nemo póterat, neque in cœlo, neque in terra, neque ſubtus terram, aperíre librum, neque reſpícere illum. Et ego flebam multùm, quóniam nemo dignus inventus eſt aperíre librum, nec vidére eum. Et unus de ſenióribus dixit mihi: Ne fléveris; ecce vícit leo de tribu Juda, radix David, aperíre librum, & sólvere ſeptem ſignácula ejus. Et vidi, & ecce in médio throni & quátuor animálium, & in médio ſenióram, Agnum ſtantem tanquam occíſum, habentem córnua ſeptem & óculos ſeptem, qui ſunt ſeptem ſpíritus Dei miſſi in omnem terram. Et venit, & accépit de déxtera ſedentis in throno librum. Et cùm aperuiſſet librum, quátuor animália, & viginti quátuor ſenióres cecidérunt coram Agno, habentes ſinguli cítharas, & phíalas áureas plenas odoramentórum, quæ ſunt oratiónes Sanctórum; & cantábant cánticum novum, dicentes: Dignus es, Dómine, accípere librum, & aperíre ſignácula ejus; quóniam occíſus es, & redemiſti nos Deo in ſánguine tuo ex omni tribu, & linguâ, & pópulo, & natióne; & feciſti nos Deo noſtro regnum, & ſacerdótes; & regnábimus ſuper terram.

℟. Ecce vicit. 347.

*Lectio iij.* Cap. 15. & 16.

ET vidi áliud ſignum in cœlo magnum & mirábile: Angelos ſeptem habentes plagas ſeptem noviſſimas, quóniam in illis conſummáta eſt ira Dei. Et vidi tanquam mare vítreum miſtum igne, & eos qui vicérunt béſtiam, & imáginem ejus, & númerum nóminis ejus; ſtantes ſuper mare vítreum, habentes cítharas Dei, & cantantes cánticum Móyſi ſervi Dei, & cánticum Agni, dicentes: Magna & mirabília ſunt ópera tua, Dómine Deus omnípotens; juſtæ & veræ ſunt, viæ tuæ, Rex ſeculórum. Quis non timébit te, Dómine, & magnificábit nomen tuum? quia ſolus pius es; quóniam omnes gentes vénient, & adorábunt in conſpectu tuo, quó-

niam judícia tua manifesta sunt. Et post hæc vidi, & ecce apertum est templum tabernáculi testimónii in cœlo, & exiérunt septem Angeli habentes septem plagas, de templo, vestíti lino mundo, & cándido, & præcincti circa péctora zonis áureis. Et unum de quátuor animálibus dedit septem Angelis septem phiálas áureas, plenas iracúndiæ Dei viventis in sécula seculórum. Et implétum est templum fumo a majestáte Dei, & de virtúte ejus; & nemo póterat introíre in templum, donec consummarentur septem plagæ septem Angelórum. Et audívi vocem magnam de templo dicentem septem Angelis: Ite, & effúndite septem phiálas iræ Dei in terram.

℟. In cápite. 347.

*Ad* Benedíctus. *Ant.* 2. D. Præbuit seipsum vivum Dóminus Jesus post passiónem suam in multis argumentis, allelúia. *Act.* 1.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 5. C. In Christo exultábitis, módicum nunc si oportet contristári in váriis tentatiónibus, reportantes finem fidei vestræ, salútem animárum, allelúia. 1. *Petr.* 1.

## FERIA SEXTA.

### Ad Nocturnum.

*Psalmi è III. Nocturno Fer. VI.* 92.

De libro Apocalypsis beáti Joannis Apostoli.

*Lectio j.* Cap. 18.

ET post hæc vidi álium Angelum descendentem de cœlo, habentem potestátem magnam; & terra illumináta est à glória ejus. Et exclamávit in fortitúdine, dicens: Cécidit, cécidit Bábylon magna; & facta est habitátio dæmoniórum, & custódia omnis spíritus immundi, & custódia omnis vólucris immundæ & odíbilis; quia de vino iræ fornicatiónis ejus bibérunt omnes gentes, & reges terræ cum illa fornicáti sunt, & mercatóres terræ de virtúte deliciárum ejus dívites facti sunt. Et audívi áliam vocem de cœlo, dicentem: Exíte de illa, pópulus meus, ut ne partícipes sítis delictórum ejus, & de plagis ejus non accipiátis. Quóniam pervenérunt peccáta ejus usque ad cœlum, & recordátus est Dóminus iniquitátum ejus. Réddite illi sicut & ipsa réddidit vobis, & duplicáte duplícia secundum ópera ejus: in póculo quo miscuit, miscéte illi duplum. Quantum glorificávit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum; quia in corde suo dicit: Sédeo regina, & vidua non sum; & luctum non vidébo. Ideo in una die vénient plagæ ejus, mors, & luctus, & fames, & igne comburétur; quia fortis est Deus qui judicábit illam.

℟. Cantábant. 348.

*Lectio ij.* Cap. 19.

POst hæc audívi quasi vocem turbárum multárum in cœlo dicéntium: Allelúia: Salus, & glória, & virtus Deo nostro est; quia vera & justa judícia sunt ejus qui judicávit de meretríce magna, quæ corrúpit terram in prostitutione

ſtitutióne ſua; & vindicávit sánguinem ſervórum de mánibus ejus. Et íterum dixérunt: Allelúia. Et fumus ejus aſcendit in ſécula ſeculórum. Et cecidérunt ſenióres viginti quátuor, & quátuor animália, & adoravérunt Deum ſedéntem ſuper thronum, dicéntes: Amen, Allelúia. Et vox de throno exívit, dicens: Laudem dícite Deo noſtro, omnes ſervi ejus, & qui timétis eum, puſilli, & magni. Et audívi quaſi vocem turbæ magnæ, & ſicut vocem aquárum multárum, & ſicut vocem tonitruórum magnórum, dicéntium: Allelúia; quóniam regnávit Dóminus Deus noſter omnípotens.

℟. Audívi vocem dicéntium. 348.

*Lectio iij.*

ET vidi cœlum apertum, & ecce equus albus; & qui ſedébat ſuper eum, vocábatur Fidélis & Verax, & cum juſtítia júdicat & pugnat. Oculi autem ejus ſicut flamma ignis; & in cápite ejus diadémata multa, habens nomen ſcriptum, quod nemo novit niſi ipſe. Et veſtítus erat veſte aſpersâ sánguine: & vocátur nomen ejus, Verbum Dei. Et exércitus qui ſunt in cœlo, ſequebantur eum in equis albis, veſtíti byſſino albo & mundo. Et de ore ejus procédit gládius ex utráque parte acútus, ut in ipſo percútiat gentes: & ipſe reget eas in virga férrea; & ipſe calcat torcúlar vini furóris iræ Dei omnipotentis. Et habet in veſtimento & in fémore ſuo ſcriptum: Rex regum, & Dóminus dominántium.

℣. Vidi. 348.

*Ad* Benedictus. *Ant. 6.* In hoc Chriſtus mórtuus eſt, & reſurrexit, ut & mortuórum & vivórum dominétur, allelúia. *Rom.* 14.

AD VESPERAS.

*A Capitulo de Beata Maria in Sabbato (niſi occurrat Feſtum Semiduplex) cum Commem. de Cruce.*

SABBATO.

AD NOCTURNUM.

*Pſalmi è III. Nocturno Sabbati.* III.

De libro Apocalypſis beáti Joannis Apóſtoli.

*Lectio j.* Cap. 22.

ET oſtendit mihi flúvium aquæ vitæ, ſplendidum tanquam cryſtallum, procedentem de ſede Dei & Agni. In médio plateæ ejus, & ex utráque parte flúminis lignum vitæ, áfferens fructus duódecim, per menſes ſíngulos reddens fructum ſuum; & fólia ligni ad ſanitátem géntium. Et omne maledictum non erit ámpliùs; ſed ſedes Dei & Agni in illa erunt, & ſervi ejus sérvient illi. Et vidébunt fáciem ejus: & nomen ejus in fróntibus eórum. Et nox ultrà non erit: & non egébunt lúmine lucernæ, neque lúmine ſolis; quóniam Dóminus Deus illumináhit illos, & regnábunt in ſécula ſeculórum. Et dixit mihi: Hæc verba fideliſſima ſunt, & vera. Et Dóminus Deus ſpirítuum Prophetárum miſit Angelum ſuũ oſténdere ſervis ſuis quæ oportet fieri citò. Et ecce vénio

velóciter. Beátus qui cuſtódit verba prophetíæ libri hujus.

*Lectio ij.*

ECce vénio citò: & merces mea mecum eſt, réddere unicuíque ſecundùm ópera ſua. Ego ſum Alpha & Oméga, primus & noviſſimus, princípium & finis. Beáti qui lavant ſtolas ſuas in ſánguine Agni, ut ſit poteſtas eórum in ligno vitæ, & per portas intrent in civitátem. Foris canes, & venéfici, & impudíci, & homicídæ, & idólis ſervientes, & omnis qui amat & facit mendácium. Ego Jeſus miſi Angelum meum teſtificári vobis hæc in Eccléſiis. Ego ſum radix & genus David, ſtella ſpléndida, & matutína. Et ſpíritus & ſponſa dicunt: Veni. Et qui audit, dicat: Veni. Et qui ſitit, véniat; & qui vult, accípiat aquam vitæ gratis. Conteſtor enim omni audienti verba prophetíæ libri hujus: Si quis apposúerit ad hæc, appónet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto. Et ſi quis diminúerit de verbis libri prophetíæ hujus, áuferet Deus patrem ejus de libro vitæ, & de civitáte ſancta, & de his quæ ſcripta ſunt in libro iſto. Dicit qui teſtimónium pérhibet iſtórum: Etiam vénio citò: Amen. Veni, Dómine Jeſu. Grátia Dómini noſtri Jeſu Chriſti cum ómnibus vobis. Amen. Tu autem.

## DOMINICA IV. poſt Paſcha.

*IN VESPERIS Sabbati, Pſalmi de Feria, ſub ſola Ant.* 4. d. Deus & Dóminum ſuſcitávit, & nos ſuſcitábit per virtútem ſuam, allelúia. 1. *Cor.* 6.

*Capitulum.* Act. 10.

NOs teſtes ſumus ómnium quæ fecit in regióne Judæórum & Jeruſalem, quem occidérunt ſuſpendentes in ligno: hunc Deus ſuſcitávit tértiâ die.

*Hymnus.* Forti. 325.

℣. Confitébimur tibi, Deus: ℟. Narrábimus mirabília tua. *Pſ.* 74.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 7. G. Reſurrexit Chriſtus, & viſus eſt Cephæ, & poſt hoc Undecim: deinde viſus eſt pluſquàm quingentis frátribus ſimul; deinde viſus eſt Jácobo, deinde Apóſtolis ómnibus, allelúia. 1. *Cor.* 15.

*Oratio, ut infrà ad Laudes.*

*COMPLET. ut ſuprà.* 326.

## AD NOCTURNUM.

*Invit* Auctórem vitæ quem Deus ſuſcitávit à mórtuis, *Veníte, adorémus, allelúia. *Act.* 3.

*Pſ.* 94. Veníte. 2.

*Hymnus.* Adeſte. 322.

*Tres Pſalmi è I. Nocturno Dominicæ, ut in Pſalterio,* 2. *Antiphona & ℣. ut in Dominica II.* 333.

Incipit Epíſtola Cathólica beáti Jacóbi Apóſtoli.

*Lectio j.* Cap. 1.

JAcóbus, Dei & Dómini noſtri Jeſu Chriſti ſervus, duódecim tríbubus, quæ ſunt in diſperſióne, ſalútem. Omne gáudium exiſtimáte, fratres mei, cùm in tentatiónes várias incidéritis, ſcientes quòd probátio fídei veſtræ patiéntiam operátur. Patién-

tia autem opus perfectum habet; ut ſitis perfecti & íntegri, in nullo deficientes. Si quis autem veſtrûm índiget ſapiéntiâ, póſtulet à Deo, qui dat ómnibus affluenter, & non impróperat; & dábitur ei. Póſtulet autem in fide, nihil hæſitans: qui enim hæſitat, símilis eſt flúctui maris, qui à vento movétur & circumfertur. Non ergo æſtimet homo ille quòd accípiat áliquid à Dómino. Vir duplex ánimo inconſtans eſt in ómnibus viis ſuis. Gloriétur autem frater húmilis in exaltatióne ſua; dives autem in humilitáte ſua, quóniam ſicut flos fœni transíbit. Exortus eſt enim ſol cum ardóre, & arefécit fœnum, & flos ejus décidit, & decor vultûs ejus depériit; ita & dives in itinéribus ſuis marceſcet.

℟. Dóminus in humilitáte noſtra memor fuit noſtrî: * Et redémit nos ab inimícis noſtris; quóniam in æternum miſericórdia ejus, allelúia, allelúia. ℣. Finem Dómini vidiſtis, quóniam miséricors Dóminus eſt, & miſerátor; * Et redémit. *Pſ.* 135. *Jac.* 5.

Sermo ſancti Auguſtini Epiſcopi.

*Tom. V. Serm.* 242. *in diebus Paſchæ*, 13. *C.* 1.

*Lectio ij.*

DIébus his ſanctis reſurrectióni Dómini dedicátis, quantum, donante ipſo, póſſumus, de carnis reſurrectióne tractémus. Hæc enim fides eſt noſtra: hoc donum in Dómini noſtri Jeſu Chriſti nobis carne promiſſum eſt, & in ipſo præceſſit exemplum. Vóluit enim nobis quod promíſit in fine, non ſolùm prænuntiáre, ſed étiam demonſtráre. Contra iſtam evidéntiam diſputant hómines. Quid enim áliud fácerent hómines, qui ea quæ ſunt hóminum ſápiunt, quàm diſputárent de Deo contra Deum? Ille enim Deus eſt, illi hómines ſunt. In hómine carnáli tota régula intelligendi eſt conſuetúdo cernendi. Quod ſolent vidére, credunt; quod non ſolent, non credunt. Præter conſuetúdinem facit Deus mirácula, quia Deus eſt. Majóra quidem mirácula ſunt, tot quotídie hómines naſci qui non erant, quàm paucos reſurrexiſſe qui erant; & tamen iſta mirácula non conſideratióne comprehenſa ſunt, ſed aſſiduitáte viluérunt. Reſurrexit Chriſtus: abſolúta res eſt. Corpus erat, caro erat, pependit in cruce, emiſit ánimam; póſita eſt caro in ſepulcro: exhíbuit illam vivam, qui vivébat in illa. Quare mirámur? Quare non crédimus? Deus eſt qui fecit. Conſídera auctórem, & tolle dubitatiónem.

℟. Benedictus Dóminus die quotidie, Deus ſalutárium noſtrórum: * Deus noſter, Deus ſalvos faciendi; & Dómini Dómini éxitus mortis, allelúia, allelúia. ℣. Salvatórem expectámus Dóminum Jeſum, qui reformábit corpus humilitátis noſtræ, configurátum córpori claritátis ſuæ. * Deus noſter, Deus ſalvos faciendi; & Dómini Dómini éxitus mortis. *Pſ.* 67. *Philipp.* 3.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

*Lectio iij.* Cap. 16.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Vado ad eum qui misit me ; & nemo ex vobis intérrogat me, Quò vadis ? Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

*In Joan. Tract. 94. n. 4.*

VIdébat útique Dóminus Jesus quid illa sua verba in córdibus discípulórum ágerent. Spiritálem quippe nondum intériùs habentes consolatiónem, quam per Spíritum sanctum fúerant habitúri, id quod extérius in Christo vidébant amíttere metuébant. Et quia se amissúros esse illum vera denuntiantem dubitáre non póterant, contristabátur humánus affectus, quia carnális desolabátur aspectus. Nóverat autem ille quid eis pótiùs expedíret : quia visus intérior ipse est útique mélior, quo eos consolatúrus fúerat Spíritus sanctus ; non cernéntium corpóribus ingestúrus corpus humánum, sed seipsum credéntium pectóribus infusúrus. Adjungit : Sed ego veritátem dico vobis ; éxpedit vobis ut ego vadam. Si enim non abíero, Paraclétus non véniet ad vos ; si autem abíero, mittam eum ad vos. Tanquam díceret : Expedit vobis ut hæc forma servi auferátur à vobis : caro quidem factum Verbum hábito in vobis ; sed nolo me carnáliter adhuc diligátis, & ísto lacte contenti semper infantes esse cupiátis. Expedit vobis ut ego vadam. Si enim non abíero, Paraclétus non véniet ad vos. Si alimenta ténera quibus vos álui, non subtráxero, sólidum cibum non esuriétis ; si carni carnáliter hæséritis, capáces Spíritûs non éritis.

℟. Ego veritátem dico vobis : mittam Paraclétum ad vos ; & * Cùm vénerit ille, † Arguet mundum de peccáto, & de justítia, & de judício, allelúia, allel. ℣. Qui lóquitur iníqua, non potest latére Spíritum Dómini, nec prætériet illum corrípiens judícium : * Cùm. Glória Patri. † Arguet. *Joan. 16. Sap. 1.*

Te Deum.

AD LAUDES.

*Psalmi & Antiphonæ, ut in Psalterio. 9.*

*Capitulum.* 2. Cor. 5.

SI cognóvimus secundùm carnem Christum, sed nunc jam non nóvimus. Si qua ergo in Christo nova creatúra, vétera transiérunt : ecce facta sunt ómnia nova.

*Hymnus.* Auróra. 322.

℣. Salvum fecit Dóminus Christum suum : ℟. Exáudiet illum de cœlo sancto suo. *Ps. 19.*

*Ad* Benedictus. *Ant.* 3. a. Nunc vado ad eum qui misit me, allelúia, allel. *Joan. 16.*

*Oratio.*

DEus, qui fidélium mentes unius éfficis voluntátis : da pópulis tuis id amáre quod præcípis, id desideráre quod promittis ; ut inter mundánas varietátes, ibi nostra fixa sint corda, ubi vera sunt gáudia ; Per Dóminum.

*AD HORAS, ut in Psalt.*

*Ant. Capit.* ℟.℟.℟. *ut suprà in Feriis Temporis Paschalis*, 328.

AD VESPERAS.

*Psalmi ut in Psalterio. Antiphonæ ut in Vesperis Dominicæ in Albis* 321.

*Capitulum.* Rom. 8.

QUi in carne sunt, Deo placére non possunt. Vos autem in carne non estis, sed in spíritu; si tamen Spíritus Dei hábitat in vobis. Si quis autem Spíritum Christi non habet, hic non est ejus.

*Hymnus.* Forti. 325.

℣. Memor esto verbi tui, Dómine, ℟. In quo mihi spem dedisti. *Ps.* 118.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 8. G. Expedit vobis ut ego vadam: si enim non abíero, Paracléтus non véniet ad vos: si autem abíero, mittam eum ad vos, allelúia. *Joan.* 16.

*Oratio, ut suprà ad Laudes.*

COMPLET. *ut in Psalterio.* 26.

FERIA SECUNDA.

AD NOCTURNUM.

*Psalmi è I. Nocturno Feriæ* II. 29.

De Epístola Cathólica beáti Jacóbi Apóstoli.

*Lectio j.* Cap. 1.

OMne datum óptimum, & omne donum perfectum, desursum est, descendens à Patre lúminum, apud quem non est transmutátio, nec vicissitúdinis obumbrátio. Voluntáriè enim génuit nos verbo veritátis; ut simus initium áliquod creatúræ ejus. Scitis, fratres mei dilectíssimi. Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram; ira enim viri justítiam Dei non operátur. Propter quod abjicientes omnem immundítiam, & abundántiam malítiæ, in mansuetúdine súscipite ínsitum verbum, quod potest salváre ánimas vestras.

℟. Consurge, Dómine, Deus, in réquiem tuam, tu & arca fortitúdinis tuæ, allelúia: * Dómine Deus, ne avérteris fáciem Christi tui, allelúia, allelúia. ℣. Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te: * Dómine Deus. 2. *Paral.* 6. *Joan.* 17.

*Lectio ij.*

ESTóte autem factóres verbi, & non auditóres tantum, fallentes vosmetipsos. Quia si quis auditor est verbi, & non factor, hic comparábitur viro consideranti vultum nativitátis suæ in spéculo; consideravit enim se, & ábiit, & statim oblítus est qualis fúerit. Qui autem perspéxerit in legem perfectam libertátis, & permánserit in ea, non auditor obliviósus factus, sed factor óperis; hic beátus in facto suo erit. Si quis autem putat se religiósum esse, non refrænans linguam suam, sed sedúcens cor suum; hujus vana est religio. Religio munda & immaculáta apud Deum & Patrem, hæc est: Visitáre pupillos & víduas in tribulatióne eórum, & immaculátum se custodíre ab hoc sæculo.

℟. Super cœlos, Deus, & super omnem terram glória tua, allelúia; * Ut liberentur

dilecti tui, allelúia, allelúia. ℣. Ego te clarificávi ſuper terram: manifeſtávi nomen tuũ homínibus; * Ut liberentur dilecti tui, allelúia, allelúia. *Pſ.* 107. *Joan.* 17.

*Lectio iij.* Cap. 2.

FRatres mei, nolíte in perſonárum acceptióne habére fidem Dómini noſtri Jeſu Chriſti glóriæ. Etenim ſi introíerit in conventum veſtrum vir áureum ánnulum habens, in veſte cándida, introíerit autem & pauper in sórdido hábitu, & intendátis in eum qui indútus eſt veſte præclárâ, & dixéritis ei: Tu ſede hîc bene; páuperi autem dicátis: Tu ſta illîc, aut ſede ſub ſcabello pedum meórum; nonne judicátis apud voſmetipſos, & facti eſtis júdices cogitatiónum iniquárum? Audite, fratres mei dilectíſſimi. Nonne Deus elégit páuperes in hoc mundo, dívites in fide, & hærédes regni quod repromíſit Deus diligéntibus ſe? Vos autem exhonoraſtis páuperem. Nonne dívites per poténtiam ópprimunt vos, & ipſi trahunt vos ad judícia? Nonne ipſi blaſphémant bonum nomen quod invocátum eſt ſuper vos?

℟. Dómine, qui ſperant in te, in æternum exultábunt, allelúia: * Et habitábis in eis, & † Gloriabuntur in te, allelúia, allelúia. ℣. Ego claritátem quam dediſti mihi, dedi eis, ut ſint unum ſicut & nos; ego in eis, & tu in me: * Et habitábis. Glória Patri. † Gloriabuntur. *Pſ.* 5. *Joan.* 17.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 7. d. Regenerávit nos Deus in ſpem vivam per reſurrectiónem Jeſu Chriſti ex mórtuis, in hæreditátem incorruptíbilem, allelúia. 1. *Petr.* 1.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 3. a. Adhuc multa hábeo vobis dícere; ſed non poteſtis portáre modò: cùm autem vénerit ille Spíritus veritátis, docébit vos omnem veritátem, allelúia. *Joan.* 16.

## FERIA TERTIA.

### Ad Nocturnum.

*Pſalmi è I. Nocturno Feriæ V.* 46.

De Epíſtola Cathólica beáti Jacóbi Apóſtoli.

*Lectio j.* Cap. 2.

SI legem perficitis regálem ſecundùm Scriptúras: Díliges próximum tuum ſicut teipſum; bene fácitis. Si autem persónas accípitis, peccátum operámini, redarguti à lege quaſi tranſgreſſóres. Quicumque autem totam legem ſerváverit, offendat autem in uno, factus eſt ómnium reus. Qui enim dixit: Non mœcháberis, dixit &: Non occídes. Quòd ſi non mœcháberis, occídes autem, factus es tranſgreſſor legis. Sic loquímini, & ſic fácite, ſicut per legem libertátis incipientes judicári. Judícium enim ſine miſericórdia illi qui non fecit miſericórdiam; ſuperexaltat autem miſericórdia judícium.

℟. Cantáte Dómino, omnis terra: annuntiáte ex die in diem ſalutáre ejus: * Narráte in géntibus glóriam ejus, allelúia, allelúia. ℣. Nunc clarificátus eſt Fílius hóminis, & Deus clarificátus eſt in

eo : * Narráte. 1. *Paral.* 16. *Joan.* 13.

*Lectio ij.*

QUid próderit , fratres mei , ſi fidem quis dicat ſe habére , ópera autem non hábeat ? Numquid póterit fides ſalváre eum ? Si autem frater & ſoror nudi ſint , & indígeant victu quotidiáno , dicat autem áliquis ex vobis illis : Ite in pace , calefacímini , & ſaturámini ; non dedéritis autem eis quæ neceſsária ſunt córpori , quid próderit ? Sic & fides , ſi non hábeat ópera , mórtua eſt in ſemetipſa. Sed dicet quis : Tu fidem habes , & ego ópera hábeo : oſtende mihi fidem tuam ſine opéribus , & ego oſtendam tibi ex opéribus fidem meam. Tu credis quóniam unus eſt Deus ? Bene facis : & dæmones credunt , & contremíſcunt.

℟. Salvum fecit Dóminus Chriſtum ſuum , allelúia : * Exáudiet illum de cœlo ſancto ſuo , allelúia : in potentátibus ſalus déxteræ ejus , allelúia , allelúia. ℣. Deus clarificábit eum in ſemetipſo , & contínuò clarificábit : * Exáudiet. *Pſ.* 19. *Joan.* 13.

*Lectio iij.*

VIs autem ſcire , ô homo inánis , quóniam fides ſine opéribus mórtua eſt ? Abraham pater noſter nonne ex opéribus juſtificátus eſt , ófferens Iſaac filium ſuum ſuper altáre ? Vides quóniam fides cooperabátur opéribus illíus ; & ex opéribus fides conſummáta eſt ? Et ſuppléta eſt Scriptúra , dicens : Crédidit Abraham Deo , & reputátum eſt illi ad juſtítiam , & amícus Dei appellátus eſt. Vidétis quóniam ex opéribus juſtificátur homo , & non ex fide tantùm ? Similiter & Rahab méretrix , nonne ex opéribus juſtificáta eſt , ſuſcipiens núntios , & áliâ viâ ejíciens ? Sicut enim corpus ſine ſpíritu mórtuum eſt , ita & fides ſine opéribus mórtua eſt.

℟. Magna eſt glória ejus in ſalutári tuo : glóriam & magnum decórem impónes ſuper eum ; * Quóniam dabis eum , Dómine , in benedictiónem in ſéculum ſéculi , allelúia , allelúia. ℣. Dómino noſtro & Salvatóri Jeſu Chriſto glória , & nunc , & in diem ætérnitátis : Amen ; * Quóniam. Glória Patri. * Quóniam. *Pſ.* 20. 2. *Petr.* 3.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 4. E. Si commórtui ſumus Chriſto , & convivémus : ſi ſuſtinébimus , & conregnábimus , allelúia. 2. *Timoth.* 2.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 8. G. Non loquétur à ſemetipſo , ſed quæcumque áudiet loquétur , & quæ ventúra ſunt annuntiábit vobis , allelúia. *Joan.* 62.

## FERIA QUARTA.

AD NOCTURNUM.

*Pſalmi è I. Nocturn. Fer. IV.* 29.

De Epíſtola Cathólica beáti Jacóbi Apóſtoli.

*Lectio j.* Cap. 3.

NOlíte plures magiſtri fieri , fratres mei ; ſcientes quóniam majus judícium súmitis. In multis enim offéndimus omnes. Si quis in verbo non offendit ,

hic perfectus est vir : potest étiam fræno circumdúcere totum corpus. Si autem equis fræna in ora míttimus ad consentiendum nobis, & omne corpus illórũ circumférimus : ecce & naves, cùm magnæ sint, & à ventis válidis minentur, circumferuntur à módico gubernáculo ubi ímpetus dirigentis volúerit ; ita & lingua módicum quidem membrum est, & magna exaltat.

℟. Consurge, Dómine, Deus. 357.

*Lectio ij.*

ECce quantus ignis quàm magnam sylvam incendit! Et lingua ignis est, univérsitas iniquitátis. Lingua constitúitur in membris nostris, quæ máculat totum corpus, & inflammat rotam nativitátis nostræ, inflammáta à gehenna. Omnis enim natúra bestiárum, & vólucrum, & serpéntium, & ceterórum domantur, & dómita sunt à natúra humána ; linguam autem nullus hóminum domáre potest : inquiétum malum, plena veléno mortífero. In ipsa benedícimus Deum & Patrem ; & in ipsa maledícimus hómines qui ad símilitúdinem Dei facti sunt. Ex ipso ore procédit benedíctio, & maledíctio. Non oportet, fratres mei, hæc ita fieri. Numquid fons de eódem fórámine emánat dulcem & amáram aquam ? Numquid potest, fratres mei, ficus uvas fácere, aut vitis ficus ? Sic neque salsa dulcem potest fácere aquam.

℟. Super cœlos, Deus. 357.

*Lectio iij.*

QUis sápiens & disciplinátus inter vos ? Ostendat ex bona conversatióne operatiónem suam in mansuetúdine sapiéntiæ. Quòd si zelum amárum habétis, & contentiónes sint in córdibus vestris, nolite gloriári, & mendáces esse adversùs veritátem : non est enim ista sapiéntia desursùm descendens, sed terréna, animális, diabólica. Ubi enim zelus & conténtio, ibi inconstántia & omne opus pravum. Quæ autem desursùm est sapiéntia, primùm quidem púdica est, deinde pacífica, modésta, suadíbilis, bonis conséntiens, plena misericórdiâ & frúctibus bonis, non júdicans, sine simulatióne. Fructus autem justítiæ in pace seminátur, faciéntibus pacem.

℟. Dómine. 358.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 1. g. Qui suscitávit Jesum Christum à mórtuis, vivificábit & mortália córpora vestra, propter inhabitantem Spíritum ejus in vobis, allel. *Rom.* 8.

*Ad* Magnificat. *Ant.* 1. f. Ille me clarificábit ; quia de meo accípiet, & annuntiábit vobis, alleluia. *Joan.* 16.

## FERIA QUINTA.

### Ad Nocturnum.

*Psalmi è I. Nocturno Fer. V.* 78.

De Epístola Cathólica beáti Jacóbi Apóstoli.

*Lectio j.* Cap. 4.

UNde bella & lites in vobis ? Nonne hinc ? ex concupiscéntiis vestris quæ mílitant in membris vestris ? Concupíscitis, & non

habétis: occíditis, & zelátis, & non poteſtis adipiſci: litigátis, & belligerátis; & non habétis, propter quod non poſtulátis. Pétitis, & non accípitis; eò quòd malè petátis, ut in concupiſcéntiis veſtris inſumátis. Adúlteri, neſcítis quia amicítia hujus mundi inimíca eſt Dei? Quicumque ergo volúerit amícus eſſe ſéculi hujus, inimícus Dei conſtitúitur.

℟. Cantáte Dómino. 358.

*Lectio ij.*

AN putátis quia inániter Scriptúra dicat: Ad invídiam concupiſcit ſpíritus qui hábitat in vobis? Majórem autem dat grátiam. Propter quod dicit: Deus ſuperbis reſiſtit, humílibus autem dat grátiam. Súbditi ergo eſtóte Deo: reſíſtite autem diábolo, & fúgiet à vobis. Appropinquáte Deo, & appropinquábit vobis. Emundáte manus, peccatóres; & purificáte corda, dúplices ánimo. Míſeri eſtóte, & lugéte, & ploráte. Riſus veſter in luctum convertátur, & gáudium in mœrórem. Humiliámini in conſpéctu Dómini, & exaltábit vos.

℟. Salvum fecit. 359.

*Lectio iij.*

NOlíte detrahere altérutrum, fratres. Qui detrahit fratri, aut qui júdicat fratrem ſuum, détrahit legi, & júdicat legem. Si autem júdicas legem, non es factor legis, ſed judex. Unus eſt legiſlátor & judex, qui poteſt pérdere & liberáre. Tu autem quis es, qui júdicas próximum? Ecce nunc qui dicitis; Hódie, aut cráſtino íbimus in illam civitátem, & faciémus ibi quidem annum, & mercábimur, & lucrum faciémus, qui ignorátis quid erit in cráſtino. Quæ eſt enim vita veſtra? Vapor eſt ad módicum parens, & deinceps exterminábitur. Pro eo ut dicátis: Si Dóminus volúerit; &: Si vixérimus, faciémus hoc, aut illud. Nunc autem exultátis in ſuperbis veſtris. Omnis exultátio talis maligna eſt. Scienti ígitur bonum fácere, & non facienti, peccátum eſt illi.

℟. Magna eſt. 359.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 1. g. Baptizabímini Spíritu ſancto non poſt multos hos dies, allelúia. *Act.* 1.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 3. c. Omnia quæcumque habet Pater, mea ſunt: propterèa dixi quia de meo accípiet, allelúia. *Joan.* 16.

## FERIA SEXTA.

### Ad Nocturnum.

*Pſalmi è I. Noct. Feriæ VI.* 92.

De Epíſtola Cathólica beáti Jacóbi Apóſtoli.

*Lectio j.* Cap. 5.

AGite nunc, dívites: ploráte, ululántes in miſériis veſtris quæ advénient vobis. Divítiæ veſtræ putrefactæ ſunt, & veſtimenta veſtra à tíneis comeſta ſunt. Aurum & argentum veſtrum æruginávit, & ærúgo eórum in teſtimónium vobis erit, & manducábit carnes veſtras ſicut ignis. Theſaurizaſtis vobis iram in novíſſimis diébus. Ecce merces operariórum qui meſſuérunt regiónes veſtras,

quæ fraudáta eſt à vobis, clamat; & clamor eórum in aures Dómini Sábaoth introívit. Epuláti eſtis ſuper terram, & in luxúriis enutriſtis corda veſtra in die occiſiónis. Addixiſtis & occidiſtis juſtum, & non réſtitit vobis.

℟. Conſurge, Dómine, Deus. 357.

*Lectio ij.*

PAtientes ígitur eſtóte, fratres, uſque ad adventum Dómini. Ecce agrícola expectat pretiósum fructum terræ, patienter ferens, donec accípiat temporáneum & ſerótinum. Patientes ígitur eſtóte & vos, & confirmáte corda veſtra, quóniam adventus Dómini appropinquávit.

℟. Super cœlos, Deus. 357.

*Lectio iij.*

NOlíte ingemíſcere, fratres, in altérutrum; ut non judicémini. Ecce judex ante jánuam aſſíſtit. Exemplum accípite, fratres, éxitûs mali, labóris & patiéntiæ, Prophétas qui locúti ſunt in nómine Dómini. Ecce beatificámus eos qui ſuſtinuérunt. Sufferéntiam Job audiſtis, & finem Dómini vidiſtis, quóniam miſéricors Dóminus eſt, & miſerátor.

℟. Dómine, qui ſperant in te. 358.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 8. G. Sedéte in civitáte, quoadúſque induámini virtúte ex alto, allelúia. *Luc.* 24.

AD VESPERAS.

*A Capitulo de Beata, (niſi occurrat Feſtum Semiduplex) cum Commem. de Cruce.*

SABBATO.

AD NOCTURNUM.

*Pſalmi è I. Nocturno Sabbati.* 108.

De Epíſtola Cathólica beáti Jacóbi Apóſtoli.

*Lectio j.* Cap. 5.

ANte ómnia, fratres mei, nolíte juráre, neque per cœlum, neque per terram, neque áliud quodcumque juramentum. Sit autem ſermo veſter: Eſt, eſt: Non, non; ut non ſub judício decidátis. Triſtátur áliquis veſtrûm? Oret. Æquo ánimo eſt? Pſallat. Infirmátur quis in vobis? Indúcat preſbyteros Eccléſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum óleo in nómine Dómini: & orátio fidei ſalvábit infírmum, & alleviábit eum Dóminus; & ſi in peccátis ſit, remittentur ei.

*Lectio ij.*

COnfitémini ergo altérutrum peccáta veſtra, & oráte pro ínvicem, ut ſalvémini: multùm enim valet deprecátio juſti aſsídua. Elías homo erat símilis nobis, paſsíbilis: & oratióne orávit ut non plúeret ſuper terram, & non pluit annos tres & menſes ſex. Et rursùm orávit; & cœlum dedit plúviam, & terra dedit fructum ſuum. Fratres mei, ſi quis ex vobis erráverit à veritáte, & convérterit quis eum, ſcire debet quóniam qui converti fécerit peccatórem ab erróre viæ ſuæ, ſalvábit ánimam ejus à morte, & opériet multitúdinem peccatórum.

## DOMINICA V. post Paſcha.

*IN VESPERIS Sabbati, Pſalmi de Sabbato, ſub ſola Ant.* 4. a. Deus & Dóminum ſuſcitávit; & nos ſuſcitábit per virtútem ſuam, allelúia. 1. *Cor.* 6.

*Capitulum.* Act. 17

PAulus differébat Judæis de Scriptúris, adapériens & insínuans quia Chriſtum opórtuit pati, & resúrgere à mórtuis; & quia hic eſt Jeſus Chriſtus.

*Hymnus* Forti. *ſuprà.* 325.

℣. Non móriar, ſed vivam, ℟. Et narrábo ópera Dómini. *Pſ.* 117.

*Ad* Magníficat. *Antiph.* 6. David appóſitus eſt ad patres ſuos, & vidit corruptiónem: quem verò Deus ſuſcitávit à mórtuis, non vidit corruptiónem, allelúia. *Act.* 13.

*Oratio, ut infrà ad Laudes.*

*COMPLET. ut in Pſalterio.* 124.

## AD NOCTURNUM.

*Invit.* Auctórem vitæ quem Deus ſuſcitávit à mórtuis, *Veníte, adorémus, all. *Act.* 3.

*Pſ.* Veníte. 2.

*Hymnus.* Adeſte. *ſuprà.* 322.

*Tres Pſalmi è II. Nocturno Dominicæ, ut in Pſalterio,* 4. *Antiphonæ & ℣. ut in Dominica II.* 333.

Incipit Epiſtola prima beáti Petri Apóſtoli.

*Lectio j.* Cap. 1.

PEtrus Apóſtolus Jeſu Chriſti, electis ádvenis diſperſiónis Ponti, Galátiæ, Cappadóciæ, Aſiæ, & Bithyniæ, ſecundùm præſciéntiam Dei Patris, in ſanctificatiónem Spíritûs, in obediéntiam, & aſperſiónem ſánguinis Jeſu Chriſti: Grátia vobis, & pax multiplicétur. Benedictus Deus & Pater Dómini noſtri Jeſu Chriſti, qui ſecundùm miſericórdiam ſuâ magnam regenerávit nos in ſpem vivam, per reſurrectiónem Jeſu Chriſti ex mórtuis, in hæreditátem incorruptíbilem, & incontamináta, & immarceſsíbilem, conſervátam in cœlis in vobis, qui in virtúte Dei cuſtodímini per fidem in ſalútem, parátam revelári in témpore novíſſimo. In quo exultábitis, módicùm nunc ſi oportet contriſtári in váriis tentatiónibus; ut probátio veſtræ fidei multò pretiòſior auro (quod per ignem probátur) inveniátur in laudem, & glóriam, & honórem, in revelatióne Jeſu Chriſti; quem, cùm non vidéritis, diligitis; in quem nunc quoque non videntes créditis: credentes autem exultábitis lætítiâ inenarrábili & glorificátâ, reportantes finem fidei veſtræ, ſalútem animárum. De qua ſalúte exquiſiérunt atque ſcrutáti ſunt Prophétæ, qui de futúra in vobis grátia prophetavérunt: ſcrutantes in quod vel quale tempus ſignificáret in eis Spíritus Chriſti; prænúntians eas quæ in Chriſto ſunt paſſiónes & poſterióres glórias: quibus revelátum eſt, quia non ſibimetipſis, vobis autem miniſtrábant ea, quæ nunc nuntiáta ſunt vobis per eos qui evangelizavérunt vobis, Spíritu ſancto miſſo

de cœlo, in quem desíderant Angeli prospícere.

℟. Bonus Dóminus: in séculum misericórdia ejus, allelúia. * Dicant qui redempti sunt à Dómino, allelúia, allelúia. ℣. Non corruptibílibus, auro vel argento, redempti estis, sed pretióso sánguine Agni immaculáti Christi: * Dicant. *Ps.* 106. 1. *Petr.* 1.

Sermo sancti Cæsárii Arelatensis Episcopi.

*Homil.* 37. *de Litan.*

*Léctio ij.*

ECce, fratres dilectíssimi, dies sancti & spirituáles advéniunt. In istis tribus diébus, quos regulàriter in toto mundo célebrat Eccléfia, nullus se à sancto conventu subdúcat; quia per totum annum nobis peccatórum vúlnera subrépunt. In istis tribus diébus fidéliter ad Eccléfiam currámus, & contrito corde, vel humiliáto córpore, Dei misericórdiam deprecémur; ut ómnium peccatórum nostrórum vúlnera, isto triduáno compunctiónis medicamento, ad sanitátem prístinam revocémus. Conviviola nobis étiam quadragesimáli órdine præparémus, & magis, legendo, & psallendo, vel orando, animábus nostris spirituáles épulas, quàm corporáles delícias requirámus. Audíte ergo me, fratres, rogantem: audíte paternâ pietáte admonentem, ut vobis Deus, & in hoc século sanitátem córporum, ubertátem frúctuum, & peccatórum indulgéntiam tríbuat, & in futúro ad ætérna præmia felíciter pervenire concédat.

℟. Spíritus ádjuvat infirmitátem nostram: nam quid orémus, sicut oportet, nescímus; sed * Ipse Spíritus póstulat pro nobis gemitibus inenarrabílibus, allelúia, allelúia. ℣. In die illa, dicit Dóminus, effundam super domum David, & super habitatóres Jerúsalem, Spíritum grátiæ & precum: * Ipse. *Rom.* 8. *Zach.* 12.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

*Lectio iij.* Cap. 16.

IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Amen, amen dico vobis; si quid petiéritis Patrem in nómine meo, dabit vobis. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Episcopi.

*In Joan. Tract.* 102. *n.* 1. & 2.

JAm dictum est in superióribus hujus Domínici sermónis pártibus propter eos qui nonnulla petunt à Patre in Christi nómine, nec accípiunt, non peti in nómine Salvatóris quidquid pétitur contra ratiónem salútis. Non enim sonum litterárum ac syllabárum, sed quod sonus ipse significat, & quod eo sono rectè ac veráciter intellígitur, hoc accipiendus est dícere, cùm dicit, In nómine meo. Unde qui hoc sentit de Christo, quod non est de único Dei Fílio sentiendum, non petit in ejus nómine, etiamsi non táceat lítteris ac syllabis Christum; quóniam in ejus nómine petit, quem cógitat cùm petit. Qui verò quod est

dè illo ſentiendum ſentit, ipſe in ejus nómine petit; & áccipit quod petit, ſi non contra ſuam ſalútem ſempiternam petit. Accipit autem, quando debet accípere. Quædam enim non negantur; ſed ut cóngruo dentur témpore, differuntur. Uſque modò, inquit, non petiſtis quidquam in nómine meo: petite, & accipiétis, ut gáudium veſtrum ſit plenum. Hoc quod dicit gáudium plenum, profectò non carnále, ſed ſpiritále gáudium eſt; & quando tantum erit, ut áliquid ei jam non ſit addendum, procul dúbio tunc erit plenum Quidquid ergo pétitur quod pertineat ad hoc gáudium conſequendum, hoc eſt in nómine Chriſti petendum, ſi divínam intelligimus grátiam, ſi verè beátam póſcimus vitam. Quidquid autem áliud pétitur, nihil pétitur: non quia nulla omnino res eſt, ſed quia in tantæ rei comparatióne quidquid áliud concupíſcitur nihil eſt.

℟. Uſque modò non petíſtis quidquam in nómine meo: * Pétite, & accipiétis, ut gáudium veſtrum ſit plenum, allelúia, allelúia. ℣. Voluntátem timéntium ſe fáciet Dóminus, & deprecatiónem eórum exáudiet: * Pétite, Glória. * Pétite. *Joan.* 16. *Pſ.*144.

Te Deum.

AD LAUDES.

*Pſalmi & Antiphonæ, ut in Pſalterio.* 9.

*Capitulum.* 1. Joan. 3.

CAríſſimi, ſi cor noſtrum non reprehénderit nos, fidúciam habémus ad Deum; & quidquid petiérimus, accipiémus ab eo; quóniam mandáta ejus cuſtodímus, & ea quæ ſunt plácita coram eo fácimus.

*Hymnus.* Auróra. 322.

℣. Deſidérium páuperum exaudívit Dóminus: ℟. Præparatiónem cordis eórum audívit auris tua. *Pſ.* 9.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 1. D. Amen, amen dico vobis: ſi quid petiéritis Patrem in nómine meo, dabit vobis, allelúia. *Joan.* 16.

*Oratio.*

DEus, à quo bona cuncta procédunt: largíre ſupplícibus tuis, ut cogitémus, te inſpirante, quæ recta ſunt, & te gubernante, éadem faciámus; Per Dóminum.

*AD HORAS, ut in Pſalt. Ant. ut in Fer. Temp. Paſ.* 324.

AD VESPERAS.

*Pſalmi ut in Pſalt. Ant. ut in Veſp. Domin. in Albis.* 321.

*Capitulum.* 1. Joan. 5.

CRéditis in nómine Fílii Dei: & hæc eſt fidúcia quam habémus ad eum, quia quodcumque petiérimus ſecúndùm voluntátem ejus, audit nos. Et ſcimus quia audit nos, quidquid petiérimus: ſcimus quóniam habémus petitiónes quas poſtulámus ab eo.

*Hymnus.* Forti. 325.

℣. Oculi Dómini ſuper juſtos, ℟. Et aures ejus in preces eórum. *Pſ.* 33.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 4. E. In nómine meo petétis, & non dico vobis quia ego rogábo Patrem de vobis: ipſe enim Pater amat vos, quia vos me amaſtis, & credidiſtis quia

*

ego à Deo exívi , allelúia. *Joan. 16.*

*Oratio, ut suprà ad Laudes.*

## FERIA SECUNDA IN ROGATIONIBUS.

¶ *Hoc triduo, si occurrat Festum Dupl. I. Ord. aut suprà, fit de eo : j. Lectio erit de Scriptura, duabus in unam coactis : ij. de Hom. in Evang. Festi : iij. de Hom. in Evang. Feriæ, & de ea fit Comm. in Laudibus tantùm. Si occurrat Festum Dupl. II. Ord. transfertur vel anticipatur. De Semidup. fit Comm. in Off. Noct. per Lectionem Sancti, quæ erit secunda, è duabus una, fit etiam ejus Commem. in utrisque Vesp. & Laudib. de Simplici autem fit tantùm Commemor. in Laud. sine Lectione.* [ *Hoc triduo non dicitur* Te Deum , *si Officium sit de Feria.* ]

## AD NOCTURNUM.

*Psal. è II. Noct. Fer. II.* 30.

De Epístola prima beáti Petri Apóstoli.

*Lectio j.* Cap. 1.

SUccincti lumbos mentis vestræ , sóbrii perfectè spera̓te in eam quæ offertur vobis grátiam in revelatiónem Jesu Christi : quasi fílii obediéntiæ, non configuráti prióribus ignorántiæ vestræ desidériis : sed secundùm eum, qui vocávit vos, Sanctum, & ipsi in omni conversatióne sancti sítis; quóniam scriptum est : Sancti éritis , quóniam ego sanctus sum. Et si Patrem invocátis eum qui sine acceptióne personárum júdicat secundùm uniuscujusque opus , in timóre incolátûs vestri témpore conversámini.

℟. Consurge, Dómine Deus, in réquiem tuam , tu & arca fortitúdinis tuæ , allelúia. * Dómine Deus , ne avérteris fáciem Christi tui , allelúia , allelúia. ℣. Patet, venit hora ; clarifica Filium tuum , ut Filius tuus clarificet te : * Dómine. 2. *Paral. 6. Joan. 17.*

*Lectio ij.*

SCientes quòd non corruptibilibus , auro vel argento, redempti estis de vana vestra conversatióne paternæ traditiónis , sed pretióso sánguine quasi Agni immaculati Christi , & incontaminati ; præcógniti quidem ante mundi constitutiónem , manifestáti autem novíssimis temporibus propter vos qui per ipsum fidéles estis in Deo qui suscitávit eum à mórtuis , & dedit ei glóriam, ut fides vestra & spes esset in Deo. Animas vestras castificantes in obediéntia caritátis , in fraternitátis amóre , símplici ex corde ínvicem dilígite atténtius ; renáti non ex sémine corruptíbili , sed incorruptíbili per verbum Dei vivi & permanentis in ætérnum. Quia omnis caro ut fœnum , & omnis glória ejus tanquam flos fœni : exáruit fœnum , & flos ejus décidit : verbum autem Dómini manet in ætérnum. Hoc est autem verbum quod evangelizátum est in vos.

℟. Super cœlos , Deus , & super omnem terram glória tua , allelúia ; * Ut liberentur dilecti tui , allelúia , allelúia. ℣. Ego te clarificávi super terram : manifestávi nomen tuum homínibus ; * Ut libe-

rentur dilecti tui, allel. allel.
*Ps.* 107. *Joan.* 17.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

*Lectio iij.* Cap. 11.

IN illo témpore; Ait Jesus ad discípulos suos: Quis vestrûm habébit amícum, & ibit ad illum médiâ nocte, & dicet illi: Amíce, cómmoda mihi tres panes. Et réliqua.

Homilia sancti Augustíni Epíscopi.

*Ep.* 130. *quæ est ad Probam, n.* 16. 18. 19. *&* 20.

QUi novit bona data dare filiis suis, pétere nos & quærere & pulsáre compellit. Quod quare fáciat, qui novit quid nobis necessárium sit, priusquàm petámus ab eo, movére ánimum potest, nisi intelligámus quòd Dóminus & Deus noster non voluntátem nostram sibi velit innotéscere, quam non potest ignorâre; sed exercéri in oratiónibus desidérium nostrum, quo possimus cápere quod præparat dare. Illud enim valde magnum est; sed nos ad capiendum parvi & angusti sumus. Ideò nobis dícitur: Dilatámini. Tantò quippe illud súmemus capáciùs, quantò id & fidéliùs crédimus, & sperámus firmiùs, & desiderámus ardéntiùs. In ipsa ergo fide, & spe, & caritáte continuáto desidério semper orámus. Ac per hoc, & quod ait Apóstolus, Sine intermissióne oráte: quid est áliud quàm beátam vitam quæ nulla nisi æterna est, ab eo qui eam solus dare potest, sine intermissióne desideráre? Semper ergo hanc à Dómino Deo desiderémus; & orámus semper. Sed ideò ab áliis curis atque negótiis, quibus ipsum desidérium quodámmodò tepescit, certis horis ad negótium orandi mentem revocámus, verbis oratiónis nos ipsos admonentes, in id quod desiderámus inténdere; ne quod tepéscere cœperat, omnino frigescat; & pénitus extinguátur, nisi crébriùs inflammétur. Quæ cùm ita sint, étiam cùm diu oráre vacat, id est, cùmália bonárum & necessariárum actiónum non impediuntur officia, quamvis & in eis, ut dixi, desidério illo semper orandum sit, non est improbum nec inútile. Neque enim, ut nonnulli putant, hoc est oráre in multilóquio, si diútiùs orétur. Aliud est sermo multus, áliud diuturnus affectus. Absit ab oratióne multa locútio; sed non desit multa precátio, si fervens perseverat inténtio. Nam multùm loqui est in orando rem necessáriam supérfluis ágere verbis: multùm autem precári est ad eum quê precámur, diuturnâ & piâ cordis excitatióne pulsáre. Nam plerumque hoc negótium plus gemitibus quàm sermónibus ágitur, plus fletu quàm affátu.

℟. Pétite, & dábitur vobis: quærite, & inveniétis: * Pulsáte, & aperiétur vobis, allelúia, allelúia. ℣. Invocábitis & orábitis me, & ego exáudiam vos: quærétis me, & inveniétis: * Pulsáte. Glória. * Pulsáte. *Luc.* 11. *Jerem.* 29.

*Non dicitur* Te Deum.

*Reliqua ut in Feriis Temporis Paschalis, suprà, 327. exceptis quæ sequuntur.*

*Ad* Benedictus. *Ant. 7. d.* Quis ex vobis patrem petit panem, numquid lápidem dabit illi? allelúia, allelúia. *Luc.* 11.

*Oratio.*

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut qui in afflictióne nostra de tua pietáte confidimus, contra adversa ómnia tuâ semper protectióne muniámur; Per Dóminum nostrum.

*Et dicitur ad Horas diei.*

*Ad* Magníficat. *Ant.* 1. D. Si vos, cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris; quantò magis Pater vester de cœlo dabit Spíritum bonum peténtibus se? allelúia. *Luc.* 11.

*Oratio.*

DEus, à quo bona cuncta procédunt: largíre supplicibus tuis, ut cogitémus, te inspirante, quæ recta sunt; &, te gubernante, éadem faciámus; Per Dóminum.

## FERIA TERTIA In Rogationibus.

AD NOCTURNUM.

*Psalmi à II. Nocturno Feriæ III.* 47.

De Epístola prima beáti Petri Apóstoli.

*Lectio j.* Cap. 2.

DEponentes omnem malítiam, & omnem dolum, & simulatiónes, & invídias, & omnes detractiónes, sicut modò géniti infantes, rationábile sine dolo lac concupíscite; ut in eo crescátis in salútem, si tamen gustastis quóniam dulcis est Dóminus. Ad quem accedentes, lápidem vivum, ab homínibus quidem reprobátum, à Deo autem electum & honorificátum; & ipsi tanquam lápides vivi superædificámini, domus spiritualis, sacerdótium sanctum, offerre spirituáles hóstias, acceptábiles Deo per Jesum Christum. Propter quod cóntinet Scriptúra: Ecce pono in Sion lápidem summum angulárem, electum, pretiósum; & qui crediderit in eum, non confundétur. Vobis ígitur honor credéntibus; non credéntibus autem, lapis quem reprobavérunt ædificantes, hic factus est in caput ánguli; & lapis offensiónis & petra scándali his qui offendunt verbo, nec credunt in quo & pósiti sunt.

℟. Cantáte Dómino, omnis terra: annuntiáte ex die in diem salutáre ejus: * Narráte in géntibus glóriam ejus, allelúia, allelúia. ℣. Nunc clarificátus est Fílius hóminis, & Deus clarificátus est in eo: * Narráte. 1. *Paral.* 16. *Joan.* 17.

*Lectio ij.*

CAríssimi, óbsecro vos tanquam ádvenas & peregrínos abstinére vos à carnálibus desidériis quæ mílitant adversùs ánimam, conversatiónem vestram inter gentes habentes bonam; ut in eo quod detrectant de vobis tanquam de malefactóribus, ex bonis opéribus vos considerantes, glorificent Deum in die visitatiónis. Subjecti ígitur estóte omni

omni humánæ creatúræ propter Deum ; ſive regi , quaſi præcellenti ; ſive ducibus , tanquam ab eo miſſis ad vindictam malefactórum , laudem verò bonórum ; quia ſic eſt voluntas Dei , ut benefacientes obmutéſcere faciátis imprudéntium hóminum ignorántiam : quaſi liberi , & non quaſi velámen habentes malítiæ libertátem , ſed ſicut ſervi Dei.

℟. Salvum fecit Dóminus Chriſtum ſuum , allelúia : * Exáudiet illum de cœlo ſancto ſuo , allelúia : in potentátibus ſalus déxteræ ejus , allelúia , allelúia. ℣. Deus clarificábit eum in ſemetipſo , & continuò clarificábit : * Exáudiet illum de cœlo. *Pſ.* 19. *Joan.* 13.

Léctio ſancti Evangélii ſecundùm Lucam.

*Lectio iij.* Cap. 11.

IN illo témpore ; Factum eſt cùm eſſet Jeſus in quodam loco orans , ut ceſsávit , dixit unus ex diſcípulis ejus ad eum : Dómine , doce nos oráre. Et réliqua.

Homília ſancti Auguſtíni Epíſcopi.

*Ep.* 130. *quæ eſt ad Probam , n.* 21. 22. *&* 23.

HOc quod in Domínica oratióne póſitum eſt , tam latè patet , ut homo Chriſtiánus in quálibet tribulatióne conſtitútus , in hoc gémitus edat , in hoc lácrymas fundat , hinc exordiátur , in hoc immorétur , ad hoc términet oratiónem. His enim verbis res ipſas memóriæ noſtræ commendári oportébat. Nam quælibet ália verba dicámus , quæ affectus orantis vel præcedendo formet ut cláreat , vel conſequendo attendit ut creſcat , nihil áliud dícimus quàm quod in iſta Domínica oratióne póſitum eſt , ſi rectè & congruenter orámus. Quiſquis autem id dicit quod ad iſtam Evangélicam precem pertinére non poſſit , etiamſi non illícitè orat , carnáliter orat : quod néſcio quemádmodùm non dicátur illícitè , quandóquidem Spíritu renátos non niſi ſpiritáliter decet oráre. Unde líberum eſt áliis atque áliis verbis éadem tamen in orando dícere ; ſed non debet eſſe líberum ália dícere. Qui dicit in oratióne , verbi grátiâ : Dómine , multíplica divítias meas ; aut : Da mihi tantas , quantas illi vel illi dediſti ; aut : Honóres meos auge ; & hæc dicit , eórum habens concupiſcéntiam , non id attendens ut ex his ſecundùm Deum proſit homínibus : puto eum non invenire in oratióne Domínica , quo poſſit hæc vota coaptáre. Quamobrem púdeat ſaltèm pétere quæ non pudet cúpere ; aut ſi & hoc pudet , ſed cupíditas vincit , quantò méliùs hoc pétitur , ut étiam ab iſto cupiditátis malo líberet , cui dícimus : Líbera nos à malo.

℟. Cùm ſtábitis ad orandum , dimíttite , ſi quid habétis adversùs áliquem ; * Ut & Pater veſter qui in cœlis eſt , dimittat vobis peccáta veſtra , allelúia , allelúia. ℣. Miseratiónes fácite , unuſquiſque cum fratre ſuo : & malum

vir fratri suo non cógitet in corde suo; * Ut. Glória Patri. * Ut & Pater vester. *Marc.* 11. *Zach.* 17.

*Dicitur* Te Deum.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 2. D. Dicit unus ex discípulis ad Jesum: Dómine, doce nos orâre, allelúia. *Luc.* 11.

*Oratio.*

EXcita, Dómine, tuórum corda fidélium; ut sacris intenta doctrínis, quod precentûr intélligant, & petendo perséveranter obtíneant; Per Dóminum.

*Et dicitur ad Horas diei.*

*Ad* Magníficat. *Ant.* 7. d. Cùm orátis, dícite: Pater, sanctificétur nomen tuum, allelúia. *Luc.* 11.

*Oratio.* Deus, à quo. 368.

## FERIA QUARTA in Rogationibus, VIGILIA ASCENSIONIS.

*Simplex.*

## AD NOCTURNUM.

*Psalmi è II. Nocturno Feriæ IV.* 64.

De Epístola prima beáti Petri Apóstoli.

*Lectio j.* Cap. 2.

OMnes honoráte: fraternitátem dilígite: Deum timéte: regem honorificáte. Servi, súbditi estóte in omni timóre dóminis, non tantùm bonis & modéstis, sed étiam dyscolis. Hæc est enim grátia, si propter Dei conscién̄tiam sústinet quis tristítias, pátiens injustè. Quæ enim est glória, si peccantes & colaphizáti suffertis? Sed si benefacientes patienter sustinétis, hæc est grátia apud Deum: in hoc enim vocáti estis; quia & Christus passus est pro nobis, vobis relínquens exemplum ut sequámini vestígia ejus.

℟. Consurge, Dómine Deus, in réquiem tuam, tu & arca fortitúdinis tuæ, allelúia: * Dómine Deus, ne avérteris fáciem Christi tui, allelúia, allelúia. ℣. Pater, venit hora; clarífica Fílium tuum, ut Fílius tuus clarificet te: * Dómine. 2. *Paral.* 6. *Joan.* 17.

*Lectio ij.* Cap. 3.

ET quis est qui vobis nóceat, si boni æmulatóres fuéritis? Sed & si quid patímini propter justítiam, beáti. Timórem autem eórum ne timuéritis, & non conturbémini. Dóminum autem Christum sanctificáte in córdibus vestris, paráti semper ad satisfactiónem omni poscenti vos ratiónem de ea, quæ in vobis est, spe: sed cum modéstia & timóre conscién̄tiam habentes bonam; ut in eo quòd détrahunt vobis, confundantur qui calumniantur vestram bonam in Christo conversatiónem. Mélius est enim benefacientes (si voluntas Dei velit) pati, quàm malefacientes; quia & Christus semel pro peccátis nostris mórtuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo, mortificátus quidem carne, vivificátus autem spíritu.

℟. Super cœlos, Deus, & super omnem terram glória tua, allelúia; * Ut liberentur dilecti tui, allel. allel. ℣. Ego te clarificávi super terram: manifestávi nomen tuum homínibus; * Ut. *Ps.* 107. *Joan.* 17.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

*Lectio iij.* Cap. 17.

IN illo témpore; Sublevátis Jesus óculis in cœlum, dixit: Pater, venit hora: clarífica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Episcopi.

*In Joan. Tract.* 104. *n.* 3.

CLarificátum à Patre Fílium nonnulli accípiunt in hoc quod ei non pepercit, sed pro nobis ómnibus trádidit eum. Sed si passióne clarificátus dícitur, quantò magìs resurrectióne? Nam in passióne magìs ejus humílitas quàm cláritas commendátur, Apóstolo teste, qui dicit: Humiliávit semetipsum, factus obédiens usque ad mortem, mortem autem crucis. Deinde séquitur, & de ejus clarificatióne jam dicit: Propter quod & Deus illum exaltávit, & donávit ei nomen quod est super omne nomen; ut in nómine Jesu omne genu flectátur cœléstium, terréstrium, & infernórum; & omnis lingua confiteátur quia Dóminus Jesus Christus in glória est Dei Patris. Hæc est clarificátio Dómini nostri Jesu Christi, quæ ab ejus resurrectióne sumpsit exórdium.

℟. Pater, ego te clarificávi super terram; opus consummávi, quod dedísti mihi ut fáciam: * Et nunc clarífica me tu, Pater, apud temetipsum claritáte quam hábui, priúsquàm mundus esset, apud te, allel. allel. ℣. Ostende hódie quia tu es Deus Israël, & ego servus tuus, & juxta præceptum tuum feci ómnia: * Et. Glória. Et. *Joan.* 17. 3. *Reg.* 18.

*Dicitur* Te Deum.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 1. D. Pater, non pro mundo rogo, sed pro his quos dedísti mihi, quia tui sunt; & jam non sum in mundo, & hi in mundo sunt, & ego ad te vénio, allelúia. *Joan.* 17.

*Oratio.*

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut nostræ mentis inténtio, quò ventúræ solemnitátis glorióstus auctor ingressus est, semper intendat; & quò fide pergit, conversatióne pervéniat; Per eumdem Dóminum.

*Et dicitur ad Horas diei.*

*AD HORAS, ut in Feriis Temporis Paschalis.* 323.

# IN ASCENSIONE DOMINI.

## SOLEMNE II. ORDINIS.

### IN I. VESPERIS.

*Psalmi de Feria quarta.*

*Ant.* 1. D. QUis ascendit in cœlum atque descendit? quis suscitávit omnes términos terræ? quod nomen est ejus, si nosti? allelúia. *Prov.* 30.

*Ant.* 7. a. Non est Deus álius, ut Deus ascensor cœli: magnificéntiâ ejus discurrunt nubes: habitáculum ejus sursum, allelúia. *Deuter.* 33.

*Ant.* 3. a. Ascendet pandens iter ante eos: & transíbit Rex eórum coram eis, & Dóminus in cápite eórum, allelúia. *Mich.* 2.

*Ant.* 5. C. Ecce intélliget, exaltábitur, & elevábitur, & sublímis erit valde, allelúia. *Is.* 52.

*Ant.* 4. D. Stabunt pedes ejus in die illa super montem olivárum, qui est contra Jerúsalem ad orientem, allelúia. *Zach.* 14.

*Capitulum.* Act. 3.

PRædicátus est vobis Jesus Christus, quem oportet quidem cœlum suscípere, usque in témpora restitutiónis ómnium quæ locútus est Deus per os Sanctórum suórum à sæculo Prophetárum.

℟. Attóllite portas, príncipes, vestras: & elevámini, portæ æternáles, allelúia; & introíbit Rex glóriæ. * Quis est iste Rex glóriæ? † Dóminus virtútum ipse est Rex glóriæ, allelúia, allelúia. ℣. Hunc princípem Deus exaltávit déxterâ suâ. * Quis est iste Rex. Glória Patri. † Dóminus virtútum ipse est Rex glóriæ, &c. *Ps.* 23. *Act.* 5.

*Hymnus.*

OPus peregísti tuum:
Te, Christe, victórem necis
Æterna, quam relíqueras,
Cœlo reposcit glória.

JAM nube vectus fúlgidâ,
Terras jacentes déspicis:
Educta longo cárcere
Regem sequuntur ágmina.

MIRANTE turmâ Cœlitûm,
Panduntur æternæ fores;
Ovansque sublímem Patris
Homo Deus scandis thronum.

ILLÎC patrónus, póntifex,
Pacis sequester, quem tua
Semel profúdit cáritas,
Offerre pergis sánguinem.

ILLINC adornas & foves
Eccléfiam sponsus tuam;
Cunctisque vitam dívidis,
Infúsa ceu mens, ártubus.

ILLINC tot inter prælia
Periclitantem sústines;
Das militanti víncere,
Palmam triumphanti paras.

QUÒ, Christe, præcédis caput,
Huc íntegrum corpus vocas;

Vestígiis tritam tuis
Fac membra sectentur vitam.
¶ Qui victor ad cœlum redis,
Jesu, tibi sit glória
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.

¶ *Hæc Doxologia dicitur usque ad Octavam Ascensionis exclusivè, in fine Hymnorum hujus metri, nisi propria assignetur.* ]

℣. Regnábit Deus super gentes: ℟. Deus sedet super sedem sanctam suam. *Ps.* 46.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 7. G. Ecce cum núbibus cœli quasi Fílius hóminis veniébat, & usque ad Antíquum diérum pervénit; & in conspectu ejus obtulérunt eum: & dedit ei potestátem, & honórem, & regnum, allelúia. *Dan.* 7.

*Oratio.* Concéde, quæsumus, omnípotens. *ut infrà ad Laudes.*

AD COMPLETORIUM.

*Psalmi de Feria quarta.*

*Ant.* 3. a. Lucerna civitátis est Agnus; & ambulábunt gentes in lúmine ejus, allelúia. *Apoc.* 21.

*Hymnus.* Jesu Redemptor sæculi. 132. *cum Strophe*, Da, Christe. *& Doxologia*, Qui victor. *ut suprà.*

*Ad* Nunc dimittis. *Antiph.* Cùm Christus. *quæ pro Tempore Paschali.* 133.

AD NOCTURNUM.

*Invit.* Allelúia: Dóminum Jesum euntem in cœlum, * Veníte, adorémus, allelúia. *Act.* 1.

*Ps.* 94. Veníte. 2.

*Hymnus.*

Promissa, tellus, cóncipe gáudia;
Te fausta cœlo concíliat dies:
Deus tumentes ponet iras:
Sancta tuus Mediátor intrat.
Tu, Christe, victor mortis & inferi,
Cruóre partam súscipe glóriam:
Procéde, regna, sume sceptrum;
Subjícitur tibi totus orbis.
Quid obstupentes suspícitis polo,
O vos, euntem, discípuli, Deum?
Ut nunc redemptor scandit astra,
Sic véniet metuendus ultor.
O Christe, dextræ qui Patris ásfides,
Fac nos triumphi partícipes tui:
Certámen urget: militémus,
Et, duce te, superémus hostem.
Laus summa Patri, qui Génitum polo
Pacis perennis súscipit óbsidem:
Laus, qui triumphat, summa Nato:
Par tibi laus, utriusque Nexus. Amen.

*Ant.* 5. C. Eleváta.

*Psalmus* 8.

Domine Dóminus noster, * quàm admirábile est nomen tuum in universa terra!
Quóniam eleváta est magnificéntia tua * super cœlos.

Ex ore infántium & lacténtium perfeciſti laudem propter inimícos tuos, * ut déſtruas inimícum & ultórem.

Quóniam vidébo cœlos tuos, ópera digitórum tuórum; * lunam & ſtellas, quæ tu fundaſti.

Quid eſt homo, quòd memor es ejus? * aut filius hóminis, quóniam viſitas eum?

Minuiſti eum paulò minus ab Angelis, glóriâ & honóre coronaſti eum: * conſtituiſti eum ſuper ópera mánuum tuárum.

Omnia ſubjeciſti ſub pédibus ejus, * oves & boves univerſas, ínſuper & pécora campi.

Vólucres cœli, & piſces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dóminus noſter, * quàm admirábile eſt nomen tuum in univerſa terra!

*Ant.* Eleváta eſt magnificéntia tua ſuper cœlos, Deus, allelúia.

*Ant.* 1. *D.* Dóminus.

*Pſalmus* 10.

IN Dómino confído; quómodo dícitis ánimæ meæ: * Tránſmigra in montem ſicut paſſer?

Quóniam ecce peccatóres intendérunt arcum, paravérunt ſagittas ſuas in pháretra, * ut ſagittent in obſcúro rectos corde.

Quóniam quæ perfeciſti, deſtruxérunt: * juſtus autem quid fecit?

Dóminus in templo ſancto ſuo; * Dóminus in cœlo ſedes ejus.

Oculi ejus in páuperem reſpíciunt; * pálpebræ ejus intérrogant filios hóminum.

Dóminus intérrogat juſtum & ímpium: * qui autem díligit iniquitátem odit ánimam ſuam.

Pluet ſuper peccatóres láqueos: * ignis, & ſulphur, & ſpíritus procellárum, pars cálicis eórum.

Quóniam juſtus Dóminus & juſtítias dilexit: * æquitátem vidit vultus ejus.

*Ant.* Dóminus in templo ſancto ſuo: Dóminus in cœlo, allelúia.

*Ant.* 7. *d.* A ſummo cœlo egréſſio.

*Pſalmus* 18.

CŒli enarrant glóriam Dei, * & ópera mánuum ejus annúntiat firmamentum.

Dies diéi eructat verbum, * & nox nocti indicat ſciéntiam.

Non ſunt loquélæ, neque ſermónes, * quorum non audiantur voces eórum.

In omnem terram exívit ſonus eórum, * & in fines orbis terræ verba eórum.

In ſole póſuit tabernáculum ſuum: * & ipſe tanquam ſponſus procédens de thálamo ſuo.

Exultávit ut gigas ad currendam viam; * à ſummo cœlo egréſſio ejus.

Et occurſus ejus uſque ad ſummum ejus: * nec eſt qui ſe abſcondat à calóre ejus.

Lex Dómini immaculáta, convértens ánimas: * teſtimónium Dómini fidéle, ſapiéntiam præſtans párvulis.

Juſtítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda: * præceptum

Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus, pérmanens in séculum séculi: * judícia Dómini vera, justificáta in semetipsa.

Desiderabília super aurum & lápidem pretiósum multum, * & dulcióra super mel & favum.

Etenim servus tuus custódit ea; * in custodiendis illis retribútio multa.

Delicta quis intélligit? ab occultis meis munda me: * & ab aliénis parce servo tuo.

Si mei non fuerint dominati tunc immaculátus ero, * & emundábor à delicto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei: * & meditátio cordis mei in conspectu tuo semper.

Dómine, adjútor meus, * & redemptor meus.

*Ant.* A summo cœlo egréssio ejus, & occursus ejus usque ad summum ejus, allelúia.

℣. Psállite Deo qui ascendit super cœlum cœli, ℟. Ad Orientem. *Ps.* 67.

De Actibus Apostolórum.

*Lectio j.* Cap. 1.

DIxit Jesus Apóstolis: Accipiétis virtútem supervenientis Spíritûs sancti in vos, & éritis mihi testes in Jerúsalem, & in omni Judæa & Samaría, & usque ad últimum terræ. Et cùm hæc dixísset, vidéntibus illis, elevátus est; & nubes suscépit eum ab óculis eórum. Cùmque intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo viri astitérunt juxta illos in véstibus albis, qui & dixérunt: Viri Galilæi, quid statis aspiciéntes in cœlum? Hic Jesus, qui assúmptus est à vobis in cœlum, sic véniet quemádmodùm vidístis eum euntem in cœlum. Tunc revérsi sunt Jerosólymam à monte qui vocátur Olivéti, qui est juxta Jerúsalem, sábbati habens iter. Et cùm introíssent in cœnáculum, ascendérunt ubi manébant Petrus & Joannes, Jacóbus & Andréas, Philippus & Thomas, Bartholomæus & Matthæus, Jacóbus Alphæi, & Simon Zelótes, & Judas Jacóbi. Hi omnes erant perseverantes unánimiter in oratióne cum muliéribus, & María matre Jesu, & frátribus ejus.

℟. Eduxit Jesus discípulos foras in Bethániam, & elevátis mánibus, benedixit eis; & factum est, * Dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebátur in cœlum, allel. allel. ℣. Sedébit Dóminus rex in æternum: Dóminus benedicet pópulo suo in pace. * Dum. *Luc.* 24. *Ps.* 28.

Sermo sancti Leónis Papæ.

*Serm.* 72. *de Ascens. Domini*, II. C. 1. 2. *&* 3.

*Lectio ij.*

SIcut in solemnitáte Pascháli Resurréctio Dómini fuit nobis causa lætandi; ita Ascénsio ejus in cœlos præséntium nobis est matéria gaudiórum, recoléntibus illum diem & ritè veneránti-bus, quo explétis ómnibus quæ Evangélicæ prædicatióni & novi testamenti mystériis congruébant, Dóminus noster Jesus Christus, quadra-

gésimo post resurrectiónem die coram discípulis elevátus in cœlum, corporális præséntiæ modum fecit, mansúrus in Patris déxtera, donec témpora multiplicandis Ecclésiæ fíliis divínitus præstitúta peragantur, & ad judicandos vivos & mórtuos in eádem carne, in qua ascéndit, advéniat. Exultémus ítaque, dilectíssimi, gáudio spirituáli; & dignâ apud Deum gratiárum actióne lætántes, liberos cordis óculos ad illam altitúdinem, in qua Christus est, erigámus. Sursum vocátos ánimos desidéria terréna non déprimant; ad æterna præléctos peritúra non occupent; viam veritátis ingressos falláces illécebræ non retardent: & ita à fidélibus hæc temporália decurrantur, ut peregrinári se in hac mundi valle cognoscant, in qua etiamsi quædam cómmoda blandiantur, non amplectenda néquiter, sed transeunda sunt fórtiter.

℟. Vidéntibus Apóstolis, * Jesus elevátus est; & nubes suscépit eum ab óculis eórum, allel. allel. ℣. Ascendit Elías in cœlum, Elíseus autem vidébat, & clamábat: Pater mi: & non vidit eum ámplius. * Jesus. *Act.* 1. 4. *Reg.* 2.

Léctio sancti Evangélii secundùm Marcum.

*Lectio iij.* Cap. 16.

IN illo témpore; Recumbéntibus Undecim appáruit Jesus, & exprobrávit incredulitátem eórum, & durítiam cordis; quia iis qui víderant eum resurréxisse, non credidérunt. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

*In Evang. 29. habit. in Bas. sancti Petri, in Ascensione Domini, n. 10. & 11.*

QUòd resurrectiónem Domínicam discípuli tardè credidérunt, non tam illórum infirmitas quàm nostra, ut ita dicam, futúra firmitas fuit. Ipsa namque resurréctio illis dubitántibus per multa argumenta monstráta est: quæ dum nos legentes agnóscimus, quid áliud quam de illórum dubitatióne solidámur? Minus enim mihi Maria Magdaléne præstitit quæ cítiùs crédidit, quàm Thomas qui diù dubitávit. Ille étenim dubitando, vúlnerum cicatríces tétigit, & de nostro péctore dubitatiónis vulnus amputávit. Dóminus tunc discípulos increpávit, cùm eos corporáliter relíquit; ut verba quæ recédens díceret, in córdibus audiéntium árctiùs impressa remanérent. Et Dóminus quidem Jesus, postquàm locútus est, assúmptus est in cœlum, non curru, non Angelis sublevátus; quia is qui fécerat ómnia, nimírum super ómnia suâ virtúte ferebátur. Exultávit ut gigas ad currendam viam suam, ut nos ei dicerémus ex corde: Trahe nos; post te currémus in odórem unguentórum tuórum. Unde, fratres carissimi, Christum oportet ut illuc sequámur corde, ubi eum córpore ascendísse crédimus. Desidéria terréna fugiámus; nihil nos jam delectet in ínfimis, qui Patrem habémus in cœlis.

℟. Ascendit Deus in júbilo: * Psállite Deo nostro, psállite Regi nostro; quóniam rex omnis terræ Deus, allelúia, allelúia. ℣. Dóminus Jesus assúmptus est in cœlum, & sedet a dextris Dei. * Psallite Deo. Glória Patri. * Psállite Deo. *Ps.* 46. *Marc.* 16.

Te Deum.

## AD LAUDES.

*Psalmi de Dominica.*

*Ant.* 3. a. CHristus Póntifex futurórum bonórum, per próprium sánguinem introívit semel in Sancta, allelúia. *Hebr.* 9.

*Ant.* 4. E. Non in manufacta Sancta Jesus introivit, exemplaria verórum; sed in ipsum cœlum, ut appáreat nunc vúltui Dei pro nobis, allelúia. *Hebr.* 9.

*Ant.* 1. g. Talis decébat ut nobis esset Póntifex, sanctus, innocens, excélsior cœlis factus, allelúia. *Hebr.* 7.

*Ant.* 5. a. Habentes.

*Canticum.* Dan. 3.

BEnedictus es, Dómine Deus patrum nostrórum; * & laudábilis, & gloriósus, & superexaltátus in sécula.

Et benedictum nomen glóriæ tuæ sanctum; * & laudábile, & superexaltátum in ómnibus séculis.

Benedictus es in templo sancto glóriæ tuæ; * & superlaudábilis, & supergloriósus in sécula.

Benedictus es in throno regni tui; * & superlaudábilis, & superexaltátus in sécula.

Benedictus es, qui intuéris abyssos, & sedes super Chérubim; * & laudábilis, & superexaltátus in sécula.

Benedictus es in firmamento cœli; * & laudábilis, & gloriósus in sécula. Glória.

[*Et dicitur per totam Octavam, quando fit de ea.*]

*Ant.* Habentes Sacerdótem magnum, accedámus cum vero corde, in plenitúdine fidei, allelúia. *Hebr.* 10.

*Ant.* 8. G. Deus dedit ei glóriam, ut fides vestra & spes esset in Deo, allel. 1. *Petr.* 1.

*Capitulum.* Hebr. 1.

CHristus cum sit splendor glóriæ, & figúra substántiæ Dei, portansque ómnia verbo virtútis suæ, purgatiónem peccatórum fáciens, sedet ad déxteram majestátis in excelsis.

*Hymnus.*

JESU, nostra redémptio,
Amor & desidérium,
Deus creátor ómnium,
Homo in fine témporum:
QUÆ te vicit cleméntia,
Ut ferres nostra crimina,
Crudélem mortem pátiens,
Ut nos à morte tólleres?
INFERNI claustra pénetrans,
Tuos captívos rédimens,
Victor triumpho nóbili,
Ad dextram Patris résidens.
Ipsa te cogat pietas
Ut mala nostra súperes
Parcendo, & voti cómpotes
Nos tuo vultu sáties.
TU esto nostrum gáudium,
Qui es futúrus præmium:
Sit nostra in te glória
Per cuncta semper sécula.
Amen.

℣. Dóminus in cœlo parávit sedem suam; ℟. Et regnú

ipsius ómnibus dominábitur. *Ps.* 102.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 1. D. Christus Jesus mórtuus est, & resurrexit, qui est ad déxteram Dei, qui étiam interpellat pro nobis, allelúia. *Rom.* 8.

*Oratio.*

COncéde, quæsumus, omnípotens Deus, ut qui hodiernâ die Unigénitum tuum redemptórem nostrum ad cœlos ascendísse crédimus, ipsi quoque mente in cœléstibus habitémus; Per eumdem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum; Qui tecum vivit.

*AD HORAS, in fine Hymnorum, Strophe* Da, Christe. *cum Doxol.* Qui victor. 373. *Psalmi de Dominica.*

AD PRIMAM.

*Ant.* Christus.

*Capitulum de Dominica.*

*In* ℟. *br.* ℣. Qui victor ad cœlum redis, * Allelúia, allelúia.

AD TERTIAM.

*Ant.* Non in manufacta.

*Capitulum.* Hebr. 8.

TAlem habémus Pontíficem, qui consédit in déxtera sedis magnitúdinis in cœlis, sanctórum minister, & tabernáculi veri quod fixit Dóminus, & non homo.

℟. *br.* Dixit Dóminus Dómino meo: Sede à dextris meis, * Allelúia, allelúia. Dixit. ℣. Donec ponam inimícos tuos scabellum pedum tuórum, * Allelúia. Glória Patri. Dixit.

℣. Tu es Sacerdos in ætérnum ℟. Secundùm órdinem Melchisédech *Ps.* 109.

AD SEXTAM.

*Ant.* Talis decébat.

*Capitulum.* Hebr. 7.

CHristus sempitérnum habet sacerdótium; unde & salváre in perpétuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis.

℟. *br.* Vidérunt ingréssus tuos, Deus, * Allelúia, allelúia. Vidérunt. ℣. Ingréssus Regis mei qui est in Sancto, * Allelúia. Glória Patri. Vidérunt.

℣. Ascendísti in altum, cepísti captivitátem: ℟. Accepísti dona in homínibus. *Ps.* 67.

AD NONAM.

*Ant.* Deus.

*Capitulum.* Hebr. 2.

EUm qui módicò quàm Angeli minorátus est, vidémus Jesum, propter passiónem mortis, glóriâ & honóre coronátum.

℟. *br.* Minuísti eum paulò minùs ab Angelis, * Allelúia, allelúia. Minuísti. ℣. Glóriâ & honóre coronásti eum, * Allelúia, allelúia. Glória Patri. Minuísti.

℣. Constituísti eum super ópera mánuum tuárum: ℟. Omnia subjeciísti sub pédibus ejus. *Ps.* 8.

AD II. VESPERAS.

*In Psalm.* Dixit. 23.

*Ant.* 1. f. AD quem Angelórum dixit Deus aliquando: Sede à dextris meis, quoadusque ponam inimícos tuos scabellum pedum tuórum? allelúia. *Hebr.* 1.

*In Psalm.* Confitébor. 23. *Ant.* 3. a. Nemo ascendit in

cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Fílius hóminis qui est in cœlo, allelúia. *Joan.* 3.

*In Ps.* Laudáte, púeri. 24. *Ant.* 3. C. Qui descendit, ipse est & qui ascendit super omnes cœlos, ut impléret ómnia, allelúia. *Ephes.* 4.

*In Psalm.* Lætátus sum. 59. *Ant.* 6. Initiávit nobis viam novam & viventem per velámen, id est, carnem suam, allelúia. *Hebr.* 10.

*In Ps.* Confitébor.... quóniam. 90. *Ant.* 7. a. Omnis lingua confiteátur quia Dóminus Jesus Christus in glória est Dei Patris, allelúia. *Philipp.* 2.

*Capitulum.* Ephes. 2.

CÓnresuscitávit nos Deus, & consedére fecit in cœléstibus in Christo Jesu, ut osténderet in séculis supervenién̄tibus abundantes divítias grátiæ suæ in bonitáte super nos in Christo Jesu.

*Hymnus.* Opus peregísti tuum. 372.

℣. Excelsus super omnes gentes Dóminus, ℟. Et super cœlos glória ejus. *Ps.* 112.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 1. D. Habentes Pontíficem magnum, qui penetrávit cœlos, Jesum Fílium Dei, teneámus confessiónem, allelúia. *Hebr.* 4.

*Oratio, ut suprà ad Laudes.*

AD COMPLETORIUM.

*Psalmi & Capitulum de Dominica. Reliqua ut herì.* 373.

DIEBUS

Intra Oct. Ascensionis.

*Omnia ut in die, exceptis quæ sequuntur.*

AD NOCTURNUM.

*Tres Psalmi infrà notati in qualibet Feria, sub sola Ant.* 7. c. Jesus ferebátur in cœlum: & discípuli adorántes, regressi sunt in Jerúsalem cum gáudio magno, allelúia. *Luc.* 24.

℣. Ascendit super Chérubim, & volávit: ℣. Volávit super pennas ventórum. *Ps.* 17.

*Lectiones & ℟℟. ut infrà, in qualibet Feria.*

AD LAUDES.

*Psalmi de Feria cum Cantico de Festo,* 377. *sub sola Ant.* 2. D. Cùm introissent in cœnáculum, ascendérunt ubi manébant (Apóstoli:) hi omnes erant perseverantes unanímiter in oratióne, allelúia. *Act.* 1.

*AD HORAS, Psalmi de Feria. Reliqua ut in die Ascensionis.* 378. *Canon habetur pro qualibet Feria.*

AD VESPERAS.

*Psalmi de Feria, sub sola Ant.* 6. Erant semper in templo, laudantes & benedicentes Deum, allelúia. *Luc.* 24.

*Reliqua ut in die.*

*AD COMPLET. ut suprà.* 373.

FERIA SEXTA

Intra Oct. Ascensionis.

*Semiduplex.*

Ad Nocturnum.

*Psalmi è II. Nocturno Feriæ VI.* 94.

De Epístola prima beáti Petri Apóstoli.

*Lectio j.* Cap. 4.

EStóte prudentes, & vigiláte in oratiónibus. Ante ómnia autem, mútuam in vobísmetipsis caritá-

tem contínuam habentes ; quia cáritas óperit multitúdinem peccatórum. Hospitáles ínvicem sine murmuratióne. Unusquísque , sicut accépit grátiam, in altérutrum illam administrántes, sicut boni dispensatóres multiformis grátiæ Dei. Si quis lóquitur, quasi sermónes Dei : si quis minístrat , tanquam ex virtúte quam administrat Deus ; ut in ómnibus honorificétur Deus , per Jesum Christum ; cui est glória , & impérium in sécula seculórum : Amen. Carissimi , nolite peregrinári in fervóre qui ad tentatiónem vobis fit , quasi novi áliquid vobis contingat : sed communicantes Christi passiónibus , gaudéte , ut & in revelatióne glóriæ ejus gaudeátis exultántes. Si exprobrámini in nómine Christi , beáti éritis ; quóniam quod est honóris , glóriæ & virtútis Dei , & qui est ejus Spíritus , super vos requiescit.

℟. Auctor fidei & consummátor Jesus , propósito sibi gáudio , sustínuit crucem , confusióne contemptâ ; * Atque in déxtera sedis Dei sedet , allelúia , allelúia. ℣. Date glóriam Deo super Israël : magnificéntia ejus & virtus ejus in núbibus ; * Atque. *Hebr.* 12. *Ps.* 67.

Sermo sancti Leónis Papæ. *De Asc. Domini , I. C.* 1. & 4.

*Lectio ij.*

POst beátam & glorióssam resurrectiónem Dómini nostri Jesu Christi , quâ verum Dei templum Judáicâ impietáte resolútum , divína in tríduo poténtia susc itávit ; quadragenárius hódie , dilectíssimi , sanctórum diérum explétus est número , sacratíssimâ ordinatióne dispósitus , & ad utilitátem nostræ eruditiónis impensus ; ut dum a Dómino in hoc spátium mora præséntiæ corporális exténditur , fides resurrectiónis documentis necessáriis munirétur. Mors enim Christi multum discipulórum corda turbáverat ; & de supplício crucis , de emissióne Spíritûs , de exanimáti córporis sepultúrâ, gravátis mœstitúdine méntibus quidam diffidéntiæ torpor obrépserat. Per omne ergo tempus, quod inter Resurrectiónem & Ascensiónem Dómini exactum est, hoc providéntia Dei curávit , hoc suórum & óculis insinuávit & córdibus , ut Dóminus Jesus verè agnoscerétur resuscitátus , qui verè erat & natus , & passus , & mórtuus. Unde beatíssimi Apóstoli omnesque discípuli, qui & de éxitu crucis fúerant trépidi , & de fide resurrectiónis ambígui , ita sunt veritáte perspícuâ roboráti, ut Dómino in cœlórum eunte sublímia , non solùm nullâ afficerentur tristítiâ , sed étiam magno gáudio replerentur.

℟. Deus exaltávit illum , & donávit illi nomen quod est super omne nomen , ut in nómine Jesu omne genu flectátur * Cœléstium , terréstrium , & infernórum , allelúia , allelúia. ℣. Dicit Dóminus : In memetipso jurávi , quia mihi curvábitur omne genu , & jurábit omnis lingua , * Cœléstium. *Philipp.* 2. *Is.* 45.

*Lectio iij.*

ET revèrà magna & ineffábilis exat causa gaudendi, cùm in conspectu sanctæ multitúdinis super ómnium creatúrarum cmléstium dignitátem humáni géneris natúra conscénderet, supergressúra Angélicos Ordines, & ultra Archangelórum altitúdines elevanda; nec ullis sublimitátibus modum suæ provectiónis habitúra, nisi æterni Patris recepta confessu, illius glóriæ sociarétur in throno, cujus natúræ copulabátur in Fílio. Quia ígitur Christi Ascénsio nostra provéctio est; & quò præcessit glória cápitis, eò spes vocátur & córporis: dignis, dilectíssimi, exultémus gáudiis, & piâ gratiárum actióne lætémur. Hodie enim non solùm paradísi possessóres firmáti sumus, sed étiam cœlórum in Christo superna penetrávimus; amplióra adepti per ineffábilem Christi grátiam, quàm per diáboli amiserámus invídiam.

℟. Christus Jesus in sempiternum sedet in déxtera Dei, de cétero * Expectans donec ponantur inimíci ejus scabellum pedum ejus, allelúia, allelúia. ℣. Dómini est regnum; & ipse dominábitur géntium, * Expectans donec ponantur. Glória Patri. * Expectans donec ponantur inimíci ejus scabellum. *Hebr.* 10. *Ps.* 21.

SABBATO
INTRA OCT. ASCENSIONIS.
*Semiduplex.*

AD NOCTURNUM.

*Psalmi è II. Nocturno Sabbati.* 109.

De Epístola prima beáti Petri Apóstoli.

Lectio j. Cap. 5.

SEniores qui in vobis sunt, obsecro, consénior & testis Christi passiónum, qui & ejus quæ in futúro revelanda est, glóriæ communicátor: Páscite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coactè, sed spontáneè secundùm Deum; neque turpis lucri grátiâ, sed voluntáriè; neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex ánimo. Et cùm apparúerit Princeps pastórum, percipiétis immarcessíbilem glóriæ corónam. Simíliter, adolescéntes, súbditi estóte senióribus. Omnes autem ínvicem humilitátem insinuáte, quia Deus superbis resístit, humílibus autem dat grátiam. Humiliámini ígitur sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in témpore visitatiónis; omnem sollicitúdinem vestram projicientes in eum, quóniam ipsi cura est de vobis. Sóbrii estóte, & vigiláte; quia adversárius vester diábolus, tanquam leo rúgiens, circuit quærens quem dévoret: cui resístite fortes in fide; scientes eamdem passiónem ei, quæ in mundo est, vestræ fraternitáti fieri. Deus autem omnis grátiæ, qui vocávit nos in æternam suam glóriam in Christo Jesu, módicùm passos ipse perficiet, confirmábit, solidabitque. Ipsi glória, & impérium in sécula seculórum: Amen. Tu autem.

℟. Ad interióra veláminis præcursor * Pro nobis introi-

vit Jesus, Póntifex factus in æternum, allelúia, allelúia. ℣. Póntifex ultra velum intrábit in Sancta; ut roget pro universo cœtu Israël. * Pro nobis. *Hebr. 6. Levit. 16.*

De Sermóne sancti Leónis Papæ.

*De Ascensione, Domini II.*

*Cap. 1. Lectio ij.*

SAcramentum, dilectíssimi, salútis nostræ, quam prétio sánguinis sui universitátis Cónditor æstimávit, à die corporális ortûs usque ad éxitum passiónis per dispensatiónem humilitátis implétum est. Et licèt multa étiam in forma servi divinitátis signa radiáverint, própriè tamen illíus témporis áctio ad demonstrándam suscepti hóminis pertínuit veritátem. Post passiónem verò, ruptis mortis vínculis, quæ vim suam in eum qui peccáti erat néscius, incedendo perdíderat; infirmitas in virtútem, mortálitas in immortalitátem, contumélia transívit in glóriam, quam Dóminus Jesus Christus in multis manifestísque documentis, multórum declarávit aspéctibus, donec triumphum victóriæ, quem reportárat à mórtuis, inferret & cœlis. Quo órdine óperum divinórum nos fundáti, nos ædificáti sumus; ut mirabílior fieret grátia Dei, cùm remótis à conspectu hóminum, quæ méritò reverèntiam suî sentiebantur indícere, fides non deficeret, spes non fluctuáret, cáritas non tepéret.

℟. Ipse est ante omnes, & ómnia in ipso constant: * Et ipse est caput córporis Ecclésiæ, primogénitus ex mórtuis; ut sit in ómnibus ipse primátum tenens, allelúia, allelúia. ℣. Regnábit Dóminus in monte Sion, ex hoc nunc, & usque in æternum: * Et ipse est caput córporis Ecclésiæ. *Coloss. 1. Mich. 4.*

*Cap. 3. Lectio iij.*

IPsi beáti Apóstoli, qui tot miráculis confirmáti, tot sermónibus eruditi, atrocitátem tamen Domínicæ passiónis expáverant, & veritátem resurrectiónis ejus non sine hæsitatióne suscéperant, tantùm de Ascensióne Dómini profecérunt, ut quidquid illis prius intúlerat metum, verterétur in gáudium. Totam enim contemplatiónem ánimi in divinitátem ad Patris déxteram consedentis erèxerant, nec jam corpóreæ visiónis tardabantur objectu, quóminùs in id áciem mentis inténderent, quod nec à Patre descendendo abfúerat, nec à discípulis ascendendo discésserat. Tunc ígitur, dilectíssimi, Fílius hóminis Dei Filius, excellèntiùs sacratiúsque innótuit, cùm in paternæ majestátis glóriam se recépit; & ineffábili modo cœpit esse divinitáte præséntior, qui factus est humanitáte longínquior. Tunc ad æquálem Patri Fílium eruditior fides gressu mentis cœpit accédere, & contrectatióne in Christo corpóreæ substántiæ, quæ Patre minor est, non egére; quóniam glorificáti córporis manente natúrâ, eò fides credéntium vocabátur, ubi non carnáli manu, sed spi-

ritáli intellectu, par Genitóri Unigénitus tangerétur.

℟. Deus Pater glóriæ constítuens Christum ad déxteram suam in cœléstibus supra omnem Principátum, * Ipsum dedit caput supra omnem Ecclésiam, allelúia, allelúia. ℣. Filii hóminum, úsquequò gravi corde? Scitóte quóniam mirificávit Dóminus Sanctum suum. * Ipsum. Glória Patri. * Ipsum. *Ephes.* 1. *Ps.* 4.

## DOMINICA

INTRA OCT. ASCENSIONIS.

*IN VESPERIS Sabbati, Psalmi de Sabbato, sub sola Ant.* 6. Erant semper in templo laudantes & benedicentes Deum, allelúia. *Luc.* 24.

*Capitulum.* Colos. 3.

QUæ súrsum sunt quærite, ubi Christus est in déxtera Dei sedens: quæ súrsum sunt sápite, non quæ super terram; mórtui enim estis, & vita vestra est abscóndita cum Christo in Deo.

*Hymnus.* Opus. 372.

℣. Excelsus super omnes gentes Dóminus, ℟. Et super cœlos glória ejus. *Ps.* 112.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 7. G. Per Christum máxima & pretiósa nobis promíssa donávit Deus, ut per hæc efficiámini divínæ consortes natúræ, allelúia. 2. *Petr.* 1.

*Oratio, ut infrà ad Laudes.*

*Non fit alia Commemoratio Ascensionis.*

COMPLET. *ut suprà.* 373.

## AD NOCTURNUM.

*Omnia ut in Ascensione,* 373. *præter ea quæ hic sunt propria.*

*Tres Psalmi è III. Nocturno Dominicæ, 6. Ant.* 1. a. Raptus est Filius ad Deum & ad thronum ejus, allel. *Apoc.* 12.

*Ant.* 2. D. Factum est regnum Dómini nostri & Christi ejus, & regnábit in sécula seculórum, allelúia. *Apoc.* 11.

*Ant.* 6. Sedenti in throno & agno, benedictio & honor, & glória & potestas in sécula seculórum, allelúia. *Apoc.* 5.

℣. Sedes tua, Deus, in séculum séculi: ℟. Virga directiónis, virga regni mei. *Ps.* 44.

Incipit Epístola secunda beáti Petri Apóstoli.

*Lectio j.* Cap. 1.

SImon Petrus, servus & Apóstolus Jesu Christi, iis qui coæquálem nobíscum sortíti sunt fidem in justítia Dei nostri, & Salvatóris Jesu Christi. Grátia vobis & pax adimpleátur in cognitióne Dei, & Christi Jesu Dómini nostri: quómodò ómnia nobis divínæ virtútis suæ, quæ ad vitam & pietátem donáta sunt, per cognitiónem ejus qui vocávit nos própriâ glóriâ & virtúte, per quem máxima & pretiósa nobis promíssa donávit; ut per hæc efficiámini divínæ consortes natúræ: fugientes ejus, quæ in mundo est, concupiscéntiæ corruptiónem. Vos autem curam omnem subinferentes, minístráte in fide vestra virtútem, in virtúte autem sciéntiam, in sciéntia autem abstinéntiam, in abstinéntia autem patiéntiam, in patiéntia autem pietátem, in pietáte autem amórem fraternitátis, in amóre autem fraternitátis caritátem. Hæc enim si vobíscum adsint,

& súperent, non vácuos nec síne fructu vos constituent in Dómini nostri Jesu Christi cognitióne. Cui enim non præstò sunt hæc, cæcus est & manu tentans, oblivióném accípiens purgatiónis véterum suórum delictórum. Quapropter, fratres, magìs satágite, ut per bona ópera certam vestram vocatiónem & electiónem faciátis; hæc enim facientes, non peccábitis aliquando.

℟. Exaltáre, Dómine, in virtúte tua, allelúia: * Cantábimus & psallémus virtútes tuas, allelúia, allelúia. ℣. Grátias ágimus tibi, Dómine Deus omnípotens, quia accepísti virtútem tuam magnam, & regnásti: * Cantábimus. *Ps.* 20. *Apoc.* 11.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

*Tom.* 5. *Serm.* 261. *de Ascensione Domini*, 1.

*Lectio ij.*

RESurréctio Dómini spes nostra: Ascénsio Dómini glorificátio nostra. Si ergo rectè, si fidéliter, si devótè, si sanctè, si piè Ascensiónem Dómini celebrámus, ascendámus cum illo, & sursum cor habeámus. Ascendentes autem non extollámur, nec de nostris quasi de própriis méritis præsumámus. Sursum enim cor habére debémus, sed ad Dóminum. Sursum enim cor non ad Dóminum, supérbia vocátur: sursum autem cor ad Dóminum, refúgium vocátur. Illi enim dícimus qui ascendit: Dómine, refúgium factus es nobis. Resurrexit enim, ut spem nobis daret; quia resurgit quod móritur; ne moriendo desperarémus, & totam vitam nostram morte finítam putarémus. Solliciti enim erámus de ipsa ánima; & ille nobis resurgendo & de carne securitátem dedit.

℟. Confiteantur tibi, Dómine, & cantent * Quóniam magna est glória Dómini; quóniam excelsus Dóminus, allelúia, allel. ℣. Salus Deo nostro qui sedet super thronum, & Agno; * Quóniam. *Ps.* 137. *Apoc.* 7.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

*Lectio iij.* Cap. 15.

IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Cùm vénerit Paraclétus, quem ego mittam vobis à Patre, Spíritum veritátis, qui à Patre procédit, ille testimónium perhibébit de me. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

*In Joan. Tract.* 92. *n.* 1. *&* 2.

DOminus dicébat: Odio habuérunt me gratis: cùm autem vénerit Paraclétus, ille testimónium perhibébit de me. Tanquam díceret: Odio me habuérunt, & occidérunt videntes: sed tale de me Paraclétus testimónium perhibébit, ut eos fáciat in me crédere non vidéntes. Et vos, inquit, testimónium perhibébitis, quia ab ínitio mecum estis. Perhibébit Spíritus sanctus, perhibébitis & vos. Quia enim ab ínitio mecum estis, potestis prædicáre quod nostis: quod ut modò non faciátis, illíus Spíritûs plenitúdo nondum

nondum adest vobis. Ille ergo testimónium perhibébit de me, & vos perhibébitis: dabit enim vobis fidúciam testimónium perhibendi cáritas Dei diffúsa in córdibus vestris per Spíritum sanctum qui dábitur vobis.

℟. Cùm vénerit Paraclétus qui à Patre procédit, ille testimónium perhibébit de me: * Et vos testimónium perhibébitis, quia ab inítio mecum estis, allelúia, allelúia. ℣. Ego sum Dóminus, & non est absque me Salvátor: ego salvávi; vos testes mei, & ego Deus. * Et vos. Glória Patri. * Et vos. *Joan.* 15. *Is.* 43.

AD LAUDES.

*Antiphona & Canticum diei Ascensionis, ut suprà.* 377.

*Capitulum.* Ephes. 1.

OMnia subjécit Deus sub pédibus ejus; & ipsum dedit caput supra omnem Eccléfiam, quæ est corpus ipsíus, & plenitúdo ejus qui ómnia in ómnibus adimplétur.

*Hymnus.* Jesu, nostra. 377.

℟. Dóminus in cœlo parávit sedem suam; ℟. Et regnum ipsíus ómnibus dominábitur. *Ps.* 102.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 1. D. Ego mittam vobis à Patre Spíritum veritátis, allel. *Joan.* 15.

*Oratio.*

DEus, cujus Fílius in alta cœlórum potenter ascéndens, captivitátem nostram suâ duxit virtúte captívam; tribue, quæsumus, ut dona quæ discípulis suis cóntulit, largiátur & nobis; Qui tecum vivit & regnat.

MIR. *Pars Verna.*

*Nec fit alia Commemoratio de Ascensione Domini.*

*AD HORAS, Ant. Capit. & ℟℟. brev. ut in die Ascensionis.*

AD PRIMAM.

*Non dicitur Symbolum* Quicumque.

AD VESPERAS.

*Psalmi de Dominica, sub Antiph. II. Vesp. Ascensionis.*

*Capitulum.* 1. Petr. 3.

JEsus Christus est in déxtera Dei, deglútiens mortem, ut vitæ æternæ hæredes efficerémur: profectus in cœlum, subjectis sibi Angelis, & Potestátibus, & Virtútibus.

*Hymnus.* Opus. *suprà.* 372.

℣. Excelsus super omnes gentes Dóminus, ℟. Et super cœlos glória ejus. *Ps.* 112.

*Ad* Magnificat. *Ant.* 8. G. Hæc locútus sum vobis; ut, cùm vénerit hora eórum, reminiscámini quia ego dixi vobis, allelúia. *Joan.* 16.

*Oratio.* Deus, cujus. *ut suprà ad Laudes.*

AD COMPLETORIUM.

*Psalmi de Dominica. Reliqua ut suprà.* 373.

FERIA SECUNDA. INTRA OCT. ASCENSIONIS.

*Semiduplex.*

AD NOCTURNUM.

*Psalmi è III. Nocturno Fer. III.* 32.

De Epístola secunda beáti Petri Apóstoli.

*Lectio j.* Cap. 3.

HAnc ecce vobis, carísfimi, secundam scribo Epístolam, in quibus vestram éxcito in commonitióne sincéram mentem; ut mémores sitis eórum, quæ

prædixi, verbórum à sanctis Prophétis, & Apostolórum vestrórum, præceptórum Dómini & Salvatóris. Hoc primùm scientes quòd vénient in novíssimis diébus in deceptióne illusóres, juxta próprias concupiscéntias ambulántes, dicentes: Ubi est promíssio, aut adventus ejus? Ex quo enim patres dormiérunt, ómnia sic persevérant ab inítio creatúræ. Latet enim eos hoc volentes, quòd cœli erant priùs, & terra, de aqua & per aquam consístens Dei verbo: per quæ ille tunc mundus aquâ inundátus périit. Cœli autem qui nunc sunt, & terra, eódem verbo repósiti sunt, igni reservàti in diem judícii & perditiónis impiórum hóminum. Unum verò hoc non láteat vos, caríssimi, quia unus dies apud Dóminum sicut mille anni, & mille anni sicut dies unus. Non tardat Dóminus promissiónem suam, sicut quidam exístimant, sed patienter agit propter vos, nolens áliquos perire, sed omnes ad pœniténtiam reverti. Advéniet autem dies Dómini ut fur, in quo cœli magno impetu tránsient, elementa verò calóre solventur; terra autem & quæ in ipsa sunt ópera, exurentur. Cùm igitur hæc ómnia dissolvenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conversatiónibus & pietátibus, expectantes & properantes in adventum diéi Dómini, per quem cœli ardentes solventur, & elementa ignis ardóre tabescent?

℟. Eduxit. 375.

Sermo sancti Augustíni Episcopi.

*Serm. 263. de Ascensione Domini, III. n. 1.*

*Lectio ij.*

GLorificátio Dómini nostri Jesu Christi resurgendo & ascendendo compléta est. Resurrectiónem ipsius Paschæ Dominico celebrávimus, Ascensiónem hódie celebrámus. Festus nobis dies uterque. Ideò enim resurrexit, ut nobis exemplum resurrectiónis osténderet: & ideò ascendit, ut nos désuper protégeret. Habémus ergo Dóminum & Salvatórem nostrum Jesum Christum priùs pendentem in ligno, nunc sedentem in cœlo. Prétium nostrum dedit, cùm pénderet in ligno: cólligit quod emit, cùm sedet in cœlo. Cùm enim omnes collégerit, quos útique per témpora cólliget, in fine témporis véniet; & quómodò scriptum est, Deus manifestus véniet, non quemádmodum primitus venit occultus, sed, sicut dictum est, manifestus. Occultum enim oportébat eum veníre, ut judicarétur: manifestus autem véniet, ut júdicet. Si enim priùs manifestus veníret, judicáre manifestum quis audéret? quandóquidem dicit Apóstolus Paulus: Si enim cognovíssent, nunquam Dóminum glóriæ crucifixíssent. Sed si ille non occideréture, mors non morerétur. Trophæo suo diábolus victus est.

℟. Vidéntibus Apóstolis 376.

*n.* 2. *Lectio iij.*

HOdie Dóminus noster ascendit in cœlum; ascendat cum illo & cor nostrum. Sicut enim ille ascendit, nec recessit à nobis; sic & nos cum illo ibi jam simus, quamvis nondum in córpore nostro factum sit quod promittitur nobis. Neque enim propterea nobis desperanda est perfecta & angélica cœlestis habitátio, quia dixit: Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Fílius hóminis qui est in cœlo; sed hoc dictum est propter unitátem, quâ caput nostrum est, & nos corpus ejus. Cùm ascendit in cœlum, nos ab illo non separámur. Qui de cœlo descendit, non nobis invidet cœlum, sed quodámmodò clamat: Membra mea estóte, si ascéndere vultis in cœlum. In hoc ergo ipsi interim roborémur, in hoc votis ómnibus æstuémus. Hoc meditémur in terris, quòd compurámur in cœlis. Tunc exutúri carnem mortalitátis, nunc exuámus ánimi vetustátem.

℟. Ascendit. 377.

*Oratio, ut suprà ad Laudes.*

FERIA TERTIA INTRA OCT. ASCENSIONIS.

*Semiduplex.*

AD NOCTURNUM.

*Psalmi è III. Nocturno Fer. III.* 48.

Incipit Epístola prima beáti Joannis Apóstoli.

*Lectio j.* Cap. 1.

QUod fuit ab initio, quod audívimus, quod vídimus óculis nostris, quod perspéximus, & manus nostræ contrectavérunt de verbo vitæ; & vita manifestáta est, & vídimus, & testámur, & annuntiámus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & appáruit nobis. Quod vídimus & audívimus, annuntiámus vobis; ut & vos societátem habeátis nobíscum, & societas nostra sit cum Patre & cum Filio ejus Jesu Christo. Et hæc scríbimus vobis, ut gaudeátis, & gáudium vestrum sit plenum. Et hæc est annuntiátio quam audívimus ab eo, & annuntiámus vobis: Quóniam Deus lux est, & ténebræ in eo non sunt ullæ. Si dixérimus quóniam societátem habémus cum eo, & in ténebris ambulámus, mentímur, & veritátem non fácimus. Si autem in luce ambulámus, sicut & ipse est in luce, societátem habémus ad ínvicem, & sanguis Jesu Christi Fílii ejus emundat nos ab omni peccáto.

℟. Auctor. 380.

Sermo sancti Augustíni Episcopi.

*Serm.* 262. *de Ascensione Domini, II. n.* 3.

*Lectio ij.*

HOdierno die, hoc est, quadragésimo post resurrectiónem suam, Dóminus ascendit in cœlum. Non vidémus, sed credámus. Qui vidérunt, prædicavérunt, & orbem terrárum implevérunt. Ecce celebrátur hodiernus dies toto orbe terrárum. Recólite Psalmum. Cui dictum est, Exaltáre super cœlos, Deus? Cui dictum est? Numquid Deo Patri dicerétur,

Exaltáre, qui nunquam est humiliátus? Exaltáre, tu qui fuísti in ventre matris inclúsus, tu qui in præsépi jacuísti, tu in ligno suspénse, tu mórtue, tu sepulte. Exaltáre super cœlos, Deus.

℟. Deus exaltávit. 380.

*Lectio iij.*

EXaltáre, inquit, exaltáre super cœlos, quia Deus es. Sede in cœlo qui pependísti in ligno. Judex expectáris ventúrus, qui expectátus es judicátus. Exaltáre ergo super cœlos, Deus. Jam factum est, jam implétum est. Non vidimus, sed crédimus. Ecce ante óculos nostros est quod séquitur: Exaltáre super cœlos, Deus, & super omnem terram glória tua. Non credat illud, qui non videt ístud. Quid est enim, Et super omnem terram glória tua; nisi, Super omnem terram Eccléfia tua, super omnem terram sponsa tua, dilecta tua? Ipsa est glória tua.

℟. Christus. 381.

## FERIA QUARTA Intra Oct. Ascensionis.

*Semiduplex.*

Ad Nocturnum.

*Psalmi è III. Nocturno Fer. IV 65.*

De Epístola prima beáti Joannis Apóstoli.

*Lectio j.* Cap. 2.

FIlióli mei, hæc scribo vobis, ut non peccétis. Sed & si quis peccáverit, advocátum habémus apud Patrem, Jesum Christum justum: & ipse est propitiátio pro peccátis nostris; non pro nostris autem tantùm, sed étiam pro totius mundi. Et in hoc scimus quóniam cognóvimus eum, si mandáta ejus obsérvemus. Qui dicit se nosse eum, & mandáta ejus non custódit, mendax est, & in hoc véritas non est. Qui autem servat verbum ejus, verè in hoc cáritas Dei perfecta est: & in hoc scimus quóniam in ipso sumus. Qui dicit se in ipso manére, debet, sicut ille ambulávit, & ipse ambuláre. Carissimi, non mandátum novum scribo vobis, sed mandátum vetus, quod habuístis ab initio: mandátum vetus est verbum quod audístis. Iterùm mandátum novum scribo vobis, quod verum est & in ipso & in vobis; quia ténebræ transiérunt, & verum lumen jam lucet.

℟. Ad interióra. 381.

Sermo sancti Joannis Chrysóstomi.

*In Ascensione Domini*, 11.

*Lectio ij.*

PRoptéreà astitérunt Angeli, qui docérent Ascensiónem in cœlum; ne arbitrarentur eum tanquam in cœlum ascendísse, instar Eliæ. Sed quòd verè in cœlum ascénderit, ob id ait: Qui à vobis in cœlum assúmptus est. Neque enim hoc simpliciter adjectum est. Quinimò, Elias tanquam in cœlum assúmptus est, servus enim erat, Jesus autem in cœlum, quia Dóminus erat. Atque Elias quidem ascendens, melóten super Elisæum dimísit: Jesus autem ascendens, gratiárum dona in discípulos reliquit, non unum solum Prophétam faciéntia,

sed infinítos Elisèos, atque ádeò illo multò majóres & illustrióres.

℟. Ipse est. 382.

*Hom. 2. ad pop. Antioch.*

*Lectio iij.*

TAnquam máximam hæreditátem Eliséus melóten susscépit; étenim verè máxima fuit hæréditas omni auro pretiósior: & erat posthàc duplex Elías ille; & erat sursum Elías, & deorsum Elías. Novi quòd justum illum beátum putátis, & vellétis quisquis esse ut ille. Quid ígitur si vobis demonstrávero quòd áliud quàm ille multò majus omnes sacris mystériis imbúti recépimus? Elías nempe melóten discípulo relíquit; Filius autem Dei ascendens suam nobis carnem relíquit: sed Elías quidem exútus; Christus autem & nobis relíquit, & ipsam habens ascendit. Ne ígitur ánimo concidámus, neque lamentémur, neque témporum difficultátem timeámus. Qui enim sánguinem suum pro ómnibus effúndere non dubitávit, & carnem suam & rursus ipsum sánguinem nobis communicávit, quid pro salúte nostra facere recusábit? ℟. Deus. 383.

*VESPERÆ de Sequenti.*

FERIA QUINTA,

OCTAVA ASCENSIONIS.

*Duplex I. Ordinis.*

IN I. VESPERIS.

*Psalmi de Feria.*

*Ant.* 2. D. FActum est regnum hujus mundi Dómini nostri & Christi ejus; & regnábit in sécula seculórum, allelúia. *Apoc.* 11.

*Ant.* 6. Ecce venit cum núbibus: & vidébit eum omnis óculus, & qui eum pupugérunt, allelúia. *Apoc.* 1.

*Ant.* 3. a. Filius hóminis ventúrus est in glória Patris sui cum Angelis suis; & tunc reddet unicuique secundùm ópera ejus, allel. *Matth.* 16.

*Ant.* 4. E. Neque enim Pater júdicat quemquam; sed omne judícium dedit Filio, ut omnes honoríficent Filium, sicut honorificant Patrem, allelúia. *Joan.* 5.

*Ant.* 5. a. Potestátem dedit ei judícium fácere, quia Filius hóminis est, allelúia. *Joan.* 5.

*Capitulum.* Is. 66.

COgnoscétur manus Dómini servis ejus, & indignábitur inimicis suis; quia ecce Dóminus in igne véniet.

℟. Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? Hic Jesus qui assúmptus est à vobis in cœlũ, * Sic véniet quemádmodùm vidístis eum euntem in cœlum, allelúia, allelúia. ℣. Ad judícium véniet cum sénibus pópuli sui, & princípibus ejus: * Sic véniet. Glória Patri. * Sic véniet. *Act.* 1. *Is.* 3.

*Hymnus.*

FElix dies mortálibus,
Quâ per profúsum sánguinem
Homo Deus clausas diù
Intrávit æternas domos!
Nos membra, quò nostrum caput,
Quò dux præívit, ìbimus:
Si jungat una mens simul,
Nos una junget glória.
Discessit, & suis adest,
Præsente semper Spíritu:

Miscens suo se córpori
Omnes in artus influit.
At illa quæ! qualis dies!
Dies tremenda sóntibus,
Dum sede descendens suâ
Redíbit ultor criminum.
Damnatus insons a reis
Partes resúmet júdicis,
Ad cujus ora cóntrement
Dijudicandi júdices.
Ut morte dignos sólveret,
Morte volens se súbdidit:
Cui mors Dei non próderit,
Vindicta qualis imminet!
Quem noxa lethális premit,
Prævertat iram Núminis;
Largísque prudens débitos
Extinguat ignes flétibus.
¶ Venture Judex séculi,
Jesu, tibi sit glória
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.

℣. Parávit Dóminus in judício thronum suum; ℟. Et ipse judicábit orbem terræ in æquitáte. *Ps.* 9.

*Ad* Magnificat. *Ant.* 1. D. Amodò vidébitis Fílium hóminis sedentem à dextris virtútis Dei, & venientem in núbibus cœli, allel. *Matth.* 26.

*Oratio, ut infrà ad Laudes.*

COMPLET. *ut suprà.* 373.

*In fine Hymni, post Strophen* Da, Christe. *Doxologia,* Ventûre Judex. *ut suprà. Et cras ad omnes Horas*

AD NOCTURNUM.

*Invit.* Allelúia. Júdicem vivórum ac mortuórum Dóminum, * Veníte, adorémus, allelúia. *Act.* 10.

*Ps.* 94. Veníte. 2.

*Hymnus.*

Sensus quis horror pércutit?
Cœlum profundum scínditur:
Christum sedentem núbibus
Hinc inde stipant ágmina.
Feralis ad sonum tubæ
Mors jussa reddit mórtuos,
Quos ad tribúnal Júdicis
Urgent coactos Angeli.
Pios locans ad déxteram,
Repellit ad lævam reos:
Novit gregem Pastor suum,
Oves ab hædis ségregat.
Ad Júdicis sedent latus,
Quicumque, spretis ómnibus,
Fugére mundum páuperes,
Deum secúti páuperem.
Crux antè Judæis probrum,
Ludíbrium crux Géntibus,
Terror reis, probis amor,
Summo micábit æthere.
Fixere quem diræ trabi,
Cernent, pavébunt, ingement:
Vultu beábit quo suos,
Hoc territábit ímpios.
Fac, Christe, ne mores bonos
Contáge mundus ínquinet:
Secerne nos ab ímprobis,
Ne misceámur sóntibus.
Venture Judex séculi,
Jesu, tibi sit glória
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula. Amen.

*Psalmi è III. Nocturno Fer. V.* 80. *sub sola Ant.* 6. Ecce venio citò, & merces mea mecum est, réddere unicuíque secundùm ópera sua, allelúia. *Apoc.* 22.

℣. Cùm accépero témpus, ℟. Ego justítias judicábo. *Ps.* 74.

De Epístola prima beáti Joannis Apóstoli.

*Lectio j.* Cap. 2.

QUis est mendax, nisi is qui negat quóniam Jesus est Christus? Hic est Antichristus, qui negat Patrem & Filium. Omnis qui negat Filium, nec Patrem habet: qui confitétur Filium, & Patrem habet. Vos quod audístis ab inítio, in vobis permáneat: si in vobis permánserit quod audístis ab inítio, & vos in Filio & Patre manébitis. Et hæc est repromíssio quam ipse pollícitus est nobis, vitam æternam. Hæc scripsi vobis de his qui sedúcunt vos. Et vos unctiónem quam accepístis ab eo, máneat in vobis. Et non necesse habétis, ut áliquis dóceat vos: sed sicut únctio ejus docet vos de ómnibus, & verum est, & non est mendácium. Et sicut dócuit vos, manéte in eo. Et nunc, filíoli, manéte in eo; ut cùm apparúerit, habeámus fidúciam, & non confundámur ab eo in adventu ejus.

℟. Sóbriè, & justè, & piè vivámus in hoc sæculo, * Expectantes beátam spem, & adventum glóriæ magni Dei, & Salvatóris nostri Jesu Christi, allelúia, allelúia. ℣. Deus manifestè véniet; Deus noster, & non silébit: congregáte illi sanctos ejus, * Expectantes. *Tit. 2. Ps. 49.*

Sermo S. Augustíni Epíscopi. *In Psalm. 49. n. 5. 6. & 7.*

*Lectio ij.*

FEcit Dóminus cum discípulis suis quadraginta dies. Quadragésimo die commendans Eccléfiam suam, ascendit in cœlum. Et cùm ab eis iret in cœlum, admóniti sunt voce Angélicâ dicente: Quid statis, viri Galilæi? Hic Jesus quem vidétis ire, sic véniet quemádmodùm vidístis eum euntem in cœlum. Qui venit occultus, véniet manifestus. Venit occultus judicandus, véniet manifestus judicaturus. Venit occultus, ut ante júdicem staret; véniet manifestus, ut étiam de judícibus júdicet. Véniet manifestus, & non silébit. Ad judícium véniet, ignis ante eum præíbit. Timémus? Mutémur, & non timébimus. Ignem pálea tímeat: auro quid facit? Qui dulcédinem sapiéntiæ & veritátis utcumque sentíre cœpérunt, novérunt quanta pœna sit tantúmmodò à fácie Dei separári. Qui autem illam dulcédinem non gustavérunt, si nondum desíderant Dei fáciem, tímeant vel ignem: supplícia térreant, quem præmia non invítant. Vile tibi est quod Deus pollicétur; contremísce quod minátur.

℟. Cum vénerit Filius hóminis in majestáte sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedébit super sedem majestátis suæ; * Et congregabuntur ante eum omnes gentes, allelúia, allel. ℣. Sedébit super sólium, in veritáte júdicans, & velóciter reddens quod justum est, * Et. *Matth. 25. Is. 16.*

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

*Lectio iij.* Cap. 24.

IN illo témpore; Dixit Jesus ad discípulos suos: Hæc

sunt verba quæ locútus sum ad vos, cùm adhuc essem vobíscum, quóniam necesse est impléri ómnia quæ scripta sunt in lege Móysi, & Prophétis, & Psalmis de me. Et réliqua.

Homilia sancti Gregorii Papæ.

*Hom. 29. in Evang. n. 11.*

HOc nobis est magnópere perpendendum, quia is qui plácidus ascendit, terríbilis redíbit; & quidquid nobis cum mansuetúdine præcépit, hoc à nobis cum districtióne éxiget. Nemo ergo indulta pœniténtiæ témpora parvipendat: nemo curam suî, dum valet, ágere négligat; quia Redemptor noster tantò tunc in judícium distríctior véniet, quantò nobis ante judícium magnam patiéntiam prærogávit. Hæc ítaque vobíscum, fratres, ágite: hæc in mente sédulâ cogitatióne versáte. Quamvis adhuc rerum perturbatióne ánimus flúctuet, jam tamen spei vestræ ánchoram in æternam pátriam figite, intentiónem mentis in vera luce solidáte. Ecce ad cœlum ascendísse Dóminum audívimus. Hoc ergo servémus in meditatióne, quod crédimus. Etsi adhuc hîc tenémur infirmitáte córporis, sequámur tamen eum pássibus amóris.

℟. Nostra conversátio in cœlis est; unde étiam Salvatórem expectámus Dóminum nostrum Jesum Christum, qui * Reformábit corpus humilitátis nostræ configurátum córpori claritátis suæ, allelúia, allelúia. ℣. Ecce Dóminus Deus in fortitúdine véniet, & brachium ejus dominábitur: ecce merces ejus cum eo: * Reformábit. Glória Patri. * Reformábit. *Philipp. 3. Is. 40.*

Te Deum.

## AD LAUDES.

### ET AD ALIAS HORAS.

*Psalmi de Feria.*

*Ant.* 7. c. JEsum Deus suscitávit tértiâ die, & præcépit nobis prædicáre pópulo, & testificári quia ipse est qui constitútus est à Deo judex vivórum & mortuórum, allelúia. *Act.* 10.

*Ant.* 8. G. Omnes vivificabuntur, qui sunt Christi; deinde finis, cum trádiderit regnum Deo & Patri, allelúia. 1. *Cor.* 15.

*Ant.* 1. a. Oportet autem illum regnáre, donec ponat Deus omnes inimícos sub pédibus ejus, allelúia. 5. *Cor.* 15.

*Ant.* 2. *D.* Novíssima.

*Canticum.* Apoc. 15. & 19.

MAgna & mirabilia sunt ópera tua, Dómine Deus omnípotens: * justæ & veræ sunt viæ tuæ, Rex seculórum.

Quis non timébit te, Dómine, & magnificábit nomen tuum? * quia solus pius es.

Quóniam omnes gentes vénient, & adorábunt in conspéctu tuo, * quóniam judícia tua manifésta sunt.

Allelúia: Salus, & glória, & virtus Deo nostro est; * quia vera & justa judícia sunt ejus.

*Ant.* Novíssima inimíca destruétur mors; ómnia enim subjécit sub pédibus ejus, allelúia. 1. *Cor.* 15.

*Ant.* 6. Cùm subjecta fúerint illi ómnia, tunc & ipse Fílius subjectus erit ei qui subjécit sibi ómnia; ut sit Deus ómnia in ómnibus, allelúia. 1. *Cor.* 15.

*Capitulum.* Hebr. 9.

QUemádmodùm statútum est homínibus semel mori, post hoc autem judícium; sic & Christus semel oblátus est ad multórum exhaurienda peccáta: secundò sine peccáto apparébit expectántibus se in salútem.

*Hymnus.*

NOBIS, olympo rédditus,
Qui, Christe, sedes præparas,
Nos éxules in pátriam
Trahas amóris néxibus.

BONIS abundans ómnibus,
Ingens eris merces, Deus.
Quàm longa pro pœna brevi
Tuos manébunt gáudia!

TUNC ore nudo qualis es,
Quantusque, te vidébimus;
Amábimus te júgiter,
Te júgiter laudábimus.

SI quos amas, non déseris,
Nostræ salútis óbsidem
Mittas ab altis sédibus,
Qui nos adoptet, Spíritum.

VENTURE Judex séculi,
Jesu, tibi sit glória
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.

℣. Jubiláte in conspectu regis Dómini; ℟. Quóniam venit judicáre terram. *Ps.* 99.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 1. g. Accepísti, Dómine Deus, virtútem tuam magnam, & regnásti, & irátæ sunt gentes: & advénit tempus mortuórum judicári, & réddere mercédem servis tuis, & sanctis, allelúia. *Apoc.* 11.

*Oratio.*

DEus, cujus Unigénitum in infirmitáte carnis venísse crédimus Salvatórem, & in glória majestátis ventúrum Júdicem expectámus: fac nos eídem in déxtera tua regnanti casto timóre subjectos; ut in conspectu judicantis stare cum fidúcia mereámur; Per eumdem Dóminum.

AD PRIMAM.

*Ant.* Jesum.

*In* ℟. *br.* ℣. Qui judicatúrus es orbem in æquitáte, * Allelúia, allelúia. *Act.* 17.

*Cetera ut in Feriis Temporis Paschalis, suprà.* 323.

AD TERTIAM.

*Ant.* Omnes.

*Capitulum.* 1. Tim. 6.

ADventum Dómini nostri Jesu Christi suis témporibus ostendet beátus & solus potens, Rex regum, & Dóminus dominántium: qui solus habet immortalitátem, & lucem inhábitat inaccessíbilem: quem nullus hóminum vidit, sed nec vidére potest.

℟. *br.* Exurge, Dómine; non confortétur homo, * Allelúia, allelúia. Exurge. ℣. Judicentur gentes in conspectu tuo, * Allelúia. Glória. Exurge.

℣. Constítue, Dómine, legislatórem super eos: ℟. Ut sciant gentes quóniam hómines sunt. *Ps.* 9.

AD SEXTAM.

*Ant.* Oportet.

*Capitulum.* Hebr. 10.

CHristus in sempiternum sedet in déxtera Dei, de cétero expectans donec po-

nantur inimíci ejus scabellum pedum ejus. Unâ enim oblatióne consummávit in sempiternum sanctificátos.

℟. *br.* Dicite in géntibus, quia Dóminus regnávit, * Allelúia, allelúia. Dicite. ℣. Judicábit pópulos in æquitáte, * Allelúia. Glória Patri. Dicite. *Ps.* 95.

℣. Ignis ante ipsum præcédet, ℟. Et inflammábit in circúitu inimícos ejus. *Ps.* 96.

AD NONAM.

*Ant.* Cum subjecta.

*Capitulum.* 1. Thess. 4.

DÓminus in jussu, & in voce Archángeli, & in tuba Dei descendet de cœlo; & mórtui qui in Christo sunt, resúrgent primi. Deinde nos qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiémur cum illis in núbibus óbviam Christo in áera; & sic semper cum Dómino érimus.

℟. *br.* Judicábit Dóminus pópulum suum, * Allelúia, allelúia. Judicábit. ℣. Et in servis suis deprecábitur, * Allelúia. Glória Patri. Judicábit. *Ps.* 134.

℣. Lætentur omnes qui sperant in te: ℟. In æternum exultábunt, & habitábis in eis. *Ps.* 5.

AD II. VESPERAS.

*Ant.* 4. D. ECce venit Dóminus in sanctis míllibus suis, fácere judícium contra omnes, & argúere omnes ímpios, allelúia. *Judæ* 14.

*Ant.* 8. c. Illuminábit abscóndita tenebrárum, & manifestábit consília córdium; & tunc laus erit unicuíque à Deo, allelúia. 1. *Cor.* 4.

*Ant.* 1. D. De die illa & hora, nemo scit, neque Angeli cœlórum, nisi solus Pater: ádeò & vos estóte paráti, allelúia. *Matth.* 24.

*Ant.* 3. c. Vidéte, vigiláte, & oráte: nescítis enim quando tempus sit, allelúia. *Marc.* 13.

*Ant.* 5. a. Beáti servi illi quos, cum vénerit Dóminus, invénerit vigilantes, allelúia. *Luc.* 12.

*Capitulum.* Judæ 20.

CArissimi superædificantes vosmetipsos sanctíssimæ vestræ fidei, in Spíritu sancto orántes, vosmetipsos in dilectióne Dei serváte, expectántes misericórdiam Dómini nostri Jesu Christi in vitam æternam.

*Hymnus.* Felix dies. 389.

℣. Qui sedes super Chérubim, Deus virtútum, ℟. Ostende fáciem tuam; & salvi érimus. *Ps.* 79.

*Ad* Magnificat. *Ant.* 1. D. Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in mánibus vestris; & vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur à núptiis, allelúia. *Luc.* 12.

*Oratio, ut suprà ad Laudes.*

COMPET. *ut heri.* 390.

FERIA SEXTA
Post Octavam Ascensionis.
*Simplex.*

¶ *Si hodie occurrat Festum Semiduplex aut supra, fiet de Festo, cum Comm. hujus Feriæ ad Laudes & Vesperas.*

*De Festo autem Simplici occurrente fiet tantùm Commemoratio in Laudibus.*

AD NOCTURNUM.

*Invit.* Ascendit Christus in altum: * Venite, adorémus, allelúia. *Ephes.* 2.

*Ps.* 94. Venite. 2.

*Hymnus.* Promissa. 373.

*Psalmi è III. Nocturno Fer. VI.* 95. *sub sola Ant.* 7. c. Jesus ferebátur in cœlum: & discípuli adorantes regressi sunt in Jerúsalem cum gáudio magno, allelúia. *Luc.* 24.

℣. Ascendit super Chérubim, & volávit: ℟. Volávit super pennas ventórum. *Ps.* 17.

De Epístola prima beáti Joannis Apóstoli.

*Lectio j.* Cap. 3.

Vidéte qualem caritátem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominémur, & simus. Propter hoc mundus non novit nos, quia non novit eum. Carissimi, nunc filii Dei sumus; & nondum appáruit quid érimus. Scimus quóniam cùm apparúerit, símiles ei érimus; quóniam vidébimus eum sícuti est. Et omnis qui habet hanc spem in eo, sanctíficat se, sicut & ille sanctus est. Omnis qui facit peccátum, & iniquitátem facit; & peccátum est iníquitas. Et scitis quia ille appáruit, ut peccáta nostra tólleret; & peccátum in eo non est. Omnis qui in eo manet, non peccat; & omnis qui peccat, non vidit eum, nec cognóvit eum. Filíoli, nemo vos sedúcat. Qui facit justítiam, justus est, sicut & ille justus est. Qui facit peccátum, ex diábolo est; quóniam ab inítio diábolus peccat. In hoc appáruit Filius Dei, ut dissólvat ópera diáboli.

℟. Exaltáre. 384.

*Lectio ij.*

Omnis qui natus est ex Deo, peccátum non facit, quóniam semen ipsius in eo manet; & non potest peccáre, quóniam ex Deo natus est. In hoc manifésti sunt filii Dei, & filii diáboli. Omnis qui non est justus, non est ex Deo, & qui non diligit fratrem suum; quóniam hæc est annuntiátio quam audístis ab inítio, ut diligátis altérutrum. Non sicut Cain, qui ex maligno erat, & occídit fratrem suum. Et propter quid occídit eum? Quóniam ópera ejus maligna erant; fratris autem ejus justa. Nolíte mirári, fratres, si odit vos mundus. Nos scimus quóniam translati sumus de morte ad vitam, quóniam dilígimus fratres. Qui non díligit, manet in morte: omnis qui odit fratrem suum, homicída est. Et scitis quóniam omnis homicída non habet vitam æternam in semetipso manentem. In hoc cognóvimus caritátem Dei, quóniam ille ánimam suam pro nobis póstuit; & nos debémus pro frátribus ánimas pónere.

℟. Confiteantur tibi, Dómine. 384.

Ex Commentário sancti Joannis Chrysóstomi in Acta Apostolórum.

*Hom.* 1. *Lectio iij.*

Quare Spíritus sanctus non advénit, cùm adhuc adesset Dóminus, aut mox ab illíus discéssu; sed ipse quidem

ábiit die quadragésimo, Spíritus autem advénit, cùm complerétur dies quinquagésimus? At si nondum advénerat, quómodò stat quod dixerat: Accípite Spíritum sanctum? Nimírum, ut eos capáces rédderet & idóneos accipiendo Spírítui. Etenim si Dániel Angelum visúrus, semótus est; multò magis hos decébat secédere, tanquam Dei donum acceptúros. Licetne eo modo quæstiónem sólvere? An sic pótiùs accipiendum est, quòd de eo quod futúrum erat, perinde quasi jam factum esset, sit locútus: velut cùm ait: Calcáte serpentes & scorpiónes, & omnem virtútem inimíci? Cur ígitur non tum prótinus advénit Spíritus? Oportébat illos desidério promissi teneri, atque ita donum accípere. Ideòque, cùm ipse digressus esset, tum advénit Spíritus. Qui si venisset eo præsente, non habuisset illos tam ardens expectátio.

℟. Cùm vénerit Paraclétus. 385.

Te Deum.

AD LAUDES.

*Psalmi de Feria, sub sola Ant.* 2. D. Cùm introissent in cœnáculum, ascendérunt ubi manébant (Apóstoli.) Hi omnes erant perséverantes unanímiter in oratióne, allelúia. *Act.* 1.

*Capitulum.* Ephes. 1.

OMnia subjécit Deus sub pédibus ejus; & ipsum dedit caput supra omnem Eccléstam; quæ est corpus ipsíus, & plenitúdo ejus qui ómnia in ómnibus adimplétur.

*Hymnus.*

JESU, nostra redémptio.
Amor & desidérium,
Deus creátor ómnium,
Homo in fine témporum:

QUÆ te vicit cleméntia,
Ut ferres nostra crímina,
Crudélem mortem pátiens,
Ut nos à morte tólleres?

INFERNI claustra pénetrans,
Tuos captívos rédimens,
Victor triumpho nóbili,
Ad dextram Patris résidens.

IPSA te cogat pietas
Ut mala nostra súperes
Parcendo, & voti cómpotes
Nos tuo vultu sáties.

TU esto nostrum gáudium,
Qui es futúrus præmium:
Sit nostra in te glória
Per cuncta semper sécula.
Amen.

℣. Dóminus in cœlo parávit sedem suam; ℟. Et regnum ipsíus ómnibus dominábitur. *Ps.* 102.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 8. G. Nondum erat Spíritus datus, quia Jesus nondum erat glorificátus, allelúia. *Joan.* 7.

*Oratio.*

DEus, qui nos resurrectiónis & ascensiónis Domínicæ solémnia celebráre fecísti: da fámulis tuis, ut & advenientis Spíritûs sancti grátiam, purificátis méntibus, susćipere mereámur; Per eumdem Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte ejusdem Spíritûs. *Et dicitur ad Horas diei.*

*AD HORAS, Psalmi de Feria. Cetera ut in die Ascensionis*, 378. *præter sequentia.*

*In fine Hymn. post strophen* Da, Christe. *Doxologia:*

QUI Patris ad dextram sedes,
Jesu, tibi sit glória
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.

AD PRIMAM.

*In* ℟. *br.* ℣. Qui sedes ad déxteram Patris, * Allelúia, allelúia.

AD VESPERAS.

*Psalmi de Feria, sub sola Ant. 6.* Erant semper in templo, laudantes & benedicentes Deum, allelúia. *Luc.* 24.

*Capitulum.* 1. Petr. 3.

JEsus Christus est in déxtera Dei, deglútiens mortem, ut vitæ æternæ hæredes efficerémur: profectus in cœlum, subjectis sibi Angelis, & Potestátibus, & Virtútibus.

*Hymnus.*

OPus peregísti tuum:
Te, Christe, victórem necis
Æterna, quam relíqueras,
Cœlo reposcit glória.

JAM nube vectus fúlgidâ,
Terras jacentes déspicis:
Educta longo cárcere
Regem sequuntur ágmina.

MIRANTE turmâ Cœlitûm,
Panduntur æternæ fores;
Ovansque sublímem Patris
Homo Deus scandis thronum.

ILLIC patrónus, póntifex,
Pacis sequester, quem tua
Semel profúdit cáritas,
Offerre pergis sánguinem.

ILLINC adornas & foves
Eccléfiam sponsus tuam;
Cunctisque vitam dívidis,
Infúsa ceu mens, ártubus.

ILLINC tot inter prælia
Periclitantem sústines;
Das militanti víncere,
Palmam triumphanti paras.

QUO, Christe, præcédis caput,
Huc íntegrum corpus vocas:
Vestígiis tritam tuis
Fac membra sectentur vitam.

QUI Patris ad dextram sedes,
Jesu, tibi sit glória
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.

℣. Excelsus super omnes gentes Dóminus, ℟. Et super cœlos glória ejus. *Ps.* 112.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 1. f. Pater vester de cœlo dabit Spíritum bonum peténtibus se, allelúia. *Luc.* 11.

*Oratio, ut suprà ad Laudes.*

SABBATO.

IN VIGILIA PENTECOSTES.

¶ *Ab hac Vigilia inclusivè, ad Festum SS. Trinitatis etiam inclusivè, non fit Officium de ullo Festo ix. Lectionum; sed quodlibet occurrens transfertur post idem Festum SS. Trinitatis. De Semiduplici autem & Simplici nulla fit Commemoratio* ]

AD NOCTURNUM.

*Invitat.* Sedentem ad déxteram majestátis Dei Jesum, * Veníte, adorémus, allelúia. *Hebr.* 1.

*Ps.* 94. Veníte. 2.

*Hymnus.*

O CHRISTE, qui noster poli
Præcursor intras régiam,
Quos hîc jacentes réspicis,
Sursum voca, sursum rape.

Ad illa fac nos cúrrere
Amóre casto gáudia,
Terréna quæ mens non capit,
Quæ sola pérspicit fides.

Ubi labórum præmium
Dat ipse se suis Deus;
Et ut beátos éxpleat,
In ómnibus fit ómnia.

Qui nos ad istam grátiâ
Ducat potenti glóriam,
Tu, de supernis sédibus
Da, Christe, nobis Spíritum.

Qui Patris ad dextram sedes,
Jesu, tibi sit glória
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.

*Psalmi è III. Nocturno Sabb. sub sola Ant.* 7. c. Qui credit in me, flúmina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit Jesus de Spíritu quem acceptúri erant credentes in eum, allelúia. *Joan.* 7.

℣. Quemádmodum desíderat cervus ad fontes aquárum, ℟. Ita desíderat ánima mea ad te, Deus. *Ps.* 41.

De Epístola prima beáti Joannis Apóstoli.

*Lectio j.* Cap. 3.

Qui habúerit substántiam hujus mundi, & víderit fratrem suum necessitátem habére, & cláuserit víscera sua ab eo, quómodò cáritas Dei manet in eo? Filioli mei, non diligámus verbo, neque linguâ, sed ópere & veritáte. In hoc cognóscimus quóniam ex veritáte sumus; & in conspectu ejus suadébimus corda nostra. Quóniam si reprehénderit nos cor nostrum, major est Deus corde nostro, & novit ómnia. Carissimi, si cor nostrum non reprehénderit nos, fidúciam habémus ad Deum: & quidquid petiérimus, accipiémus ab eo; quóniam mandáta ejus custódimus, & ea quæ sunt plácita coram eo fácimus. Et hoc est mandátum ejus: Ut credámus in nómine Filii ejus Jesu Christi, & diligámus altérutrum, sicut dedit mandátum nobis. Et qui servat mandáta ejus, in illo manet, & ipse in eo: & in hoc scimus quóniam manet in nobis de Spíritu quem dedit nobis.

℟. Effundam aquas super sitientem, & fluenta super áridam: effundam Spíritum meum, * Et germinábunt quasi sálices juxta præterfluentes aquas, allelúia, allelúia. ℣. Fiet fons aquæ salientis in vitam æternam; * Et germinábunt. *Is.* 44. *Joan.* 4.

*Lectio ij.* Cap. 4.

Carissimi, nolite omni spíritui crédere, sed probáte spíritus si ex Deo sint; quóniam multi pseudoprophétæ exiérunt in mundum. In hoc cognóscitur Spíritus Dei. Omnis spíritus qui confitétur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est: & omnis spíritus qui solvit Jesum, ex Deo non est, & hic est Antichristus, de quo audístis quóniam venit; & nunc jam in mundo est. Vos ex Deo estis, filioli, & vicístis eum; quóniam major est qui in vobis, quàm qui in mundo. Ipsi de mundo sunt: ídeò de

mundo loquuntur, & mundus eos audit.

℟. Cùm vénerit Spíritus veritátis, * docébit vos omnem veritátem; & quæ ventúra sunt annuntiábit vobis, allelúia, allelúia. ℣. Ténebræ & palpátio in æternum, donec effundátur Spíritus de excelso. * Docébit vos omnem veritátem. *Joan. 16. Is. 32.*

Léctio sancti Evangélii secundum Joannem.

*Lectio iij.* Cap. 14.

IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Si dilígitis me, mandáta mea serváte; & ego rogábo Patrem, & álium Paraclétum dabit vobis. Et réliqua.

Sermo sancti Augustíni Episcopi.

*In Joan. Tract. 74. n. 4.*

QUod ait, Rogábo Patrem, & álium Paraclétum dabit vobis; ostendit & se ipsum esse Paraclétum. Paraclétus enim Latínè dicitur Advocátus; & dictum est de Christo: Advocátum habémus ad Patrem, Jesum Christum justum. Sic autem mundum dixit non posse accípere Spíritum sanctum, sicut étiam dictum est: Prudéntia carnis inimica est in Deum, legi enim Dei non est subjecta, nec enim potest; velut si dicámus: Injustítia justa esse non potest. Mundum quippe ait hoc loco, mundi significans dilectóres; quæ diléctio non est à Patre. Et ídeò dilectióni hujus mundi, de qua satis ágimus ut minuátur & consumátur in nobis, contrária est diléctio Dei quæ diffúnditur in córdibus nostris per Spíritum sanctum qui datus est nobis.

℟. Si dilígitis me, mandáta mea serváte: * Et ego rogábo Patrem, & álium Paraclétum dabit vobis, ut máneat vobíscum in æternum, allelúia, allelúia. ℣. Dilígite Dóminum, omnes sancti ejus; & confortétur cor vestrum, omnes qui sperátis in Dómino: * Et. Glória. * Et. *Joan. 14. Ps. 30.*

Te Deum.

AD LAUDES, ET HORAS,

*Ps. de Sabb. excepto Cantico;*

*Ant.* 1. *f.* JOannes baptizávit aquâ, vos autem baptizábimini Spíritu sancto, allelúia. *Act. 1.*

*Ant.* 3. c. Spíritum non potest mundus accípere, quia non videt eum, nec scit eum; vos autem cognoscétis eum, allelúia. *Joan. 14.*

*Ant.* 7. *d.* Spíritus apud vos manébit, & in vobis erit. Non relinquam vos órphanos, allelúia. *Joan. 14.*

*Ant.* 4. a. Docébit vos.

*Canticum.* Isaïæ 59.

TImébunt qui ab occidente nomen Dómini, * & qui ab ortu solis glóriam ejus;

Cùm vénerit quasi flúvius violentus, * quem Spíritus Dómini cogit;

Et vénerit Sion Redemptor, * & eis qui rédeunt ab iniquitáte in Jacob, dicit Dóminus.

Hoc fœdus meum cum eis, * dicit Dóminus:

Spíritus meus qui est in te, & verba mea quæ pósui in ore tuo, * non recédent de ore tuo, & de ore séminis tui,

Et de ore féminis féminis tui, dicit Dóminus, * ámodò & usque in sempiternum.

*Ant.* Docébit vos ómnia, & súggeret vobis ómnia quæcumque díxero vobis, allelúia. *Joan.* 14.

*Ant.* 8. G. Ille me clarificábit; quia de meo accípiet, & annuntiábit vobis, allelúia. *Joan.* 16.

*Capitulum.* Sap. 9.

SEnsum tuum, Dómine, quis sciet? nisi tu déderis sapiéntiam, & míseris Spíritum sanctum tuum de altíssimis; & sic correctæ sint sémitæ eórum qui sunt in terris, & quæ tibi placent didícerint hómines.

*Hymnus.*

SUpreme Rector Cœlitûm,
Qui morte devictâ potens,
Cruóre signátam tuo
Ad astra pandis sémitam:
ALTO benignus è throno,
E Patris almi déxteiâ,
Quos hîc relinquis órphanos
Non intuéri désinas.
Nos, Christe, tot dolóribus
Quos parturísti, réspice,
Quos obstetrice lánceâ
Apertus effúdit sinus.
PARTA tuis labóribus
Jam tu potíris glóriâ:
Nunc hora; promíssum Patris
Nunc mitte nobis Spíritum.
QUI Patris ad dextram sedes,
Jesu, tibi sit glória
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.

℣. Non erubescant qui expectant te, Dómine, ℟. Dómine virtútum. *Ps.* 68.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 3. a. Qui díligit me, diligétur à Patre meo; & ego díligam eum, & manifestábo ei meipsum, allelúia. *Joan.* 14.

*Orátio.*

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut claritátis tuæ super nos splendor effúlgeat; & lux tuæ lucis corda eórum qui per grátiam tuam renáti sunt, sancti Spíritûs illustratióne confírmet; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte ejusdem Spíritûs sancti Deus, per ómnia sécula seculórum.

*AD HORAS.*

*Duplex II. Ordinis.*

*In fine Hymn. post Strophen* Da, Christe. *dicitur Doxologia:* Qui Patris ad dextram sedes, &c. *ut heri.*

AD PRIMAM.

*Ant.* Joannes.

℣. ℟. *br.* ℣. Qui sedes ad déxteram Patris.

AD TERTIAM.

*Ant.* Spíritum.

*Capitulum.* Sap. 1.

SPíritus sanctus disciplinæ effúgiet fictum, & áuferet se à cogitatiónibus quæ sunt sine intellectu, & corripiétur à superveniente iniquitáte: benignus est enim Spíritus sapiéntiæ.

℟. *br.* Ne projícias me à fácie tua, Dómine, * Allelúia, allelúia. Ne projícias. ℣. Et Spíritum sanctum tuum ne áuferas à me, * Allelúia. Glória. Ne projícias. *Ps.* 50.

℣. Viam iniquitátis amóve à me: ℟. Et de lege tua miserére mei. *Ps.* 118.

AD

## AD SEXTAM.

*Ant.* Spíritus.

*Capitulum.* Ezech. 36.

SPíritum meum ponam in médio vestrî; & fáciam ut in præceptis meis ambulétis, & judícia mea custodiátis, & operémini.

℟. *br.* Spíritus tuus bonus deducet me in terram rectam, * Allelúia, allelúia. Spíritus. ℣. Propter nomen tuum vivificábis me in æquitáte tua, * Allelúia. Glória Patri. Spíritus.

℣. Doce me fácere voluntátem tuam, ℟. Quia Deus meus es tu. *Ps.* 142.

## AD NONAM.

*Ant.* Ille.

*Capitulum.* Act. 1.

ACcipiétis virtútem supervenientis Spíritus sancti in vos, & éritis mihi testes in Jerúsalem, & in omni Judæa & Samaría, & usque ad últimum terræ.

℟. *br.* Dabit Dóminus voci suæ vocem virtútis, * Allelúia, allelúia. Dabit. ℣. Date glóriam Deo, * Allelúia. Glória. Dabit. *Ps.* 67.

℣. Turbabuntur gentes, ℟. Et timébunt à fignis tuis. *Ps.* 64.

*Oratio.* Præsta. *ut suprà.*

# IN DIE SANCTO
# PENTECOSTES.

## *SOLEMNE I. ORDINIS.*

IN I. VESPERIS.
*Psalmi de Feria.*

*Ant.* Spíritus meus erit in 5. C. médio vestrûm. Nolíte timére, dicit Dóminus exercituum. Allelúia. *Ag.* 2.

*Ant.* 6. Effundam super domum David, & super habitatóres Jerúsalem Spíritum grátiæ & precum, & aspícient ad me quem confixérunt, Allelúia. *Zach.* 12.

*Ant.* 1. D. Dabo vobis cor novum, & Spíritum novum ponam in medio vestrî. Allelúia. *Ezech.* 36.

*Ant.* 8. G. Auferam cor lapídeum de carne vestra, & dabo vobis cor cárneum. Allelúia. *Ezech.* 36.

*Ant.* 4. E. Dispérdam nómina idolórum de terra, & non memorabuntur ultrà: & pseudoprophétas & spíritum immundum áuferam de terra. Allelúia.

*Capitulum.* Joël 2.

Effundam Spíritum meum super omnem carnem: & prophetábunt filii vestri & filiæ vestræ; senes vestri somnia somniábunt, & júvenes vestri visiónes vidébunt.

℟. Super servos meos & ancillas in diébus illis effundam Spíritum meum, * Et dabo prodígia in cœlo & in terra; & erit: † Omnis qui invocáverit nomen Dómini, salvus erit, allelúia, allelúia. ℣. Oportébat Christum pati, & resúrgere à mórtuis: vos autem testes estis horum; & ego mitto promíssum Patris mei in vos: * Et dabo. Glória Patri. † Omnis. *Joël.* 2. *Luc.* 24.

*Hymnus.*

VENI, superne Spíritus,
Cœleste méntium jubar,
Benigne páuperum pater,
Munus, datorque múnerum.

TU cordis hospes óptimus,
Dulcis labórum tu quies;
Tu flétibus quos élicis,
Divína misces gáudia.

O Veritátis Spíritus,
Fons sanctitátis, quo sine
A labe nullus integer,
Imple tuo nos Númine!

VENI, lava cor sórdidum,
Siccum riga, durum doma;
Reduc vagantes, frígidos
Accende, sana sáucios.

ADESTO te vocántibus;
Largíre septem múnera:
Pugnáre da, da víncere;
Victóribus da præmium.

SIT laus Patri, laus Fílio;
Sit & tibi laus, Spíritus,
Afflante quo, mentes sacris
Lucent & ardent ígnibus.
Amen.

℣. Emittes spíritum tuum,

& creabuntur ℟. Et renovábis fáciem terræ. *Ps.* 103.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 1. D. Ecce dies vénient, & hoc erit pactum quod fériam cum domo Israël: Dabo legem meam in viscéribus eórum, & in corde eórum scribam eam. *Jerem.* 31.

*Oratio, ut infrà ad Laudes.*

## AD COMPLETORIUM.

*Super tres Psalmos de Dominica, per totam Hebdomadam, Ant.* 7. *d.* Spíritum tuum bonum dedísti, Dómine, qui docéret eos, allelúia. 2. *Esdr.* 9.

*Hymnus*, Jesu redemptor séculi. 27. *cum Doxologia sequenti, quæ dicitur usque ad Vesperas Sabbati sequentis exclusivè ad omnes Horas, in fine Hymnorum ejusdem metri.*

Sit laus Patri, laus Fílio:
Par sit tibi laus, Spíritus,
Afflante quo, mentes sacris
Lucent & ardent ignibus.
Amen.

*Ad* Nunc dimittis. *dicitur hæc Antiphona usque ad Completorium Sabbati sequentis exclusivè. Ant.* 6. O quàm bonus & suávis est, Dómine, Spíritus tuus in ómnibus! allelúia. *Sap.* 12.

## AD OFFICIUM NOCTUR.

*Invit.* Allelúia, Spíritus Dómini replévit orbem terárum, * Veníte, adorémus. allelúia. *Sap.* 1.

*Ps.* 94. Veníte 2.

*Hymnus.*

Æther insólito quid
sonat ímpetu!
Quâ stant Discípuli concútitur domus;
Nil mortále sonans péctora Spíritus
Sancto flámine cónsecrat.
Illapsu própero córdibus hóspitem,
Fœtum divítiis se Deus ínserit;
Vitæ fons récreat, quos amor hóstiam
Almis ímmolat ignibus.
Demissos ut amat lámbere vértices,
Linguis quanta tegit múnera flámmeis!
Mentes luce suâ pérmeat íntimas,
Et cor róbore prótegit.
Dispar facta sibi, plenaque Númine,
Jam linguis váriis turba tonat Deum;
Quo donante loqui grándia, díssitæ
Gentes prodígio stupent.
Signis aucta fidem parturiéntibus
Gaudet progénies, quam regit una mens;
Quam spes una movet, firmaque cólligit
Casto fœdere cáritas.
Sit laus summa Patri, summaque Fílio;
Par sit, sancte, tibi glória, Spíritus;
Adsis, munéribus nos réfove tuis,
Et dona nova péctora.
Amen.

*Ant.* 7. *d.* Vox Dómini.

*Psalmus* 28.

Afferte Dómino, filii Dei, * afferte Dómino filios aríetum.

Afferte Dómino glóriam & honórem, afferte Dómino glóriam nómini ejus; * ado-

ráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Vox Dómini super aquas, Deus majestátis intonuit : * Dóminus super aquas multas.

Vox Dómini in virtúte : * vox Dómini in magnificéntia.

Vox Dómini confringentis cedros : * & confringet Dóminus cedros Líbani.

Et comminuet eas tamquam vítulum Líbani, * & dilectus quemádmodum fílius unicórnium.

Vox Dómini intercidentis flammam ignis, vox Dómini concutientis desértum : * & commovébit Dóminus desértum Cades.

Vox Dómini præparantis cervos, & revelábit condensa ; * & in templo ejus omnes dicent glóriam.

Dóminus dilúvium inhabitáre facit, * & sedébit Dóminus rex in æternum.

Dóminus virtútem pópulo suo dabit : * Dóminus benedícet pópulo suo in pace.

*Ant.* Vox Dómini in virtúte ; vox Dómini in magnificéntia : Dóminus virtútem pópulo suo dabit ; Dóminus benedícet pópulo suo, allelúia.

*Ant.* 1. g. Dicat vocem.

*Psalmus* 45.

DEus noster refúgium & virtus ; * adjútor in tribulatiónibus quæ invenérunt nos nimis.

Proptérea non timébimus dum turbábitur terra, * & transferentur montes in cor maris.

Sonuérunt & turbátæ sunt aquæ eórum, * conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei : * sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Deus in médio ejus, non commovébitur ; * adjuvábit eam Deus manè dilúculo.

Conturbátæ sunt gentes, & inclináta sunt regna : * dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtútum nobíscum : * susceptor noster Deus Jacob.

Veníte, & vidéte ópera Dómini, quæ póstuit prodigia super terram ; * áuferens bella usque ad finem terræ.

Arcum cónteret, & confringet arma, * & scuta combúret igni.

Vacáte, & vidéte quóniam ego sum Deus : * exaltábor in géntibus, & exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobíscum : * susceptor noster Deus Jacob.

*Ant.* Dedit vocem suam, mota est terra : Dóminus virtútum nobíscum : veníte, & vidéte quæ póstuit prodigia super terram, allelúia.

*Ant.* 8. G. Sicut audívimus.

*Psalmus* 47.

MAgnus Dóminus, & laudábilis nimis, * in civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus.

Fundátur exultatióne universæ terræ mons Sion, * látera Aquilónis, cívitas Regis magni.

Deus in dómibus ejus cognoscétur,* cùm suscípiet eam.

Quóniam ecce reges terræ congregáti sunt : * convenérunt in unum.

Ipsi vidéntes sic admiráti sunt, conturbáti sunt, commóti sunt : * tremor apprehendit eos.

Ibi dolóres ut parturiéntis : * in spíritu vehementi cónteres naves Tharsis.

Sicut audívimus, sic vídimus in civitáte Dómini virtútum, in civitáte Dei nostri : * Deus fundávit eam in ætérnum.

Suscépimus, Deus, miseri córdiam tuam * in médio templi tui.

Secundùm nomen tuum, Deus, sic & laus tua in fines terræ : * justítiâ plena est déxtera tua.

Lætétur mons Sion, & exultent fíliæ Judæ * propter judícia tua, Dómine.

Circúmdate Sion, & complectímini eam : * narráte in túrribus ejus.

Pónite corda vestra in virtúte ejus : * & distribúite domos ejus, ut enarrétis in progénie áltera.

Quóniam hic est Deus, Deus noster in ætérnum, & in séculum séculi ; * ipse reget nos in sécula.

*Ant.* Sicut audívimus, sic vídimus in civitáte Dómini virtútum, allelúia : lætétur mons Sion, quóniam hic est Deus, Deus noster, allelúia, allelúia.

℣. Terra mota est, cœli distillavérunt ℟. A fácie Dei Sínaï, à fácie Dei Israël. *Ps.* 67.

De Actibus Apostolórum.

*Lectio j.* Cap. 2.

CUm complerentur dies Pentecostes, erant omnes páriter in eódem loco : & factus est repentè de cœlo sonus tanquam advenientis spíritûs vehementis, & replévit totam domum ubi erant sedentes. Et apparuérunt illis dispertítæ linguæ tanquam ignis, seditque supra síngulos eórum : & repléti sunt omnes Spíritu sancto, & cœpérunt loqui váriis linguis, prout Spíritus sanctus dabat éloqui illis. Erant autem in Jerúsalem habitántes Judæi, viri religiósi ex omni natióne quæ sub cœlo est. Factâ autem hâc voce, convénit multitúdo, & mente confúsa est, quóniam audiébat unusquísque linguâ suâ illos loquentes. Stupébant autem omnes, & mirabantur, dicentes : Nonne ecce omnes isti qui loquuntur, Galilæi sunt ? & quómodò nos audívimus unusquísque linguam nostram, in qua nati sumus ? Parthi, & Medi, & Elamítæ, & qui hábitant Mesopotámiam, Judæam, & Cappadóciam, Pontum, & Asiam, Phrygiam, & Pamphyliam, Ægyptum, & partes Líbyæ quæ est circa Cyrénen, & advenæ Románi, Judæi quoque, & Prosélyti, Cretes, & Arabes, audívimus eos loquentes nostris linguis magnália Dei.

℟. Numerábitis vobis ab áltero die Sábbati azymórum quinquaginta dies : & sic offerétis sacrifícium novum Dómino ; & * Vocábitis hunc

diem celebérrimum atque sanctíssimum, allelúia, allelúia. ℣. Cùm complerentur dies Pentecostes, erant omnes páriter in eódem loco; & repléti sunt Spíritu sancto: * Vocábitis. Glória Patri. * Vocábitis. *Levit.* 23. *Act.* 2.

Sermo sancti Leónis Papæ.

*Sermo* 1. *de Pentecoste.*

*Lectio ij.*

HOdiernam solemnitátẽ, dilectíssimi, in præcípuis festis esse venerandam, ómnium Catholicórum corda cognoscunt. Nec dúbium est, quanta huic diéi reveréntia debeátur, quem Spíritus sanctus excellentíssimo sui múneris miráculo consecrávit. Nam & ab illo die, quo Dóminus super omnem cœlórum altitúdinem ad déxteram Dei Patris conséssurus ascendit, décimus iste est, qui ab ejusdem Resurrectióne quinquagésimus nobis in eo, à quo cœpit, illuxit, magna mystéria in se & véterum sacramentórum cóntinens, & novórum, quibus manifestíssimè declarátur & grátiam prænuntiátam fuisse per legem, & legem implétam esse per grátiam. Sicut enim Hebræo quondam pópulo ab Ægyptiis liberáto, quinquagésimo die post immolatiónem agni, lex data est in monte Sinaï; ita post Passiónem Dómini, quâ verus Dei Agnus occísus est, quinquagésimo à Resurrectióne ipsíus die, in Apóstolos plebemque credéntium Spíritus sanctus illapsus est: ut fácilè diligens christiánus agnoscat inítia véteris testamenti Evangélicis ministrásse príncipiis, & ab eódem Spíritu cónditum fuisse fœdus secundum, à quo primum fúerat institútum. Nam sicut Apostólica testátur história, ab hoc die tuba Evangélicæ prædicatiónis intónuit; ab hoc die imbres charísmatum, flúmina benedictiónum, omne desértum & universam áridam rigavérunt.

℟. Factus est repentè de cœlo sonus tanquam advenientis spíritûs vehementis: * Sedit ignis supra singulos eórum; & † Cœpérunt loqui váriis linguis, prout Spíritus sanctus dabat éloqui illis, allelúia, allelúia. ℣. Dóminus de Sinaï venit; in déxtera ejus ígnea lex: & qui appropinquant pédibus ejus, accípient de doctrína illíus. * Sedit. Glória. † Cœpérunt. *Act.* 2. *Deut.* 33.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

*Lectio iij.* Cap. 14.

IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Si quis díligit me, sermónem meum servábit, & Pater meus díliget eum. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

*In Evang.* 30. *habit. die Pent. in Basílica S. Petri, n.* 1.

HÓdie Spíritus sanctus repentíno sónitu super discípulos venit, mentesque carnálium in sui amórem permutávit: & foris apparéntibus linguis ígneis, intùs facta sunt corda flammántia; quia dum Deum in ignis visióne suscípiunt, per amórem suáviter arsérunt. Ipse namque

Spíritus ſanctus amor eſt. Unde & Joannes dicit: Deus cáritas eſt. Qui ergo mente íntegrâ Deum desíderat, profectò jam habet quem amat. Neque enim quiſquam poſſet Deum dilígere, ſi eum quem díligit, non habéret. Sed ecce, ſi unuſquiſque veſtrùm requirátur an díligat Deum, totâ fidúciâ & ſecúrâ mente reſpondet, Díligo. In ipſo autem lectiónis exórdio audiſtis quid Véritas dicat: Si quis díligit me, ſermónem meum ſervábit. Probátio ergo dilectiónis, exhibítio eſt óperis. Hinc in Epístola ſua idem Joannes dicit: Qui dicit, Diligo Deum, & mandáta ejus non cuſtódit, mendax eſt. Verè étenim Deum diligimus, ſi ad mandáta ejus nos à noſtris voluptátibus coarctámus. Nam qui adhuc per illícita deſidéria diffluit, profectò Deum non amat; quia ei in ſua voluntáte contradícit.

℟. Qui ſervat mandáta Dei, in illo manet, & ipſe in eo; * Et in hoc ſcimus quóniam manet in nobis de Spíritu quẽ dedit nobis, allelúia, allelúia. ℣. Deus creávit ſapiéntiam in Spíritu ſancto, & effúdit illam ſuper omnem carnem, & præbuit illam diligéntibus ſe; * Et in hoc. Glória Patri. * Et in hoc. *Repetitur* ℟. Qui ſervat. *uſque ad* ℣. Deus creávit. 1. *Joan.* 3. *Eccli.* 1.

Te Deum.

## AD LAUDES.

*Pſalmi de Dominica.*

*Ant.* 8. G. ERant Apóſtoli perſeverantes unanímiter in oratióne cum muliéribus, & Maríâ matre Jeſu, & frátribus ejus, allelúia. *Act.* 1.

*Ant.* 5. C. Sonus replévit totam domum ubi erant ſedentes; & apparuérunt illis diſpertítæ linguæ tanquam ignis, allelúia. *Act.* 2.

*Ant.* 1. *f.* Audiébat unuſquiſque linguâ ſuâ illos loquentes, allelúia. *Act.* 2.

*Ant.* 2. *D.* Stupébant,

*Canticum.* Judith 16.

HYmnum cantémus Dómino, * hymnum novum cantémus Deo noſtro.

Adónaï Dómine, magnus es tu, & præclárus in virtúte tua, * & quem ſuperáre nemo poteſt.

Tibi ſérviat omnis creatúra tua; * quia dixiſti, & facta ſunt.

Miſiſti Spíritum tuum, & creáta ſunt; * & non eſt qui reſiſtat voci tuæ.

Montes à fundamentis movebuntur cum aquis: * petræ ſicut cera liqueſcent ante fáciem tuam.

Qui autem timent te, * magni erunt apud te per ómnia.

*Ant.* Stupébant omnes, & mirabantur, dicentes: Nonne ecce omnes iſti qui loquuntur, Galilæi ſunt? & quómodò nos audívimus unuſquiſque linguam noſtram in qua nati ſumus? allelúia. *Act.* 2.

*Ant.* 3. a. Audívimus eos loquentes noſtris linguis magnália Dei, allelúia, allelúia. *Act.* 2.

*Capitulum.* Apoc. 2.

QUi habet aurem, áudiat quid Spíritus dicat Eccléſiis.

*Hymnus.*

AUDIMUR: almo Spíritus
Descendit è sinu Patris,
Ægrisque fert mortálibus,
Promissa cœli múnera.

QUOT próditur miráculis
Præsentis adventus Dei!
Jam tota sublími domus
Repentè flatu pérsonat.

PURO cadúcus æthere,
Candentis ad linguæ modum,
In considentûm vérticem
Ignítus imber dépluit.

QUÆ flamma summas álluit
Innóxio tactu comas,
Hæc glíscit arcánis simul
In pectus & mentem viis.

STUPENTE turbâ géntium,
Linguis loquuntur ómnibus:
Vatum crepant orácula;
Quidquid profantur, ignis est.

INTER profandum, Spíritus
In audientes írruit,
Instincta quo passim nova
Surgit Prophetárum seges.

SIT laus Patri; laus Filio:
Par sit tibi laus, Spíritus,
Affiante quo, mentes sacris
Lucent & ardent ígnibus.
Amen.

℣. Dóminus dabit verbum evangelizántibus ℟. Virtúte multâ. *Ps.* 67.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 7. *G.* Non hi, sicut vos æstimátis, ébrii sunt; sed hoc est, quod dictum est per Prophétam: Effundam de Spíritu meo super omnem carnem, allelúia. *Act.* 2.

*Oratio.*

DEus, qui hodiernâ die corda fidélium sancti Spíritus illustratióne docuísti: da nobis in eódem Spíritu recta sápere, & de ejus semper consolatióne gaudére; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte ejusdem.

*AD HORAS, in fine Hymnor. Doxolog.* Sit laus Patri, &c. *sine Strophe* Da, Christe.

*Psalmi de Dominica.*

AD PRIMAM.

*Ant.* Erant Apóstoli.

*Non dicitur Symbolum* Quicumque.

*In* ℟. *br.* ℣. Qui de Spíritu tuo dedísti nobis, * Allelúia, allelúia. 1. *Joan.* 4.

AD TERTIAM.

*Loco Hymni* O fons. *dicitur sequens hodie, & per Octavam.*

VENI, creátor Spíritus,
Mentes tuórum vísita,
Imple supernâ grátiâ
Quæ tu creásti pectóra.

QUI Paraclétus díceris,
Donum Dei altíssimi,
Fons vivus, ignis, cáritas,
Et spiritális únctio.

TU septiformis múnere,
Dextræ Dei tu dígitus,
Tu ritè promissum Patris,
Sermóne ditans gúttura.

ACCENDE lumen sénsibus,
Infunde amórem córdibus,
Infirma nostri córporis
Virtúte firmans pérpeti.

HOSTEM repellas lóngiùs,
Pacemque dones prótinus;
Ductóre sic te prævio,
Vitémus omne nóxium.

PER te sciámus da Patrem,
Noscámus atque Filium:
Te utriusque Spíritum
Credámus omni témpore.

SIT laus Patri; laus Filio:
Par sit tibi laus, Spíritus,
Affiante quo, mentes sacris
Lucent & ardent ígnibus.
Amen.

*Ant.* Sonus.

*Capitulum.* 2. Cor. 3.

SI miniſtrátio mortis litteris deformáta in lapídibus, fuit in glória, ita ut non poſſent intendere filii Iſraël in fáciem Móyſi, propter glóriam vultûs ejus, quæ evacuátur; quómodò non magis miniſtrátio Spíritûs erit in glória?

℟. *brev.* Intónuit de cœlo Dóminus, * Allelúia, allelúia. Intónuit. ℣. Et Altíſſimus dedit vocem ſuam, * Allelúia. Glória. Intónuit.

℣. Commóta eſt & contrémuit terra: ℟. Ignis à fácie ejus exarſit. *Pſ.* 17.

AD SEXTAM.

*Ant.* Audiébat.

*Capitulum.* 1. Cor. 12.

ALii quidem per Spíritum datur ſermo ſapiéntiæ: álii autem ſermo ſciéntiæ ſecundùm eumdem Spíritum: álteri fides in eódem Spíritu: álii grátia ſanitátum in uno Spíritu: álii operátio virtútum, álii prophetía, álii diſcrétio ſpirituum, álii génera linguárum, álii interpretátio ſermónum.

℟. *br.* Non ſunt loquélæ neque ſermónes, * Allelúia, allelúia. Non ſunt. ℣. Quorum non audiantur voces eórum, * Allelúia. Glória. Non ſunt.

℣. In omnem terram exívit ſonus eórum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum. *Pſ.* 18.

AD NONAM.

*Ant.* Audívimus.

*Capitulum.* 1. Cor. 2.

QUæ Dei ſunt nemo cognóvit, niſi Spíritus Dei. Nos autem non ſpíritum hujus mundi accépimus, ſed Spíritum qui ex Deo eſt, ut ſciámus quæ à Deo donáta ſunt nobis; quæ & lóquimur, non in doctis humánæ ſapiéntiæ verbis, ſed in doctrína Spíritûs.

℟. *br.* Annuntiavérunt ópera Dei, * Allelúia, allelúia. Annuntiavérunt. ℣. Et facta ejus intellexérunt. * Allelúia. Glória. Annuntiavérunt.

℣. Conturbáti ſunt omnes qui vidébunt eos; ℟. Et timuit omnis homo. *Pſ.* 64.

AD II. VESPERAS.

*Pſalmi de Dominica.*

*Ant.* 4. E. DExterâ Dei exaltátus Jeſus, & promiſſióne Spíritûs ſancti acceptâ à Patre, effúdit hunc quem vos vidétis & audítis, allelúia. *Act.* 2.

*Ant.* 1. A. Sanctificáti eſtis in nómine Dómini noſtri Jeſu Chriſti, & in Spíritu Dei noſtri, allelúia. 1. *Cor.* 6.

*Ant.* 3. a. Signáti eſtis Spíritu promiſſiónis ſancto, qui eſt pignus hæreditátis noſtræ, in redemptiónem acquiſitiónis, allelúia. *Epheſ.* 1.

*Ant.* 5. C. Unxit nos Deus, & dedit pignus Spíritûs in córdibus noſtris, allelúia. 2. *Cor.* 1.

*Ant.* 6. Spíritus teſtimónium reddit Spíritui noſtro, quod ſumus filii Dei, allelúia. *Rom.* 8.

*Capitulum.* Tit. 3.

SEcundùm ſuam miſericórdiam ſalvos nos fecit Deus per lavácrum regeneratiónis, & renovatiónis Spíritûs ſancti, quem effúdit in nos abundè per Jeſum Chriſtum ſalvatórem noſtrum; ut juſtificáti

grátiâ ipsíus, hærédes símus secundùm spem vitæ æternæ.

*Hymnus.*

QUò vos Magistri glória, quò salus
Invítat orbis, sancta cohors, Dei
Portáte verbum : vos reposcit
Prima seges, pia cura fratrum.
PROH ! quanta messis prótinus éxtitit !
Ter mille verbum concípiunt viri :
Deoque maturante, reddunt
Multíplicem, bona terra, fructum.
COMPUNCTA passim péctora flétibus
Mœrent amáris, atque piáculo
Ardent salutáris lavácri
Prætéritas abolére labes.
AT non Hebræis limítibus sacer
Hærébit ardor. Sol habitábiles
Quà lustrat oras, hàc triumphis
Matéries patet ampla vestris.
JAM mille divûm templa solo ruunt :
Cedit superbæ vis sapiéntiæ,
Cedunt tyranni : victa cedit
Carnífícum rábies furentûm.
NOVUM potentis grátia Spíritûs
Creávit orbem : nos quoque, nos tuæ
Succendat ardor caritátis,
Alme Deus, renovetque totos.
SIT summa Patri, summaque Filio ;
Sit, sancte, compar laus tibi, Spíritus,
Quo dura miteſcunt, novasque
Concípiunt pia corda flammas. Amen.

℣. Confirma hoc, Deus, quod operátus es in nobis, ℟. A templo tuo in Jerúsalem. *Psſ.* 67.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 1. D. Det vobis Deus virtúte corroborári per Spíritum ejus in interiórem hóminem ; ut in caritáte radicáti & fundáti, impleámini in omnem plenitúdinem Dei, allel. *Ephes.* 3.

*Oratio, ut suprà ad Laudes.*

COMPLETORIUM, *ut suprà.* 407.

## DIEBUS
## INTRA OCT. PENTECOSTES.

*Omnia ut in die*, 407. *exceptis quæ sequuntur.*

### AD NOCTURNUM.

*Invitat.* Allelúia : Spíritus Dómini replévit orbem terrárum : * Veníte, adorémus, allelúia. *Sap.* 1.

*Psſ.* 94. Veníte. 2.

*Tres Psalmi, ut distribuuntur infrà in qualibet Feria.*

*Feriâ ij. & iij. in quibus Officium fit ritu Duplici, dicuntur tres Antiphonæ sequentes.*

*Ant.* 8. c. Ecclésia ædificabátur ámbulans in timóre Dómini, & consolatióne sancti Spíritûs replebátur, allelúia. *Act.* 9.

*Ant.* 7. d. Et in natiónes grátia Spíritûs sancti effúsa est, allelúia. *Act.* 10.

*Ant.* 3. g. Imponébant Apóstoli manus super baptizátos, & accipiébant Spíritum sanctum, allelúia. *Act.* 8.

*Feriâ iv. dicitur tantùm tertia ex ejusmodi Antiphonis super tres Psalmos: Feriâ v. dicitur prima; Feriâ vj. dicitur secunda, & Sabbato tertia.*

℣. Auxit Dóminus pópulum suum vehementer, ℟. Et firmávit eum super inimícos ejus. *Ps.* 104.

*Lectiones & ℟.℟. ut notantur infrà in qualibet Feria.*

Te Deum.

AD LAUDES.

*Antiph. & Psalm. cum Cantico, ut in die.* 407.

*Antiph. ad* Benedictus. *& Oratio, infrà in qualibet Feria.*

*AD HORAS, ut in die, præter Orationem.*

CANON, *ut cuilibet Feriæ assignatur ad calcem Volum.*

AD VESPERAS.

*Antiph. & Psalm. cum ceteris, ut suprà in Festo Pentecostes,* 403.

*Antiph. ad* Magníficat. *& Oratio, infrà in qualibet die.*

COMPLETORIUM, *ut suprà.* 407.

FERIA SECUNDA.

*Duplex I. Ordinis.*

Ad Nocr. *Psalmi è I. Nocturno Dominicæ.* 2.

De Epístola prima beáti Joannis Apóstoli.

*Lectio j.* Cap. 4.

NOs ex Deo sumus. Qui novit Deum, audit nos, qui non est ex Deo, non audit nos: in hoc cognóscimus Spíritum veritátis, & spíritum erróris. Caríssimi, diligámus nos ínvicem; quia cáritas ex Deo est. Et omnis qui díligit, ex Deo natus est, & cognóscit Deum. Qui non díligit, non novit Deum; quóniam Deus cáritas est. In hoc appáruit cáritas Dei in nobis, quóniam Fílium suum unigénitum misit Deus in mundum, ut vivámus per eum. In hoc est cáritas: non quasi nos dilexérimus Deum, sed quóniam ipse prior dilexit nos, & misit Fílium suum propitiatiónem pro peccátis nostris. Caríssimi, si sic Deus dilexit nos, & nos debémus altérutrum dilígere.

℟. Petrus cum Undecim locútus est eis: Pœniténtiam ágite, * Et baptizétur unusquísque vestrûm in remissiónem peccatórum; & accipiétis donum Spíritûs sancti, allelúia, allelúia. ℣. Usquequò stulti ea quæ sibi sunt nóxia cúpient? Convertímini ad correptiónem meam, * Et. *Act.* 2. *Prov.* 1.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

*Tom.* 5. *Serm.* 269. *aliàs* 21. *de Pentec. III. n.* 3. *&* 4.

*Lectio ij.*

HAbétis baptismum Christi: venite ut habeátis & Spíritum Christi. Timéte quod scriptum est: Quisquis autem Spíritum Christi non habet, hic non est ejus. Induístis Christum formâ sacramenti, indúite imitatióne exempli; quóniam Christus pro nobis passus est relinquens nobis

exemplum, ut sequámur vestígia ejus. Nolíte esse habéntes formam pietátis, virtútem autem ejus abnegántes. Quæ autem major est virtus pietátis, quàm cáritas unitátis? Vidémini vobis dícere: Dóminus Jesus. Et fortè non intelligentes atténditis ad id quod Apóstolus ait: Nemo dicit, Dóminus Jesus, nisi in Spíritu sancto. Sed hoc quod ait, Dicit, signátè pósitum est, & próprio quodam modo. Nemo enim dicit, Dóminus Jesus, nisi in Spíritu sancto; sed si dicit factis, non solis verbis. Nam possunt dícere, Dóminus Jesus, étiam de quibus ait: Non omnis qui dicit mihi, Dómine, Dómine, intrábit in regnum cœlórum. Sed, Nemo dicit, Dóminus Jesus, nisi in Spíritu sancto: nemo planè, sed eo modo quod dictum est, id est, factis. Unde secútus adjunxit, Sed is qui facit voluntátem Patris mei qui in cœlis est, ipse intrábit in regnum cœlórum. Tunc ergo vos sanctum Spíritum habére cognóscite, quando mentem vestram per sincéram caritátem unitáti consentíritis hærére.

℟. Qui recepérunt sermónem Petri, baptizáti sunt: erant autem perseverantes in doctrína Apostolórum; *Omnes étiam qui credébant, erant páriter, & habébant ómnia commúnia, allelúia, allelúia. ℣. Ecce quam bonum & quàm jucundum habitáre fratres in unum! quóniam illîc mandávit Dóminus benedictiónem. * Omnes. *Act.* 2. *Ps.* 132.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

*Lectio iij.* Cap. 3.

IN illo témpore; Dixit Jesus Nicodémo: Amen, amen dico tibi; nisi quis renátus fúerit ex aqua & Spíritu sancto, non potest introíre in regnum Dei. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

*In Joan. Tract.* 11. *num.* 5.

DIcit Dóminus Nicodémo, & expónit ei: Amen, amen dico tibi; nisi quis renátus fúerit ex aqua & Spíritu, non potest introíre in regnum Dei. Tu, inquit, carnálem generatiónem intélligis, cùm dicis: Numquid potest homo redíre in víscera matris suæ? Ex aqua & Spíritu oportet ut nascátur propter regnum Dei. Si propter hæreditátem patris hóminis temporálem náscitur, nascátur ex viscéribus matris carnális: si propter hæreditátem Patris Dei sempiternam, nascátur ex viscéribus Eccléfiæ. Génerat per uxórem fílium pater moritúrus succeſſúrum; génerat Deus de Eccléfia filios non succeſſúros, sed secum manſúros. Et séquitur: Quod natum est de carne, caro est; & quod natum est de Spíritu, spíritus est. Spiritáliter ergo nascimur, & in Spíritu náscimur verbo & sacramento.

℟. Quod natum est ex carne, caro est; & quod natum est ex Spíritu, spíritus est. Non miréris quia dixi: Oportet vos nasci dénuò. *Spíritus ubi vult spirat, allelúia, allel. ℣. Quis adjúvit Spíritum Dómini? aut

quis consiliárius ejus fuit, & ostendit illi? * Spíritus. Glória. * Spíritus. *Joan.* 3. *Is.* 40.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 8. G. Spíritus ubi vult spírat; & vocem ejus audis, sed nescis unde véniat, aut quò vadat: sic est omnis qui natus est ex Spíritu, allelúia. *Joan.* 3.

*Oratio.*

DEus, totíus cónditor creatúræ, fámulos tuos quos fonte renovásti baptísmatis, quosque Spíritûs sancti plenitúdine solidásti, in adoptiónis sorte fácias, quæsumus, digner anter ascríbi; Per Dóminum .... in unitáte ejusdem.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 8. G. Non misit Deus Fílium suum in mundum, ut júdicet mundum, sed ut salvétur mundus per ipsum, allelúia. *Joan.* 3.

*Oratio, ut supra.*

FERIA TERTIA.

*Duplex I. Ordinis.*

Ad Nocr. *Psalmi è II. Noctur. Dominica.* 4.

De Epístola prima beáti Joannis Apóstoli.

*Lectio j.* Cap. 4.

DEum nemo vidit unquam. Si diligámus ínvicem, Deus in nobis manet, & cáritas ejus in nobis perfecta est. In hoc cognóscimus, quóniam in eo manémus, & ipse in nobis, quóniam de Spíritu suo dedit nobis: & nos vidimus, & testificámur, quóniam Pater misit Fílium suum Salvatórem mundi. Quisquis confessus fúerit quóniam Jesus est Fílius Dei, Deus in eo manet, & ipse in Deo. Et nos cognóvimus, & credídimus caritáti quam habet Deus in nobis. Deus cáritas est: & qui manet in caritáte, in Deo manet, & Deus in eo. In hoc perfecta est cáritas Dei nobíscum, ut fidúciam habeámus in die judícii; quia sicut ille est, & nos sumus in hoc mundo. Timor non est in caritáte: sed perfecta cáritas foràs mittit timórem, quóniam timor pœnam habet. Qui autem timet, non est perfectus in caritáte. Nos ergo diligámus Deum, quóniã Deus prior dilexit nos.

℟. Dixérunt Apóstoli: Dómine, da servis tuis cum omni fidúcia loqui verbum tuum. Et cùm orassent, * Motus est locus in quo erant congregáti; & repléti sunt omnes Spíritu sancto, allelúia, allelúia. ℣. Illuxérunt coruscatiónes tuæ, Deus, orbi terræ; commóta est & contrémuit terra: * Motus. *Act.* 4. *Ps.* 76.

Sermo sancti Leónis Papæ. *De Pentecoste, Serm.* 1. C. 2.

*Lectio ij.*

REpléti sunt omnes Spíritu sancto, & cœpérunt loqui áliis linguis, prout Spíritus sanctus dabat éloqui illis. O quàm velox est sermo sapiéntiæ! & ubi Deus magíster est, quàm citò discitur quod docétur! Non est adhíbita interpretátio ad audiendum, non consuetúdo ad usum, non tempus ad stúdium; sed spirante ubi vóluit Spíritu veritátis, própriæ singulárum géntium voces factæ sunt in Ecclésiæ ore commúnes. Ab hoc ígitur die tuba evangélicæ prædicatiónis intónuit; ab hoc die imbres charísmatum, flúmina benedictiónum

omne desértum & universam áridam rigavérunt; quóniam ad renovandam fáciem terræ Spíritus Dei ferebátur super aquas; & ad véteres ténebras abigendas, novæ lucis fúlgura coruscábant, cùm micántium splendóre linguárum, & verbum Dómini lúcidum, & elóquium conciperétur ignítum, cui ad creandum intellectum, consumendumque peccátum, & efficácia illuminandi, & vis inesset urendi.

℟. Salus ab eis qui audiérunt confirmáta est, * Contestante Deo signis, & portentis, & váriis virtútibus, & Spíritûs sancti distributiónibus, allelúia, allelúia. ℣. Crevérunt, & quasi germinantes multiplicáti sunt; ac roboráti nimis, implevérunt terram, * Contestante. *Hebr.* 2. *Exod.* 1.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

*Lectio iij.* Cap. 10.

IN illo témpore; Dixit Jesus Phariséis: Amen, amen, dico vobis; qui non intrat per óstium in ovíle óvium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro: qui autem intrat per óstium, pastor est óvium. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Episcopi.

*In Joan. Tract.* 45. *num.* 2.

DOminus de grege suo, & de óstio quo intrátur ad ovíle, similitúdinem propósuit in hodierna lectióne. Dicant ergo pagáni: Bene vívimus. Si per óstium non intrant, quid prodest eis unde gloriantur? Ad hoc enim debet unicuique prodesse bene vívere, ut detur illi semper vívere; nam cui non datur semper vívere, quid prodest bene vívere? Quia nec bene vívere dicendi sunt, qui finem bene vivendi vel cæcitáte nésciunt, vel inflatióne contemnunt. Non est autem cuíquam spes vera & certa semper vivendi, nisi agnoscat vitam quæ est Christus, & per jánuam intret in ovile.

℟. Recordátus est Dóminus pópuli sui: eduxit eos cum pastóribus gregis sui: *Pósuit in médio ejus Spíritum Sancti sui, allelúia, allelúia. ℣. Ipse dedit pastóres & doctóres, ad consummatiónem sanctórum in opus ministérii, in ædificatiónem córporis Christi: * Pósuit. Glória. * Pósuit. *Is.* 63. *Ephes.* 4.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 2. D. Qui intrat per óstium, pastor est óvium: huic ostiárius áperit, & oves vocem ejus áudiunt, allelúia. *Joan.* 10.

*Oratio.*

DA, quæsumus, Ecclésiæ tuæ, miséricors Deus, ut sancto Spíritu congregáta: hostíli nullátenus incursióne turbétur; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte ejusdem Spíritûs sancti Deus, per ómnia sécula seculórum. ℟. Amen.

*Ad* Magnificat. *Ant.* 5. C. Per me si quis introíerit, salvábitur; & ingrediétur, & egrediétur, & páscua invéniet, allelúia. *Joan.* 10.

*Oratio, ut suprà.*

FERIA QUARTA
QUATUOR-TEMPORUM.
*Semiduplex.*

AD NOCT. *Psalmi è III. Nocturno Dominica. 6.*

De Epístola prima beáti Joannis Apóstoli.

*Lectio j.* Cap. 5.

TRes sunt qui testimónium dant in cœlo : Pater, Verbum, & Spíritus sanctus ; & hi tres unum sunt. Et tres sunt qui testimónium dant in terra : spíritus, & aqua, & sánguis ; & hi tres unum sunt. Si testimónium hóminum accípimus, testimónium Dei majus est ; quóniam hoc est testimónium Dei, quod majus est, quóniam testificátus est de Fílio suo. Qui credit in Fílium Dei, habet testimónium Dei in se. Qui non credit Fílio, mendácem facit eum ; quia non credit in testimónium, quod testificátus est Deus de Fílio suo. Et hoc est testimónium, quóniam vitam æternâ dedit nobis Deus. Et hæc vita in Fílio ejus est. Qui habet Fílium, habet vitam : qui non habet Fílium, vitam non habet. Hæc scribo vobis ; ut sciátis quóniam vitam habétis æternam, qui créditis in nómine Fílii Dei. Et hæc est fidúcia quam habémus ad eum ; quia quodcumque petiérimus secundum voluntátem ejus, audit nos. Et scimus quia audit nos quidquid petiérimus : scimus quóniâ habémus petitiónes quas postulámus ab eo.

℟. Loquente Petro, cécidit Spíritus sanctus super omnes qui audiébant verbum ; & obstupuérunt ex circumcisióne fidéles, quia * Et in natiónes grátia Spíritus sancti effúsa est, allelúia, allelúia. ℣. Non est apud Deum nostrum personárum accéptio ; * Et in natiónes. *Actor.* 10. 2. *Par.* 19.

De Sermóne sancti Leónis Papæ.

*De Jejun. Pent. Cap.* 1. & 3.

*Lectio ij.*

HOdiernam, dilectíssimi, festivitátem descensióne sancti Spíritûs consecrátam séquitur, ut nostis, solemne jejúnium, quod ánimis corporibusque curandis salúbriter institútum, devótâ nobis est observántiâ celebrandum. Replétis namque Apóstolis virtúte promissâ, & in corda eórum Spíritu veritátis ingresso, non ambígimus inter cétera cœléstis sacramenta doctrínæ, hanc spiritális continéntiæ disciplínam de Paracléti magistério primitus fuísse conceptam ; ut sanctificátæ jejúnio mentes conferendis sibi charismátibus fierent aptióres. Igitur post sanctæ dies lætítiæ, quos in honórem Dómini à mórtuis resurgentis, ac deinde in cœlos ascendentis, exégimus, postque perceptum sancti Spíritûs donum, salúbriter & necessáriè consuetúdo est ordináta jejúnii ; ut si quid fortè inter ipsa festivitátum gáudia négligens libertas & licéntia inordináta præsumpsit, hoc religiósæ abstinéntiæ censúra castíget : quæ ob hoc quoque studiósius exequenda est, ut illa in nobis quæ hâc die Ecclésiæ divínitus sunt

colláta, permáneant. Templum enim facti Spíritûs sancti, & majóre quàm unquam cópiâ divini flúminis irrigáti, nullis debémus concupíscéntiis vinci, nullis vítiis posſidéri, ut virtútis habitáculum nullâ sit contaminatióne pollútum.

℟. Qui novit corda Deus, teſtimónium perhíbuit géntibus, dans illis Spíritum sanctum, ſicut & nobis, * Et nihil diſcrévit inter nos & illos, fide purificans corda eórum, allelúia, allelúia. ℣. Parávit Dóminus brachium sanctum suum in óculis ómnium géntium; * Et. *Act.* 15. *Iſ.* 52.

Léctio sancti Evangélii ſecundùm Joannem.

*Lectio iij.* Cap. 6.

IN illo témpore; Dixit Jesus Judæis: Nemo poteſt veníre ad me, niſi Pater qui miſit me, tráxerit eum. Et réliqua

Homília sancti Auguſtíni Epíſcopi.

*In Joan. Tract. 26. n. 2. & 4.*

MAgna grátiæ commendátio. Nemo venit niſi tractus. Quem trahat & quem non trahat, quare illum trahat & illum non trahat, noli velle judicáre, ſi non vis errâre. Semel áccipe, & intéllige. Nondum tráheris? Ora ut traháris. Inde & hîc ſi advertis, noli te cogitáre invítum trahi: tráhitur ánimus & amóre. Nec timére debémus ne dicátur nobis, Quómodò voluntáte credo, ſi trahor? Ego dico: Parùm eſt voluntáte, étiam voluptáte tráheris. Quid eſt trahi voluptáte? Delectáre in Dómino, & dabit tibi petitiónes cordis tui. Eſt quædam voluptas cordis, cui panis dulcis eſt ille cœleſtis. Porrò ſi poétæ dicere licuit, Trahit ſua quemque voluptas, non necéſſitas, ſed voluptas; non obligátio, ſed delectátio: quantò fortiùs nos dicere debémus, trahi hóminem ad Chriſtum, qui delectátur veritáte, delectátur beatitúdine, delectátur juſtitiâ, delectátur ſempiternâ vitâ, quod totum Chriſtus eſt? Da deſiderantem, da eſurientem, da in iſta ſolitúdine peregrinantem atque ſitientem, & fontem æternæ pátriæ ſuſpirantem: da talem, & ſcit quid dicam. Si autem frígido loquor, neſcit quid loquor. Tales erant iſti qui ínvicem murmurábant.

℟. Eſt ſcriptum in Prophétis: * Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis qui audívit à Patre & dídicit, venit ad me, allelúia, allelúia. ℣. Dicit Dóminus: Ponam univerſos filios tuos doctos à Dómino: * Et erunt omnes. Glória Patri. * Et erunt omnes. *Joan.* 6. *Iſ.* 54.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 3. c. Nemo poteſt veníre ad me, niſi Pater qui miſit me, tráxerit eum; & ego reſuſcitábo eum in noviſſimo die, allelúia. *Joan.* 6.

*Oratio.*

MEntes noſtras, quæſumus, Dómine, Paracléto qui à te procédit illúminet, & indúcat in omnem

ſicut

sicut tuus promísit Fílius, veritátem; qui tecum vivit & regnat in unitáte ejusdem Spiritûs sancti Deus; per ómnia sécula seculórum.

℟. Amen.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 1. D. Amen, amen dico vobis; qui credit in me, habet vitam æternam, allelúia. *Joan.* 6.

*Oratio.* Mentes nostras. *ut suprà.*

## FERIA QUINTA.

*Semiduplex.*

Ad Noct. *Psalmi è I. Noct. Dominicæ.* 2.

Incipit Epístola secunda beáti Joannis Apóstoli.

*Lectio j.*

SEnior Electæ dóminæ, & natis ejus, quos ego díligo in veritáte; & non ego solus, sed & omnes qui cognovérunt veritátem, propter veritátem quæ pérmanet in nobis, & nobíscum erit in æternum. Sit vobíscum grátia, misericórdia, pax à Deo Patre, & à Christo Jesu Fílio Patris, in veritáte & caritáte. Gavísus sum valde, quóniam invéni de fíliis tuis ambulantes in veritáte, sicut mandátum accépimus à Patre. Et nunc rogo te, dómina, non tanquam mandátum novum scribens tibi, sed quod habúimus ab initio, ut diligámus altérutrum. Et hæc est cáritas, ut ambulémus secundùm mandata ejus. Hoc est enim mandátum, ut quemádmodùm audístis ab initio, in eo ambulétis; quóniam multi seductóres exiérunt in mundum, qui non confitentur Jesum Christum veníssе in carnem: hic est seductor & Antichristus. Vidéte vosmetipsos, ne perdátis quæ operáti estis; sed ut mercédem plenam accipiátis. Omnis qui recédit, & non pérmanet in doctrína Christi, Deum non habet; qui pérmanet in doctrína, hic & Patrem & Fílium habet. Si quis venit ad vos, & hanc doctrínam non affert, nolíte recípere eum in domum, nec Ave ei dixéritis. Qui enim dicit illi Ave, comúnicat opéribus ejus malignis. Plura habens vobis scríbere, nólui per chartam & atramentum; spero enim me futúrum apud vos, & os ad os loqui, ut gáudium vestrum plenum sit. Salútant te fílii sororis tuæ Electæ.

℟. Quæ præparávit Deus iis qui díligunt illum, nobis revelávit per Spíritum suum; * Spíritus enim ómnia scrutátur, étiam profunda Dei, allelúia, allelúia. ℣. Sapiéntia & fortitúdo ipsíus sunt: ipse revélat profunda & abscóndita; * Spíritus enim. 1. *Cor.* 2. *Dan.* 2.

Sermo sancti Gregórii Nazianzéni.

*In Pentecost. Orat.* 44.

*Lectio ij.*

PRimùm Spíritus sanctus in angélicis & cœléstibus Virtútibus vim suam exerébat; deinde in pátribus & Prophétis, quorum alii Deum per imáginem vidérunt aut cognovérunt, álii autem étiam res futúras præscivérunt; tum in Christi discípulis, iisque trifariàm, prout ipsórum captus ferébat, tribusque tempó-

ribus; nempe ántequàm Christus per passiónem glorificátus esset, postquàm post resurrectiónem glorificátus fuit, ac dénique post ejus ad cœlos ascensiónem. Hoc autem perspícuè ostendit tum prima illa morbórum spirituumque depúlsio, quæ scilicet non absque Spíritûs núnine fiébat; tum illa post confectum salútis nostræ negótium insufflátio, quæ divinióris procul dúbio inspiratiónis spécimen habébat; tum postrémò præsens hæc igneárum linguárum divísio, quam étiam solemni festo celebrámus. Verùm primò quidem obscúrè, secundò expréssiùs, nunc verò perféctiùs, útpote qui non jam operatióne solâ præsens sit, ut priùs; sed essentiáli, ut sic loquar, modò adsit, simulque versétur. Nam cùm Filius corpóream nobiscum consuetúdinem habuisset, Spíritum quoque corpóreo modo cerni conveniébat. Cur autem in linguis ígneis? Utrùm propter purgatiónem? Ignis enim purgantis Scriptúra méminit. An verò propter essentiam? Deus autem noster ignis est, & quidem ignis improbitátem absúmens. Atque in dispertitis linguis appáret, ob gratiárum diversitátem; sedéntibus autem, propter régiæ dignitátis excellentiam, ejusque super sanctos requiétem.

℣. Prophétis qui de futúra in vobis grátia prophetavérunt, revelátum est; quia non sibimetipsis, vobis autem ministrábant ea * Quæ nunc nuntiáta sunt per eos qui evangelizavérunt, Spíritu sancto misso de cœlo, allelúia, allelúia. ℣. A sæculo non audiérunt, neque áuribus percepérunt: óculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparásti expectántibus te, * Quæ nunc. 1. *Petr.* 1. *Is.* 64.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

*Lectio iij.* Cap. 9.

IN illo témpore; Convocátis Jesus duódecim Apóstolis, dedit illis virtútem & potestátem super ómnia dæmónia, & ut languóres curárent. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Episcopi.

*De Civit. Dei, Lib.* 22. *Cap.* 5.

TRia sunt incredibília, quæ tamen facta sunt. Incredíbile est Christum resurrexísse in carne, & in cœlum ascendísse cum carne. Incredíbile est mundum rem tam incredíbilem credidísse. Incredíbile est hómines ignóbiles, ínfimos, paucíssimos, imperítos rem tam incredíbilem, tam efficáciter mundo, & in illo étiam doctis persuadére potuísse. Horum trium incredibílium primum nolunt ísti cum quibus ágimus, crédere: secundum coguntur & cérnere; quod non invéniunt unde sit factum, si non credunt tértium. Resurréctio certè Christi, & in cœlum cum carne in qua resurrexit ascénsio, toto jam mundo prædicátur & créditur: si credíbilis non est, unde toto terrárum orbe jam crédita est? Si multi nóbiles, sublímes, docti eam se vidísse

dixérunt, & quod vidérunt diffamáre curárunt, eis mundum credidísse non mirum est; sed istos adhuc crédere nolle perdúrum est. Si autem, ut verum est, paucis, obscúris, mínimis, indoctis eam se vidísse dicéntibus & scribéntibus crédidit mundus; cur pauci obstinatíssimi qui remansérunt, ipsi mundo jam credenti adhuc usque non credunt.

℟. Convocátis Jesus duódecim Apóstolis, * Misit illos prædicáre regnum Dei, allelúia, allelúia. ℣. Creávit illis sciéntiam Spíritûs, sensu implévit cor illórum, ut magnália enarrent óperum ejus: * Misit illos prædicáre. Glória Patri. * Misit illos prædicáre. *Luc. 9. Eccli.* 17.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 8. G. Dedit Apóstolis Jesus virtútem & potestátem super ómnia dæmónia, & ut languóres curárent, allelúia. *Luc. 9.*

*Oratio.*

DEus, qui Apóstolis tuis sanctum dedísti Spíritum: concéde plebi tuæ piæ petitiónis effectum; ut quibus dedísti fidem, largiáris & pacem; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte ejusdem Spíritûs sancti Deus, per ómnia sécula seculórum. ℟. Amen.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 1. f. Egressi Apóstoli circuíbant per castella, evangelizantes & curantes ubíque, allelúia. *Luc. 9.*

*Oratio.* Deus, qui Apóstolis. *ut suprà.*

## FERIA SEXTA QUATUOR-TEMPORUM. *Semiduplex.*

AD NOCTUR. *Psalmi è II. Noctur. Dominicæ.* 4.

Incipit Epístola tértia beáti Joannis Apóstoli.

*Lectio j.*

SEnior Gaío caríssimo, quem ego diligo in veritáte. Caríssime, de ómnibus oratiónem fácio prósperè te ingredi & valére, sicut prósperè agit ánima tua. Gavísus sum valde veniéntibus frátribus, & testimónium perhibéntibus veritáti tuæ, sicut tu in veritáte ámbulas. Majórem horum non hábeo grátiam, quàm ut áudiam fílios meos in veritáte ambuláre. Caríssime, fidéliter facis quidquid operáris in frátres, & hoc in peregrínos qui testimónium reddidérunt caritáti tuæ in conspectu Eccléfiæ: quos benefáciens dedúces dignè Deo. Pro nómine enim ejus profecti sunt, nihil accipientes à Géntibus. Nos ergo debémus suscípere hujúsmodi, ut cooperatóres simus veritátis. Scripsíssem fórsitan Eccléfiæ: sed is qui amat primátum gérere in eis, Diótrephes, non récipit nos. Propter hoc si vénero, commonébo ejus ópera quæ facit, verbis malignis gárriens in nos; & quasi non ei ista sufficiant, neque ipse súscipit frátres, & eos qui suscípiunt, próhibet, & de Eccléfia éjicit. Caríssime, noli imitári malum, sed quod bonum est. Qui bene facit, ex Deo est: qui malè facit, non vidit

Deum. Demétrio testimónium rédditur ab ómnibus, & ab ipsa veritáte: sed & nos testimónium perhibémus; & nosti quóniam testimónium nóstrum verum est. Multa hábui tibi scríbere; sed nólui per atramentum & cálamum scríbere tibi. Spero autem prótinus te vidére, & os ad os loquémur. Pax tibi. Salútant te amíci. Salúta amícos nominátim.

℟. Omnia operátur unus atque idem Spíritus; * Et quosdam quidem pósuit in Eccléfia doctóres, deinde virtútes, exinde grátias curatiónum, allelúia, allelúia. ℣. Per sapiéntiam sanáti sunt quicumque placuérunt tibi, Dómine: * Et quosdam. 1. *Cor.* 12. *Sap.* 9.

De Sermóne sancti Leónis Papæ.

*De Pentec. I. C. 4. & 5.*

*Lectio ij.*

SIcut detestámur Ariános, qui inter Patrem & Fílium áliquam volunt esse distántiam, ita étiam Macedoniános páriter detestámur, qui licèt Patri & Fílio tríbuant æqualitátem, Spíritum tamen sanctum inferióris putant esse natúræ: non considerantes in eam blasphémiam se incídere, quæ neque in præsenti sæculo, neque in futúro sit remittenda judício, dicente Dómino: Quicumque dixerit verbum contra Fílium hóminis, remittétur ei; qui autem dixerit contra Spíritum sanctum non remittétur ei, neque in hoc sæculo, neque in futúro. Pérmanens ítaque in hac impietáte, sine vénia est; quia exclúsit eum à se per quem póterat confitéri: nec unquam pervéniet ad indulgéntiæ remédium, qui patrocinatúrum sibi non habet advocátum. Ab ipso enim est invocátio Patris, ab ipso sunt lácrymæ pœniténtium, ab ipso sunt gémitus supplicántium. Et nemo potest dícere Dóminum Jesum, nisi in Spíritu sancto, cujus æquálem cum Patre & Fílio omnipoténtiam, unamque deitátem evidentíssimè prædicat Apóstolus, dicens: Divisiónes quidem gratiárum sunt, idem autem Spíritus; & divisiónes ministratiónum sunt, idem autem Dóminus: & divisiónes operatiónum sunt, idem verò Deus, qui operátur ómnia in ómnibus. His, dilectíssimi, aliísque documentis, quibus innumerabíliter divinórum eloquiórum coruscat auctóritas, ad veneratiónem Pentecostes unanímiter incitémur; exultantes in honórem sancti Spíritus, per quem omnis Eccléfia Cathólica sanctificátur, omnis ánima rationális imbúitur; qui inspirátor fídei, doctor sciéntiæ, fons dilectiónis, signáculum castitátis, & totius est causa virtútis.

℟. Non vocávit nos Deus in immunditiam; sed in sanctificatiónem; * Qui étiam dedit Spíritum suum sanctum in nobis, allelúia, allelúia. ℣. Deus excelsus; ipse est misércors, & propítius fiet peccátis eórum; * Qui étiam. 1. *Thess.* 4. *Ps.* 77.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

*Lectio iij.* Cap. 5.

IN illo témpore; Factum est in una diérum, & Jesus sedébat docens. Et erant Pharíszi sedentes, & legis Doctóres, qui vénerant ex omni castello Galilææ, & Judææ, & Jerúsalem: & virtus Dómini erat ad sanandum eos. Et réliqua.

Homília sancti Hilárii Epíscopi.

*Comment. in Matth. C. 8. n. 6.*

MOvet Scribas remíssum ab hómine peccátum: hóminem enim tantùm in Jesu Christo contuebantur. Et remíssum est ab eo, quod lex laxáre non póterat; fides enim sola justíficat. Deinde murmuratiónem eórum Dóminus intróspicit, dicitque fácile esse Fílio hóminis in terra peccáta dimíttere. Verùm enim nemo potest dimíttere peccáta, nisi solus Deus: ergo qui remittit, Deus est; quia nemo remittit nisi Deus, Deus in hómine manens; curatiónem hómini præstábat; & nulla ei agendi & loquendi erat difficultas, cui subest totum posse quod lóquitur. Porrò autem ut ipse esse in córpore pósitus intélligi posset, qui & ánimis peccáta dimítteret, & resurrectiónem corpóribus præstáret, ait: Ut sciátis quóniam Fílius hóminis habet potestátem in terra dimíttere peccáta, ait paralytico: Surge. Sed quia omnis erat perficiendi óperis rátio explicanda, adjécit: Tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Primùm remissiónem tríbuit peccáti, dehinc virtútem resurrectiónis ostendit, tum sublatióne léctuli infirmitátem ac dolórem corpóribus dócuit abfutúram: postrémò réditu in domum própriam, iter in paradísum credéntibus esse redhibendũ.

℟. Quid cogitátis in córdibus vestris? Quid est facílius dícere, Dimittuntur tibi peccáta; an dícere, Surge, & ámbula? * Ut autem sciátis quia Fílius hóminis habet potestátem in terra dimittendi peccáta, tibi dico: Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam, allelúia, allelúia. ℣. Spíritus Dómini super me, eò quòd únxerit Dóminus me, ut prædicárem indulgéntiam, & annum placábilem Dómino. * Ut autem. Glória. * Ut autem. *Luc.* 5. *Is.* 61.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 4. Virtus Dómini erat ad sanandum eos, allelúia. *Luc.* 5.

*Oratio.*

ADsit nobis, quæsumus, Dómine, virtus Spíritûs sancti, quæ & corda nostra clementer expurget, & ab ómnibus tueátur adversis; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum; qui tecum vivit & regnat in unitáte ejusdem Spíritûs sancti Deus.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 3. a. Stupor apprehendit omnes, & magnificábant Deum; & repléti sunt timóre, dicentes: Quia vídimus mirabília hódie, allelúia. *Luc.* 5.

*Oratio, ut suprà.*

SABBATO
QUATUOR-TEMPORUM.
*Semiduplex.*

AD NOCT. *Psalmi è III.*
*Nocturno Dominica. 6.*

Incipit Epístola Cathólica beáti Judæ Apóstoli.

*Lectio j.*

JUdas Jesu Christi servus, frater autem Jacóbi, his qui sunt in Deo Patre dilectis, & Christo Jesu conservátis & vocátis: Misericórdia vobis & pax, & cáritas adimpleátur. Carissimi, omnem solicitúdinem fáciens scribendi vobis de commúni vestra salúte, necesse hábui scribere vobis, déprecans supercertári semel tráditæ sanctis fidei. Subintroiérunt enim quidam hómines (qui olim præscripti sunt in hoc judícium) ímpii, Dei nostri grátiam transferentes in luxúriam, & solum Dominatórem & Dóminum nostrum Jesum Christum negantes. Commonére autem vos volo, scientes semel ómnia, quóniam Jesus pópulum de terra Ægypti salvans, secundò eos qui non credidérunt, pérdidit: Angelos verò, qui non servavérunt suum principátum, sed dereliquérunt suum domicílium, in judícium magni diéi vínculis æternis sub calígine reservávit. Sicut Sódoma & Gomorrha, & finítimæ civitátes símili modo exfornicátæ, & abeuntes post carnem álteram, factæ sunt exemplum, ignis æterni pœnam sustinentes: símiliter & hi carnem quidem máculant, dominatiónem autem spernunt, majestátem autem blasphémant.

℟. Quid orémus sicut oportet, nescímus: sed * Ipse Spíritus póstulat pro nobis gemítibus inenarrabílibus, allelúia, allelúia. ℣. In die illa, dicit Dóminus, effundam super domum David, & super habitatóres Jerúsalem, Spíritum grátiæ & precum. * Ipse Spíritus. *Rom.* 8. *Zach.* 12.

Sermo sancti Bernardi Abbátis.

*De Pentec. Serm.* 3. *num.* 8.

*Lectio ij.*

VErè múltiplex Spíritus, qui tam multipliciter filiis hóminum inspirátur, ut non sit qui se abscondat à calóre ejus; síquidem concéditur eis ad usum, ad miráculum, ad salútem, ad auxílium, ad solátium, ad fervórem. Ad usum quidem vitæ; bonis & malis, dignis páriter & indignis commúnia bona abundantíssimè tríbuens. Ingrátus est qui in his quoque beneficium Spíritûs non agnoscit. Ad miráculum, in signis & prodígiis, in váriis virtútibus quas per quorúmlibet manus operátur. Ipse est antíqua miracula súscitans, ut ex præséntibus fidem ástruat præteritórum. Sed quia nonnullis hanc quoque grátiam sine própria utilitáte largítur, tértio infúnditur ad salútem, cùm in toto corde nostro revértimur ad Dóminum Deum nostrum. Porrò ad auxílium datur, cùm in omni colluctatióne ádjuvat infirmitátem nostram. Nam cùm testimónium pérhibet spirítui nostro, quòd fílii Dei

sumus, ea inspirátio est ad consolatiónem. Datur étiam ad fervórem, cum in córdibus perfectórum veheméntius spirans, válidum ignem caritátis accendit; ut non solúm in spe filiórum Dei, sed étiam in tribulatiónibus glorientur, contuméliam glóriam reputantes, oppróbrium gáudium, despectiónem exaltatiónem. Omnibus nobis, ni fallor, datus est Spíritus ad salútem, ad fervórem non ita. Pauci enim sunt qui hoc Spíritu repleantur: pauci qui stúdeant æmulári. Orémus, fratres, ut compleantur in nobis dies Pentecostes, dies remissiónis, dies exultatiónis, dies veríssimi jubiléi; & invéniat nos semper Spíritus sanctus omnes propter præséntiam corporálem, páriter propter córdium unitátem, in eódem loco per promíssam stabilitátem, ad laudem & glóriam sponsi Eccléstæ Jesu Christi Dómini nostri, qui est super ómnia Deus benedictus in sécula. Amen. Tu autem, Dómine, miserére nostrî.

℟. Qui confirmat nos in Christo, & qui unxit nos, Deus; qui & signávit nos, * Et dedit pignus Spíritûs in córdibus nostris, allelúia, allelúia. ℣. Dóminus Deus noster pépigit nobiscum fœdus, * Et dedit. 2. *Cor.* 1. *Deut.* 5

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

*Lectio iij.* Cap. 4.

IN illo témpore; Descendit Jesus in Capharnaüm civitátem Galilææ; ibique docébat illos Sábbatis: & stupébant in doctrinâ ejus, quia in potestáte erat sermo ipsius. Et réliqua.

Homilia sancti Ambrósii Episcopi.

*In Luc. Lib. 4. n. 57. 58. & 63.*

VIde cleméntiam Dómini Salvatóris: nec indignatióne commótus, nec scélere offensus, nec injúriâ violátus, Judæam déserit: quin étiam immemor injúriæ, memor cleméntiæ, nunc docendo, nunc liberando, nunc sanando, infidæ plebis corda demulcet. Et bene sanctus Lucas virum ab spíritu nequitiæ liberátum antè præmísit, & substítuit féminæ sanitátem. Utrumque enim sexum Dóminus curatúrus advénerat: & prior sanári débuit, qui prior creátus est; nec prætermitti illa quæ mobilitáte magis ánimi, quàm pravitáte peccáverat. Sábbato medicínæ Domínicæ ópera cœpta significat; ut inde nova creatúra cœperit, ubi vetus antè desívit; nec sub lege esse Dei Filium, sed supra legem in ipso princípio designáret; nec solvi legem, sed impléri. Fortassis étiam in typo mulíeris illíus socrûs Simónis & Andréæ, váriis críminum fébribus caro nostra languébat, & diversárum cupiditátum immódicis æstuábat illécebris. Nec minórem febrem amóris esse dixerim, quàm calóris. Itaque illa ánimum febris, hæc corpus inflammat. Febris enim nostra avarítia est, febris nostra libído est, febris nostra ambítio est, febris nostra iracúndia est.

℟. Jeſus docébat Sábbatis; & * Stupébant in doctrína ejus, quia in poteſtáte erat ſermo ipsíus, allelúia, allelúia. ℣. Sapiéntia in Eccléſiis Altíſſimi apériet os ſuum, & in médio pópuli exaltábitur, & in plenitúdine ſanctâ admirábitur: * Stupébant. Glória Patri. * Stupébant. *Luc.* 4. *Eccli.* 24.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 1. f. Colloquebantur ad ínvicem, dicentes: Quod eſt hoc verbum, quia in poteſtáte & virtúte ímperat immundis ſpirítibus, & éxeunt? allelúia. *Luc.* 4.

*Oratio.*

MEntibus noſtris, quæſumus, Dómine, Spíritum ſanctum benignus infunde, cujus & ſapiéntiâ cónditi ſumus, & providéntiâ gubernámur; Per Dóminum noſtrũ Jeſum Chriſtum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte ejuſdem Spíritûs ſancti Deus, per ómnia ſécula ſeculórum. ℟. Amen.

# PROPRIUM SANCTORUM.

## *PARS VERNA.*

¶ *Per Quadrageſimam omittitur* Allelúia. *in fine Antiphonarum & Reſponſoriorum quæ ſumuntur de Communi pro Officio & Commemor. Sanctorum.* ]

DIE V. FEBRUARII.

S. ANCTÆ AGATHÆ, Virginis & Martyris,

*Commemoratio. Simpl.*

*Pridiè AD VESPERAS*, *Ant.* Córpora. ℣. Vírgines. xliv. *Oratio.* Omnípotens. xlviij.

*AD LAUDES*, *Ant.* Exultávit. ℣. Sitívit. *Oratio.* Omnípotens. xlviij.

DIE VIII.

S. JOANNIS DE MATHA, Preſbyteri,

*Commemoratio. Semid.*

*Pridiè AD VESPER. fit Commemoratio S. Joannis de Matha, Preſbyteri. Ant.* De Sacerdótibus. ℣. Sacerdótes. xxvj. *Oratio* Deus, qui beáto. *ut infrà.*

[ *AD OFFIC. NOCT. ſi ſit Dominica, Lectio ſequens de S. Joanne de Matha, loco ix. legitur.* ]

*Si fiat de Feria, Lectio j. de Scriptura occurrente; è duabus una.*

RUBR. *de Feria.*

*De S. Joanne de Matha. Lectio ij.*

JOannes cui de Matha cognómen, in Provincia Narbonenſi ſecunda, Falcóne natus eſt à paréntibus pietáte ac nobilitáte conſpícuis. Emenſo Paríſiis Theológiæ currículo, & à Maurício Pariſienſi Epíſcopo préſbyter ordinátus, cum in ejus ſacello primum ſacrificium ófferret, divínitus inflammátum ſe ſenſit ad redimendos ab infidélium ſervitúte captívos. Ut tamen matúriùs in re tantâ procéderet; in ſolitúdinem quamdam ſeceſſit, ibíque initâ ſocietáte cum Felíce qui à plúribus annis vitam agébat aſcéticam, per triénnium, oratióne & jejúnio, humilitáte & obediéntiâ ſe exercuit. Romam cum Felíce profectus ab Innocéntio tértio facultátem impetrávit ſeſe & ſuos redimendis captívis devovendi. Primum Ordinis monaſtérium in loco cui nomen Cervi frígidi, ſub nómine & clientéla ſanctiſſimæ Trinitátis conſtituit. Régula, ut eam ipſe præſcripſerat, paucis adjectis, ab Apoſtólica Sede ſtatim approbáta eſt. Innúmera per

Gálliam, Itáliam & Hispánias ædificávit cœnóbia, & captivórum immensam multitúdinem per se & per Ordinis alumnos in libertátem asséruit. Dénique Romæ plenus opéribus bonis, óbiit die vigésimâ primâ Decembris anno milléssimo ducentésimo tértio.

*Lectio iij. de Homil. in Evang. Feriæ.*

*AD LAUD. pro Commem. S. Joannis de Matha. Antiph.* Ubi sum. ℣. Sacerdótes. xxix.

*Oratio.*

DEus, qui beáto Joanni Presbytero, ac sóciis ejus zelum fidéles redimendi captívos infudísti: da servis tuis illam córporis & ánimæ libertátem, quâ Christus Filius tuus nos liberávit; Qui tecum vivit & regnat.

*AD VESP. pro Commemoratione ejusdem. Ant.* Induit. ℣. Glória. xxxj. *Oratio, ut suprà.*

*Deinde fit Commemoratio S. Apolloniæ, Virg. & Mart. Ant.* Córpora. ℣. Virgines. xliv. *Oratio.* Deus, qui inter. xlviij.

DIE IX.

SANCTÆ APOLLONIÆ, Virginis & Martyris,

*Commemoratio. Simpl.*

[*AD OFFIC. NOCT. si sit Dominica,*

*Lectio ix.*

Ex Epístola sancti Dionysii Alexandríni ad Fábium Antiochénum.

*Euseb. Histor. Lib. 6. Cap. 41.*

NEquáquam ex Décii Imperatóris edicto persecútio apud nos cœpta est, sed íntegro anno antevérterat. Nam infaustus quidam vates ac poéta commóvit Alexandriæ adversùs nos gentílium turbas. Ab illo ígitur stimulâti, hanc solam pietátem cultumque dæmonum suórum exístimábant, si cædibus adversùs nostros sævírent. Itaque admirandam illam provectæ jam ætátis virginem Apollóniam tunc comprehendérunt; & maxillas quidem ejus percutientes, cunctos ei dentes excussérunt. Accenso autem extra urbem rogo, minabantur vivam se illam combustúros, nisi una cum ipsis ímpia verba pronuntiáret. At illa véniam deprecári paulisper visa, atque ínterim dimissa, celériter in ignem insiliit, & conflagrávit]

*AD LAUD. Ant.* Exultávit. ℣. Sitívit. *Oratio.* Deus, qui inter. xlviij.

DIE XI.

SANCTI BENEDICTI, (Anianensis) Abbatis,

*Commemoratio. Simpl.*

*Pridiè AD VESP. pro Commemor. S. Benedicti, Abbatis. Ant.* Sedébit. ℣. Abscondes. xxxij. *Oratio.* Da nobis, quæsumus. xxxv.

[*AD OFFIC. NOCT. si sit Dominica,*

*Lectio ix.*

*Ex Hist. gen. Occit.*

BEnedictus Anianensis, disciplínæ Monásticæ per totum fere occidentem instaurátor, patre Magalonensi cómite natus, cum in aulâ Pippini Regis liberálibus institútus fuisset disciplínis, sub Cárolo magno in castris ali-

quándiù, summâ cum laude póstmodum colendæ pietátis causa ad sancti Séquani monastérium in Burgundiónibus se cóntulit, ubi religiónis hábitum suscépit. In Patriam reversus, excitáta, solo patrio, céllula, cum frátribus áliquot ibi in summa rerum inópiâ sanctíssimè vixit. Discípulis verò ad eum úndique confluéntibus, amplíssimum coactus est ædificáre monastérium. A Ludovico Pio Imperatóre & Francórum rege accersitus, tránstulit se in monastérium sancti Cornélii ad Indam, non longè ab Aquisgrano, tumque collabentem in Gálliis & Germániâ monásticam disciplínam Imperatóris jussu restituendam curávit; quod ope divinâ felíciter assecútus est. Plura erudítè scripsit; inter quæ potíssimum emínet Regulárum Concórdia. Obiit anno octingentésimo vigésimo primo, tértio Idus Februárii in monastério sancti Cornélii ad Indam; ubi ejus corpus étiamnum religiosè servátur.]

*AD LAUD. pro ejus Commem. Ant.* Perfécti. ℣. Clamávi. *Oratio.* Da nobis, quæsumus. xxxv.

DIE XVII.

## SANCTI SILVINI, Episcopi,

*Commemoratio. Semid.*

*Pridiè IN VESP. fit ejus Commem. Ant.* Elégit. ℣. Beátus. xiv. *Oratio.* Deus, fidélium. xviij.

[*AD OFFIC. NOCT. si fit Dominica, Lectio sequens ix. ponitur.*]

*Si fit Feria,*

*Lectio j. de Scriptura occurrente; è duabus una.*

℟. *de Feria.*

*De sancto Silvino.*

*Lectio ij.*

*Ex vita S. Silvini apud Catel. Bolland. 17. Febr. Mabill. Act. SS. Ben. part. 1.*

SIlvínus século séptimo nóbili prosápia Tolósæ natus, relictâ uxóre quam júvenis dúxerat, Christo soli adhæsit, & consecrátus est Episcopus. Ad Morinos, seu, ut vocant, in Arthésiam se cóntulit, multosque verbo & exemplo ibi ad Christum áduxit. Miris virtútibus, imprímis fidei ardóre, caritáte in páuperes, vitæ austeritáte, paupertátis amóre, fastûs contemptu, ac exímia sedulitáte enituit, ómnibusque carum se præbuit. Plures eum fuísse Tolosánum Episcopum scripsérunt. In Martyrológiis non paucis dícitur fuísse Episcopus Teruánæ, vetustæ Morinórum in Bélgio urbis. In ejus vita quæ ab auctóre coævo primùm scripta, deinde quantùm ad dicendi genus, sensu intacto, emendáta est, légitur quidem eum fuísse Episcopum, sed de urbe cui præfuit nihil habétur. Cónjicit Bollandus eum Episcopis illis esse accensendum, qui tunc témporis nulli sedi affixi ad prædicandum evangélium mittebantur.

℟. *Feria.*

*Lectio iij. de Evangelio Feria & Homilia, cum* ℟. *Evangel. Feriæ.*

*AD LAUD. pro Commem. S. Silvini. Antiph.* Ego sum.

℣. Elégit. *Oratio.* Deus, fidélium. xviij.

*AD VESP. fit Commemor. ejusdem. Ant.* Státuit. ℣. Salvum. xix. *Oratio.* Deus, fidélium. xviij.

*Fit etiam Commem. sancti Simeonis, Episc. & Martyr. Antiph.* Nemo. ℣. Justus. ij. *Oratio.* Deus, cujus. vj.

DIE XVIII.

S. SIMEONIS, EPISCOPI Hierosolymitani, & Mart. *Commemoratio. Simpl.*

[*AD OFFIC. NOCT. si fit Dominica,*

*Lectio ix.*

Ex libro quinto Commentariórum sancti Hegesippi Historiógraphi.

*Euseb. Histor. Lib.* 3.

SImeon, cognátus Dómini, filius Cléophæ, secundus post Jacóbum Hierosólymæ Episcopus, calúmniam passus ab hæréticis, accusátus est coram Attico Consulári; & per plúrimos dies acerbíssimis tormentis excruciátus, fidem Christi constantíssimè professus est; ita ut omnes supra modum admirarentur, & ipse quoque Consuláris, quómodo is qui centum viginti annos attígerat, tália pertulísset. Tandem verò sententiâ júdicis cruci affixus est. Ad hæc usque témpora Ecclésia virgo pura & incorrupta permansit, in obscúro adhuc recessu delitescéntibus quicumque rectam salutáris prædicatiónis régulam depravâre nitébantur. Postquàm autem sacer Apostolórum chorus vário mortis génere extinctus est, effluxeratque jam ætas hóminum illórum qui divínam ipsam Sapiéntiam suis áuribus auscultáre meruerant; tunc demum exorta est ímpii erróris conspirátio, nullo vidélicet ámplius ex Apóstolis supérstite.]

*AD LAUD. Ant.* Bonum. ℣. Adjútor. *Oratio.* Deus, cujus. vj.

DIE XX.

S. CYRILLI ALEXANDR. Episcopi & Doctoris, *Commemoratio. Semid.*

*Pridie IN VESP. pro ejus Commem. Antiph.* Beátus qui. ℣. Beátus homo. xx. *Oratio.* Omnípotens, æterne Deus. xxiv.

[*IN OFFIC. NOCT. si fit Dominica, Lectio de S. Cyrillo, quæ sequitur, dicitur loco ix.*]

*Si fiat de Feria,*

*Lectio prima de Scriptura occurrente, è duabus una.*

RUBR. *de Feria.*

*De S. Cyrillo Alexandrino.*

*Lectio ij.*

*Ex Act. Syn. Eph. Op. S. Cyr. Evag. &c. ex Tillem. &c.*

CYrillus Theophili Patriarchæ Alexandríni sororis filius, cum esset doctrinâ & zelo cathólicæ fidei insignis, ad sedem Alexandrínam divíno nutu provectus est. Zelus ipsius imprímis enítuit adversùs Nestórium Patriarcham Constantinopolitánum, qui ímpio dógmate duas in Christo commiscébatur personas, divínam unam, humánam álteram, &, quod cónsequens erat, sanctíssimæ vírgini Maríæ dignitátem Dei Matris abrogábat. Secunda ex

ltteris quas ad Nestórium ipsum, ut ab erróre perverso eum revocáret, scripsit, ádeo plenam cóntinet dógmatis Cathólici expositiónem, ut solémniter à Pátribus Ephesínis fuerit approbáta, & Eutychiánæ perinde ac Nestoriánæ hærésibus perimendis idónea ab ómnibus Conciliis & Pátribus semper judicáta fúerit. Cœlestini summi Pontificis auctoritáte Concílio generáli Ephesíno præfuit, in quo Nestoriánum dogma proscriptum. Multis calúmniis & persecutiónibus eâ de causa à Nestórii fautóribus impetítus, eas sanctè & generósè tolerávit. Ne schísmatis extinctióni & unitátis restitutióni ullâ in re obesset, cum Joanne Antiochéno & áliis Orientálibus persónam Nestórii defendéntibus humanissimè egit, & fide Cathólicâ ac Concílii Œcuménici auctoritáte in tuto pósitis, pacem sine cunctatióne conclúsit, injuriárum sibi illatárum planè immemor. Post immensos labóres pro fide cathólica exantlátos, óbiit anno quadringentésimo quadragésimo quinto, Episcopátûs trigésimo secundo.

*Lectio iij. de Homilia in Evangelium Feriæ.*

*AD LAUD. pro Commem. S. Cyrilli. Antiph.* Sapiéntia. ℣. Annuntiávi. xxiij. *Oratio.* Omnípotens, æterne Deus. xxiv.

*IN VESPER. fit ejusdem Commem. Antiph.* Qui docti. ℣. Beátus vir. xxv. *Oratio.* Omnípotens, æterne Deus. xxiv.

DIE XXIV.

[*In Anno Bissextili, die* xxv.]

In Festo

SANCTI MATTHIÆ,

Apostoli.

*Duplex I. Ordinis.*

IN I. VESPERIS.

*Psalmi de Feria, & sic in toto Officio.*

*Ant.* 1. f. ECce ego mittam piscatóres multos, dicit Dóminus, & piscabuntur eos, & venatóres & venabuntur eos de omni monte & de omni colle. *Jerem.* 16.

*Ant.* 2. D. Vocabuntur fortes justítiæ, plantátio Dómini ad glorificandum. *Isai.* 61.

*Ant.* 4. E. Sanctificábunt Sanctum Jacob, & Deum Israël prædicábunt. *Isai.* 29.

*Ant.* 3. a. Ædificábunt desérta à sæculo, & ruínas antíquas érigent, & instaurábunt civitátes dissipátas. *Isai.* 61.

*Ant.* 6. Ponent Dómino glóriam, & laudem ejus in Insulis nuntiábunt. *Isai.* 42.

*Capitulum.* Isai. 66.

HÆc dicit Dóminus: Mittam ex eis qui salváti fúerint, ad Gentes in mare, in Africam, & Lydiam tendentes sagittam, in Itáliam & Græciam, ad Insúlas longè, ad eos qui non audiérunt de me, & non vidérunt glóriam meam: & annuntiábunt glóriam meam Géntibus.

℟. Dabo opus eórum in veritáte, & fœdus perpétuum fériam eis, & * Scient in géntibus semen eórum, & germen eórum in médio populórum. ℣. Scriptum est: Quàm speciósi pedes evangelizántiũ pacem, evangelizántium bo-

na! * Scient. Glória. * Scient. *Isai.* 61. *Rom.* 10.

*Hymnus.*

LÆTARE, cœlum; pláusibus
Tellus resúltet æmulis:
Apostolórum glóriam
Solemnis instaurat dies.
VOS, ceu tubis sonántibus,
Christum per orbem spárgitis:
Vos illa sacris vátibus
Prædicta mundi lúmina.
QUI, dante Christo, pánditis:
Qui cláuditis cœli fores,
Nos críminum tenácibus
Vinclis ligátos sólvite.
POTENTE qui nutu graves
Morbos fugátis córporum,
Desiderátam póscite
Ægris medélam móribus.
SUBLIMIS ut cùm vénerit,
Vobis símul sedéntibus,
Ad déxterum judex latus
Nos inter agnos cóllocet.
UNI sit & trino Deo
Supréma laus, súmmum decus,
De nocte qui nos ad suæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

℣. Magnificéntiam glóriæ sanctitátis tuæ loquentur: ℟. Et mirabília tua narrábunt. *Ps.* 144.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 2. D. Oportet ex his viris qui nobíscum sunt congregáti in omni témpore quo intrávit & exívit inter nos Dóminus Jesus, testem resurrectiónis ejus nobíscum fieri unum ex istis. *Act.* 1.

*Oratio, ut infrà ad Laudes.*

*Commemoratio Feriæ.*

AD OFFICIUM NOCTUR.

*Invit.* Christum Apostolórum Magístrum & Dóminum, * Veníte, adorémus. *Joan.* 13.

*Ps.* 94. Veníte. 2.

*Hymnus.*

SUPREME, quales, Arbiter,
Tibi ministros éligis,
Tuas opes qui vílibus
Vasis amas committere!
Hæc nempe plena lúmine
Tu vasa frangi præcipis:
Lux inde magna rúmpitur,
Ceu, nube scissâ, fúlgura.
TOTUM per orbem núntii,
Nubes velut, citi volant:
Verbo graves, Verbo Deo,
Tonant, coruscant, pérpluunt.
CHRISTUM sonant; versæ ruunt
Arces superbæ dæmonum:
Circùm tubis clangéntibus,
Sic versa quondam mœnia.
FAC, Christe, cœlestes tubæ
Somno graves nos éxcitent:
Accensa de te lúmina
Pellant tenébras méntium.
UNI sit & trino Deo
Supréma laus, súmmum decus,
De nocte qui nos ad suæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

*IN I. NOCTURNO.*

*Ant.* 1. f. Vocávit Jesus discípulos suos, & elégit duódecim ex ipsis, quos & Apóstolos nominávit. *Luc.* 6.

*Ant.* 8. G. Dedit illis virtútem & potestátem super ómnia dæmónia, & misit illos prædicáre regnum Dei. *Ibid.*

*Ant.* 2. D. Præcípiens, dicébat eis: Infírmos curáte, mórtuos súscitáte, dæmones ejícite: gratìs accepístis, gratìs date. *Matth.* 10.

℣. Constítues eos príncipes súper omnem terram: ℟. Mémores erunt nóminis tui, Dómine. *Ps.* 44.

*Lectiones de Scriptura occurrente; è duabus fiunt tres, divisione factâ ad * asterìscum:*

*Post j. Lect.* ℟. Non vos me elegístis, sed ego elégi vos, & * Pósui vos ut eátis & fructum afferátis, & fructus vester máneat. ℣. Quod salvátum fúerit de domo Juda, fáciet fructum: zelus Dómini exercítuum fáciet ístud. * Pósui. *Joan.* 15. *Isai.* 37.

*Post ij. Lect.* ℟. Ite ad oves quæ periérunt domûs Israël; euntes autem prædicáte, dicentes: *Quia appropinquávit regnum cœlórum. ℣. Hæc dicit Dóminus: Revertátur unusquísque à viâ suâ malâ & dirígite vias vestras, & stúdia vestra. * Quia. *Matth.* 10. *Jerem.* 18.

*Post iij. Lect.* ℟. Ecce dedi vobis potestátem súper omnẽ virtútem inimíci: * Verúmtamen in hoc nolíte gaudére: † Gaudéte quòd nómina vestra scripta sunt in cœlis. ℣. Dabo vos in nomen, & in laudem ómnibus pópulis: * Verúmtamen. Glória Patri. † Gaudéte. *Luc.* 10. *Soph.* 3.

*IN II. NOCTURNO.*

*Ant.* 4. D. In quamcumque domum intraveritis, dícite: Pax huic dómui; & si ibi fúerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra. *Luc.* 10.

*Ant.* 5. a. Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit: qui autem me spernit, spernit eum qui misit me. *Luc.* 10.

*Ant.* 6. Dabo vobis os & sapiéntiam, cui non póterunt resístere & contradícere omnes adversárii vestri. *Luc.* 21.

℣. Annuntiáte inter gentes glóriam Dómini, ℟. In ómnibus pópulis mirabília ejus. *Ps.* 95.

De Actibus Apostolórum.

*Lectio iv.* Cap. 1.

IN diébus illis, exurgens Petrus in médio fratrum, dixit: (erat autem turba hóminum símul ferè centum viginti) Viri fratres, oportet impléri Scriptúram quam prædixit Spíritus sanctus per os David, de Juda qui fuit dux eórum qui comprehendérunt Jesum, qui connumerátus erat in nobis, & sortítus est sortem ministérii hujus. Et hic quidem possédit agrum de mercéde iniquitátis, & suspénsus crépuit médius, & diffúsa sunt ómnia víscera ejus. Et notum factum est ómnibus habitántibus Jerúsalem; ita ut appellarétur ager ille, linguâ eórum, Hacéldama, hoc est, Ager sánguinis. Scriptum est enim in libro Psalmórum: Fiat commoratio eórum desérta, & non sit qui inhábitet in ea, & episcopátum ejus accípiat alter. Oportet ergo ex his viris qui nobíscum sunt congregáti in omni témpore quo intrávit & exívit inter nos Dóminus Jesus, incípiens à baptísmate Joannis usque in diem quâ assúmptus est à nobis, tẽ-

ſtem reſurrectiónis ejus nobiſcum fieri unum ex iſtis. Et ſtatuérunt duos : Joſeph qui vocabátur Bárſabas, qui cognominátus eſt Juſtus ; & Matthíam. Et orantes dixérunt : Tu, Dómine, qui corda noſti ómnium, oſtende quem elégeris ex his duóbus unum, accípere locum miniſtérii hujus & apoſtolátûs, de quo prævaricátus eſt Judas, ut abíret in locum ſuum. Et dedérunt ſortes eis ; & cécidit ſors ſuper Matthíam : & annumerátus eſt cum úndecim Apóſtolis.

℟. Ecce ego mitto vos ſicut oves in médio lupórum : * Eſtóte ergo prudentes ſicut ſerpentes, & símplices ſicut columbæ. ℣. Ex ore Dómini prudéntia : & próteget grádientes ſimpliciter : * Eſtóte. *Matth.* 10. *Prov.* 2.

Ex Commentário ſancti Joannis Chryſóſtomi in Actus Apoſtolórum.

*Homil.* 3. *Lectio v.*

IN diébus illis, exurgens Petrus, Tanquam férvidus, & tanquam is cui à Chriſto grex commiſſus fúerat, & tanquam chori princeps, ubíque primus íncipit loqui. Viri fratres, oportébat impléri Scriptúram. Illud considera quod Petrus agit ómnia ex commúni ſenténtia, nihil ex auctoritáte, nihil cum império. Oportet ígitur ex viris nobiſcum congregátis in omni témpore. Quamobrem communícat hoc negótium cum illis ? Ne delaberentur in contentiónem : nam ſi his ipſis hoc áccidit, multò magis accidiſſet illis. Proptéreà ait : Viri fratres, oportet elígere è nobis. Multitúdini permittit judícium : ſimul eos qui eligebantur reddens venerandos, & ſeipſum líberans ab ódio ceterórum. Ex quibus autem facienda ſit eléctio, ipſe interpretátur, dicens : Ex viris nobiſcum congregátis in omni témpore. Etenim ſi dixiſſet, Modeſtos oportet adeſſe, céteros affécciſſet contuméliâ. Et ſtatuérunt duos : Joſeph qui vocabátur Bárſabas, qui cognominátus eſt Juſtus ; & Matthíam. Quare non multos ? Ne major fieret animórum dejéctio, neve res in multos diſtraherétur.

℟. Jam non dicam vos ſervos : vos autem dixi amícos ; * Quia ómnia quæcumque audívi à Patre meo, nota feci vobis. ℣. Antíqua ne intueámini : ecce ego fácio nova, & nunc orientur : útique cognoſcétis ea ; * Quia ómnia. *Joan.* 15. *Iſ.* 43.

*Lectio vj.*

ET verò omnes communíter precantur, dicentes : Tu, Dómine, qui noſti córda ómnium, oſtende. Tu, ínquiunt, non nos. Aptè córdium cognitórem appellant : hinc enim eléctio erat facienda, non ab exterióribus. Neque dixérunt, Elige ; ſed, Oſtende electum, hoc eſt, quem tu elegiſti ; ſcientes ómnia præfinita eſſe à Deo. Et dedérunt eis ſortes. Nondum judicábant ſe eſſe idóneos ut rem ipſi ſibi permítterent. Ideòque cúpiunt áliquo ſigno edocéri. Alióqui, ſi illíc ubi nec

nec erat precátio, neque viri probi tantùm váluit sors eò quòd recto ánimo fieret super Jona; multò magìs hic explévit chorum, ac perfécit órdinem. Nec alter ille dóluit; non enim celassent Apóstoli próprios defectus, qui de ipsis primóribus non vériti sunt dícere, quòd álibi commóti fúerint indignatióne: idque non semel, sed sæpius. Hos ígitur & nos imitémur. Non jam ómnibus loquor, sed his tantùm qui principátum affectant. Si credis Dei esse electiónem, ne indignéris: illi enim indignáris, & irritáris adversùs illum. Ille est qui elégit.

℟. Nolíte cogitáre quómodo, aut quid loquámini: *Non enim vos estis qui loquímini, sed Spíritus Patris vestri qui lóquitur in vobis. ℣. Spíritus meus erit in médio vestrûm, nolíte timére: * Non enim. Glória. * Non. *Matth.* 10. *Agg.* 2.

## IN II. NOCTURNO.

*Ant.* 7. d. Non est discípulus super Magístrum: Si Patremfamílias Beélzebub vocavérunt, quantò magìs domésticos ejus? *Matth.* 10.

*Ant.* 8. c. Tradent vos in Concíliis, & in Synagógis suis flagellábunt vos. *Ibid.*

*Ant.* 3. c. Eritis ódio ómnibus propter nomen meum: qui autem perseveráverit usque in finem, hic salvus erit. *Ibid.*

℣. Multæ tribulatiónes Justórum: ℟. Et de ómnibus his liberábit eos Dóminus. *Ps.* 33.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

*Lectio vij.* Cap. 13.

Ante diem festum Paschæ dixit Jesus discípulis suis: Amen, amen dico vobis; non est servus major dómino suo, neque Apóstolus major est eo qui misit illum. Si hæc scitis, beáti éritis si fecéritis ea. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

*Tract. 59. in Joan. num.* 1.

Cum hæc Dóminus præmisísset, adjunxit: Non de ómnibus vobis dico, ego scio quos elégerim. Notum est de quo loquátur: Judas ille tráditor ejus attingitur. Ergo ipsum non elégerat; únde ab eis quos elégit, isto sermóne secernit. Quid est ergo quod álio loco dicit: Nonne ego vos duódecim elégi & unus ex vobis diábolus est? An & ipse ad áliquid est electus, ad quod útique erat necessárius; non autem ad beatitúdinem, de qua modò ait: Beáti éritis si fecéritis ea? Hoc non de ómnibus dicit; scit enim quos ad societátem beatitúdinis hujus elégerit. Non est ex eis iste qui panem illius sic edébat, ut super eum leváret calcáneum.

℟. Mementóte sermónis mei quem ego dixi vobis: *Non est servus major dómino suo: si me persecúti sunt, & vos persequentur. ℣. Locúti sunt adversùm me linguâ dolósâ, & sermónibus ódii circumdedérunt me: * Non est. *Joan.* 15. *Ps.* 108.

*Tract.* 37. *num.* 10.

*Lectio viij.*

ELecti in laude solent dici. An electus est & iste, de quo nolente & nesciente magnum áliquid boni fieret? Hoc est próprium Dei, contrárium iníquis. Omnibus bonis Dei malè útitur malus: contrà, malis hóminum malórum bene útitur bonus. Et quid tam bonum quàm unus Deus? Quandóquidem ipse Dóminus dixit: Nemo bonus nisi unus Deus. Quantò ergo ille mélior, tantò méliùs útitur & malis nostris. Quid Judâ pejus? Sed malo ejus bene usus est Dóminus. Tradi se pértulit, ut redímeret nos. Ecce malum Judæ in bonum conversum est. Potest & sic intélligi quod ait: Duódecim elégi, quia sacrátus est númerus. Non enim quia périit inde unus, ídeò illíus número honor demptus est: nam in locum pereuntis álius subrogátus est.

℟. Tradémini à paréntibus, & cognátis, & amícis; & morte afficient ex vobis, & capillus de cápite vestro non períbit: * In patiéntia vestra possidébitis ánimas vestras. ℣. Nolíte timére oppróbrium hóminum, & blasphémias eórum ne metuátis; ego, ego ipse consolábor vos: * In patiéntia. *Luc.* 21. *Is.* 51.

*Lectio ix. de Evangelio & Homilia Feriæ occurrentis.*

℟. Vos estis qui permansístis mecum in tentatiónibus meis: * Et ego dispóno vobis sicut dispósuit mihi Pater meus regnum. ℣. Dispósui testamentum electis meis. * Et ego. Glória Patri. * Et ego. *Luc.* 22. *Ps.* 88.

Te Deum.

AD LAUDES.

*Ant.* 8. G. JEsus locútus est únde-cim discípulis, dicens: Data est mihi omnis potéstas in cœlo & in terra; euntes ergo, docéte omnes gentes. *Matth.* 28.

*Ant.* 6. Prædicáte Evangélium omni creatúræ: qui crediderit & baptizátus fúerit, salvus erit. *Matth.* 15.

*Ant.* 3. a. Docéte eos serváre ómnia quæcumque mandávi vobis. Et ecce ego vobíscum sum ómnibus diébus usque ad consummatiónem séculi. *Matth.* 28.

*Ant.* 4. E. Accipiétis virtútem supervenientis Spíritûs Sancti in vos, & éritis mihi testes usque ad últimum terræ. *Act.* 1.

*Ant.* 2. D. Quorum remiséritis peccáta, remittuntur eis; & quorum retinuéritis, retenta sunt. *Joan.* 20.

*Capitulum.* Hebr. 2.

CUm initium accepísset salus enarrári per Dóminum, ab eis, qui audiérunt, in nos confirmata est, contestante Deo signis & portentis, & váriis virtútibus, & Spíritûs Sancti distributiónibus secundùm suam voluntátem.

*Hymnus.*

CŒlestis aulæ Príncipes,
Sacri duces exércitûs,
Bissena mundi lúmina,
Olim futúri júdices:

Mersis gravi calígine,
Per vos dies renáscitur;

Quos vanus error lúserat,
Illustrat alma véritas.

NON vi, nec armis míli-
tum,
Fandi nec ullis ártibus;
Verbo sed irrísæ crucis,
Christo rebelles súbditis.

QUIBUS gemébat súbdi-
tus,
Rumpuntur orbis víncula;
Jam gaudet, excusso jugo,
Liber Dei sub légibus.

VULGATA terris ómnibus
Per vos Dei mystéria:
Sic vestra terris ómnibus
Præclára facta pérsonant.

UNI sit & trino Deo
Supréma laus, summum de-
cus,
De nocte qui nos ad suæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

℣. Glóriam regni tui dicent: ℟. Ut notam fáciant fíliis hóminum poténtiam tuã. *Ps.* 144.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 4. E. Tu, Dómine, qui corda nosti ómnium, ostende quem elégeris accípere locum ministérii hujus. *Act.* 1.

*Oratio.*

DEus, qui beátum Matthíam Apostolórum tuórum collégio sociásti: tríbue, quæsumus, ut ejus interventióne, tuæ circa nos pietátis semper víscera sentiámus; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia sécula séculórum.

℟. Amen.

*Fit Commemoratio Feriæ.*

AD PRIMAM.

*Ant.* Jesus.

AD TERTIAM.

*Ant.* Prædicáte.

*Capitulum.* 2. Cor. 2.

DEo grátias, qui semper triumphat nos in Christo Jesu, & odórem notítiæ suæ manifestat per nos in omni loco.

℟. *br.* In omnem terram * Exívit sonus eórum. In omnem. ℣. Et in fines orbis terræ verba eórum, * Exívit. Glória. In omnem.

℣. Non sunt loquélæ neque sermónes, ℟. Quorum non audiantur voces eórum. *Ps.* 18.

AD SEXTAM.

*Ant.* Docéte.

*Capitulum.* Ephes. 4.

CHristus dedit quosdam quidem Apóstolos, quosdam autem Prophétas, álios verò Evangelístas, álios autem Pastóres, & Doctóres, ad consummatiónem sanctórum in opus ministérii, in ædificatiónem córporis Christi.

℟. *br.* Confitébimur tibi, Deus: * Invocábimus nomen tuum. Confitébimur. ℣. Narrábimus mirabília tua: * Invocábimus. Glória. Confitébimur. *Ps.* 74.

℣. In generatiónem & generatiónem ℟. Annuntiábimus laudem tuam. *Ps.* 78.

AD NONAM.

*Ant.* Quorum.

*Capitulum.* 2. Cor. 5.

POsuit in nobis Deus verbum reconciliatiónis. Pro Christo ergo legatióne fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecrámus pro Christo, reconciliámini Deo.

℟. br. Dóminus excelsus * Subjécit pópulos nobis. Dóminus. ℣. Elégit nobis hæreditátem suam : * Subjécit. Glória. Dóminus. *Ps.* 46.

℣. Nimis honorificáti sunt amici tui, Deus : ℟. Nimis confortátus est principátus córum. *Ps.* 138.

AD II. VESPERAS.

*Ant.* 1. g. Loquebantur verbum Dei cum fidúcia, & virtúte magnâ reddébant testimónium resurrectiónis Jesu Christi. *Act.* 4.

*Ant.* 7. *d.* Erat manus Dómini cum eis; multúsque número credéntium conversus est ad Dóminum. *Act.* 11.

*Ant.* 6. Injecérunt manus in Apóstolos, & posuérunt eos in custódia, & cæsis denuntiavérunt ne omníno loquerentur in nómine Jesu. *Act.* 5.

*Ant.* 4. E. Ibant gaudentes à conspéctu concílii, quóniam digni hábiti sunt pro nómine Jesu contuméliam pati. *Ibid.*

*Ant.* 3. a. Tradidérunt ánimas suas pro nómine Dómini nostri Jesu Christi. *Act.* 15.

*Capitulum.* 1. Cor. 4.

Deus nos Apóstolos novíssimos ostendit, tanquam morti destinátos; quia spectáculum facti sumus mundo, & Angelis, & homínibus.

*Hymnus.*

Quem misit in terras Deus,
Ut morte nos servet suâ,
Amóris hîc fidos sui,
Vos éligit vicários.

Occisus Agnus à lupis
Vos misit agnos ad lupos.
Mores ferínos éxuunt,
Agni repentè de lupis.

Quæ victimárum cædibus
Tellus madébat ímpiis,
Vestris eam sudóribus,
Vestro piastis sánguine.

Hoc rore facta pínguior,
Quot illa fructus prótulit!
Quæ, quanta surrexit seges!
Et ista nos seges sumus.

Quam si bonus respéxeris,
Qui das rigátis créscere,
Frumenta nos cœléstibus
Matúra condes hórreis.

Uni sit & trino Deo
Supréma laus, summum decus,
De nocte qui nos ad suæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

℣. Principes populórum congregáti sunt ℟. Cum Deo Abraham. *Ps.* 46.

*Ad* Magníficat. *Antiph.* 6. Dedérunt sortes eis : & cécidit sors super Matthíam; & annumerátus est cum úndecim Apóstolis. *Act.* 1.

*Oratio, ut suprà ad Laudes.*

*Commemoratio Feriæ.*

# FESTA MARTII.

Die vii.

SANCTARUM PERPETUÆ & Felicitatis, Martyrum,

*Commemoratio. Simpl.*

*Pridiè AD VESPER. Ant.* Timor Dómini cum electis féminis gráditur, & cum justis & fidélibus agnóscitur: firmamentum est Dóminus timéntibus eum. *Eccli.* 1. *Ps.* 24.

℣. Deus noster, refúgium & virtus; ℟. Non timébimus, dum turbábitur terra. *Ps.* 45.

*Oratio.* Deus, fortitúdo certántium, & palma Mártyrum, qui fámulas, &c. *ut infrà.*

[*AD OFFIC. NOCT. si sit Dominica,*

*Lectio ix.*

Sermo S. Augustíni Epíscopi. 1. *In Nativ. Mart. Perpet. & Felicit. qui est* 280.

HOdiernus dies nobis in memóriam révocat diem quo sanctæ fámulæ Dei Perpétua & Felícitas perpétuâ felicitáte floruérunt, tenentes nomen Christi in prælio, & simul invenientes étiam suum nomen in præmio. Exhortatiónes eárum in divínis revelatiónibus, triumphosque passiónum, cum legerentur, audívimus. Quid gloriósius his féminis quas viri mirantur fa-cíliùs quàm imitantur? Quid hoc spectáculo suávius? quid hoc certámine fórtius? quid hâc victóriâ gloriósius? Tunc cùm béstiis sancta objicerentur córpora, toto amphitheátro fremébant gentes, & pópuli meditabantur inánia. Sed qui hábitat in cœlis, irridébat eos. Nunc autem pósteri illórum, quorum voces in carnem Mártyrum ímpiè sæviébant, mérita Mártyrum piis vócibus laudant. Neque tunc tanto concursu hóminum ad eos occidendos cávea crudelitátis impléta est, quanto nunc ad eos honorandos Eccléfia pietátis implétur. Omni anno spectat cum religióne cáritas, quod uno die cum sacrilégio commísit impietas.]

*AD LAUD. Ant.* Infirma mundi elégit Deus, ut confundat fórtia; ut non gloriétur omnis caro in conspectu ejus. 1. *Cor.* 1.

℣. Exultavérunt filiæ Judæ, ℟. Propter judícia tua, Dómine. *Ps.* 96.

*Oratio.*

DEus, fortitúdo certántium, & palma Mártyrum, qui fámulas tuas Perpétuam & Felicitátem contra tormentórum immanitátem mirâ virtúte roborásti: quæsumus, ut ficut eárum nos triumpho lætíficas, ita sem per supplicatióne defendas; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus, per ómnia sécula seculórum.

## Die xix.

### In Festo

## SANCTI JOSEPH,

### Sponsi B. Mariæ Virginis.

*Duplex I. Ordinis.*

[ *Intra Quadragesimam Officium sit ut sequitur.* ]

### IN I. VESPERIS.

*Psalmi de Feria, & sic in toto Officio.*

*Ant.* Jacob génuit Joseph vi- 1. f. rum Maríæ de qua natus est Jesus qui vocátur Christus. *Matth.* 1.

*Ant.* 8. G. Fuit Dóminus cum Joseph & misértus illius dedit illi grátiam, & ómnia ópera ejus dirigébat. *Genes.* 39.

*Ant.* 4. E. Oculus Dei respexit illum in bono, & erexit eum ab humilitáte ipsius, & exaltávit caput ejus. *Eccli.* 11.

*Ant.* 7. ç. Ambulat cum eo & in primis éligit eum, & firmábit illum. *Eccli.* 4.

*Ant.* 6. Lætificábit illum & denudábit abscónsa sua illi, & thesaurizábit super illum sciéntiam & intellectum justítiæ. *Eccli.* 4.

*Capitulum.* Eccli. 27.

SI sequáris justítiam, apprehendes illam & índues quasi póderem honóris : inhabitábis cum ea, & próteget te in sempiternum.

℟. Dóminus dat sapiéntiam & ex ore ejus prudéntia & sciéntia. * Custódiet rectórum salútem & † Próteget gradientes simpliciter, servans sémitas justítiæ & vias Sanctórum custódiens. ℣. Quæ desúrsum est sapiéntia, pudica est, pacífica, modesta, bonis conséntiens, plena misericórdiâ & fructibus bonis, non júdicans, sine simulatióne. * Custódiet. Glória Patri. † Próteget. *Prov.* 2. *Jac.* 3.

*Hymnus.*

REgum progénies, Isácidum decus,
Festo te célebrent cármine cónjuges,
Certatimque ferant cándida vírgines
Sponso lília vírgini
Tu, Joséphe, novi lux nova fœderis,
Tu custos sóciæ Vírginis ínteger,
Tu sanctæ thálamo cónjugis ábstinens,
Tu Christi tamen es pater.
Alto progéniem quàm bene créditam
Servas consílio, depósitum Dei!
Tecum pervígiles Cœlituum Pater
Curas juraque dívidit.
Artus inválidum tu Púerum foves,
Infantique Deo pábula súfficis;
Et formáta Dei te fine, de tuis
Crescunt membra labóribus.
Sint qui mille tubis úndique pérsonent,
Adventásse Deum qui pópulos regat:
Tu commíssa tibi non violábili
Velas sacra siléntio.
Sit laus súmma Patri, súmmaque Filio:
Sit par, alme, tibi glória, Spíritus,
Qui fœcunda facis víscera Vírginis,

Illábens útero Deus.
Amen.

℣. Lætentur omnes qui sperant in te, Dómine; ℟. Quóniam tu benedices justo. *Psalmo* 5.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 8. G. Missus est Angelus Gábriël à Deo ad Vírginem desponsátam viro cui nomen erat Joseph, de domo David, & nomen Vírginis María. *Luc.* 1.

*Oratio, ut infrà ad Laudes.*

AD OFFICIUM NOCTUR.

*Invit.* Púerum Jesum, Maríæ & Joseph súbditum, * Veníte, adorémus.

*Ps.* 94. Veníte. 2.

*Hymnus.* Regum progénies. *ut suprà.*

*IN I. NOCTURNO.*

*Ant.* 8. G. Christi generátio sic erat: cum esset desponsáta mater ejus María Joseph, ántequam convenírent inventa est in útero habens de Spíritu sancto. *Matth.* 1.

*Ant.* 2. D. Joseph autem vir ejus, cum esset justus, & nollet eam tradúcere, vóluit occultè dimíttere eam. *Matth.* 1.

*Ant.* 3. a. Hæc eo cogitante, ecce Angelus Dómini appáruit in somnis ei. *Matth.* 1.

℣. Jacta cogitátum tuum super Dóminum, ℟. Non dabit in æternum fluctuatiónem justo. *Ps.* 54.

*Tres primæ Lectiones de Scriptura occurrente.*

*In Feriis Quadrag. è duabus fiunt tres, divisione factâ ad asterisc.**

*Post j. Lect.* ℟. Appáruit Joseph Angelus, dicens: Joseph, fili David,* Noli timére accípere Maríam cónjugem tuam: quod enim in ea natum est de Spíritu sancto est. ℣. Noli discédere à muliére sensáta & bona, quam sortítus es in timóre Dómini; grátia enim verecúndiæ illíus super aurum. * Noli. *Matth.* 1. *Eccli.* 7.

*Post ij. Lect.* ℟. Páriet María fílium &* Vocábis nomen ejus Jesum: ipse enim salvum fáciet pópulum suum à peccátis eórum. ℣. Audíte, domus David: Ecce Virgo concípiet & páriet fílium, & vocábitur nomen ejus Emmánuel. * Vocábis. *Matth.* 1. *Is.* 7.

*Post iij. Lect.* ℟. Exurgens * Joseph fecit sicut præcéperat ei Angelus & accépit cónjugem suam, & non cognoscébat eam donec péperit fílium suum primogénitum, & † Vocávit nomen ejus Jesum. ℣. Mens justi meditátur obediéntiam. * Joseph. Glória. † Vocávit. *Marc. Matth.* 1. *Prov.* 15.

*IN II. NOCTURNO.*

*Ant.* 7. a. Ascéndit Joseph à Názareth in civitátem David, quæ vocátur Béthleem, eò quòd esset de domo & família David, ut profiterétur cum María desponsáta sibi uxóre prægnante. *Luc.* 2.

*Ant.* 8. c. Factum est autem cùm essent ibi, impléti sunt dies ut páreret María, & péperit fílium suum primogénitum, & pannis eum involvit, & reclinávit eum in præsépio. *Luc.* 2.

*Ant.* 1. g. Pastóres venérunt festinántes, & invenérunt Maríam & Joseph & infántem pósitum in præsépio. *Luc.* 2.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo : ℟. Lætificábis eum in gáudio cum vultu tuo. *Ps.* 2.

Sermo sancti Bernardi Abbátis.

*Hom.* 2. *super* Missus est. *n.* 16.

*Lectio iv.*

QUis & qualis homo fúerit beátus Joseph cónjice ex appellatióne qua, licèt dispensatóriâ, méruit honorári a Deo, ut pater Dei & dictus & créditus sit : cónjice & ex próprio vocábulo, quod augmentum non dúbitas interpretári, quis & qualis homo fúerit iste Joseph. Simul & memento magni illius quondam Patriarchæ vénditi in Ægypto ; & scito ipsius istum non solùm vocábulum fuísse sortítum, sed & castimóniam adeptum, innocéntiam assecútum & grátiam.

℟. Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph dicens : * Surge & áccipe púerum & matrem ejus, & fuge in Ægyptum. ℣. Audívit Deum per visiónem noctis dicentem sibi : Descende in Ægyptum ; ego descendam tecum illuc & inde addúcam te revertentem. * Surge & áccipe. *Matth.* 2. *Gen.* 46.

*Lectio v.*

SIquidem ille Joseph, fraternâ ex invídia vénditus & ductus in Ægyptum, Christi venditiónem præfigurávit : iste Joseph Herodiánam invídiam fúgiens, Christum in Ægyptum portávit. Ille dómino suo fidem servans, dóminæ nóluit commiscéri : iste dóminam suam, Dómini sui matrem, vírginem agnoscens, & ipse cóntinens, fidéliter custodívit.

℟. Esto in Ægypto usque dum dicam tibi : *Futúrum est ut Heródes quærat púerum ad perdendum eum. ℣. Intéllige fili hóminis ; consurget rex ímpudens fácie & dirigétur dolus in manu ejus & occídet plúrimos. * Futúrum. *Matt.* 2. *Dan.* 8.

*Lectio vj.*

ILli data est intelligéntia in mystériis somniórum ; isti datum est cónscium fieri atque partícipem cœléstium sacramentórum. Ille frumenta servávit non sibi, sed omni pópulo : iste panem vivum è cœlo servandum accépit tam sibi quàm toti mundo. Non est dúbium quin bonus & fidélis homo fúerit iste Joseph, cui mater desponsáta est Salvatóris. Fidélis, inquam, servus & prudens, quem constítuit Dóminus suæ matris solátium, suæ carnis nutrítium, solum dénique in terris magni consílii coadjutórem sibi fidelíssimum.

℟. Consúrgens Joseph * Accépit púerum & matrem ejus nocte, & † Secessit in Ægyptum, & erat ibi usque ad óbitum Heródis. ℣. Vir justus atque perfectus fuit, cum Deo ambulávit, & fecit ómnia quæ præcéperat illi Deus. * Accépit. Glória Patri. † Secessit. *Matth.* 2. *Genes.* 6.

*IN III. NOCTURNO.*

*Ant.* 4. D. Defuncto Heróde Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph in Ægypto, dicens : Surge & áccipe púe-

rum & matrem ejus. *Matth.* 2.

*Ant.* 3. c. Surge & egrédere de terra hac, revertens in terram nativitátis tuæ. *Gen.* 31.

*Ant.* 2. D. Vade in terram Israël, defuncti sunt enim qui quærébant ánimam púeri. *Matth.* 2.

℣. Lex Dei ipsíus in corde ipsíus. ℟. Non supplantabuntur gressus ejus. *Psal.* 36.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

*Lectio vij.* Cap. 1.

CUm esset desponsáta mater Jesu María Joseph, ántequam convenírent inventá est in útero habens de Spíritu sancto. Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbyteri.

*Ex Comment. in Matth. c.* 1.

QUare non de símplici Vírgine, sed de desponsáta concípitur? primùm ut per generatiónem Joseph orígo Maríæ monstrarétur: secundò, ne lapidarétur à Judæis ut adúltera: tértiò, ut in Ægyptum fúgiens habéret solátium. Martyr Ignátius étiam quartam áddidit causam cur à desponsátâ conceptus sit: ut partus, inquiens, ejus celarétur diabolo, dum enim putat non de Vírgine, sed de uxóre generátum.

℟. Joseph consúrgens accépit púerum & matrem ejus, * Et venit in terram Israël. ℣. Dicente sibi Dómino, Revértere in terram patrum tuórum & ad generatiónem tuam, surrexit & ábiit. * Et venit in terram Israël. *Matth.* 2. *Genes.* 31.

*Lectio viij.*

ANtequàm convenírent, inventa est in útero habens de Spíritu sancto. Non ab álio inventa est, nisi à Joseph qui penè licéntiâ maritáli futuræ uxóris ómnia nóverat. Quod autem dícitur: Antequàm convenírent: non séquitur ut póstea convénerint; sed scriptúra quod factum non sit osténdit. Joseph autem vir ejus cum esset justus, & nollet eam tradúcere, vóluit occultè dimíttere eam. In lege præceptum est non solùm reos, sed & cónscios críminum, obnóxios esse peccáti: quómodò Joseph cum crimen celáret uxóris justus scríbitur? sed hoc testimónium Maríæ est, quòd Joseph sciens illíus castitátem, & admírans quod evénerat, celat siléntio; cujus mystérium nesciébat.

℟. Audiens Joseph quod Archelaus regnáret in Judæa pro Heróde patre suo, tímuit illò ire, & * Admónitus in somnis secéssit in partes Galilææ, & véniens habitávit in civitáte, quæ vocátur Názareth. ℣. Cum requíreret Dóminum direxit eum in ómnibus.* Admónitus. *Matth.* 2. 2. *Paral.* 26.

*Lectio ix. erit de Homilia super Evangelium Feria occurrentis.*

℟. Fidélis servus & prudens quem constítuit Dóminus super famíliam suam, ut det illis cibum in témpore, * Amen dico vobis † Super ómnia bona sua constítuet eum. ℣. Qui custos est Dómini sui glorificábitur. * Amen dico.

Glória. † Super. *Matth.* 29. *Prov.* 27.

Te Deum.

AD LAUDES.

*Ant.* 3. g. TUlérunt Jesum parentes ejus in Jerúsalem, ut sísterent eum Dómino, & ut darent hóstiam secundùm quod dictum est in lege Domini. *Luc.* 2.

*Ant.* 1. a. Simeon venit in spíritu in templum, & cum indúcerent púerum Jesum parentes ejus, ut fácerent secundùm consuetúdinem legis pro eo, Simeon & ipse accépit eum in ulnas suas & benedixit Deum. *Luc.* 2.

*Ant.* 2. D. Erat Pater ejus & Mater mirantes super his quæ dicebantur de illo, & benedixit illis. *Luc.* 2.

*Ant.* 7. c. Reversi sunt parentes Jesu in Galilæam in civitátem suam Názareth, puer autem crescébat & confortabátur plenus sapiéntiâ. *Luc.* 2.

*Ant.* 5. a. Ipse Jesus erat incípiens quasi annórum triginta, ut putabátur filius Joseph. *Luc.* 3.

*Capitulum.* Eccli. 45.

DIlectus Deo, & homínibus, cujus memória in benedictióne est, in fide & lenitáte ipsíus sanctum fecit illum, & elégit eum ex omni carne.

*Hymnus.*

QUos pompa secli, quos opes
Fulgóre perstringunt suo,
Adeste: mundi próspera,
Auctóre magno, spérnite.

JOSEPHUS en Christi pater,
Davídis augustum genus,
Vili tabernâ cónditus,
Labóre victum quæritat.

QUIN ipse, quin homo Deus,
Par Natus æterno Patri,
Amat, fabrílis ártifex,
Audire fabri filius.

ADÆ nocentis innocens
Ultro gravem pœnam subit
Docetque fontes víndicem
Placáre quâ possint Deum.

TU rector & custos domûs,
Joséphe, egénus ómnium,
Adesse nobis ómnia,
Si Christus adsit, áddoces.

SIT summa Patri glória,
Natoque, pro nobis egens
Qui factus est de divite:
Par sit tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Constítuit eum Dóminum domûs suæ: ℟. Et príncipem omnis possessiónis suæ. *Ps.* 104.

*Ad* Benedictus. *Antiph.* 6. Invénit Joseph grátiam coram Dómino suo, & minístrabat ei, à quo præpósitus ómnibus gubernábat créditam sibi domum. *Gen.* 39.

*Oratio.*

CUstódi nos, Dómine, protectióne perpétuâ, qui beátum Joseph Unigénito tuo nutrítium, & Vírgini matri custódem providísti; Per eumdem Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum.

AD PRIMAM.

*Ant.* Tulérunt Jesum.

AD TERTIAM.

*Ant.* Simeon venit.

*Capitulum.* Sap. 8.

PRopósui sapiéntiam addúcere mihi ad convivendum, sciens quóniam mecum

communicábit de bonis, & erit allocútio cogitatiónis & tædii mei.

℟. br. Adimplébis me lætítiâ * Cum vultu tuo, Dómine. Adimplébis. ℣. Delectatiónes in dextra tua. * Cum vultu. Glória Patri. Adimplébis. *Ps.* 15.

℣. Providébam Dóminum in conspéctu meo semper; ℟. Quóniam à dextris est mihi ne commóvear. *Ps.* 15.

AD SEXTAM.

*Ant.* Erat pater.

*Capitulum.* Sap. 6.

QUid est sapiéntia, & quemádmodum facta sit réferam, & non abscóndam à vobis sacramenta Dei, sed ab initio nativitátis investigábo, & ponam in lucem sciéntiam illius, & non præteríbo veritátem.

℟. br. Anima mea, * Exultábit in Dómino. Anima. ℣. Delectábitur in Deo salutári suo: * Exultábit. Glória Patri. Anima. *Ps.* 34.

℣. Exultábit cor meum in salutári tuo, Dómine: ℟. Cantábo Dómino qui bona tribuit mihi. *Ps.* 12.

AD NONAM.

*Ant.* Ipse Jesus.

*Capitulum.* Prov. 27. & 28.

VIr fidélis multum laudábitur, & qui custos est Dómini sui glorificábitur.

℟. br. Magna est glória ejus * In salutári tuo. Magna. ℣. Glóriam & magnum decórem impónes super eum. * In. Glória. Magna. *Ps.* 20.

℣. Glória & divítiæ in domo ejus, ℟. Et justítia ejus manet in sæculum sæculi. *Ps.* 111.

AD II. VESPERAS.

*Ant.* IBant parentes Jesu per n. f. omnes annos in Jerúsalem, in die solemni Paschæ. *Luc.* 2.

*Ant.* 7. d. Ascendéntibus illis, remansit puer Jesus in Jerúsalem; & non cognovérunt parentes ejus. *Luc.* 2.

*Ant.* 2. D. Existimántes illum esse in comitátu, venérunt iter diéi; & requirébant eum inter cognátos & notos. *Luc.* 2.

*Ant.* 3. a. Non invenientes, regressi sunt in Jerúsalem; & invenérunt illum in templo, sedéntem in médio doctórum. *Luc.* 2.

*Ant.* 8. G. Dixit mater Jesu ad eum: Fili, quid fecísti nobis sic? Ecce pater tuus & ego dolentes, quærebámus te. *Luc.* 2.

*Capitulum.* Sap. 1.

IN simplicitáte cordis quærite Dóminum, quóniam invenítur ab his qui non tentant illum, appáret autem eis qui fidem habent in illum.

*Hymnus.* Quos pompa. *ut ad Laudes.*

℣. Exquisívit te fácies mea, Dómine: ℟. Fáciem tuam, Dómine, requíram. *Ps.* 26.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 2. D. Descendit cum eis Jesus, & venit Názareth; & erat súbditus illis. *Luc.* 2.

*Oratio, ut suprà ad Laudes.*

In Festo

SANCTI JOSEPH,

Tempore Paschali.

*Omnia, exceptis quæ sequuntur, ut in Officio præcedenti.*

*Additur* Allelúia, *semel in fine singularum Antiphonarum & Invitatorii. Bis verò in fine omnium Responsoriorum, & ad eorum reclamationes.*

*AD NOCTURNUM, tres Antiphonæ ℣. & tria Responsoria, è primo Nocturno Officii præcedentis.*

*Lectio prima de Scriptura occurrente, è tribus una.*

*Lectio ij.*

Sermo sancti Bernardi Abbátis.

Quis & qualis homo, &c. *p.* 440. *tribus in unam junctis.*

*Lectio iij. erit de Evangelio & Homilia quæ in Officio præcedenti assignantur pro vij. Lectione.*

*AD HORAS, additur bis* Allelúia, *in* ℟. *brevibus.*

## DIE XXV.

# IN ANNUNTIATIONE ET INCARNATIONE DOMINI.

### SOLEMNE II. ORDINIS.

### IN I. VESPERIS.

*Psalmi de Feria.*

*Ant.* DOmine exercítuum, 3. a. úsquequò tu non miseréberis Jerúsalem & úrbium Juda, quibus irátus es? *Zach.* 1.

*Ant.* 5. C. Exaudi, Dómine; placáre, Dómine; attende, & fac: ne moréris propter temetipsum, Deus meus. *Dan.* 9.

*Ant.* 7. d. Da testimónium his qui ab initio creatúræ tuæ sunt, & súscita prædicatiónes quas locúti sunt in nómine tuo. *Eccli.* 36.

*Ant.* 4. E. Dabis, Deus, veritátem Jacob, misericórdiam Abraham, quæ jurásti pátribus nostris à diébus antíquis. *Mich.* 7.

*Ant.* 1. g. Obsecro, Dómine, mitte quem missúrus es. *Exod.* 4.

*Capitulum.* Dan. 9.

SEptuaginta hebdómades abbreviátæ sunt super pópulum tuum, & super urbem sanctam tuam, ut consummétur prævaricátio, & finem accípiat peccátum, & deleátur iníquitas, & adducátur justítia sempiterna, & impleátur vísio, & prophetía, & ungátur Sanctus sanctórum.

℟. Audíte, domus David: Ecce virgo concípiet & páriet filium; & * Vocábitur nomen ejus, Emmánuel. ℣. Habitábit cum homínibus; & ipsi pópulus ejus erunt; & ipse Deus cum eis erit eórum Deus: * Vocábitur. Glória. * Vocábitur. *Is.* 7. *Apoc.* 21.

*Hymnus.*

HÆc illa solemnis dies,
Dies salútis núntia,
Quâ missa cœlo tristibus
Venêre terris gáudia.

UNIUS omnes crímine
Casu gravi lapsi sumus,
Ut ipse lapsos érigat,
Descendit in terras Deus.

QUI Patris æterno sinu
Æterna Proles náscitur,
Obnóxius sit témpori,
Sinum nec horret Vírginis.

MORTALE corpus induit
Orbi piando víctimam;
Ut innocenti sánguine
Scelus nocentûm díluat.

QUI cuncta complet númine,
Nostros se in artus cólligit;
Ut nos redúcat ad Deum,
Est ipse nobiscum Deus.

¶ MUNDO redemptor quî venis,
Fili, tibi laus máxima
Cum Patre: nec tibi minor
Laus, utriusque Spíritus.
Amen.

¶ *Hæc Doxologia dicitur ad omnes Horas in fine Hymnorum ejusdem metri, nisi propria assignetur.* ]

℣. Excita, Dómine, poténtiam tuam; ℟. Et veni, ut salvos fácias nos. *Ps.* 79.

*Ad* Magníficat. *Antiph. 6.* Lauda & lætáre, filia Sion; quia ecce ego vénio, & habitábo in médio tuî, ait Dóminus. *Zach.* 2.

*Oratio, ut infrà ad Laudes.*

*Fit Commemoratio Feriæ.*

AD COMPLETORIUM.

*super Psalmos de Feria.*

*Ant.* 4. a. Ego ad Dóminum aspíciam: expectábo Deum salvatórem meum. *Mich.* 7.

*Hymnus.* Virgo. *ut in Officio parvo*, CXXX.

AD OFFICIUM NOCTUR.

*Invit.* Verbum caro factum est: * Veníte, adorémus. *Joan.* 1.

*Ps.* 94. Veníte. 2.

*Hymnus.*

CŒlestis Ales núntiat
Implenda mox mystéria:
Virtúte fœcundâ Deus
Illapsus implet Vírginem.

Qualis stupendo glória
Te, Virgo, de partu manet!
Conceptus in tuo sinu,
Natus Deo, nunc est tuus.

De virgináli sánguine,
Quem nulla labes ínficit,
Fingente sancto Spíritu,
Christi caro compíngitur.

Nobis per hanc mortálibus
Lacteíscit esca Cœlitûm:
Nos pascit infantes homo,
Qui pascit Angelos Deus.

Mundo redemptor qui venis, &c. *ut suprà.*

*Psalmi de Officio parvo.*

*IN I. NOCTURNO.*

*Ant.* 8. G. Missus est Angelus Gábriel ad Maríam vírginem desponsátam Joseph. *Luc.* 1.

*Ant.* 1. f. Ingressus Angelus ad eam, dixit: Ave, grátiâ plena; Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus. *Luc.* 1.

*Ant.* 2. D. Cum audísset María, turbáta est in sermóne ejus, & cogitábat qualis esset ista salutátio. *Luc.* 1.

℣. Dómine, audívi auditiónem tuam, ℟. Et tímui. *Habac.* 3.

De Isaía Prophéta.

*Lectio j.* Cap. 7.

ADjécit Dóminus loqui ad Achaz, dicens: Pete tibi signum à Dómino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra. Et dixit Achaz: Non petam, & non tentábo Dóminum. Et dixit: Audite ergo, domus David: Numquid parùm vobis est molestos esse homínibus, quia molesti estis & Deo meo? Propter hoc dabit Dóminus ipse vobis signum: Ecce virgo concípiet, & páriet filium; & vocábitur nomen ejus, Emmánuel: bútyrum & mel cómedet, ut sciat reprobáre malum, & elígere bonum.

℟. Ne tímeas, María: invenísti enim grátiam apud Deum: * Ecce concípies in útero, & páries Fílium. ℣. Hoc à Dómino Deo exívit, ut mirábile fáceret consílium. * Ecce. Glória. * Ecce. *Luc.* 1. *If.* 28.

*Lectio ij.* Cap. 11.

ET egrediétur virga de radíce Jesse, & flos de radíce ejus ascéndet; & requiés-

cet ſuper eum Spíritus Dómini; ſpíritus ſapiéntiæ & intellectûs, ſpíritus consílii & fortitúdinis, ſpíritus ſciéntiæ & pietátis: & replébit eum ſpíritus timóris Dómini. Non ſecundùm viſiónem oculórum judicábit, neque ſecundùm auditum áurium árguet; ſed judicábit in juſtítia páuperes, & árguet in æquitáte pro manſuétis terræ: & percútiet terram virgâ oris ſui, & ſpíritu labiórum ſuórum interficiet ímpium. Et erit juſtítia cíngulum lumbórum ejus, & fides cinctórium renum ejus.

℟. Hic erit magnus, & Fílius Altíſſimi vocábitur & dabit illi Dóminus Deus ſedem David patris ejus; * Et † Regni ejus non erit finis. ℣. Ecce dies véniunt, dicit Dóminus, & ſuſcitábo David germen juſtum: & regnábit Rex; * Et. Glória Patri. † Regni. *Luc.* 1. *Jerem.* 23.

*Lectio iij.* Cap. 35.

LÆtábitur deſerta & ínvia; & exultábit ſolitúdo, & florébit quaſi lílium. Gérminans germinábit, & exultábit lætabunda & laudans: glória Líbani data eſt ei; decor Carméli & Saron: ipſi vidébunt glóriam Dómini, & decórem Dei noſtri. Confortáte manus diſſolútas, & génua debília roboráte. Dícite puſillánimis: Confortámini, & nolite timére; ecce Deus veſter ultiónem addúcet retributiónis; Deus ipſe véniet, & ſalvábit vos. Tunc aperientur óculi cæcórum, & aures ſurdórum patébunt: tunc sáliet ſicut cervus claudus; & aperta erit lingua mutórum; quia ſciſſæ ſunt in deſerto aquæ, & torrentes in ſolitúdine: & quæ erat árida, erit in ſtagnum; & sitiens, in fontes aquárum.

℟. Vocábis nomen ejus, Jeſum: * Ipſe enim † Salvum fáciet pópulum ſuum à peccátis eórum. ℣. Fília Sion, rex Iſraël Dóminus in médio tuî; noli timére; * Ipſe enim. Glória Patri. † Salvum. *Repetitur* ℟. Vocábis. *uſque ad* ℣. *Matth.* 1. *Soph.* 3.

*IN II. NOCTURNO.*

*Ant.* 3. *a.* Dixit María ad Angelum: Quómodò fiet iſtud, quóniam virum non cognoſco? *Luc.* 1.

*Ant.* 8. G. Reſpondens Angelus, dixit ei: Spíritus ſanctus ſupervéniet in te; & virtus Altíſſimi obumbrábit tibi. *Luc.* 1.

*Ant.* 2. D. Quod naſcétur ex te Sanctum, vocábitur Fílius Dei. *Luc.* 1.

℣. Homo natus eſt in ea: ℟. Et ipſe fundávit eam Altíſſimus. *Pſ.* 86.

Sermo ſancti Leónis Papæ. *De Natali Domini*, II. C. 1.

*Lectio iv.*

DEus omnípotens & clemens, cujus natúra bónitas, *cujus* voluntas poténtia, cujus opus miſericórdia eſt, ſtatim ut nos diabólica malígnitas venéno ſuæ mortificávit invídiæ, præparáta renovandis mortálibus ſuæ pietátis remédia inter ipſa mundi primórdia præſignávit; denúntians ſerpenti futúrum ſemen mulíeris, quod nóxii cápitis elatiónem ſuâ virtúte contéreret; Chriſtum

scílicet in carne ventúrum, Deum hominemque significans, qui natus ex Vírgine violatórem humánæ propáginis incorruptâ nativitáte damnáret.

℟. Ecce Elízabeth cognáta tua, & ipsa concépit Fílium in senectúte sua; * Quia non erit impossíbile apud Deum omne verbum. ℣. Hoc tibi erit signum à Dómino, quia fáciet Dóminus verbum quod locútus est; * Quia. Glória Patri. * Quia. *Luc.* 1. *Is.* 38.

*Lectio v.*

NAm quia gloriabátur diábolus hóminem suâ fraude deceptum divínis caruísse munéribus, & immortalitátis dote nudátum duram mortis subiísse sententiam, seque in malis suis quoddam de prævaricatóris consórtio invenísse solátium; Deum quoque justè, severitátis exigente ratióne erga hóminem quem in tanto honóre condíderat, antiquam mutásse sententiam: opus fuit, dilectíssimi, secréti dispensatióne consílii, ut incommutábilis Deus, cujus voluntas non potest suâ benignitáte privári, primam pietátis suæ dispositiónem sacramento occultióre compléret; & homo diabólicæ iniquitátis versútiâ actus in culpam, contra De ipropósitum non períret.

℟. Dixit María ad Angelum: * Ecce ancilla Dómini; † Fiat mihi secundùm verbum tuum. ℣. Nunc ergo, Dómine, tu es Deus, & verba tua erunt vera: * Ecce. Glória. † Fiat. *Luc.* 1. 2. *Reg.* 7.

*Lectio vj.*

ADveniéntibus ergo temporibus, dilectíssimi quæ redemptióni hóminum fuerant præstitúta, ingréditur hæc ínfima Jesus Christus Fílius Dei, de cœlesti sede descendens, & a paterna glória non recédens, novo órdine, novâ nativitáte generátus. Novo órdine, quia invisíbilis in suis, visíbilis factus est in nostris, incomprehensíbilis vóluit comprehendi; ante témpora manens esse cœpit ex témpore: universitátis Dóminus servílem formam, obumbrátâ majestátis suæ dignitáte, suscépit: impassíbilis Deus non dedignátus est homo esse passíbilis, & immortális mortis légibus subjacére. Novâ autem nativitáte génitus est, conceptus a Vírgine, natus ex Vírgine, sine paternæ carnis concupiscéntiâ, sine maternæ integritátis injuriâ; quia futúrum hóminum Salvatórem talis ortus decébat, qui & in se habéret humánæ substántiæ natúram, & humánæ carnis inquinamenta nescíret.

℟. Christi generátio sic erat: * Desponsáta Maria Joseph inventa est in útero habens de Spíritu sancto. ℣. Creávit Dóminus novum super terram: Fémina circúmdabit virum. * Desponsáta. Glória Patri. * Desponsáta. *Repetitur* ℟. Christi. *usque ad* ℣. *Matth.* 1. *Jerem.* 31.

*IN III. NOCTURNO.*

*Ant.* 6. Quod in ea natum est, de Spíritu sancto est; pariet autem Fílium. *Matth.* 1.

*Ant.*

*Ant.* 4. E. Relíquiæ fratrum ejus convertentur ad filios Israël; & erit iste pax. *Mich.* 5.

*Ant.* 5. C. Hoc totum factum est, ut adimplerétur quod dictum est per Prophétam, Ecce virgo in útero habébit, & páriet filium. *Matth.* 1.

℣. Recordátus est Dóminus misericórdiæ suæ, ℟. Et veritátis suæ dómui Israël. *Ps.* 97.

Léctio sancti Evangélii secundum Lucam.

*Lectio vij.* Cap. 1.

IN illo témpore; Missus est Angelus Gábriël à Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad vírginem desponsátam viro cui nomen erat Joseph, de domo David; & nomen vírginis, María. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

*Lib.* 2. *in Luc. n.* 8.

DIsce vírginem móribus, disce vírginem verecúndiâ, disce vírginem orâculo, disce mystério. Trepidáre vírginum est, & ad omnes viri ingréssus pavére, omnes viri affátus veréri. Discant mulieres propósitum pudóris imitári. Sola in penetrálibus quam nemo virórum vidéret, solus Angelus reperíret: sola sine cómite, sola sine teste, ne quo degéneri depravarétur affátu, ab Angelo salutátur. Soli Maríæ hæc salutátio servabátur: bene enim sola grátiâ plena dícitur, quæ sola grátiam quam nullaália meruérat, consecúta est, ut grátiæ replerétur Auctóre.

℟. Benedícta es tu, fília, à Dómino Deo excelso præ ómnibus muliéribus super terram: * Benedíctus Dóminus, quia hódie nomen tuum ita magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminum. ℣. Benedícta tu inter mulíeres, & benedíctus fructus ventris tui: * Benedíctus. Glória. * Benedíctus. *Judith* 13. *Luc.* 1. *n.* 15. *Lectio viij.*

VIrginem párere divíni est signum mystérii, non humáni. Tanti namque mandáti mystérium, non hóminis fuit, sed Angeli ore promendum. Hódie primùm audítur: Spíritus sanctus supervéniet in te. Et audítur, & créditur. Dixit autem María: Ecce ancilla Dómini: contingat mihi secundum verbum tuum. Vide humilitátem, vide devotiónem. Ancillam se dicit Dómini, quæ mater elígitur: nec repentíno exaltáta promísso est. Simul ancillam dicendo, nullam sibi prærogatívam tantæ grátiæ vindicávit, quæ faceret quod juberétur: mitem enim humilemque paritúra, humilitátem débuit étiam ipsa præferre.

℟. Suscépit Deus Israël púerum suum, recordátus misericórdiæ suæ, * Sicut locútus est ad patres nostros, Abraham & sémini ejus in sécula. ℣. In me ancilla sua adimplévit Dóminus misericórdiam suam, * Sicut. Glória. * Sicut. *Luc.* 1. *Judith* 13.

*Lectio ix. de Evangelio & Homilia Feriæ occurrentis.*

℟. Beáta quæ credidísti, quóniam * Perficientur

quæ dicta sunt tibi à Dómino. ℣. Non est Deus, quasi homo, ut mentiátur. Dixit ergo, & non fáciet? locútus est, & non implébit? * Perficientur ea. Glória Patri. * Perficientur. *Repetitur* ℟. Beáta. *usque ad* ℣. *Luc.* 1. 1. *Num.* 23.

Te Deum.

## AD LAUDES,

*Psalmi de Dominica.*

*Ant.* IN princípio erat Ver- 1. g. bum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. *Joan.* 1.

*Ant.* 7. ç. Omnia per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est nihil, quod factum est. *Joan.* 1.

*Ant.* 5. a. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognóvit; in própria venit, & sui eum non recepérunt. *Joan.* 1.

*Ant.* 6. Quotquot.

*Canticum.* Is. 52.

QUàm pulchri super montes * pedes annuntiantis & prædicantis pacem;

Annuntiantis bonum, prædicantis salútem, * dicentis Sion: Regnábit Deus tuus!

Vox speculatórum tuórum: * levavérunt vocem, simul laudábunt.

Quia óculo ad óculum vidébunt, * cùm convérterit Dóminus Sion.

Gaudéte & laudáte simul, deserta Jerúsalem; * quia consolátus est Dóminus pópulum suum, redémit Jerúsalem.

Parávit Dóminus brachium sanctum suum * in óculis ómnium géntium;

Et vidébunt omnes fines terræ * salutáre Dei nostri.

*Ant.* Quotquot recepérunt eum, dedit eis potestátem fílios Dei fieri, his qui credunt in nómine ejus. *Joan.* 1.

*Ant.* 8. G. Verbum caro factum est, & habitávit in nobis; & vídimus glóriam ejus. *Joan.* 1.

*Capitulum.* Phil. 2.

CUm in formâ Dei esset, non rapínam arbitrátus est esse se æquálem Deo; sed semetipsum exinanívit formam servi accípiens, in similitúdinem hóminum factus, & hábitu inventus ut homo.

*Hymnus.*

PULSUM supernis sédibus,
Umbris tot annos óbsitum,
Cœléstis ignárum viæ,
Errábat humánum genus.

CŒLESTIS en Rex cúriæ,
Ut monstret ad cœlum viam
Secumque ducat éxules,
Se sponte fecit éxulem.

SE déviis præbet ducem,
Vires dat ambulántibus:
Est ipse quâ ducit via;
Quò ducit, ipse términus.

DEUS, supréma Véritas,
Umbráta velo córporis,
Puris videnda méntibus,
Lustra tuo nos lúmine.

ET tu, tuórum sis memor,
Quæ, dum modesto péctore
Te dicis ancillam Dei,
Regina mundi diceris.

MUNDO redemptor qui venis,
Fili, tibi laus máxima
Cum Patre: nec tibi minor
Laus, utriusque Spíritus.
Amen.

℣. Quid est homo, quòd memor es ejus? ℟. Aut filius

hóminis, quóniam vísitas eum? *Ps.* 8.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 2. D. Visitávit nos Oriens ex alto, illumináre his qui in ténebris & in umbra mortis sedent. *Luc.* 1.

*Oratio.*

DEus, qui de beátæ Maríæ vírginis útero Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem súscipere voluísti: præsta supplícibus tuis, ut qui verè eam genitrícem Dei crédimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur; Per eumdem Dóminum nostrum Jesum Christum.

*Fit Commemoratio Feria.*

*AD HORAS, in fine Hymnorum dicitur Doxologia:*

MUNDO redemptor. 454.

*Psalmi de Dominica.*

AD PRIMAM.

*Ant.* In princípio.

*In* ℟. *br.* ℣. Qui natus es.

AD TERTIAM.

*Ant.* Omnia.

*Capitulum.* Ephes. 1.

PRopósuit Deus in dispensatióne plenitúdinis témporum instauráre ómnia in Christo, quæ in cœlis & quæ in terra sunt, in ipso.

℟. *br.* Deus rex noster * Operátus est salútem. Deus. ℟. In médio terræ. * Operátus est. Glória Patri. Deus. *Ps.* 73.

℣. Tu es ipse Rex meus, & Deus meus, ℟. Qui mandas salútes Jacob. *Ps.* 43.

AD SEXTAM.

*Ant.* In mundo.

*Capitulum.* 1. Joan. 4.

IN hoc est cáritas, non quasi nos dilexérimus Deum, sed quóniam ipse prior dilexit nos, & misit Fílium suum propitiatiónem pro peccátis nostris.

℟. *br.* Redemptiónem misit Dóminus * Pópulo suo. Redemptiónem. ℣. Mandávit in æternum testamentum suum * Pópulo suo. Glória Patri. Redemptiónem. *Ps.* 110

℣. Confiteantur Dómino misericórdiæ ejus, ℟. Et mirabília ejus fíliis hóminum. *Ps.* 106.

AD NONAM.

*Ant.* Verbum.

*Capitulum.* 1. Tim. 3.

MAnifestè magnum est pietátis sacramentum, quod manifestátum est in carne, justificátum est in spíritu appáruit Angelis, prædicátum est géntibus, créditum est in mundo, assúmptum est in glória.

℟. *br.* Dómini * Est assúmptio nostra. Dómini. ℣. Et Sancti Israël regis nostri, * Est. Glória Patri. Dómini. *Ps.* 88.

℣. Dóminus virtútum nobíscum, ℟. Susceptor noster Deus Jacob. *Ps.* 45.

AD II. VESPERAS.

*Psalmi de Officio parvo.*

*Ant.* QUæ ad patres nostros 1. f. repromíssio facta est, hanc Deus adimplévit fíliis nostris. *Act.* 13.

*Ant.* 4. E. Ubi venit plenitúdo témporis, misit Fílium suum factum ex muliere. *Galat.* 4.

*Ant.* 3. a. Qui sanctíficat, & qui sanctificantur, ex uno omnes; propter quam causam non confúnditur fratres eos vocáre. *Hebr.* 2.

*Antiph. 6.* Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ; unde débuit per ómnia frátribus símilári. *Hebr. 2.*

*Ant. 5. C.* Participávit carni & sánguini, ut liberáret eos qui timóre mortis per totam vitam obnóxiii erant servitúti. *Hebr. 2.*

*Capitulum.* 1. Joan. 4.

DEus cáritas est. In hoc appáruit cáritas Dei in nobis, quóniam Fílium suum unigénitũ misit Deus in mundum, ut vivámus per eum.

*Hymnus.* Hæc illa. *ut in I. Vesperis.*

℣. Misericórdia & véritas obviavérunt sibi: ℟. Justítia & pax osculáta sunt. *Ps. 84.*

*Ad Magníficat. Ant. 2.* D. Pater misit Fílium suum Salvatórem mundi: nos ergo diligámus Deum, quóniam Deus prior dilexit nos. 1. *Joan. 4.*

*Oratio, ut suprà ad Laudes.*

*Fit Commemoratio Feriæ.*

AD COMPLETORIUM.

*Psalmi & Capit. de Dominica. Reliqua ut heri.* 445.

# IN ANNUNTIATIONE
## ET INCARNATIONE DOMINI,
### *TEMPORE PASCHALI.*

*Omnia, exceptis quæ sequuntur, ut in præcedenti Officio, addendo semel* Allelúia. *in fine Antiph. & Invit. & bis* Allelúia. *in fine* ℟.℟. *brevium.*

IN I. VESPERIS.

*Psalmi de Dominica.*

*Fit Commemor. Dominicæ in Albis tantùm.*

AD NOCTURNUM.

*Psalmi cum Antiph. &* ℣. *è I. Nocturno, ut suprà.* 446.

*Benedict. ut notantur pro Tempore Paschali,* 138.

De Isaía Prophéta.

*Lectio j.* Cap. 7.

ADjécit Dóminus loqui ad Achaz, dicens: Pete tibi signum à Dómino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum suprà. Ex dixit Achaz: Non petam, & non tentábo Dóminum. Et dixit: Audite ergo, domus David: Numquid parum vobis est molestos esse homínibus, quia molesti estis & Deo meo? Propter hoc dabit Dóminus ipse vobis signum: Ecce virgo concípiet, & páriet fílium; & vocábitur nomen ejus, Emmánuel: bútyrum & mel cómedet, ut sciat reprobáre malum, & elígere bonum.

℟. Ne tímeas, María; invenísti enim grátiam apud Deum: * Ecce concípies in útero, & páries Fílium, allelúia, allelúia. ℣. Hoc à Dómino Deo exívit, ut mirábile fáceret consílium. * Ecce concípies in útero. Glória. * Ecce. *Luc. 1. Is. 28.*

Sermo ſancti Leónis Papæ.
*De Natali Domin., II. C. 1.*
*Lectio ij.*

DEus omnípotens & clemens, cujus natúra bónitas, cujus voluntas poténtia, cujus opus miſericórdia eſt, ſtatim ut nos diabólica malignitas venéno ſuæ mortificávit invídiæ, præparáta renovandis mortálibus ſuæ pietátis remédia inter ipſa mundi primórdia præſignávit; denúntians ſerpenti futúrum ſemen mulieris, quod nóxii cápitis elatiónem ſuâ virtúte contéreret; Chriſtum ſcílicet in carne ventúrum, Deum hominemque ſignificans, qui natus ex Vírgine violatórem humánæ propáginis incorruptâ nativitáte damnáret. Adveniéntibus ergo tempóribus, dilectíſſimi, quæ redemptióni hóminum fuerant præſtitúta, ingréditur hæc ínfima Jeſus Chriſtus Fílius Dei, de cœleſti ſede deſcéndens, & à paterna glória non recédens, novo órdine, novâ nativitáte generátus. Novo órdine, quia invisíbilis in ſuis, visibilis factus eſt in noſtris; incomprehensíbilis vóluit comprehendi; ante témpora manens eſſe cœpit ex témpore: univerſitátis Dóminus ſervílem formam, obumbrátâ majeſtátis ſuæ dignitáte, ſuſcépit: impaſsíbilis Deus non dedignátus eſt homo eſſe paſsíbilis, & immortális mortis légibus ſubjacére. Novâ autem nativitáte génitus eſt, conceptus à Vírgine, natus ex Vírgine, ſine paternæ carnis concupiſcéntiâ, ſine maternæ integritátis injúriâ; quia futúrum hóminum Salvatórem talis ortus decébat, qui & in ſe habéret humánæ ſubſtántiæ natúrâ, & humánæ carnis inquinamenta neſciret.

℟. Ecce Elízabeth cognáta tua, & ipſa concépit Fílium in ſenectúte ſua; * Quia non erit impoſsíbile apud Deum omne verbum, allelúia, allelúia. ℣. Hoc tibi erit ſignum à Dómino, quia fáciet Dóminus verbum quod locútus eſt; * Quia. Glória Patri. * Quia. *Luc. 1. Iſ. 58.*

Léctio ſancti Evangélii ſecundùm Lucam.
*Lectio iij.* Cap. 1.

IN illo témpore: Miſſus eſt Angelus Gábriël à Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad vírginem deſponsátam viro cui nomen erat Joſeph, de domo David; & nomen vírginis, María. Et réliqua.

Homília ſancti Ambróſii Epíſcopi.
*Lib. 2. in Luc. num. 8. & 15.*

DIſce vírginem móribus, diſce vírginem verecúndiâ, diſce vírginem oráculo, diſce myſtério. Trepidáre vírginum eſt, & ad omnes viri ingreſſus pavére, omnes viri affátus veréri. Diſcant mulíeres propóſitum pudóris imitári. Sola in penetrálibus quam nemo virórum vidéret, ſolus Angelus reperíret: ſola ſine cómite, ſola ſine teſte, ne quo degéneri deprevarétur affátu, ab Angelo ſalutátur. Soli Maríæ hæc ſalutátio ſervabátur: bene enim ſola grátiâ plena dícitur, quæ

sola grátiam quam nulla ália meruerat, consecúta est, ut grátiæ replerétur Auctóre. Virginem párere divíni est signum mystérii, non humáni. Tanti namque mandáti mystérium, non hóminis fuit, sed Angeli ore promendum. Hódie primùm auditur: Spíritus sanctus supervéniet in te. Et auditur, & créditur. Dixit autem María: Ecce ancilla Dómini, contingat mihi secundùm verbum tuum. Vide humilitátem, vide devotiónem. Ancillam se dicit Dómini, quæ mater eligitur; nec repentíno exaltáta promisso est. Simul ancillam dicendo, nullam sibi prærogativam tantæ grátiæ vindicávit, quæ fáceret quod juberétur: mitem enim humilemque paritúra, humilitátem débuit étiam ipsa præferre.

℟. Beáta quæ credidísti, quóniam *Perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Dómino, allelúia, allelúia. ℣. Non est Deus, quasi homo, ut mentiátur. Dixit ergo, & non fáciet? locútus est, & non implébit? * Perficientur. Glória. *Perficientur. *Repetitur* ℟. Beáta. *usque ad* ℣. *Luc.* 1. *Num.* 23.

DIE XXXI.

[ *Quando Pascha occurrit 22. Martii, fit Officium Semiduplex de septima die intrà Octavam Annuntiationis, ut notatur in die Festi, pro Tempore Paschali, exceptis quæ sequuntur.* ]

*Psal. de Feria in toto Officio.*

AD NOCTURNUM.

*Ant.* 8. G. Spíritus sanctus supervéniet in te, & virtus Altíssimi obumbrábit tibi: ideóque & quod nascétur ex te Sanctum, vocábitur Filius Dei, allelúia. *Luc.* 1.

℣. Homo natus est in ea: ℟. Et ipse fundávit eam Altíssimus. *Ps.* 86.

*Lectio j. de Scriptura occurrente; è tribus fit una.*

℟. Ecce Elizabeth cognáta tua, & ipsa concépit Filium in senectúte sua; * Quia non erit impossíbile apud Deum omne verbum, allelúia, allelúia. ℣. Hoc tibi erit signum à Dómino, quia fáciet Dóminus verbum quod locútus est; * Quia. *Luc.* 1. *Is.* 38.

Sermo sancti Leónis Papæ. *In Nativit. Serm.* 2. *Cap.* 2.

*Lectio ij.*

AUctor Deo in carne nascenti Deus est, testante Archángelo ad beátam Vírginem Maríam: Quia Spíritus sanctus supervéniet in te, & virtus Altíssimi obumbrábit tibi; ideóque quod nascétur ex te Sanctum, vocábitur Fílius Dei. Orígo dissímilis, sed natúra consímilis: humáno usu & consuetúdine quod crédimus, caret; sed divínâ potestáte subnixum est, quòd virgo concéperit, quòd virgo pepérerit, & virgo permánserit. Non hîc cogitétur parientis conditio, sed nascentis arbítrium, qui sic homo natus est ut volébat & póterat. Si veritátem quæris natúræ, humánam cognósce matériam: si ratiónem scrutáris originis, virtútem confitére divínam.

℟. Dixit María ad Angelum: * Ecce ancilla Dómini; fiat mihi secundùm verbum

tuum, allelúia, allel. ℣. Nunc ergo, Dómine, tu es Deus, & verba tua erunt vera: * Ecce. *Luc.* 1. 2. *Reg.* 7.

*Lectio iij.*

VEnit enim Dominus Jesus Christus contágia nostra auferre, non pérpeti; nec succúmbere vitiis, sed medéri. Venit ut omnem languórem corruptiónis, & universa úlcera sordéntium curáret animárum; propter quod opórtuit ut novo nascerétur órdine, qui novam impollútæ sinceritátis grátiam humánis corpóribus inferébat. Opórtuit enim ut primam genitrícis integritátem nascens incorrúptio custodíret, & complácitum sibi claustrum pudóris, & sanctitátis hospítium, divíni Spíritus virtus infúsa serváret, quæ státuerat dejecta erígere, confracta solidáre, & superandis carnis illécebris multiplicátam pudicítiæ donáre virtútem; ut virgínitas quæ in áliis non póterat salva esse generando, fieret in áliis imitábilis & confitendo & renascendo.

℟. Christi generátio sic erat: * Desponsáta Maria Joseph inventa est in útero habens de Spíritu sancto, allelúia, allelúia. ℣. Creávit Dóminus novum super terram: Fémina circúmdabit virum. * Desponsáta. Glória Patri. * Desponsáta. *Matth.* 1. *Jérem.* 31.

*AD LAUD. Psal. de Feria, cum Cantico de Festo, sub sola Ant.* 6. Quotquot recepérunt eum, dedit eis potestátem fílios Dei fieri, his qui credunt in nómine ejus, allel. *Joan.* 1.

*Cetera ut in die.*

*VESPERÆ ritu Duplici I. Ordinis de die Octava.*

*Psalmi de Feria occurrente.*

*Antiphonæ Capit.* ℟. *&c. ut in primis Vesperis Festi pro Tempore Paschali.*

---

# FESTA APRILIS.

DIE 1.

*Quando Pascha occurrit die 22. vel 23. Martii, fit de* OCTAVA ANNUNTIATIONIS.

*Duplex I. Ordinis.*

*Omnia ut in die Tempore Paschali, dempto ritu solemni: ad Nocturnum sumuntur tres Psalmi notati secundum Feriam occurrentem.*

*Ant.* 6. Quod in ea natum est, de Spíritu sancto est; páriet autem Fílium, allelúia. *Matth.* 1.

*Ant.* 8. G. Relíquiæ fratrum ejus convertentur ad filios Israël, & erit iste pax, allelúia. *Mich.* 5.

*Ant.* 4. a. Hoc factum est ut adimplerétur quod dictum est per Prophétam, Ecce Virgo in útero habébit & páriet fílium, allelúia. *Matth.* 1.

℣. Recordátus est Dóminus misericórdiæ suæ, ℟. Et veritátis suæ dómui Israël. *Ps.* 97.

*Lectio j. de Scriptura occurrente; è tribus fit una.*

℟. Benedicta es tu, filia, à Dómino Deo excelso præ ómnibus muliéribus super terram: * Benedictus Dóminus, quia hódie nomen tuum ita magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminum, allelúia, allelúia. ℣. Benedicta tu inter mulíeres, & benedictus fructus ventris tui: * Benedictus Dóminus. *Judith* 13. *Luc.* 1.

De Sermóne sancti Leónis Papæ.

*De Nat.* 2. C. 3.

*Lectio ij.*

VErax misericórdia Dei, cùm ad reparandum humánum genus ineffabíliter ei multa suppéterent, hanc potíssimum consulendi viam elégit, quâ ad destruendum opus diáboli, non virtúte uterétur poténtiæ, sed ratióne justítiæ. Nam supérbia hostis antíqui non immeritò sibi in omnes hómines jus tyránnicum vindicábat, nec indébito dominátu premébat quos à mandáto Dei spontáneos in obséquium suæ voluntátis illéxerat. Non itaque justè amitteret originálem humáni géneris servitútem, nisi de eo quod subégerat, vincerétur. Quod ut fieret, sine viríli sémine éditus est Christus ex Vírgine, quam Spíritus sanctus fœcundávit. Et cùm in ómnibus mátribus non fiat sine peccáti sorde concéptio, hæc inde purgatiónem traxit unde concépit. Assúmpta est de matre Dómini natúra, non culpa. Creáta est forma servi sine conditióne servíli; quia novus homo sic contemperátus est véteri, ut & veritátem susciperet géneris, & vítium exclúderet vetustátis.

℟. Suscépit Deus Israël púerum suum, recordátus misericórdiæ suæ, * Sicut locútus est ad patres nostros, Abraham & sémini ejus in sécula, allelúia, allelúia. ℣. In me ancilla sua adimplévit Dóminus misericórdiam suam, * Sicut. *Luc.* 1. *Judith* 13.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

*Lectio iij.* Cap. 1.

IN illo témpore; Missus est Angelus Gábriël à Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad vírginem desponsátam viro cui nomen erat Joseph, de domo David; & nomen vírginis, Maria. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

*Serm.* 215. *Edit. Bened. T.* 5.

CUm, promisso filio, quæsísset beáta María quemádmodum fieret, quóniam virum non cognósceret, responsum ab Angelo accépit: Spíritus sanctus supervéniet in te, & virtus Altíssimi obumbrábit tibi; propterèa quod nascétur ex te Sanctum, vocábitur Fílius Dei. Quæ cùm dixísset Angelus, illa fide plena, & Christum priùs mente quàm ventre concípiens: Ecce, inquit, ancilla Dómini; fiat mihi secundùm verbum tuum. Fiat, inquit; sine viríli sémine conceptus in vírgine, nascátur de Spíritu sancto & íntegrâ féminâ, in quo renascátur de Spíritu sancto íntegra Eccléstia. Sanctum

quod nascétur de hómine matre sine hómine patre, vocétur Dei Filius; quóniam qui natus est de Deo Patre sine ulla matre, mirabíliter opórtuit ut fieret hóminis fílius in ea carne natus, ut per clausa víscera parvus exíret, in qua resúscitátus per clausa óstia magnus intráret.

℟. Beáta quæ credidísti, quóniam * Perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Dómino, allelúia, allelúia. ℣. Non est Deus quasi homo, ut mentiátur. Dixit ergo, & non fáciet? locútus est, & non implébit? * Perficientur. Glória Patri. * Perficientur. *Luc.* 1. *Num.* 23.

*AD LAUDES & ad Horas, Psalmi de Feria. Cetera ut in die.*

DIE 11.

In Festo

S. FRANCISCI DE PAULA, Cœnobitæ.

*Semiduplex.*

¶ *Si hoc Festum in Quadragesima occurrat, non fit de eo nisi Commemor. pridiè AD VESP. per Ant.* Sedébit. ℣. Abscondes. xxxij. *Orat.* Deus, humílium. *ut infrà.*

*AD OFFIC. NOCT. si sit Dominica, pro nona Lectione leguntur duæ sequentes in unam junctæ.*

*Si fiat de Feria,*

*Lectio j. de Scriptura occurrente, è duabus una.*

*Lectio ij. de S. Francisco, duabus sequentibus in unam junctis.*

*Lectio iij. de Homilia in Evangel. Feriæ.*

℟℟℟. *Feriæ.*

*Fit Commem. S. Francisci in LAUDIBUS & VESPERIS. Antiph. & ℣. sumuntur de Communi SS. Cœnobitarum.*]

*Si verò Tempore Paschali evenerit, de eo fit ritu Semiduplici, ut sequitur.*

*Omnia de Communi SS. Cœnobitarum.*

*AD NOCT. Lectio j. de Scriptura occurrente; è tribus fit una.*

*Lectio ij.*

*Ex Bolland.*

FRanciscus Paulæ in Calábria natus, à téneris annis solitúdinem dilígere ac jejúniis vacáre cœpit. Post áliquot peregrinatiónes in adolescéntia per Itáliam religiónis causâ susceptas, in pátriam reversus, Eccléstam prope Paulam ædificávit, ibique novi Ordinis fundamenta jecit. Cúmque præ humilitáte ómnium mínimus habéri vellet, alúmnos quoque suos Mínimos appellári vóluit. Quam inierat ab adolescéntia vitæ ratiónem, servávit cum illis, in labóribus, in vigíliis, innumerísque afflictiónibus, ad últimam usque senectútem persevéraus; & tantâ quidem asperitáte, ut rudi semper amictu, nudis plerumque pédibus incéderet, cubáret humi, ac semel tantùm in die, idque ad solis occásum, reficerétur, & ad panem & aquam vix áliquid quadragesimális obsónii adhibéret: quam consuetúdinem ut fratres & soróres sui Ordinis toto anni témpore retinérent, quarto eos voto astrinxit.

*Lectio iij.*

A Ludovico undécimo Francórum rege propter miraculórum famâ expetítus, jubente Sixto quarto, ad eum se cóntulit. Quem Rex magno cum honóre excépit in palatio Plexitio prope Turónos; eóque in loco monastérium illi constrúxit. Ibi Franciscus mortis suæ præscius, die Cœnæ Dómini inter Missárum solémnia, effúsis ubertim lácrymis, sacro Viático præmunítus, ac postridie auditâ quam sibi prælegi optávit Dómini passióne, quâ horâ Christus ánimam pro nobis pósuit, eádē & ipse suam Christo réddidit, anno ætátis circiter nonagésimo, salútis millésimo quingentésimo séptimo. Hunc miráculis illustrem Leo décimus Sanctórum número ascripsit.

*Oratio.*

DEus, humílium celsitúdo, qui beátum Franciscum Sanctórum tuórum glóriâ sublimásti: tríbue, quæsumus, ut ejus méritis & imitatióne promíssa humílibus præmia féliciter consequámur; Per. *Comm. de Cruce.* 126. & 131.

DIE IV.

In Festo

SANCTI ISIDORI,

Episcopi & Doctoris.

*Semiduplex.*

¶ *In Quadragesimâ fit pridiè ejus Commem. ad VESPER. Antiph.* Beátus qui. ℣. Beátus homo. xx. *Oratio.* Omnípotens. xxiv.

*AD OFFIC. NOCT. si sit Dominica, pro nona Lectióne leguntur duæ sequentes in unam junctæ.*

*Si fiat de Feria,*

*Lectio j. de Scriptura occurrente, è duabus una.*

*Lectio ij. de S. Isidoro, duabus sequentibus in unam junctis.*

*Lectio iij. de Homília in Evangel. Feriæ.*

℟. ℟. *de Feria.*

*Fit Commem. S. Isidori in LAUDIBUS & VESPERIS. Ant. & ℣. sumuntur de Communi SS. Doctorum. Oratio.* Omnípotens. xxiv. ]

*Si verò tempore Paschali evenerit, de eo fit ritu Semiduplici, ut sequitur.*

*Omnia de Communi SS. Doctorum. Comm. de Cruce.*

*AD NOCT. Lectio j. de Scriptura occurrente; è tribus fit una.*

*Lectio ij.*

*Braul. Redempt. Ildeph. &c.*

ISidórus natióne Hispánus, exímia doctrínâ omníque virtútum Christianárum génere flóruit. Adhuc adolescens, Arianam hæresim étiam cum dimicatióne cápitis palam oppugnávit. Leandro fratre Episcopo Hispalensi vitâ functo, magno cleri & pópuli consénsu, in ejus successórem licet invítus assúmitur. In instaurandâ Ecclesiásticâ disciplínâ, Monásticoque institúto per Hispániam promovendo, Collegiisque ædificandis sédulò óperam pósuit. Plúrimos sanctitáte & doctrínâ claros discípulos hábuit, quos inter emicuit sanctus Ildephonsus Episcopus Toletánus. Coacto Hispali concílio Acephalórum hæresim quæ Hispániam jam petébat, eloquenti & erudítâ disputatióne contrívit.

*Lectio iij.*

LIbros scripsit quàm plúrimos Christiánæ & Ecclesiásticæ disciplínæ ádeo útiles, ut sanctus Leo Papa quartus ad Episcopos Británniæ scríbere non dubitáverit, sicut Hierónymi & Augustíni, ita Isidóri dicta retinenda esse. Præfuit Concílio Toletáno quarto ómnium Hispániæ celebérrimo. Dénique cum suâ quadraginta circiter annos rexísset Eccléfiam, & ab Hispánia Ariánam eliminasset hæresim, Hispali in Dómino obdormívit anno sexcentésimo trigésimo sexto. Corpus ejus Legiónem translátum est, ubi templo sub ipsíus invocatióne dicáto, magnâ pópuli devotióne cólitur.

*Oratio.* Omnípotens. xxxij.

*IN VESP. fit Commem. S. Vincentii Ferrerii, Presbyteri.*

*Ant.* De Sacerdótibus. ℣. Sacerdótes. xxvj. *Oratio.* Deus, qui in Eccléfiæ. xxix.

DIE V.

In Festo

S. VINCENTII FERRERII,

Presbyteri.

*Semiduplex.*

*Omnia de Communi sanctorum Presbyterorum.*

*Intrà Quadragesimam idem observatur quod præscriptum est die præcedenti.*

*Tempore Paschali.*

*Lectio ij.*

*Ex Bolland.*

VIncéntius Ferrérius Valéntiæ in Hispánia anno milléfimo trecentésimo quinquagésimo séptimo paréntibus génere & pietáte conspícuis natus est. Ab infántiâ, páuperum amóre & sanctárum rerum meditatióne cláruit. Emenso studiórum Philosóphiæ & Theológiæ curriculo, & ex eo máximis frúctibus sine ullo pietátis detrimento perceptis, institútum sancti Dominici anno ætátis suæ décimo séptimo amplexus est; ubi tantos in lítteris & virtúte progressus fecit, ut exímium fúerit tam illustris órdinis decus & ornamentum. Saracénis, judæis, gentilibus, & déditis vítio Christiánis convertendis immenso ac felíci stúdio incúbuit.

*Lectio iij.*

LEgátus Apostólicus institútus qui per totam Eccléfiam prædicáret, in váriis Hispaniárum pártibus tot verbi Dei virtúte prodígia apud pópulos & Clerum operátus est, ut Hispâniæ Apóstolus merúerit appellári. Deinde in Gálliâ, Italiâ ac Germániâ, símili éxitu évangéliû prædicávit, & totius Europæ cognominátus est Apóstolus. Quas ad pópulum habébat conciónes, coram crucifixo prostrátus meditári solébat. Summam humilitátem illustri famæ, oratiónem assíduam functiónibus sacri ministérii, miram austeritátem labóribus Apostólicis conjunxit. Schísmati occidentis extinguendo allaborávit, ac Concílio Constantiensi anno milléfimo quatercentésimo décimo quarto interfuit. Anno sequenti Vénetis in Aremóricis ánimam Deo réddidit. Quem miráculis dum víveret & post mortem clarum Calixtus tértius

summus Póntifex anno millésimo quingentésimo quinquagésimo quinto sanctórum número adscripsit.

*Oratio.* Deus, qui in Eccléſiæ. xix.

*Commem. de Cruce.*

DIE XIII.

In Festo

SANCTI JUSTINI,

Martyris.

*Semiduplex.*

*Omnia de Communi unius Martyris. Oratio.* Da nobis. vj.

*Si incidat intrà Hebdomadam Paſſionis, de eo ſit Commemoratio in Veſperis, Laudibus & Nocturno, juxta Rubricam die* IV. *hujus menſis præſcriptam, omiſſa tamen altera lectione ex hic aſſignatis.*

*Tempore Paſchali.*

*Lectio ij.*

*S. Iren. Euſeb. S. Hier. Phot. Tillem. &c.*

JUſtínus Philósophus Christiánus & Martyr, século ſecundo flóruit. Paréntibus éthnicis natus, cùm Philoſophiæ óperam daret & eſſet veritátis cognoſcendæ cupidíſſimus, ad fidem Chriſtiánam modò miraculóſo adduductus eſt. Scripſit ad Antonínum Imperatórem Apológiam pro Chriſtiánis in quâ ritus eórum de Baptíſmo & Euchariſtia expónit, ut calúmnias quibus impetebantur, depélleret. Alteram quoque de ſanctitáte religiónis Chriſti Apológiam édidit adversùs nonnullos à quibus impugnabátur. Alia étiam eximia ópera vulgávit, quorum áliqua ſuperſunt. Paſſus eſt anno centésimo ſexagéſimo ſéptimo, die décimâ tértiâ Aprílis juxta Martyrológium Románum.

Ex libro ſancti Hierónymi Preſbyteri, de Scriptóribus Eccleſiáſticis.

*Lectio iij.*

JUſtínus Philósophus, hábitu quoque Philoſophórum incédens, de Neápoli urbe Paleſtinæ, patre Priſco Bácchio, pro religióne Chriſti plúrimum laborávit: in tantum, ut Antoníno & filiis ejus & Senátui librum contra Gentes ſcriptum daret, ignominiamque crucis non erubéſceret, & álium librum ſucceſsóribus ejuſdem Antoníni, Antoníno Vero, & Aurélio Cómmodo. Extat ejus & áliud volúmen contra Gentes: hic cùm in urbe Roma Creſcentem Cynicum, qui multa adversùs Chriſtiános blaſphemábat, redargúeret gulóſum & mortis tímidum, luxuriæque & libídinum ſectatórem: ad extrémum ſtúdio ejus & insídiis accusátus, quod Chriſtiánus eſſet, pro Chriſto sánguinem fudit.

*Oratio.* Da nobis. vj.

*Commem. de Cruce.*

DIE XXI.

In Festo

SANCTI ANSELMI,

Epiſcopi & Doctoris.

*Semiduplex.*

*Pridiè VESP. de Feria à Capitulo ut in Communi SS. Doctorum.* xx. *Oratio.* Excita. xxiv.

*IN NOCT. Lectio prima de Scriptura occurrente; è tribus una.*

*Lectio ij.*

*Ex Eadmero ejus Amanuensi in ejus vita, & aliis.*

ANselmus Augustâ urbe ad Alpinas radices sitâ, parentibus non obscúris circa finem undécimi séculi natus est. Jam à pueritia virtúti déditus, toto ad vitam monásticam stúdio ferebátur. Ætáte maturióri Lanfrancum Priórem Beccensem ádiit. Ibídem Mónachum professus, Prióris primò, deinde Abbátis, postrémò Archiepíscopi Cantuariensis dignitátem & onus suscípere coactus est. Quo in gradu multò magis enituérunt illíus doctrína, prudéntia, manswetúdo & pietas, imprimísque invicta in tuendis Eccléfiæ júribus constántia summæ humilitáti & patiéntiæ conjuncta. Quapropter incurrit in offensiónem tum Guillelmi Rufi, Anglórum regis, tum Henrici Guillelmi fratris, & regni successóris, à quibus & exílium, & bonórum addictiónem perpessus est.

*Lectio iij.*

ROmam profectus in Concílio Barensi summo fuit Eccléfiæ contra Græcos adjumento. Mórtuo Guillelmo, in Angliam ab Henríco primo, pacátis utcumque discórdiis, revocátus est. Posthac Londíni Concílium hábuit in quo Henricus ipse iis quæ sibi injustè vindicábat, ultrò renuntiávit; & multa cùm ad disciplínam instaurandam, tum ad tollendos abusus sancita sunt. Sedátâ tandem pénitus tempestáte, Cantuárii diútino languóre confectus migrávit in cœlum die vigésimâ primâ Aprílis anno millésimo centésimo nono, ætátis sexagésimo tértio, Episcopátûs décimo sexto. Sciéntiam ejus eximiam libri, quos plúrimos édidit, commendant.

*AD LAUDES & VESPERAS, fit Commem. de Cruce. pag. 126. & 131.*

DIE XXIII.

In Festo

SANCTI GEORGII,

Martyris.

*Simplex.*

*Pridiè VESP. de Feria; à Capitulo de Communi unius Martyris.* j. *Oratio.* Adesto.vj.

*Fit Commemor. de Cruce.* 131.

*Lectio iij.*

*Boll. Till. &c.*

GEórgius inter Orientáles Mártyres, Magni título commendátus longo & multíplici certámine claruísse scríbitur. Sub ejus nómine insignis Basílica ab Imperatóribus Christiánis ejus túmulo superstructa est in Palæstína, Lyddam inter & Rámulam: unde fama ejus propter collátam multis peregrinántibus opem, in Occidentem pervásit. Hanc célebrat per Itáliam Gregórius magnus in Epístolis, & in Gállia latè jam suâ ætáte percrebuísse mémorant Gregórius Turonensis in libro de Miráculis, & Venántius Fortunátus in Carmínibus.

*Oratio.* Adesto, Dómine. vj.

*Commemor. de Cruce.* 126.

DIE XXV.

In Festo

SANCTI MARCI,

Evangelistæ.

*Duplex I. Ordinis.*

IN I. VESPERIS.

*Psalmi de Feria, & sic in toto Officio.*

*Ant.* QUàm speciósi pedes 1. f. evangelizántium pacem, evangelizántium bona ! allelúia. *Rom.* 10.

*Ant.* 7. *d.* Vox speculatórum : levavérunt vocem, símul laudábunt ; quia consolátus est Dóminus pópulum suum, allelúia. *Is.* 52.

*Ant.* 6. Primus ad Sion dicet : Ecce adsunt ; & Jerúsalem Evangelistam dabo, allelúia. *Is.* 41.

*Ant.* 4. E. Ostendit vobis pactum suum quod præcépit ut facerétis, & verba scripsit, allelúia. *Deut.* 4.

*Ant.* 8. G. Consummábitur mystérium Dei, sicut evangelizávit per servos suos, allelúia. *Apoc.* 10.

*Capitulum.* Ephes. 4.

CHristus dedit quosdam quidem Apóstolos, quosdam autem Prophétas, álios verò Evangelistas, álios autem Pastóres, & Doctóres, ad consummatiónem sanctórum in opus ministérii, in ædificatiónem córporis Christi.

℟. Implétum est tempus, & appropinquávit regnum Dei : * Pœnitémini, & † Crédite Evangélio, allelúia, allelúia. ℣. Ecce super montes pedes evangelizantis & annuntiantis pacem. * Pœnitémini. Glória Patri. † Crédite. *Marc.* 1. *Nahum.* 1.

*Hymnus.*

CHRISTI perennes núntii,
Retecta qui cœléstibus
Scriptis Dei mystéria
Totum per orbem spárgitis :

OLIM sub umbris cóndita
Vates sacri quæ víderant,
Umbris procul cedéntibus,
Vidístis hæc pleno die.

HUMANA quæ tulit Deus,
Divína quæ gessit homo,
Seris legenda pósteris,
Dictante scripsístis Deo.

LOCO remótos, témpore,
Vos rexit idem Spíritus ;
Vestris adhuc in páginis
Nobis loqui non désinit.

DA, Christe, nos tecum mori ;
Tecum simul da súrgere :
Terréna da contémnere ;
Amáre da cœléstia.

SIT laus Patri ; laus Fílio,
Qui nos, triumphátâ nece,
Ad astra secum dux vocat :
Compar tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Dóminus dabit verbum evangelizántibus ℟. Virtúte multâ. *Ps.* 67.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 5. C. Exalta in fortitúdine vocem tuam, qui evangelizas Jerúsalem : exalta, noli timére : Ecce bráchium Dómini dominábitur, allelúia. *Is.* 40.

*Oratio, ut infrà ad Laudes.*

AD NOCTURNUM.

*Invitat.* Deum qui vocávit nos in fide veritátis per Evangélium, * Veníte, adorémus, allelúia. 2. *Thess.* 2.

*Ps.* 94. Veníte. 2.

*Hymnus.* Christi perennes. *ut suprà.*

*Super Psalmos de Feria, Ant.* 1. a. In circúitu sedis quátuor animália réquiem non habébant, cum darent glóriam & honórē sedenti super thrónum, allelúia. *Apoc.* 4.

*Ant.* 7. d. Réquiem non habébant die ac nocte dicéntia: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dóminus Deus omnípotens qui erat, & qui est, & qui ventúrus est, allelúia. *Apoc.* 4.

*Ant.* 8. c. Omnes audívi dicentes: Sedenti in throno & Agno, benedíctio & honor & glória & potéstas in sécula seculórum, & quátuor animália dicébant, Amen. Allelúia. *Apoc.* 4.

℣. In templo ejus dicent glóriam; ℟. Et sedébit Dóminus rex in æternum. *Ps.* 28.

*Lectio j. de Scriptura occurrente; è tribus fit una.*

℟. Super montem excelsum ascende, tu qui evangelizas Sion; * Dic civitátibus Juda: Ecce Deus vester, allelúia, allelúia. ℣. Séquere me, vade, & annúntia regnum Dei; * Dic civitátibus Juda. *Is.* 40. *Luc.* 9.

¶ *Si in Dominica vel in Feriis Rogationum Officium fiat de Festo Dupl. I. Ord. aut suprà; j. Lectio erit de Scriptura è duabus una; ij. de Homilia Sancti; iij. de Hom. Dom. vel Feriæ, quamvis aliter notetur in Festo SS. Philippi & Jacobi, pag.* 475. ]

Ex libro sancti Hierónymi Presbyteri, de Scriptóribus Ecclesiásticis. *Cap.* 18.

*Lectio ij.*

MArcus, discípulus & interpres Petri, juxta quod Petrum referentem audíerat, rogátus Romæ a fratribus breve scripsit Evangélium. Quod cum Petrus audivísset, & probavit, & Ecclésiæ legendum suâ autoritáte dedit. Méminit hujus Marci & Petrus in Epístola prima, sub nómine Babylónis figuráliter Romam significans: Salútat vos Ecclésia quæ est in Babylóne collecta, & Marcus filius meus. Assúmpto itaque Evangélio, quod ipse confécerat, perrexit in Ægyptum: & primus Alexandriæ Christum annúntians, constituit Ecclésiam, tantâ doctrinâ & vitæ continéntiâ, ut omnes sectatóres Christi ad exemplum sui cógeret. Dénique Philo dissertíssimus Judæórum, videns Alexandriæ primam Ecclésiam adhuc Judaizantem, quasi in laudem gentis suæ librum super eórum conversatióne scripsit. Et quómodò Lucas narrat Jerosolymæ credentes ómnia habuísse commúnia: sic & ille, quod Alexandriæ sub Marco fieri doctóre cernébat, memóriæ trádidit. Mórtuus est autem octávo Nerónis anno, & sepultus Alexandriæ, succedente sibi Aniáno.

℟. Misit me Christus evangelizáre, non in sapiéntia verbi, ut non evacuétur crux Christi. * Nonne stultam fecit Deus sapiéntiam hujus mundi? allelúia, allelúia. ℣. Ubi litterátus, ubi legis verba pónderans, ubi doctor parvulórum? * Nonne stultam fecit Deus sapiéntiam hujus mundi? allelúia, allelúia. 1. *Cor.* 1. *Is.* 33.

*

Léctio sancti Evangélii secundùm Marcum.

*Lectio iij.* Cap. 13.

IN illo témpore; dixit Jesus discípulis suis: In omnes gentes primùm oportet prædicári Evangélium. Et réliqua.

Homília sancti Justíni Mártyris.

*Apolog. 1. ad Antoninum Imp. Senatumque Romanum anno 150.*

QUi à Géntibus orti sunt, cum nihil unquàm de Christo accepíssent ad illud tempus quo Apóstoli Hierosólymis egressi, ea quæ illíus erant nuntiavérunt, prophetiásque tradidérunt; tum gáudio fidéque compléti, idólis, id est, simulácris núntium remisérunt: Deoque qui orígine caret, Christi benignitáte se consecrárunt. Atque ut intelligátis antè cógnitum & provísum esse, fore ut hæc maledícta in eos qui Christum profiterentur, jacerentur; futurosque míseros eos qui eum convítiis maledictísque afficerent, veteraque instituta servanda esse cum laude dícerent: audíte quæ paucis verbis ab Isaía perstricta sunt: Væ iis qui dúlcia amára esse dicunt, & quæ amára sunt dúlcia. Qui nostri causâ homo factus, cùm ab ínferis excitátus esset, eísque se ostendísset, docuíssetque eos prophetías, quibus hæc ómnia fore prædicta essent, légere: eumque illi in cœlum revertentem vidíssent atque credidíssent, vimque illinc ipsis missam ab eo accepíssent, & ad omne hóminum genus profecti essent, hæc docuérunt, appellatique sunt Apóstoli.

℟. Manifestáta est nunc grátia Dei per illuminatiónem salvatóris nostri Jesu Christi, * Qui destruxit quidem mortem, illumínavit autem vitam & incorruptiónem † Per Evangélium in quo pósitus sum ego prædicátor, allelúia, allelúia. ℣. Ascendit super cœlum cœli, ecce dabit voci suæ vocem virtútis; * Qui. Glória Patri. † Per. 2. *Tim.* 1. *Ps.* 67.

Te Deum.

AD LAUDES.

*Ant.* 1. f. SErmónem feci de ómnibus quæ cœpit Jesus fácere & docére usque in diem quâ assúmptus est, allelúia. *Act.* 1.

*Ant.* 2. D. Visum est mihi, assecúto ómnia à princípio diligenter, ex órdine scribere, allelúia. *Luc.* 1.

*Ant.* 3. a. Notum mihi factum est sacramentum, sicut scripsi; prout potestis legentes intelligere prudéntiam meam in mystério Christi, allelúia. *Ephes.* 3.

*Ant.* 4. E. In fide veritátis Deus vocávit vos per Evangélium nostrum, in acquisitiónem glóriæ Dómini nostri Jesu Christi, allelúia. 2. *Thessal.* 2.

*Ant.* 5. a. Evangélii factus sum minister, secundùm donum grátiæ Dei, allelúia. *Ephes.* 3.

*Capitulum.* Josue 1.

NOn recédat volúmen legis hujus ab ore tuo; sed meditáberis in eo diébus ac nóctibus, ut custódias & fácias ómnia

ómnia quæ scripta sunt in eo: tunc diriges viam tuam, & intélliges eam.

*Hymnus.*

Sinæ sub alto vértice,
Cœlo tonante, lex data;
Inter tubas & fúlgura
Præsens minabátur Deus.

Nunc, temperáto Númine,
Per vela carnis blándius
Amat vidéri, lánguidis
Se lumen aptans sénsibus.

Insculpta saxo lex vetus,
Nil vírium per se dabat:
Inscripta cordi lex nova
Quidquid jubet dat éxequi.

Scripsistis hanc fidâ manu:
Hanc voce, voci cónsonis
Hanc prædicastis móribus:
Signastis hanc & sánguine.

Afflante divo Spíritu,
Quæ verba vitæ tráditis,
Hæc ille nostris ímprimat
Delenda nunquam córdibus.

Da, Christe, &c. 462.

℣. Declarátio sermónum tuórum illúminat, ℟. Et intellectum dat párvulis. *Ps.* 118.

*Ad* Benedictus. *Antiph.* 6. Mihi data est grátia hæc, in Géntibus evangelizáre investigábiles divítias Christi, & illumináre omnes, allelúia. *Ephes.* 3.

*Oratio.*

Deus, qui beátum Marcum Evangelistam tuum evangélicæ prædicatiónis grátiâ sublimásti: tríbue, quæsumus, ejus nos semper & eruditióne proficere, & oratióne defendi; Per Dóminum.

AD PRIMAM.

*Ant.* Sermónem.

AD TERTIAM.

*Ant.* Visum est.

*Capitulum.* Hebr. 2.

Quomodò nos effugiémus, si tantam neglexérimus salútem? quæ cum inítium accepísset enarrári per Dóminum, ab eis qui audiérunt in nos confirmáta est, contestante Deo signis, & portentis, & váriis virtútibus, & Spíritûs sancti distributiónibus.

℟. *br.* Quanta audívimus & cognóvimus, * Allelúia, allelúia. Quanta. ℣. Et patres nostri narravérunt nobis! * Allel. Glória. Quanta. *Ps.* 77.

℣. Patres nostri annuntiavérunt nobis ℟. Opus quod operátus es in diébus eórum. *Ps.* 43.

AD SEXTAM.

*Ant.* Notum.

*Capitulum.* 2. Cor. 2.

Non sumus, sicut plúrimi, adulterantes verbum Dei; sed ex sinceritáte, sed sicut ex Deo, coram Deo, in Christo lóquimur.

℟. *br.* Ecce lábia meo non prohibébo, * Allelúia, allel. Ecce. ℣. Dómine, tu scísti, * Allelúia. Glória. Ecce.

℣. Justítiam tuam non abscondi in corde meo, ℟. Veritátem tuam & salutáre tuum dixi. *Ps.* 39.

AD NONAM.

*Ant.* Evangélii.

*Capitulum.* 1. Thess. 2.

Sicut probáti sumus à Deo, ut crederétur nobis Evangelium; ita lóquimur, non quasi homínibus placentes, sed Deo qui probat corda nostra.

℣. *br.* Elóquia Dómini elóquia casta, * Allelúia, allelúia. Elóquia. ℣. Argentum

igne examinátum, * Allelúia. Glória. Elóquia. *Ps.* 11.

℣. Ignitum elóquium tuum vehementer. ℟. Et servus tuus dilexit illud. *Ps.* 118.

AD II. VESPERAS.

*Ant.* 4. E. PErvénimus ad vos in Evangélio Christi; ſpem habentes creſcentis fidei veſtræ, in vobis magnificári, allelúia. 2. *Cor.* 10.

*Ant.* 7. ç. Cúpidè volebámus trádere vobis non ſolùm Evangélium Dei, ſed étiam ánimas noſtras, allelúia. 1. *Theſſ.* 2.

*Ant.* 1. a. Spem quæ repóſita eſt vobis in cœlis, audiſtis in verbo veritátis Evangélii, quod pervénit ad vos, allelúia. *Coloſſ.* 1.

*Ant.* 2. D. Dignè Evangélio conversámini, in uno ſpíritu unánimes, collaborantes fidei Evangélii; quiá vobis donátum eſt ut in Chriſtum credátis, allelúia. *Phil.* 1.

*Ant.* 3. a. Glória, honor & pax omni operanti bonum, in die cùm judicábit Deus occulta hóminum ſecundùm Evangélium meum, allelúia. *Rom.* 2.

*Capitulum.* Baruch 4.

HIc liber mandatórum Dei, & lex quæ eſt in æternum: omnes qui tenent eam, pervénient ad vitam; qui autem dereliquérunt eam, in mortem.

*Hymnus.* Chriſti perennes. *ut in primis Veſperis.*

℣. Suſcitávit Dóminus teſtimónium in acob, ℟. Et legem póſuit in Iſraël. *Pſ.* 77.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 1. D. Quod audívimus de verbo vitæ, annuntiámus vobis, ut & vos ſocietátem habeátis nobíſcum, & ſocietas noſtra ſit cum Patre & cum Filio ejus Jeſu Chriſto, allel. 1. *Joan.* 5.

*Oratio, ut ſuprà ad Laudes.*

¶ *Si dies Pentecoſtes occurrat die* 12. *Maii, Officium S. Athanaſii anticipatur è die* 2. *Maii & fit die* 26. *April. cum Commem. S. Cleti, ſine Lectione. Si Pentecoſtes inciderit in diem* 16. *Maii, Offic. S. Athanaſii anticipatur, & fit die* 30. *Aprilis, cum Commem. S. Eutropii, ſine Lectione. Si Pentecoſtes inciderit die* 10. *Maii, Officium S. Gregorii Nazianzeni anticipatur in diem* 8. *è* 9. ]

*Fit Commem. S. Cleti, Papæ & Mart. Ant.* Nemo. ℣. Juſtus. ij. *Orat.* Omnipotens. vj.

DIE XXVI.

In Feſto

SANCTI CLETI,

Papæ & Martyris.

*Simplex.*

Ex libro S. Irenæi Epiſcopi & Martyris, adversùs hæreſes.

*Lectio iij.*

MAximæ & antiquiſſimæ & ómnibus cógnitæ, & gloriosiſſimis duóbus Apóſtolis Petro & Paulo Romæ fundátæ & conſtitútæ Eccléſiæ, eam quam habet ab Apóſtolis traditiónem & annuntiátam hóminibus fidem, per ſucceſſiónes Epiſcopórum pervenientem uſque ad nos, indicantes; confúndimus omnes eos qui quoquómodò, vel per ſuí placéntiam malam, vel vanam glóriam, vel per cæcitátem & malam ſenténtiam, præterquàm oportet, cólligunt. Ad hanc enim Eccléſiam

propter potentiórem principalitátem necesse est omnem convenire Eccléſiam, hoc est, eos qui sunt úndique fidéles; in qua semper ab his qui sunt úndique, conſerváta est ea quæ est ab Apóſtolis tradítio. Fundantes ígitur & inſtruentes beáti Apóſtoli Eccléſiam, Lino Epiſcopátum adminiſtrandæ Eccléſiæ tradidérunt. Hujus Lini Paulus in his quæ sunt ad Timótheum Epiſtolis méminit. Succédit autem ei Anaclétus. [ Hic ab Epipháneo & à pleriſque Latinórum Cletus dícitur, & à Lini morte, ſub Imperatóribus Tito & Domitiáno, Románam rexit Eccléſiam. Cui cum duódecim annis præfuiſſet, ſecundâ poſt Nerónem perſecutióne, glorióſi martyrii corónâ adeptus est. ]

*Oratio.* Omnípotens. vj.

*Fit Commemor. de Cruce.* 126.

*VESP. de Feria; à Capitulo de S. Herminigildo, Martyre, ut in Communi unius Martyris.* j. *Orat.* Adesto. vj.

*Fit Commem. de Cruce.* 131. *& ſic in omni Officio exceptis Duplicibus & ſupra & Octavis, uſque ad Vigiliam Pentecoſtes excluſivè.*

DIE XXVII.

In Feſto

SANCTI HERMINIGILDI, Martyris.

*Semiduplex.*

Ex libro tértio Dialogórum ſancti Gregórii Magni

*Cap.* 31. *Lectio ij.*

NUper Herminigildus rex Liurigildi regis Viſigothórum filius ab Ariána hæréſi ad fidem Cathólicam, viro reverendiſſimo Leandro Hiſpanienſi Epiſcopo, dudum mihi in amicítiis familiáriter juncto prædicante, converſus est. Quem pater Ariánus, ut ad eamdem hæreſim rediret, & præmiis ſuadere, & minis terrére conátus est. Cumque ille conſtantíſſimè reſpondéret nunquam ſe veram fidem poſſe relínquere quam ſemel agnóviſſet, irátus pater eum privávit regno, rebuſque expoliávit ómnibus. Cumque nec ſic virtútem illíus emollíre valuiſſet, in arctâ illum cuſtódia conclúdens, collum manuſque illíus ferro ligávit. Cœpit itaque idem Herminigildus rex júvenis terrénum regnum deſpícere & forti deſidério cœleſte quærens, in ciliciis vinculátus jacére, omnipotenti Deo ad confortandum ſe preces effúndere, tantòque ſublímius glóriam tranſeuntis mundi deſpícere quantò & religátus agnóverat nil fuiſſe quod potúerit áuferri.

*Lectio iij.*

SUperveniente autem Paſchális Feſtivitátis die, intempeſtæ noctis ſiléntio ad eum pérfidus pater Ariánum Epiſcopum miſit, ut ex ejus manu ſacrílegæ conſecratiónis communiónem percíperet, atque per hoc ad patris grátiam redíre mererétur. Sed vir Deo déditus, Ariáno Epiſcopo venienti exprobrávit ut débuit, ejuſque à ſe pérfidiam dignis increpatiónibus répulit: quia etſi extérius jacébat ligátus, apud ſe tamen in magno mentis cúlmine ſtabat

secúrus. Ad se ítaque reverso Episcopo, Arianus pater infremuit, statimque suos apparitóres misit, qui constantissimum Imperatórem illic ubi jacébat occiderunt quod & factum est. Pater verò pérfidus & parricida commotus pœniténtia, hoc feciſſe se dóluit, nec tamen usque ad obtinendam salútem. Post cujus mortem Recarédus rex non patrem pérfidum, sed fratrem Mártyrem sequens, ab Arianæ hæreseos pravitáte conversus est, totam quoque gentem ad veram perduxit fidem. Nec mirum quòd veræ fidei prædicátor factus est qui est frater Mártyris, cujus hunc quoque mérita ádjuvant, ut ad omnipotentis Dei grémium tam multos perdúcat.

*Oratio.* Adesto. vj.

*Fit Commem. de Cruce in LAUDIB. 126. & in VESPERIS. 131.*

DIE XXIX.

In Festo

STÆ MARIÆ ÆGYPTIÆ.

*Semiduplex.*

*Pridiè AD VESPERAS.*

*Capitulum.* Is. 54.

NOli timére, quia non confundéris, neque erubescas: non enim te pudébit, quia confusiónis adolescéntiæ tuæ oblivisceris.

*Hymnus.*

O Vos cum cítharis júngite cantus,
Cœtus angélici: fémina sacris
Quondam pulsa ádytis, débita cœlo,
Nunc ad sidéreas tránsvolat arces.
Sacris quæ répulit lóngiùs arcens
Templi limínibus crímine fœdam,
Hæc est illa manus quæ modò amica
Ablútam lácrymis ádmovet aris.
Hæc olim ténebris óbsita densis,
Jam cœlo nova lux áddita fulget,
Et monstrat fáciles prævia portus
Passis naufrágium triste pudóris.
Quæ non divus amor péctora mutat!
Ut cœli rádius fulsit ab alto,
Urbes, seque fugit: nulla sat altos,
Quò se condat, habet sylva recessus.
Illi pro thálamo frígida rupes,
Lautis pro dápibus grámінis herba:
Nec soles cálidos veste repellit,
Nec duras hyemes péllibus arcet.
Patri máxima laus, máxima Nato:
Sit laus æqua tibi, Spíritus alme,
Qui, dum sacrílegum pellis amórem,
Puros insinuas córdibus ignes. Amen.

℣. Miserátor & miséricors Dóminus: ℟. Longánimis, & multùm miséricors. *Ps.* 102.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 7. G. Revértere, aversátrix, ait Dóminus, & non avertam fáciem meam; quia sanctus ego

sum, & non iraſcar in perpétuum, allelúia. *Jerem.* 3.

*Oratio, ut infrà ad Laudes.*

*Commem. de Cruce.* 131.

AD NOCTURNUM.

*Invit.* Venit Dóminus vocáre peccatóres ad pœniténtiam : * Veníte, adorémus, allelúia. *Luc.* 5.

*Pſ.* 94. Veníte. 2.

*Hymnus.* O vos. *ſuprà.*

*Pſalmi de Feria ſub ſola Ant.* 2. D. Proſternens ſe Dómino, clamábat, dicens : Súbveni, quæſo te, mihi, Dómine Deus meus, allelúia. *Judith.* 9.

℣. Propter nomen tuum, Dómine, propitiáberis peccáto meo; ℟. Multum eſt enim. *Pſ.* 24.

*Lectio j. de Scriptura occurrente, è tribus una.*

℟. Si revérteris, ait Dóminus, ad me convértere; non commovéberis : * Lava à malítia cor tuum, ut ſalva fias, allelúia, allelúia. ℣. Ego quos amo, árguo & caſtígo; æmulàre ergo, & pœniténtiam age : * Lava. *Jerem.* 4. *Apoc.* 3.

*Lectio ij.*

MAría Ægyptia duodecennis témpore Juſtíni Imperatóris, relictis paréntibus, Alexandríam venit; fuitque per annos ſeptémdecim in ea civitáte peccátrix. Cùm autem Jeroſólymam profecta, Calváriæ templum in feſto Exaltatiónis ſanctæ Crucis ingredi tentaſſet, ter divínitus repulſa, in átrio coram imágine Deíparæ Vírginis vovit pœniténtiam, ſi licéret ſibi vivíficum Crucis lignum vidére & adoráre. Moxque templum ingreſſa, vidit & adorávit. Inde ſumpto trium panum viático, perceptâque Euchariſtiâ in Oratório ſancti Joannis, ad ripam Jordánis ultrà flumen in vaſtíſſimam ſolitúdinem ſeceſſit.

℟. Ibat poſt amatóres ſuos, & meî obliviſcebátur, dicit Dóminus; ecce ego lactábo eam, * Et ducam in ſolitúdinem, & loquar ad cor ejus, allelúia, allelúia. ℣. Vocábo non dilectam, dilectam; & non miſericórdiam conſecútam, miſericórdiam conſecútam; * Et ducam in ſolitúdinem. *Oſ.* 2. *Rom.* 9.

*Lectio iij.*

IBi, conſumpto viático, detritíſque veſtibus, ignóta permanſit annis quadraginta ſeptem, donec ad torrentem quemdam occurrit ei Zózimas Préſbyter, à quo obtínuit ut véſpere in Cœna Dómini in adverſam Jordánis ripam afferret ſibi Corpus & Sánguinem Dómini, quorum participatióne tot annos carúerat. Condícto die acceſſit ad eumdem locum Zózimas, quò & María pervénit; recitatóque Symbolo & Oratióne Domínicâ, ut moris erat, accepto étiam pacis ósculo, divína dona ſuſcépit; rurſumque precáta eſt Zózimam, ut anno recurrente, ad eumdem torrentem veníret. Qui cùm eò acceſſit, conſpexit corpus ejus jacens in terra, in qua ſcripta hæc legit : Sépeli, Abba Zózima, míſeræ Maríæ corpúſculum; redde terræ quod ſuum eſt, & púlveri ádjice púlverem, orans Deum

pro me quæ mórior nocte salutíferæ passiónis, post divinæ & sacræ Cœnæ communiónem. Pio voto obtémperans Zózimas, corpus beátum in ipso loco terræ mandávit. Hic póstea vitam ejus scripsit, per quam memóriæ ejus venerátio per orientem & occidentem propagáta est.

℟. Remittuntur tibi peccáta; * Fides tua te salvam fecit: † Vade in pace, allelúia, allelúia. ℣. Delévi ut nubem iniquitátes tuas, & quasi nébulam peccáta tua. * Fides. Glória. † Vade. *Luc.* 7. *Is.* 44.

Te Deum.

AD LAUDES.

*Psalmi de Feria, & sic in toto Officio.*

*Ant.* 1. a. QUis Deus símilis tuî, qui aufers iniquitátem, & transis peccátum reliquiárum hæreditátis tuæ? allelúia. *Mich.* 7.

*Ant.* 3. c. Tu Dóminus Deus meus: postquam convertísti me, egi pœniténtiam, allelúia. *Joan.* 11.

*Ant.* 8. G. Ostendísti mihi, & erúbui, quóniam sustínui oppróbriũ adolescéntiæ meæ, allelúia. *Jerem.* 31.

*Ant.* 4. E. Recogitábo tibi omnes annos meos in amaritúdine ánimæ meæ: corrípies me, & vivificábis me, Dómine, allelúia. *Is.* 38.

*Ant.* 2. D. Liberásti me de perditióne; proptéreà confitébor, & benedícam nómini Dómini, allelúia. *Eccli.* 51.

*Capitulum.* Sap. 11.

MIseréris ómnium, quia ómnia potes; & dissimulas peccáta hóminum propter pœniténtiã: díligis enim ómnia quæ sunt, & nihil odísti eórum quæ fecísti.

*Hymnus.*

ULTRIX ipsa suos sævit in artus,
Per quos & pótuit pulcra placére:
Deformis mácies incubat ori;
Sed formam mélior grátia pensat.
In pœnam scélerum sæpè recursant
Importúna malæ gáudia vitæ:
Sed versans ánimo débita noxis
Tot tormenta, graves cómprimit æstus.
Jam tu digna polo, désere terras;
Placásti lácrymis Núminis iram;
Jam tu pasta sacro córpore Christi,
Æternæ cápias pábula mensæ.
Patri máxima laus, máxima Nato:
Sit laus æqua tibi, Spíritus alme,
Qui, dum sacrílegum pellis amórem,
Puros insínuas córdibus ignes.
Amen.

℣. Ad me, Deus meus, ánima mea conturbáta est: ℟. Proptéreà memor ero tuî de terra Jordánis. *Ps.* 43.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 1. D. Miseratiónum Dómini recordábor; laudem Dómini super ómnibus quæ réddidit, & super multitúdinem bonórum quæ largítus est secundùm in-

dulgéntiam ſuam, allelúia. *Iſ.* 63.

*Oratio.*

LArgíre nobis, miséricors Deus, ut beáta Maria Ægyptia, quæ, te ſuper ómnia diligendo, ſuórum accépit véniam delictórum, pœniténtiæ ſalutáris donum nobis obtíneat; Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum.

*Commemoratio de Cruce.* 126.

AD PRIMAM.

*Ant.* Quis Deus.

AD TERTIAM.

*Ant.* Tu Dóminus.

*Capitulum.* Iſ. 54.

DÓminábitur tuî qui fecit te; Dóminus exercítuum nomen ejus: & redemptor tuus Sanctus Iſraël, Deus omnis terræ vocábitur; quia ut mulíerem derelictam & mœrentem ſpíritu vocávit te Dóminus.

℟. *br.* Dicam Deo: ſuſceptor meus es, * Allelúia, alleluia. Dicam Deo. ℣. Quare oblítus es meî? * Allelúia. Glória Patri. Dicam.

℣. Quare triſtis es, ánima mea, & quare conturbas me? ℟. Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi. *Pſ.* 41.

AD SEXTAM.

*Ant.* Oſtendiſti mihi.

*Capitulum.* Jerem. 31.

HÆc dicit Dñus: Quieſcat vox tua à plorátu, & óculi tui à lácrymis; quia eſt merces óperi tuo, ait Dóminus.

℟. *br.* Deus, vitam meam annuntiávi tibi, * Allelúia, allelúia. Deus. ℣. Poſuiſti lácrymas meas in conſpectu tuo, * Allelúia. Glória Patri. Deus. *Pſ.* 55.

℣. Diſcédite à me, omnes qui operámini iniquitátem; ℟. Quóniam exaudivit Dóminus vocem fletûs mei. *Pſ.* 6.

AD NONAM.

*Ant.* Liberaſti me.

*Capitulum.* Tob. 13.

CÓnvertímini, peccatóres, & fácite juſtítiam coram Deo, credentes quòd fáciat vobíſcum miſericórdiam ſuâ; ego autem & ánima mea in eo lætábimur.

℟. *br.* Noli obliviſci, ánima mea, retributiónes Dómini, * Allelúia, allelúia. Noli. ℣. Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis, * Allelúia. Glória Patri. Noli. *Pſ.* 102.

℣. Exultábunt lábia mea, cùm cantávero tibi, ℟. Et ánima mea quam redemiſti. *Pſ.* 70.

AD II. VESPERAS.

*Ant.* 1. a. VEnit Fílius hóminis quærere & ſalvum fácere quod períerat, allelúia. *Luc.* 19.

*Ant.* 3. *a.* Vadit ad ovem quæ períerat, donec invéniat eam, allelúia. *Luc.* 15.

*Ant.* 6. Cùm invénerit eam, impónit in húmeros ſuos gaudens, allelúia. *Luc.* 15.

*Ant.* 4. E. Dico vobis; gaudet ſuper eam magis quàm ſuper nonaginta novem quæ non erravérunt, allelúia. *Matth.* 18.

*Ant.* 5. a. Ita dico vobis; gáudium erit coram Angelis Dei ſuper uno peccatóre pœniténtiam agente, allelúia. *Luc.* 15.

*Capitulum.* Eccli. 17.

DEus pœniténtibus dedit viam justítiæ, & confirmávit deficientes sustinére, & destinávit illis sortem veritátis.

*Hymnus.* O vos cum cítharis. 489.

℣. Glorificábo nomen tuum in æternum; ℟. Quia misericórdia tua magna est super me. *Ps.* 85.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 4. D. Ubi abundávit delictum, superabundávit grátia; ut sicut regnávit peccátum in mortem, ita & grátia regnet per justitiam in vitam æternam, allelúia. *Rom.* 5.

*Oratio, ut suprà ad Laudes.*

*Fit Commem. S. Eutropii, Episcopi & Mart. Ant.* Nemo. ℣. Justus. ij. *Oratio.* Deus, cujus grátia. vj.

*Commem. de Cruce.* 131.

DIE XXX.

In Festo

SANCTI EUTROPII,

Episcopi & Martyris.

*Simplex.*

*Lectio iij.*

EUtrópius Episcopus, in Gállias ad prædicandam fidem missus, post adimplétum ritè munus, apud Santonas, illíso ab incrédulis cápite, Martyr occúbuit; & ob instantem persecutiónem, loco minùs digno sepultus est. Cùmque témporum lapsu nulla nisi nóminis ejus & sanctitátis supereśset memória, à fidélibus ut Sanctus, non ut Martyr, habebátur; donec eum pro Christo sánguinem fudísse sic fuit revelátum. Palládius, Santonensis Epíscopus, qui Concílio Parisiensi quarto, & Matisconensi secundo intérfuit, in ejus honórem circa annum Dómini sexcentésimum Basilicam extruxit; ad quam convocátis Abbátibus, dum è túmulo sacras Eutrópii relíquias honorificéntiùs collocandas transferret, duo ex illis Abbátibus, amóto opertório, conspexérunt ictu secúris illísum caput. Quibus étiam nocte sequenti idem Sanctus appáruit, dicens: Scitóte me per eam cicatrícem quam vidístis in cápite, martyrium consummásse.

*Oratio.* Deus, cujus grátia. vj.

*AD LAUD. fit Commem de Cruce.* 126.

# FESTA MAII.

## Die I.

In Festo SS. Apostolorum
PHILIPPI ET JACOBI.
*Duplex I. Ordinis.*

IN I. VESPERIS.
*Psalmi de Feria, & sic in toto Officio.*

*Ant.* Voluit Jesus exíre in 3. a. Galilæam, & invénit Philippum, & dicit ei: Séquere me, allel. *Joan.* 1.

*Ant.* 1. f. Invénit Philippus Nathánaël, & dicit ei: Quem scripsit Móyses in lege, & Prophétæ, invénimus Jesum fílium Joseph à Názareth, allelúia. *Joan.* 1.

*Ant.* 8. G. Dixit ei Nathánael: A Názareth potest áliquid boni esse? Dicit ei Philippus: Veni & vide, allelúia. *Joan.* 1.

*Ant.* 7. d. Elégit Jesus, & Apóstolos nominávit Philippum & Jacóbum Alphæi, allelúia. *Luc.* 6.

*Ant.* 2. D. Docébat eos in synagógis, ita ut mirarentur, & dicerent: Nonne hic est fabri fílius? & fratres ejus, Jacóbus, & Joseph, & Simon, & Judas? allelúia. *Matth.* 13.

*Capitulum.* Is. 61.

SCient in géntibus semen eórum, & germen eórum in medio populórum: omnes qui víderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen cui benedixit Dóminus.

℟. Vidébunt glóriam meam; & ponam in eis signum, & mittam ex eis ad eos, qui non audiérunt de me; * Et † Annuntiábunt glóriam meam géntibus, allelúia, allelúia. ℣. Manifestávi nomen tuum homínibus quos dedísti mihi de mundo: sicut tu me misísti, & ego misi eos; * Et annuntiábunt. Glória. † Annuntiábunt. *Is.* 66. *Joan.* 17.

*Hymnus.*

DUm morte victor óbrutâ
Ab inferis Christus redit,
Vos pángimus, diræ necis
Vitæque testes rédditæ.

Vobis datum præ céteris
Latus Magistri cíngere:
Vobis futúræ fédulus
Arcána credit glóriæ.

At, ille privátim suæ
Dum núntiat crucis probrum,
Cur horret humánus nimis,
Qui décipit sensus, amor?

Oportuit Christum pati,
Qui póstea resúrgeret:
Illinc homo verus patet;
Hinc se probat verè Deum.

Illos magister qui doces,
Tu Christe, tu nos érudi:
Si quid latet, tu détege;
Amáre da quod jam patet.

Da, Christe, nos tecum mori;
Tecum simul da súrgere:
Terréna da contémnere;
Amáre da cœléstia.

¶ Sit laus Patri; laus Fílio,
Qui nos, triumphátâ nece,
Ad astra secum dux vocat:
Compar tibi laus, Spíritus.
Amen.

¶ *Post Ascens. Doxologia :* Qui victor ad cœlum redis, Jesu, tibi sit glória Cum Patre, cumque Spíritu, In sempiterna sécula. Amen. ]

℣. Glória virtútis eórum tu es ; ℟. Quia Dómini est assúmptio nostra. *Ps.* 88.

*Ad* Magníficat. *Antiph. 6.* Dixit Jesus Philippo : Si quis mihi minístrat, me sequátur ; & ubi sum ego, illíc & minister meus erit, allelúia. *Joan.* 12.

*Oratio, ut infrà ad Laudes.*

## AD NOCTURNUM.

*Invit.* Christum Apostolórum Magistrum & Dóminum, * Veníte, adorémus, allelúia. *Joan.* 13.

*Ps.* 94. Veníte. 2.

*Hymnus.*

PRÆDICTA Christi mors adest ;
At vos timóri párcite :
Nil inde, nil caros pius
Remittet in fratres amor.

DURATE fortes : írritos
Mundi tumultus spérnite :
Deo volente, túrbini
Seréna succédet dies.

CŒLI perenne gáudium
Solábitur luctus breves ;
Brevem triumphum séculi
Æternus óbruet dolor.

QUI carne frater in suo
Mortem perémit córpore,
Divinitátis vos suæ
Dignábitur consórtio.

DA, Christe, nos tecum mori ;
Tecum simul da súrgere :
Terréna da contémnere ;
Amáre da cœléstia.

¶ SIT laus Patri ; laus Fílio, Qui nos, &c.

*Post Ascens. Doxolog.* Qui victor, &c. *& sic in ceteris Horis.*

*Ant.* 1. a. Cùm vidísset Jesus quia multitúdo máxima venit ad eum, dixit ad Philippum : Unde emémus panes, ut manducent hi ? allelúia. *Joan.* 6.

*Ant.* 2. D. Hoc autem dicébat, tentans eum ; ipse enim sciébat, quid esset factúrus, allelúia. *Joan.* 6.

*Ant.* 3. a. Respondit ei Philippus : Ducentórum denariórum panes non sufficiunt eis, ut unusquísque módicum quid accípiat, allelúia. *Joan.* 6.

℣. Edent páuperes & saturabuntur ; ℟. Et laudábunt Dóminum qui requírunt eum. *Ps.* 21.

*Lectio j. de Scriptura occurrente ; è tribus fit una.*

℟. Ecce fratres Jesu stabant foris quærentes loqui ei. Et extendens manum in discípulos suos, dixit : Ecce fratres mei. * Quicumque enim fécerit voluntátem Patris mei, ipse meus frater est, allelúia, alleluia. ℣. Narrábo nomen tuum frátribus meis ; in médio Eccléfiæ laudábo te. * Quicumque. *Matth.* 12. *Ps.* 21.

*Lectio ij.*

*Ex Evangelio & Eusebio, l. 3. hist. c.* 30. 31. 39.

PHilippus Bethsáïdæ natus, unus ex duódecim Apóstolis fuit, qui primùm à Christo Dómino vocáti sunt, à quo Nathánaël cùm accepísset venísse Messíam in lege promíssum, ad Dóminum deductus est. Cùm Christus hóminum insignem multitúdi-

nem páscere vellet, sic ad Philippum affátus est: Unde emémus panes, ut mandúcent hi? Gentiles Salvatórem vidére cupientes, ad Philippum accessérunt. Is, accepto Spíritu sancto, cùm Evangélium prædicasset, & Hierápolim Phrygiæ tandem venísset, pro Christi nómine morte affectus est. Jacóbus frater Dómini cognomento Justus, ab ineúnte ætáte vinum & síceram non bibit, carne abstínuit, nunquam tonsus, nec unguento, nec bálneo usus est. Huic uni licébat íngredi in Sancta. In templum solus intráre, atque ibi génibus flexis pro peccátis pópuli supplex Deum precári consuéverat; ádeò ut génua ipsius instar caméli occallúerint, dùm assíduè Deum véneras, & pro salúte pópuli vota fáciens humi sternerétur. Eum post Christi Ascensiónem Apóstoli Jerosolymórum Epíscopum constituérunt. Hic eò quòd Christum Dei Fílium prædicáret, ex pinnáculo templi præcipitátus est. Cùmque nondum esset mórtuus, lapídibus primùm est impetítus: deinde dum pro persecutóribus licèt semivívus oráret, fullónis fuste in cápite percússus ánimam Deo réddidit. Unam scripsit Epístolam, quæ prima est earum quæ Cathólicæ dicuntur.

℟. Accessérunt quidam Gentiles ad Philippum, & rogábant eum, dicentes: Dómine, vólumus Jesum vidére. * Venit Philippus, & dicit Andréæ: Andréas rursum & Philippus dixérunt Jesu, allelúia, allelúia. ℣. Consílium pacis inter illos duos. * Venit Philippus. *Joan.* 12. *Zach.* 6.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

*Lectio iij.* Cap. 14.

IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Non turbétur cor vestrum. Créditis in Deum, & in me crédite. In domo Patris mei mansiónes multæ sunt. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

*Tract. 67. in Joannem.*

ERigenda est nobis, fratres, ad Deum major inténtio, ut verba sancti Evangélii, quæ modò in nostris auribus sonuérunt, étiam mente cápere utcumque possímus. Ait enim Dóminus Jesus: Non turbétur cor vestrum: créditis in Deum, & in me crédite. Ne mortem tanquam hómines timérent, & ideò turbarentur, consolátur eos, étiam se Deum esse contestans. Créditis, inquit, in Deum, & in me crédite. Consequens est enim, ut, si in Deum créditis, & in me crédere debeátis: quod non esset cónsequens, si Christus non esset Deus. Créditis in Deum, & in eum crédite, cui natúra est, non rapína esse æquálem Deo: semetipsum enim exinanívit, non tamen formam Dei amittens, sed formam servi accípiens.

[ *Si Dominica fuerit, seu Feria ij. vel iv. Rogationum, omittitur Homilia in Evangelium Dominicæ vel Feriæ occurrentis; & sic in simili casu.* ]

℟. Etsi cognóvimus secun-

dùm carnem Christum, sed nunc jam non nóvimus: * Vétera transiérunt; ómnia autem ex Deo qui † Nos reconciliávit sibi per Christum, & dedit nobis minístérium reconciliatiónis, allelúia, allelúia. ℣. Dicit Dóminus: Ecce ego fácio nova, & nunc orientur; útique cognoscétis ea: * Vétera. Glória. † Nos. 2. *Cor.* 5. *Is.* 43.

Te Deum.

AD LAUDES.

*Ant.* 7. a. Dicit Jesu Philippus: Dómine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis, allelúia. *Joan.* 14.

*Ant.* 3. c. Dicit Philippo Jesus: Tanto témpore vobíscum sum, & non cognovístis me? Philippe, qui videt me, videt & Patrem, allelúia. *Joan.* 14.

*Ant.* 6. Quómodò tu dicis: Ostende nobis Patrem? Non créditis quia ego in Patre, & Pater in me est? allelúia. *Joan.* 14.

*Ant.* 4. *D.* Deus occurrit muliéribus, & ait: Nolíte timére; ite, nuntiáte frátribus meis, ut eant in Galilæam; ibi me vidébunt, allelúia. *Matth.* 28.

*Ant.* 8. c. Visus est plusquàm quingentis frátribus simul: deinde visus est Jacóbo, deinde Apóstolis ómnibus, allelúia. 1. *Cor.* 15.

*Capitulum.* Act. 1.

PRæbuit Jesus seipsum vivum Apóstolis post passiónem suam in multis argumentis, per dies quadraginta appárens eis, & loquens de regno Dei; & convescens, præcépit eis ab Jerosólymis ne discéderent, sed expectárent promissiónem Patris.

*Hymnus.*

REgnis paternis débitus
Cruóre quæ pandit suo,
Vos propter hospes éxteras
Adhuc colit terras Deus.

Ignota tardis méntibus
Patére dat mystéria,
Per mille præságas suî
Se détegens imágines.

En immolandus à Patre,
Suum ferens lignum puer:
En Agnus ille, sánguine
Qui tincta servat límina.

Amoris ô quæ pignora!
Vobis oves credit suas:
Ligáre dat, dat sólvere,
Quæ sólvit & ligat Deus.

Da, Christe, nos tecum mori;
Tecum simul da súrgere:
Terréna da contémnere;
Amáre da cœléstia.

¶ Sit laus Patri; laus Fílio,
Qui nos, triumphátâ nece,
Ad astra secum dux vocat:
Compar tibi laus, Spíritus.
Amen.

*Post Ascensionem, Doxolog.* Qui victor, &c.

℣. Memóriam abundántiæ suavitátis tuæ eructábunt, ℟. Et justítiâ tuâ exultábunt. *Ps.* 144.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 1. *D.* Apéruit illis sensum, ut intelligerent Scriptúras; & dixit eis; Sic opportébat Christum pati, & resúrgere à mórtuis: vos autem testes estis horum, allelúia. *Luc.* 24.

*Oratio.*

DEus, qui nos ánnuâ Apostolórum tuórum Philippi & Jacóbi solemnitáte lætíficas: da nobis ipsórum pré-

cibus, in Unigéniti tui passióne & resurrectióne consórtium : ut parátam in domo tua mansiónem hæreditáte consequámur ; Per eumdem Dóminum.

AD PRIMAM.

*Ant.* Dicit Jesus.

AD TERTIAM.

*Ant.* Dicit.

*Capitulum.* 1. Cor. 2.

OCulus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hóminis ascendit, quæ præparávit Deus iis qui díligunt illum : nobis autem revelávit Deus per Spíritum suum : Spíritus enim ómnia scrutátur, étiam profunda Dei.

℟. *br.* Hæc est generátio quæréntium eum, * Allelúia, allelúia. Hæc est. ℣. Quæréntium fáciem Dei Jacob, * Allelúia. Glória Patri. Hæc est. *Ps.* 23.

℣. Sicut óculi servórum in mánibus dominórum suórum, ℟. Ita óculi nostri ad Dóminum Deum nostrum. *Ps.* 122.

AD SEXTAM.

*Ant.* Quómodo.

*Capitulum.* 1. Joan. 5.

SCimus quóniam Fílius Dei venit, & dedit nobis sensum, ut cognoscámus verum Deum, & simus in vero Fílio ejus. Hic est verus Deus, & vita æterna.

℟. *br.* Credidérunt verbis ejus, * Allelúia, allelúia. Credidérunt. ℣. Et laudavérunt laudem ejus, * Allelúia, Glória. Credidérunt. *Ps.* 105.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei, ℟. Et facta ejus intellexérunt. *Ps.* 63.

AD NONAM.

*Ant.* Visus est.

*Capitulum.* Act. 10.

PRæcépit nobis prædicáre pópulo, & testificári quia ipse est qui constitútus est à Deo judex vivórum & mortuórum.

℟. *br.* Confitébimur tibi, Deus, * Allelúia, allelúia. Confitébimur. ℣. Narrábimus mirabília tua, * Allelúia. Glória Patri. Confitébimur. *Ps.* 74.

℣. Exultet terra à fácie Dómini, ℟. Quóniam venit judicáre terram. *Ps.* 95.

AD II. VESPERAS.

*Ant.* JEsus assúmptus est, & 1. g. J ascendérunt (discípuli) ubi manébant Petrus & Joannes, Jacóbus & Andréas, Philippus & Jacóbus Alphæi, allelúia. *Act.* 1.

*Ant.* 2. D. Hi omnes erant perseverantes unanímiter in oratióne cum frátribus Jesu ; & repléti sunt omnes Spíritu sancto, allelúia. *Act.* 1. & 2.

*Ant.* 3. *a.* Quidam de Judæa docébant fratres : Quia nisi circumcidámini, non potestis salvári, convenerúntque Apóstoli, allelúia. *Act.* 15.

*Ant.* 7. *d.* Cum magna conquisitio fieret, respondit Jacóbus : Deus visitávit súmere ex Géntibus pópulum nómini suo ; & huic concordant verba Prophetárum, allelúia. *Act.* 15.

*Ant.* 5. C. Notum à sæculo est Dómino opus suum : propter quod ego júdico non inquietári eos qui ex Géntibus convertuntur ad Deum, allelúia. *Act.* 15.

*Capitulum.* Ephes. 3.

Aliis generatiónibus non est ágnitum fíliis hóminum, sícuti nunc revelátum est sanctis Apóstolis ejus, & Prophétis in Spíritu: Gentes esse cohærédes, & concorporáles, & compartícipes promissiónis ejus in Christo Jesu per Evangélium.

*Hymnus.*

Natus Parenti rédditus
Non vos amícos déseret:
Sub imbre lapsum flámmeo
Infundet in vos Spíritum.

Hausto repléti Númine,
Terras in omnes líberi,
Christum tubis cœléstibus,
Christum Deum vulgábitis.

Non jam tenébit ámplius
Formído mortis ábditos:
Aperta non eúntibus
Addent moras pericula.

Vos ante Reges fórtiter
Spernétis armátas neces:
Hæc nempe pro Christo mori
Supréma vobis glória.

Orate, firma sit Fides,
Et certa se Spes érigat;
Illapsa nostris córdibus
Pellat timórem Cáritas.

Da, Christe, nos tecum mori;
Tecum simul da súrgere:
Terréna da contémnere;
Amáre da cœléstia.

℣. Sit laus Patri, laus Fílio,
Qui nos, triumphatâ nece,
Ad astra secum dux vocat:
Compar tibi laus, Spíritus.
Amen.

*Post Ascensionem, Doxolog.*
Qui victor, &c.

℣. Annuntiavérunt justítiam ejus; ℟. Et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus. *Ps. 96.*

*Ad* Magníficat. *Ant.* 8. G. Jacóbus, & Cephas, & Joannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dedérunt mihi & Bárnabæ societátis, ut nos in Gentes, ipsi autem in circumcisiónem, allelúia. *Gal.* 2.

*Oratio, ut suprà ad Laudes.*

*Deinde fit Commem. sancti Athanasii, Episcopi & Eccles. Doctoris. Antiph.* Beátus qui. ℣. Beátus homo. xx. *Oratio.* Præsta. *ut infrà.*

Die ii.

In Festo

SANCTI ATHANASII,

Episc. & Eccleſiæ Doctoris.

*Duplex II. Ordinis.*

*Omnia de Communi SS. Doctorum*, xx. *additis quæ sequuntur.*

*Lectio j. de Scriptura occurrente; è tribus una.*

*Lectio ij.*

*Ex ejus Oper. Rufin. Sozom. &c.*

Athanásius Diáconus, ab Alexandro Episcopo Alexandríno ductus ad Concilium Nicænum, Ariános ácriter impugnávit. Alexandro suffectus, Arium constanter ab Eccléſiæ communióne répulit; unde Eusébii Nicomediensis Episcopi, aliorumque multórum in se ódium concitávit. Hi cum Meletiánis schismáticis inito consílio, suis calúmniis à Constantino óptimo príncipe, sed nimiùm crédulo, impetrárunt ut Tréviros amandarétur, ubi à Maximino Episcopo honorificentíssimè exceptus est. Post óbitum

Constantíni revocátus, íterum ab inimícis, tam apud Júlium Papam, quàm apud Constántium Imperatórem, est impetítus. Hujus auctoritáte coacta est Synodus apud Antiochíam, in qua depósitus est, & depósito Gregórius Cáppadox substitútus: sed à Júlio Papa in Synodo quinquaginta Episcopórum innocens declarátus, agente Constante Constántii germáno, in Synodo Sardicensi ex utróque império congregátâ absólvitur, & sedi suæ restitúitur. Sublato è vivis Constante, sex annis latére coactus est Athanásius, quòd eum Constántius iterùm ab Arianis circumventus ad necem quæreret. Post mortem verò Constántii Alexandríam reversus, Synodum hábuit cum Confessóribus de recipiendis iis qui ab Arianis decepti fuerant; tantâque prudentiâ rem gravíssimam definiit, ut Ecclésiam visus fúerit imminenti perículo eripuísse. Sed cùm idolórum cultóribus gravis esset, à Juliáno exagitátus, Alexandriæ delítuit, donec sedáta esset persecútio. Sub Joviáno cathólico príncipe pacíficè suam rexit Ecclésiam. Valens autem Joviáni succéssor, ab Eudóxio Ariáno baptizátus, Athanásium in paterno monumento quátuor menses delitéscere coégit. Tandem Alexandríam post tot labóres & tempestátes reversus, in pace quiévit; & anno Episcopátûs sui quadragésimo sexto, Christi trecentésimo septuagésimo tértio in léctulo suo mórtuus est.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

*Lectio iij.* Cap. 10.

DIxit Jesus duódecim discípulis suis: Cùm persequentur vos in civitáte ista, fúgite in áliam. Et réliqua.

Homília sancti Athanásii Episcopi.

*Apolog. de fuga sua. num.* 15. & 16.

DOminus, útpote Deus ac Verbum Patris, non ignórans, quodnam próprio córpori ad patiendum tempus præfiniviset, more nostro, sese, dum quæreréturr, occultábat. Sancti autem, hâc à Salvatóre acceptâ normâ, cùm adversùs persecutóres decertárent, aufugiébant, uti fas erat: dumque ab illis perquirerentur, sese abdébant. Cumque, útpote hómines, definíti sibi à providéntia témporis términum ignorárent, nolébant seipsos insidiatóribus deditítios offerre. Cumque item nossent illud quod scriptum est, nempe in mánibus Dei esse sortes hóminum, & Dóminum mortificáre & vivificáre, ídeò ad finem usque expectárunt, ut ait Apóstolus, circumeuntes in melótis, in péllibus caprínis, egentes, angustiáti, in solitudínibus errantes, in spelúncis & in cavernis terræ latentes, donec definítum mortis tempus adveníret, aut qui tempus definíerat Deus eos alloquerétur, ac insidiatóres sedáret, aut certè persecutóribus persecutiónem patientes tráderet, ut sibi cóngruum visum foret.

*Oratio.*

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut excelléntiam Verbi tui, quam beátus Athanásius asséruit, & convenienter intelligere valeámus, & veráciter profitéri; Per eumdem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte.

*VESPERÆ de Sequenti.*

---

## *DIE III.*

# IN FESTO *INVENTIONIS* SANCTÆ CRUCIS.

### *SOLEMNE III. ORDINIS.*

IN I. VESPERIS.

*Psalmi de Feria, & sic in toto Officio.*

*Ant.* RAdix Jesse, qui stat 8. G. in signum populórum, ipsum gentes deprecabúntur; & erit sepulcrum ejus glorióſum, allelúia. *Is.* 11.

*Ant.* 2. D. Factus est principátus super húmerum ejus; & vocábitur nomen ejus, Deus, Fortis, allelúia. *Is.* 9.

*Ant.* 1. a. Levábit lignum in natiónes, & congregábit prófugos Israël, allel. *Is.* 11.

*Ant.* 4. *D.* Dabit signum fructum suum, & scient quia ego Dóminus, cùm contrívero caténas jugi eórum, allelúia. *Ezech.* 34.

*Ant.* 5. C. Exaltávi lignum húmile, & frondére feci lignum áridum; ego Dóminus locútus sum & feci, allelúia. *Ezech.* 17.

*Capitulum.* Galat. 3.

CHristus nos redémit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum; quia scriptum est: Maledictus omnis qui pendet in ligno; ut in Géntibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Jesu.

℟. Ecce levábo ad gentes manum meum, & ad pópulos exaltábo signum meum, & áfferent fílios tuos: * Erunt reges nutrítii tui, Sion, & reginæ nutrices tuæ, dicit Dóminus, † Allelúia, allelúia. ℣. Lucerna civitátis est Agnus, & ambulábunt gentes in lúmine ejus: & reges terræ áfferent glóriam suam, & honórem in illam. * Erunt. Glória. † Allelúia. *Is.* 49. *Apoc.* 21.

*Hymnus.*

TELLUS, tot annos quid tegis
Nostræ salútis pignora?

Crux

Crux monte toto quæritur,
Ultro tuos pandas sinus.
Quid, dura fossóris manus,
Scrutáris alta víscera?
Celáre lignum sit pudor,
Quo nostra surgit glória.
En illa gemma pérdita,
Inventa tot labóribus:
En qui latébat, érutus
Thesaurus agro prodiit.
Regina quæsítam crucem,
Monstrante Christo, répperit:
Oblita fastus régios,
Sceptro repertam prætulit.
Crux sancta, Christi córporis
Virtus salúbrem te facit:
Contingit ut te mórtuus,
Vitæ prióri rédditur.
Da, Christe, nos tecum mori;
Tecum simul da súrgere:
Terréna da contémnere;
Amáre da cœléstia.
℣. Sit laus Patri; laus Fílio,
Qui nos, triumphátâ nece,
Ad astra secum dux vocat:
Compar tibi laus, Spíritus.
Amen.

*Post Ascensionem, Doxolog.* Qui victor. *& sic in ceteris.*

℣. Notam fecísti in pópulis virtútem tuam: ℟. Redemísti in brachio tuo pópulum tuum. *Ps.* 67.

*Ad* Magnificat. *Ant.* 3. a. Sic scriptum est, & sic oportébat Christum pati, & resúrgere à mórtuis tértiâ die, & prædicári in nómine ejus pœniténtiam & remissiónem peccatórum in omnes gentes, allelúia. *Luc.* 24.

*Oratio, ut infrà ad Laudes.*

*Fit Commem. S. Athanasii, Ant.* Qui docti. ℣. Beátus vir. xxv. *Oratio.* Præsta. *ut suprà.*

*Deinde S. Alexandrini, Papæ & Mart. Ant.* Nemo. ℣. Justus. ij. *Orat.* Omnípotens. vj.

AD COMPLETORIUM.

*Super Psalmos,*

*Ant.* 6. In médio sanctæ Jerúsalem lignum vitæ, & fólia ligni ad sanitátem géntium, allelúia. *Apoc.* 22.

AD NOCTURNUM.

*Invit.* Jesum qui crucifixus est, * Veníte, adorémus, allelúia. *Matth.* 28.

*Ps.* 94. Venite. 2.

*Hymnus.*

Signum novi crux fœderis,
Crux orbis arca náufragi,
Cùm jam perímus, nos ratis
Portus refers in pátrios.
Telis rubentem flámmeis
Ultóris exarmas manum:
Placátur, ut te réspicit,
Iras & obliviscitur.
Lethale si vulnus ferat
Infernus anguis mórsibus;
Læsi simul te víderint,
Repentè tu medéberis.
Ara sub illâ par Deo
Se consecrávit hóstia:
Hâc sede læsum Fílius
Placávit orátor Patrem.
Crux sancta, Crux amábilis,
Crux tincta Christi sánguine,
Haurire da nos lárgiùs
Vitam, Dei de fúnere.
Da, Christe, nos tecum mori;
Tecum simul da súrgere:
Terréna da contémnere;
Amáre da cœléstia.
℣. Sit laus Patri; laus Fílio,
Qui nos, triumphátâ nece,
Ad astra secum dux vocat:
Compar tibi laus, Spíritus.
Amen.

*Ant.* 4. A. Cùm exaltavéritis Fílium hóminis, tunc cog-

noscétis quia ego sum, allelúia. *Joan.* 8.

*Ant.* 5. a. Sic enim Deus dilexit mundum ut Filium suum unigénitum daret, allelúia. *Joan.* 3.

*Ant.* 3. g. Non enim misit Deus, Filium suum in mundum, ut júdicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum, allelúia. *Joan.* 3.

℣. Exaltáre, Dómine, in virtúte tua: ℟. Cantábimus, & psallémus virtútes tuas. *Ps.* 20.

*Lectio j. de Scriptura occurrente; è tribus fit una.*

℟. Nunc judícium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejiciétur foràs: * Et ego si exaltátus fúero à terra ómnia traham ad meipsum, allelúia, allelúia. ℣. Locútus est Dóminus ad Móysen: Fac serpentem æneum, & pone eum pro signo; qui percússus aspéxerit eum, vivet. * Et. *Joan.* 12. *Num.* 21.

Ex Epístola sancti Paulíni Episcopi ad Sevérum.

*Epistolâ* 31. *novæ Editionis.*

*Lectio ij.*

HElena regina venerábilis, ut venit Jerosólymam, Crucem Dómini studiosíssimè inquírere adorsa est. Jussit íllicò, urgente sine dúbio conceptæ revelatiónis instinctu, in ipsum passiónis locum óperam fossiónis accingi. Paratâque mox cívium páriter & militári manu, altâ egestióne reserátis terræ sínibus, ábditæ Crucis arcána patuérunt. Sed cùm tres páriter cruces, ut quondam fixæ Dómino & latrónibus stéterant, repertæ fuíssent, gratulátio repertárum cœpit ánxiâ dubitatióne confundi, justo piórum metu, ne fórsitan aut pro Cruce Dómini patibulum latrónis elígerent, aut salutáre lignum pro stipite latróni abjiciendo violárent. Respexit pias fidéliter æstuántium curas Dóminus; & ipsi potíssimum quæ tam piæ sollicitúdinis princeps erat, hujus consilii lumen infúdit, ut áliquem recens mórtuum inquíri & inferri juberet. Nec mora: verbum factum: codáver illátum est: depónitur: jacenti una de crúcibus admovétur, & áltera; sed reórum ligna mors sprevit. Postrémo Domínicam Crucem prodit resurréctio, & ad salutáris ligni tactum morte prófugâ funus excússum, & corpus erectum est: tremefactíque vivéntibus, stetit mórtuus, & funébribus, ut Lázarus quondam, vínculis expéditus, íllicò inter spectatóres suos redívivus incessit. Ita, ut décuit, experimento resurrectiónis inventa & probáta Crux Christi est: dignoque mox ámbitu consecrátur, condítâ in loco Passiónis basílicâ, quæ arcáno pósitam sacrário Crucem servat. De eádem minúta sacri ligni ad magnam fidei & benedictiónis grátiam habéri datur.

℟. Sicut Móyses exaltávit Serpentem in deserto, * Ita exaltári oportet Fílium hóminis; ut omnis qui credit in ipsum non péreat, sed hábeat vitam æternam, allelúia, allelúia. ℣. Móyses pósuit Serpentem æneum pro signo;

quem cum percussi aspícerent, sanabantur : * Ita. *Joan.* 3. *Num.* 21.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

*Lectio iij.* Cap. 3.

IN illo témpore : Erat homo ex Phariséis Nicodémus nómine, princeps Judæórum. Hic venit ad Jesum nocte, & dixit ei : Rabbi, scimus quia à Deo venisti magister. Et réliqua.

Homília sancti Andréæ Cretensis Episcopi.

*Orat. in Exalt. S. Crucis.*

QUi Crucem póssidet, póssidet thesaurum. De auri me fórsitan putátis loqui thesauro, aut margaritárum, ac lápidum pretiosórum Indicórum, quibus córporis sui studiósi, & nihil excelsi cogitantes sese oblectant. Ego verò id quod ómnium bonórum pulchérrimum est, re ac nómine thesaurum jure appellàverim : in quo, & per quem, & in quem salútis nostræ summa repósita, & prístino státui restitúta est. Si Crux non esset, Vita ligno clavis suffixa non esset. Si ex clavis suffixa non esset, ex látere Christi fontes immortalitátis sánguinem & aquam, quæ mundum éxpiant, non fudíssent. Si Crux non esset, mors prostráta non esset, infernus non spoliátus, non enectus nóxius serpens. Magna ígitur & pretiósa res Crux est. Magna quidem, quia multa per ipsam bona effecta sunt ; pretiósa verò, quia Dei trophæum est, & in ipsa diábolus sauciátus, & cum eo mors devicta est.

℟. Christus passus est pro nobis : * Qui peccátum non fecit, peccáta nostra ipse pértulit in córpore suo super lignum ; ut peccátis mórtui, justítiæ vivámus, allelúia, allelúia. ℣. Disciplína pacis nostræ super eum, & livóre ejus sanáti sumus ; * Qui. Glória Patri. * Qui peccátum non fecit. 1. *Petr.* 2. *Is.* 53.

Te Deum.

AD LAUDES.

*Ant.* CHristus mórtuus est 7. ç. pro peccátis nostris, & resurrexit tértiâ die secundùm Scriptúras, allelúia. 1. *Cor.* 15.

*Ant.* 2. D. Delens quod adversùs nos erat chirógraphum decréti quod erat contrárium nobis ; & ipsum tulit de médio, affigens illud Cruci, allelúia. *Coloss.* 2.

*Antiph.* 6. Complácuit per eum reconciliáre ómnia in ipsum, pacificans per sánguinem Crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt, allelúia. *Coloss.* 1.

*Ant.* 5. a. Ipse est pax nostra solvens inimicítias in carne sua, ut reconciliet Deo per Crucem, allelúia. *Ephes.* 2.

*Ant.* 8. G. Verbum Crucis pereúntibus quidem stultítia est : iis autem qui salvi fiunt, id est, nobis, Dei virtus est, allelúia. 1. *Cor.* 1.

*Capitulum.* 1. Cor. 1.

PRædicámus Christum crucifixum, Judæis quidem scándalum, Géntibus autem stultítiam ; ipsis autem vocátis Judæis, atque Græcis,

Christum Dei virtútem, & Dei sapiéntiam.

*Hymnus.*

CRux, sola languórum Dei
Pendentis in te cónscia,
Ejus dolóres íntimos,
Dic verba, dic suspíria.

Clavi pedes, clavi manus
Fixêre duro stípiti:
Cinctum cruentis vépribus
In te recumbébat caput.

Cum morte luctantis Dei
Legis suprémos spíritus:
Christus tuo, volens mori,
Vitam reliquit in sinu.

Tu lectus in quo nos parit,
Suggestus è quo nos docet;
Olim tremendum sóntibus
Eris tribúnal Júdicis.

Da, Christe, nos tecum mori;
Tecum simul da súrgere:
Terréna da contémnere;
Amáre da cœléstia.

℣ Sit laus Patri; laus Fílio,
Qui nos, triumphátâ nece,
Ad astra secum dux vocat:
Compar tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Dicite in Géntibus quia Dóminus regnávit à ligno: ℟. Judicábit pópulos in æquitáte. *Ps.* 95.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 1. D. Parébit signum Fílii hóminis in cœlo; & vidébunt Fílium hóminis venientem in núbibus cœli cum virtúte multa & majestáte, allelúia. *Matt.* 24.

*Oratio.*

DEus, qui in præclára salutíferæ Crucis inventióne Passiónis tuæ mirácula suscitásti: concéde, ut vitális ligni prétio æternæ vitæ suffragia consequámur; Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritûs sancti Deus, per.

*Fit Commem. S. Alexandri, Papæ & Martyris. Ant.* Bonum. ℣. Adjútor. *Oratio.* Omnípotens. vj.

AD PRIMAM.

*Ant.* Christus.

*In* ℟. *br.* ℣. Qui surrexísti à mórtuis. *Matth.* 27.

AD TERTIAM.

*Ant.* Delens.

*Capitulum.* Act. 5.

QUem vos interemístis suspendentes in ligno, hunc princípem & salvatórem Deus exaltávit déxterâ suâ, ad dandam pœniténtiam Israéli, & remissiónem peccatórum.

℟. *br.* Dóminus dominórum memor fuit nostrî, * Allelúia, allelúia. Dóminus. ℣. Et redémit nos ab inimícis nostris, * Allelúia. Glória Patri. Dóminus. *Ps.* 135.

℣. Dicant qui redempti sunt à Dómino, ℟. Quóniam in séculum misericórdia ejus. *Ps.* 106.

AD SEXTAM.

*Ant.* Complácuit.

*Capitulum.* Ephes. 1.

IN Christo habémus redemptiónem per sánguinem ejus, remissiónem peccatórum, secundùm divítias grátiæ ejus quæ superabundávit in nobis.

℟. *br.* Apud Dóminum misericórdia, * Allelúia, allel. Apud. ℣. Et copiósa apud eum redémptio, * Allelúia. Glória Patri. Apud.

℣. Ipse rédimet Israël ℟. Ex ómnibus iniquitátibus ejus. *Ps.* 129.

AD NONAM.

*Ant.* Verbum.

*Capitulum.* Philipp. 2.

HUmiliávit semetipsum, factus obédiens usque ad mortem, mortem autem Crucis: propter quod & Deus exaltávit illum, & donávit illi nomen quod est super omne nomen.

℟. *br.* Minuísti eum paulò minus ab Angelis, * Allelúia, allelúia. Minuísti. ℣. Glória & honóre coronásti eum, * Allelúia. Glória. Minuísti. *Ps.* 8.

℣. De torrente in via bibet; ℟. Proptéreà exaltábit caput. *Ps.* 109.

AD II. VESPERAS.

*Ant.* 4. E. CHristus crucifixus est ex infirmitáte; sed vivit ex virtúte Dei, allelúia. 2. *Cor.* 13.

*Ant.* 6. Nos infirmi sumus in illo; sed vivémus cum eo ex virtúte Dei, allelúia. 2. *Cor.* 13.

*Ant.* 2. D. Vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruátur corpus peccáti, & ultrà non serviámus peccáto, allelúia. *Rom.* 6.

*Ant.* 1. D. Si complantáti facti sumus similitúdini mortis ejus, simul & resurrectiónis érimus, allelúia. *Rom.* 6.

*Ant.* 5. C. Si commórtui sumus, & convivémus: si sustinébimus, & conregnábimus, allelúia. 2. *Tim.* 2.

*Capitulum.* 1. Petr. 1.

NOn corruptibílibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatióne paternæ traditiónis, sed pretióso sánguine quasi Agni immaculáti Christi, & incontamináti.

*Hymnus.* Signum. 481.

℣. Misericórdia & véritas obviavérunt sibi, ℟. Justítia & pax osculátæ sunt. *Ps.* 84.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 7. G. Dignus est Agnus qui occísus est, accípere virtútem, & divinitátem, & sapiéntiam, & fortitúdinem, & honórem, & glóriam, & benedictiónem, allelúia. *Apoc.* 5.

*Oratio, ut suprà ad Laudes.*

*Deinde fit Commem. sanctæ Monicæ, Viduæ. Ant.* Dóminus. ℣. Anima. l. *Oratio.* Deus, mœréntium. *ut infrà.*

Die iv.

In Festo

SANCTÆ MONICÆ,

Viduæ.

*Semiduplex.*

*Lectio ij.*

*Ex Lib. Confess. S. Augustí.*

MOnica, sancti Augustíni dupliciter mater, quia eum & mundo & cœlo péperit, Patrícium cónjugem, cui velut dómino semper servíerat, extrémo ejus vitæ témpore ad Christi fidem adduxit. Lapso in Manichæórum hæresim fílio, cum pro ejus conversióne multis lácrymis Deum precarétur; audívit à quodam Episcopo: Fieri non potest ut fílius istárum lacrymárum péreat. Terrâ marique illum secúta, Medioláni innótuit Ambrósio, qui Augustíno gratulátus est quòd eam matrem habéret. Ibi cùm ad memórias Sanctórum, sicut in Africa solébat, pultes cum pane & mero attu-

lisset, atque ab Ostiário prohiberétur ; ubi hoc Episcopum vetuisse cognóvit, tam piè obsecúta est, ut ipse mirarétur Augustínus quòd tam facilè accusátrix pótiùs consuetúdinis suæ, quam disceptátrix illíus prohibitiónis effecta fuisset.

*Lectio iij.*

REdiens in Africam cum Augustíno, qui, ejurátâ hæresi, ab Ambrósio baptizátus fúerat ; cùm ad Ostia Tiberína constituisset, in febrem incidit ; & astantem íntuens Augustínum cum fratre ejus Navigio : Ponétis hîc, inquit, matrem vestram ; illud autem vos rogo, ut ad altáre Dómini meminéritis meî. Die nono ægritúdinis suæ, ætátis anno quinquagésimo sexto, ánimam Deo reddidit. Tum Evódius, succinente totâ domo, cantáre cœpit Psalmum, Misericórdiam & judícium cantábo tibi, Dómine. Juxta sepulcrum pósito cadávere, priusquàm deponerétur, oblátum est pro ea, ut refert Augustínus, sacrifícium prétii nostri Deo ad ejus altáre, cui ipsa nullíus diéi prætermissióne servíerat, & unde nóverat dispensári víctimam sanctam quâ delétum est chirógraphum contrárium nobis.

*Oratio.*

DEus, mœréntium consolátor, & in te sperántium salus, qui beátæ Mónicæ pias lácrymas in conversióne filii sui Augustíni misericórditer suscepísti : da nobis utriusque interventu peccáta nostra pœniténtiæ lácrymis elúere, & grátiæ tuæ indulgéntiam invenire ; Per Dóminum nostrum.

*Commemor. de Cruce.* 116.

*IN VESP. Commemor. de sequenti. Antiph* Cùm vos. ℣. Viríliter. ix. *Oratio.* Da. *ut infrà.*

*Commemor. de Cruce.* 131.

DIE V.

In Festo

SS. MARTYRUM

PRO SOLEMNITATE PASCHALI OCCISORUM.

*Semiduplex.*

Ex libro primo sancti Victóris Episcopi Vitensis de persecutióne Wandalórum in Africa.

*Lectio ij.*

QUodam témpore Paschális solémnitas agebátur ; & cùm in quodam loco qui Régia vocitátur, ob diem Paschális honóris nostri síbimet clausam Eccléstam referárent, compériunt Ariáni. Statim quidam Présbyter eórum, congregátam secum armatórum manum, ad expugnandam turbam accendit innocéntium.

*Lectio iij.*

INtróeunt evaginátis spatis, arma corrípiunt : álii quoque tecta conscendunt, & per fenestras Eccléstæ sagittas spargunt ; & tunc fortè canente pópulo Dei, Lector unus púlpito sístens, Allelúia cum melos canébat. Quo témpore sagittâ in gúttur jaculátus, cadente de mánibus códice, mórtuus post cécidit ipse. Nam & álii quamplúrimi sagittis & jáculis in médio crepídinis altáris probantur occísi. Qui gládiis tunc inter-

empti non sunt, pósteà pœnis attriti, régio jussu omnes penè necáti sunt, præsertim matutióris ætátis.

*Oratio.*

DA, quæsumus, omnípotens Deus, ut intercessióne sanctórum Mártyrum quos in solemnitáte Pascháli tibi consecrásti, similitúdinis mortis Christi & resurrectiónis mereámur esse partícipes; Per eumdem Dóminum nostrum Jesum Christum.

*VESPERÆ de sequenti.*

DIE VI.

In Festo

SANCTI JOANNIS

in ferventis olei dolium immissi ante Portam Latinam.

*Duplex I. Ordinis.*

IN I. VESPERIS.

*Psalmi de Feria, & sic in toto Officio.*

*Ant.* HÆc dicit primus & 3. *a.* novíssimus, qui fuit mórtuus & vivit, scio tribulatiónem tuam, nihil horum timeas quæ passúrus es, allelúia. *Apoc.* 2.

*Ant.* 1. f. Vocávi te & dixi tibi, servus meus es tu, confortávi te & auxiliátus sum tibi, allelúia. *Is.* 41.

*Ant.* 2. D. Erunt quasi non sint hómines bellantes adversùm te, quia ego Dóminus Deus tuus apprehendens manum tuam, allelúia. *Is.* 41.

*Ant.* 7. ç. Pósui verba mea in ore tuo & in umbra manûs meæ protexi te, allel. *Is.* 51.

*Ant.* 6. Ego redemptor tuus sanctus Israël, & tu exultábis in Dómino, in sancto Israël lætáberis, allelúia. *Is.* 41.

*Capitulum.* Is. 43.

HÆc dicit Dóminus: Noli timére, quia redémi te; meus es tu: cùm transíeris per aquas, tecum ero, & flúmina non opérient te: cùm ambuláveris in igne, non comburéris; & flamma non ardébit in te.

℟. Liberásti me, Deus, secundùm multitúdinem misericórdiæ nóminis tui à pressúra flammæ quæ circúmdedit me. * Et † In médio ignis non sum æstuátus, allelúia, allelúia. ℣. Dóminus mihi ástitit, & confortávit me; ut per me prædicátio impleátur; & liberátus sum de ore leónis, * Et. Glória Patri. † In médio. *Eccli.* 51. 2. *Tim.* 4.

*Hymnus.*

URBEM Romúleam quis furor íncitat?
Christi Discípulus Cæsare júdice
Damnátus rápitur: nil venerábilis
Frontis canities movet.
IN fervens ólei conjicitur mare:
Nil æstus nócuit, flamma sed hóspiti
Parcit blanda suo: seu pugil úngitur,
Hinc & fórtior éxilit.
EDICTO stériles pulsus in ínsulas,
Exul tunc sócio perfrúitur Deo:
Hic ventúra videt, quæ cálamo notans
Sublustri nébulâ tegit.
SIC nos Christus amet, sic dóceat pati;
Discamusque mori, simus ut & necis

Sacræ partícipes: non áliis patet
Cœlum conditiónibus.
Patri máxima laus, máxima Fílio,
Amborumque sacro máxima Flámini:
Hæc est certa fides, fontibus è tuis
Quam divínitus háusimus. Amen.

℣. Impinguásti in óleo caput meum: ℟. Et calix meus inébrians quam præclárus est! *Ps.* 22.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 3. a. Jesus ait Jacóbo & Joanni: Cálicem quem ego bibo, bibéris: & baptísmo quo ego baptízor, baptizabímini, allelúia. *Marc.* 10.

*Oratio, ut infrà ad Laudes.*

*Fit Commem. SS. Martyrum. Ant.* Datæ sunt. ℣. In æternum. xiij. *Oratio.* Da, quæsumus. *ut suprà.*

AD NOCTURNUM.

*Invit.* Deum qui convertit luctum suórum in gáudium, * Veníte adorémus, allelúia. *Jerem.* 31.

*Ps.* 94. Veníte. 2.

*Hymnus.* Urbem. *ut suprà.*

*Ant.* 8. c. Non ardébit in te flamma; quia ego sanctus Israël, salvátor tuus: ego dilexi te, allelúia. *Is.* 43.

*Ant.* 6. Scient quia dilexi te, quóniam servásti verbum patiéntiæ meæ, & ego servábo te ab hora tentatiónis, allelúia. *Apoc.* 3.

*Ant.* 7. *d.* Liberábo te in die illa, & erit tibi ánima tua in salútem, quia in me habuísti fidúciam, allelúia. *Jer.* 39.

℣. Igne me examinásti, Dómine: ℟. Et non est inventa in me iniquitas. *Ps.* 16.

*Lectio j. de Scriptura occurrente; è tribus fit una.*

℟. Nolíte timére: * Omnis qui confitébitur me coram homínibus, confitébor & ego eum coram Patre meo qui in cœlis est, allelúia, allelúia. ℣. Opera Dei revelare & confitéri honorificum est. * Omnis. *Matth.* 10. *Tob.* 12.

Ex libro sancti Hierónymi Presbyteri, adversus Joviniánum.

*Lib.* 1. *Cap.* 14.

*Lectio ij.*

Joannes unus ex discípulis, qui mínimus tráditur fuísse inter Apóstolos, & quem fides Christi vírginem repérerat, virgo permánsit; & ideò plus amátur à Dómino, & recúmbit super pectus Jesu: & quod Petrus, qui uxórem habúerat, interrogáre non audet, illum rogat ut intérroget: & post resurrectiónem, nuntiante Maríâ Magdaléne quòd Dóminus resurrexísset, uterque cucurrit ad sepulcrum; sed ille prævénit. Cumque essent in navi, & piscarentur in lacu Genézareth, Jesus stabat in líttore; nec sciébant Apóstoli quem vidérent: solus virgo vírginem agnóscit, & dicit Petro: Dóminus est. Est Joannes, & Apóstolus, & Evangelísta, & Prophéta: Apóstolus, quia scripsit ad Ecclésias ut magíster: Evangelísta, quia librum Evangélii cóndidit; quod, excepto Matthæo, álii ex duódecim Apóstolis non fecérunt: Prophéta, vidit enim in Pathmos ínsula, in qua fue-

rat à Domitiáno príncipe ob Dómini martyrium relegátus, Apocalypſim infinita futurórum myſtéria continentem. Refert autem Tertulliánus, quòd Romæ miſſus in ferventis ólei dólium, púrior & vegétior exíverit quam intráverit.

℟. Confortáre; quóniam * Tecum eſt Dóminus Deus tuus, allelúia, allel. ℣. Certa bonum certámen fidei, & apprehende vitam æternam. * Tecum. *Joſ.* 1. 1. *Tim.* 6.

Léctio ſancti Evangélii ſecundùm Marcum.

*Lectio iij.* Cap. 10.

IN illo témpore: Accédunt ad Jeſum Jacóbus & Joannes filii Zebedæi, dicentes: Magiſter, vólumus, ut quodcumque petiérimus, fácias nobis. At ille dixit eis: Quid vultis ut fáciam vobis; & dixérunt: Da nobis, ut unus ad déxteram tuam, & álius ad ſiniſtram tuam ſedeámus in glória tua. Et réliqua.

Homilia ſancti Joannis Chryſóſtomi.

*Hom. 66. in Matth.*

ZEbedæi filii ad Jeſum accedentes, de primo confeſſu alloquuntur. Nam quóniã propè Jerúſalem erant, credebantque regnũ Dei jamjam eventúrum, quod hujus vitæ ac ſeculáre opinabantur, hæc poſtulábant, ut ob honórem facíliùs étiam ómnia perícula poſſent evitáre; propterèà Chriſtus ab his eos cogitatiónibus abdúcens, perícula, ſánguinem, necemque ipſam expetendam eſſe jubet. Poteſtis, inquit, bíbere cálicem quem ipſe bibo? Nec turbétur quiſquam, ſi ádeò imperfectos dicimus Apóſtolos fuiſſe. Nondum enim myſtérium crucis erat conſummátum; nondum grátia Spíritûs in corda ipsórum infúſa. Quare ſi ſtúdia virtútis ipsórum diſcere cupis, quales poſt datam grátiam Spíritûs fúerint, considera; & vidébis omnem ab illis turbatiónem ánimi fuiſſe ſuperátam. Hac enim de cauſa eórum modò imperféctio revelátur, ut apertè percípere poſſis, quales súbitò per grátiam effecti fúerint.

℟. Jeſus ait Jacóbo & Joanni: * Poteſtis bíbere cálicem, quem ego bibo: aut baptiſmo quo ego baptízor, baptizári? At † Illi dixérunt ei: póſſumus. ℣. Abſit à nobis ut recedámus à Dómino, & ejus veſtígia relinquámus. * Poteſtis. Glória Patri. † Illi dixérunt. *Marc.* 10. *Joſ.* 22.

Te Deum.

AD LAUDES.

*Ant.* 2. D. EGo Joannes párticeps in tribulatióne, & regno, & patiéntia in Chriſto Jeſu, allelúia. *Apoc.* 1.

*Ant.* 1. a. Fui in ínſula Pathmos propter verbum Dei, & teſtimónium Jeſu, allelúia. *Apoc.* 1.

*Ant.* 5. a. Audívi vocem magnam tanquam tubæ, dicentis: Quod vides, ſcribe in libro; & mitte ſeptem Eccléſiis, allelúia. *Apoc.* 1.

*Ant.* 7. a. Dixit mihi Angelus: Oportet te íterum prophetáre géntibus, & pópulis, & linguis, & régibus multis, allelúia. *Apoc.* 10.

*Ant. 6.* Ego Joannes audívi & vidi hæc; & dicit mihi: Ne signáveris verba prophetiæ; tempus enim propè est, allelúia. *Apoc. 22.*

*Capitulum.* Apoc. 19.

CEcidi ante pedes Angeli, ut adorárem eum. Et dicit mihi: Vide ne féceris: consérvus tuus sum, & fratrum tuórum habéntium testimónium Jesu: Deum adóra. Testimónium enim Jesu est Spíritus prophetiæ.

*Hymnus.*

JUssu tyránni pro fide
Pulsus, Joannes, éxulas:
Fertur volátu líbero
Mens celsa supra sídera.
Illic revélat se tibi
Qui mórtuus vivit Deus,
Agnus salútis hóstia,
Et morte devicta leo.
Arcana te vatem docet
Regni sui mystéria:
Pandit cruóre Mártyrum
Ubique spargendam fidem.
Da, Christe, &c. 484.

℣. In terra deserta appárui tibi, Deus meus, ℟. Ut vidérem virtútem tuam & glóriam tuum. *Ps. 62.*

*Ad* Benedictus. *Ant. 1.* D. Dedit esus palam fácere servis suis quæ oportet fieri citò: & significávit mittens servo suo Joanni, qui testimónium perhíbuit verbo Dei, allelúia. *Apoc. 1.*

*Oratio.*

DEus, qui cónspicis quia nos úndique mala nostra perturbant: præsta, quæsumus, ut beáti Joannis Apóstoli tui & Evangelistæ confessio gloriósa nos prótegat; Per Dóminum.

AD PRIMAM.

*Ant.* Ego Joannes.

AD TERTIAM.

*Ant.* Fui.

*Capitulum.* Eccli. 51.

LIberásti me de perditióne & eripuísti me de témpore iníquo; propterèa confitébor, & laudem dicam tibi, & benedícam nómini Dómini.

℟. *br.* Loquébar de testimóniis tuis in conspéctu regum, * Allelúia, allelúia. Loquébar. ℣. Et non confundébar, * Allelúia. Glória. Loquébar. *Ps. 118.*

℣. Ecce lábia mea non prohibébo: ℟. Dómine, tu scísti. *Ps. 39.*

AD SEXTAM.

*Ant.* Audivi.

*Capitulum.* Is. 50.

DOminus érigit mihi aurem, ut áudiam quasi magístrum. Dóminus Deus apéruit mihi aurem; ego autem non contradico, retrorsum non ábii.

℟. *br.* Audiam quid loquátur in me Dóminus Deus, * Allelúia, allelúia. Audiam. ℣. Quóniam loquétur pacem in plebem suam, * Allelúia. Glória. Audiam. *Ps. 84.*

℣. Deus, docuísti me, & usque nunc pronuntiábo mirabília tua, ℟. Et usque in senectam & sénium. *Ps. 70.*

AD NONAM.

*Ant.* Ego Joannes audívi.

*Capitulum.* Sap. 7.

QUæcumque sunt absconsa & improvísa, dídici: ómnium enim ártifex dócuit me sapiéntia; est enim in illa spíritus intelligéntiæ sanctus.

℟. *br.* Introíbo in poténtias Dómini, * Allelúia, allelúia. Introíbo. ℣. Usque in altíssima quæ feciſti magnália, * Allelúia. Glória Patri. Introíbo. *Pſ.* 70.

℟. Ecce veritátem dilexiſti, Dómine; ℟. Incerta & occulta ſapiéntiæ tuæ manifeſtaſti mihi. *Pſ.* 50.

AD II. VESPERAS.

*Ant.* 1. D. QUod vídimus óculis noſtris, & manus noſtræ contrectavérunt de verbo vitæ, annuntiámus vobis; ut & vos ſocietátem habeátis nobiſcum, allelúia. 1. *Joan.* 1.

*Ant.* 8. G. Sit vobiſcum grátia, & pax à Deo Patre, & à Chriſto Jeſu Fílio Patris, in veritáte & caritáte, allelúia. 2. *Joan.* 3.

*Ant.* 4. a. Majórem non hábeo grátiam, quàm ut áudiam fílios meos in veritáte ambuláre, allelúia. 3. *Joan.* 4.

*Ant.* 6. Qui de mundo ſunt, de mundo loquuntur, & mundus eos audit: nos ex Deo ſumus, allelúia. 1. *Joan.* 4.

*Ant.* 7. *d.* Qui novit Deum, audit nos: in hoc cognóſcimus Spíritum veritátis, allelúia. 1. *Joan.* 4.

*Capitulum.* 1. Joan. 4.

QUiſquis confeſſus fúerit quóniam Jeſus eſt Fílius Dei, Deus in eo manet, & ipſe in Deo: & nos cognóvimus, & credídimus caritáti quam habet Deus in nobis.

*Hymnus.* Urbem. *ut in primis Veſperis.*

℣. Nomen Dómini invocávi: ℟. Erípuit ánimam meam de morte *Pſ.* 114.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 5. C. In hoc cognóvimus caritátem Dei, quóniam ille ánimam ſuam pro nobis póſuit: & nos debémus pro frátribus ánimas pónere, allelúia. 1. *Joan.* 3.

*Oratio, ut ſuprà ad Laudes.*

DIE IX.

In Feſto

SANCTI GREGORII NAZIANZENI,

Epiſcopi & Eccleſiæ Doctoris.

*Duplex II. Ordinis.*

*Omnia de Communi Doctorum, exceptis quæ ſequuntur.*

*Lectio ij.*

*Ex ejus Operibus & Boll.*

GRegórius, ob ſingulárem divinárum litterárum ſciéntiam Theólogus appellátus, Arianzi in Cappadócia ſecunda natus eſt, Gregório Patre qui Nazianzénæ Eccléſiæ deinde Epíſcopus fuit, & Nonnâ matre quæ nondum in lucem éditum Deo conſecrávit. Préſbyter à patre invítus licèt creátus eſt. Ne verò ab eódem Epíſcopus conſecrarétur, fugit in Ponti ſolitúdinem, ubi cum Basílio monáſticæ vitæ inſtitúta cóndidit. Imperante Juliáno, Nazianzum venit, ubi patrem nonagenárium, qui deceptus ab Ariánis confeſſióni Ariminenſi ſubſcripſerat, adduxit ut ſubſcriptiónem revocáret. Saſimórum Eccléſiæ à Basílio præfectus, ne cauſa eſſet diſſídii Basílium inter & Anthimum Tyanenſem Epíſcopum de Saſimórum óppido, epiſcopátu ceſſit. Conſtantinópolim ad reſtaurandam hujus civitátis Eccléſiam miſſus,

Arianos & Apollinaristas expugnávit. Immensis perfunctum labóribus Petrus Alexandrínus Constantinopolitanórum Epíscopum per epístolas instítuit. Convocatâ deinde Constantinopolitánâ Synodo, Gregórius stúdio pacis se ábdicans, dixit: Si vobis ullo modo disídii causa sum, Jonam Prophétam vitæ integritáte non súpero, projícite me in mare, & hæ tumúltuum procellæ conquiescent. Post hæc à Synodo discessit, & Nectárius substitútus est. Dehinc, cùm Nazianzum Præsule orbátam aliquándiu administrásset, rus secessit, ubi Mónachi vitam agens, gravíssimas carnis tentatiónes oratiónibus, jejúniis ac vigíliis superávit. Demum, Theodósio imperante, decessit; multis super ægros & energúmenos patrátis in vita miráculis.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

*Lectio iij.* Cap. 5.

IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Vos estis sal terræ. Quòd si sal evanúerit, in quo saliétur? ad níhilum valet ultrà, nisi ut mittátur foràs, & conculcétur ab homínibus. Vos estis lux mundi. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Nazianzéni Epíscopi.

*Orat. in Conc. Constant. habitâ quando Cathed. Episc. reliquit.*

HAbétis, ô viri, nostri in hanc urbem adventûs apológiam: quæ si laudem mereátur, Deo, & vobis quorum accítu huc veni, grátiam hábeo: sin autem spem vestram minùs implévi, sic quoque grátiam hábeo. Non enim omninò vituperanda est, ut mihi persuádeo, ac vobis id affirmántibus credo. Numquid pópulum hunc per avarítiam circumvénimus? Numquid privátis utilitátibus consulúimus, quemádmodum multos fácere vídeo? Numquid Eccléstam moléstiâ affécimus? Labórum præmium mihi date. Diuturnis labóribus me levâte, atque in réquiem vindicâte. Móveat vos hæc canities, flectat hospítii & peregrinatiónis rátio. Aliû subrogâte qui puris sit mánibus, qui ita ánimo comparátus, ut ómnibus in rebus vobis obsequi, curasque Ecclesiásticas simul perferre possit. Vidébit sibi Dóminus Pastórem ad præfectúram, quemádmodum ovem vidit ad holocaustum. Ego autem his verbis extrémum vos salutábo: Vale, Cáthedra, invidiósum hoc & periculósum fastígium. Vale, Trínitas, meditátio mea & decus meum. His, velim, servéris, & hos serves, pópulum hunc meum: meus enim est, etiamsi áliter gubernémur. Filioli, depósitum, quæso, custodíte.

*Oratio.* Omnípotens. xxiv.

DIE XI.

In Festo

S. MAMERTI, EPISCOPI.

*Simplex.*

*Pridiè VESP. de Psalter. A Capitulo de sancto Mamerto, ut in Communi sanctorum Pontificum.* xiij. *Oratio.* Cla-

mantes ad te, quæsumus, &c. *ut infra.*

*Commemoratio de Cruce*, 131.

*IN NOCT. Lectio j. & ij. de Scriptura occurrente, è tribus duæ.*

*Lectio iij.*

*Ex Sid. Apol. Avito, Greg. Turon. &c.*

MAmertus Hilari Papæ tempóribus circa annum quadringentésimum sexagésimum secundum Viennensis Episcopus, ipsâ resurrectiónis Domínicæ vigíliâ, deflagrante regális palátii arce, cùm cives facultátibus suis domibúsque metuentes ex Eccléfia discessíssent, ipse solus in ea remansit, & lácrymis & oratiónibus incéndium extinguere méruit. Sed jam ánteà ferè per anni spátium frequentes terræ motus plures ejusdem civitátis domos & basílicas concússerant, insóliti quoque sónitus nocturni, & lupi, ursi, & cervi per urbem obstrepentes exitiále quiddam ac ferále minitabantur. Quæ flagella, ut avérteret, eádem nocte, cívibus post extinctum incéndium ad Eccléfiam reversis, ánimo concépit instituere Litánias usitátis sanctióres. Has póstea indixit tríduo ante Ascensiónem celebrandas in jejúniis, compunctióne cordis & eleemósynis, ad quas universis fidelibus concurréntibus, coorta cessávit calámitas. Eas supplicatiónes mox totâ Gálliâ præscriptas & obsérvatas, Roma ipsa Leónis tértii auctoritáte amplexa est.

Mir. *Pars Verna.*

*Oratio.*

CLamantes ad te, quæsumus, Dómine, dignanter exaudi; ut sicut ad preces beáti Pontificis tui Mamerti pópulo in afflictióne pósito pepercísti, ita & nobis ejus intercessióne in omni tribulatióne succurras; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus, per ómnia sécula seculórum. ℟. Amen.

*Commem. de Cruce*, 126.

*VESPER. de Feria; à Capitulo de sequenti, ut in Communi Doctorum.* xx. *Oratio.* Excita. *ut infrà.*

*Commemoratio de Cruce*, 131.

DIE XII.

In Festo

SANCTI EPIPHANII,

Episcopi & Doctoris.

*Semiduplex.*

*Lectio ij.*

*Ex Sozom. lib. 61. cap. 32. & Hieron. Epist. 62. cap. 4.*

EPiphánius in território Eleutheropolitáno in Palæstína ortus, ab ineunte adolescéntia à præstantíssimis Monachis institútus est. Apud Ægyptios, Palæstínos, & Cyprios, & Mónachus, & Monachórum pater flóruit. A Cypriis electus est, ut Salaminæ (quæ tunc Constántia vocábatur,) totíus ínsulæ Metrópolis, onus Episcopále susciperet. Quâ ex re per universum orbem máximam nóminis celebritátem adeptus est. Ex antiquórum lectióne eruditiónem, ex pietáte zelum hábuit, quem facílius exercé-

*

bat, si quos veritáti repugnáre, vel nóverat vel suspicabátur; ita ut nec magno Chrysóstomo párceret, Theóphili calúmniis deceptus; sed si qua in his, ut homo peccávit, ardens hæc opéruit cáritas.

*Lectio iij.*

ITa fuit liberális in egénos, ut facultátibus absúmptis, ubi opus esse videbátur, Eccléſiæ bona impéndere non recusáret. Insigni vitæ conversatióne, atque étiam miráculis cláruit adhuc superstes. Fuit illi cum Athanásio, Basílio, Dámaso, Hilarióne familiáritas; cum Hierónymo summa conjúnctio, cujus Pauliniánum fratrem Presbyterum ordinávit, & hábuit. Móritur Arcádio príncipe, anno quadringentésimo tértio.

*Oratio.*

EXcita, Dómine, in Eccléſia tua Spíritum, quo beátus Epiphánius servívit; ut eódem nos replente, ſtudeámus amáre quod amávit, & ópere exercére quod dócuit; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte ejusdem Spíritus sancti Deus, per ómnia sécula séculórum. ℟. Amen.

*Fit Commemor. de Cruce, 126.*

DIE XIV.

In Festo

SANCTI PACHOMII, Abbatis.

*Simplex.*

*Pridiè VESP. de Feria; à Capitulo de Communi Abbatum.* xxxj. *Oratio.* Da nobis. xxxv.

*Fit Commemor. de Cruce, 131.*

*Lectio iij.*

*Ex Vitis Patrum.*

PAchómius in Thebáide natus parentes idolólatras hábuit. Christianórum erga milites benéficâ caritáte motus, Christi fidem & baptísmum susćépit, & Palæmonis disciplínæ se trádidit, ut cum eo vitam anachoréticam ágeret. Morabantur simul, texébant cilícia, & laborábant mánibus suis; vigíliis & continuis ferè jejúniis corpus affligébant. Pachómius legendis Scriptúris assíduus, eas memóriter dídicit. In vico Tabennensi habitatóribus vácuo Monastérium cóndidit, Regulamque ab Angelo accépit, ad quam discípulos instituéret. Per quíndecim annos ſtans, & in dorsum quidem parieti reclínans somnum cepit. Octo Monastéria Mónachis úndique ad illum accurréntibus ædificávit, præcípiens eis, ut habérent moderátum cibum, vilíssimam vestem, somnum étiam competentem. Validióribus validióra ópera, infirmióribus levióra imponébat. In solemnitátibus ex vicínis locis Presbyteros advocábat, qui sacra perágerent, & discípulis, sibique corpus & sánguinem Christi Dómini minístrarent. Nullum enim inter Mónachos qui clericátûs officio fungerétur admittébat. Constrúxit étiam Monastérium, in quo Vírgines Deo dicátæ Mónachos æmulabantur, prævià & imperante ipsius soróre. Pachó-

mius tandem labóribus & áspero vivendi génere confectus, ánimam Deo réddidit circa annum Christi trecentésimum quadragésimum octávum.

*Oratio.* Da nobis. xxxv.

*Fit Commem. de Cruce.* 126.

Die xvi.

In Festo

SANCTI GERMERII,

Epíscopi.

*Semiduplex.*

*Lectio ij.*

*Bolland. Perronet.*

Germérius à puerítia sanctitátis futúræ magna indícia præbuit. In Subdiáconū & deinde in Diáconum ordinátus, ómnium virtútum refulsit splendóre; vigíliis, jejúniis, eleemósynis, & oratiónibus perpétuo intentus. Nutu divíno Epíscopus Tolosánus Arísitæ quæ ad confínia Gálliæ Narbonensis olim fuit Episcopális sedes, consecrátus est. Cum verò inde Tolósam reverterétur, à Clodovéo primo, Francórum rege, in his pártibus tunc degente, accersitus est & honorificentíssimè exceptus, & ab eódem pretiósis munéribus magnóque fundo donátus.

*Lectio iij.*

Plúribus miráculis cláruit, idololatríæ relíquias subvertit, Eccléfiam in honórem sancti Saturníni dícitur construxísse & dicavísse. Sacrum ejus corpus in véteri Ecclésia Prioráli ejus nóminis Abbáti Lesatensi subdita olim delítuit, ut ex cartulário visitatiónis hujus Ecclésiæ anno millésimo quadringentésimo séptimo à Guillelmo Abbáte Lesatensi peractæ appáret. Inde verò ejus relíquiæ in Eccléfiam Parochiálem de Murello diœcésis Tolosánæ translátæ sunt, ubi religiósè asservantur. Nonnullæ étiam ejus reliquiárum partes, capsa argénteâ inclúsæ Tolósæ habéntur in Parochiáli beátæ Maríæ dealtátæ Eccléfia, & in solémnibus hujusce Eccléfiæ processiónibus solent circumferri.

*Oratio.* Deus, qui pópulis. xviij.

*Commem. de Cruce.* 126.

*IN VESPER. fit Commem. S. Joannis Nepomuceni, Presbyteri & Martyr. Ant.* Nemo. ℣. Justus. ij. *Oratio.* Deus, à quò. vj.

*Tum de Cruce,* 131.

Die xvii.

In Festo

SANCTI JOANNIS

Nepomuceni,

Presbyteri & Martyris.

*Simplex.*

*Lectio iij.*

*Bolland. &c.*

Joannes Nepomúci Bohémiæ óppido, unde Nepomucéni cognómen duxit, à paréntibus ætáte provectis ortus, Zatécii Philosóphiæ, Theológiæ, sacrorumque Cánonum magistérium & láuream eméruit. Sacerdos, initiátus, ac inter Canónicos Metropolitánæ Ecclésiæ Pragensis cooptátus, Evangélii corā rege Wenceslão quarto prædicandi munus summo cum fructu obívit. Joannæ reginæ consciéntiæ moderátor fuit. Cùm autem Wenceslāus in vítia præceps abriperétur, piæ-

que cónjugis obtestatiónes & mónita gravátè ferret, conténdere ausus est, ut in sacramentáli judício sacerdóti crédita reginæ arcána sibi à Joanne panderentur. At Dei minister blandítiis primùm, tormentis deinde, & cárceris squalóre tentátus, nefáriæ regis cupiditáti fórtiter óbstitit. Tandem regis império in flumen Moldávam Pragam intérfluens noctu dejectus, illústrem martyrii corónam est consecútus. Quem miráculis clarum Benedictus décimus tértius Póntifex máximus tanquam primum sacramentális sigilli assertórem, arcáni fidem sánguine obsignántem sanctórum mártyrum catálogo adscripsit.

*Oratio.* Deus, à quo. vj.

*Fit Commemorat. de Cruce.* 126.

Die xix.

In Festo

SANCTI CÆLESTINI,

Papæ.

*Semiduplex.*

*Pridiè VESP. de Feria; à Capitulo de Communi sanctorum Pontificum*, xiij. *Oratio.* Deus, qui pópulis. xviij.

*Fit Commem. S. Tvonis, Presbyteri, Ant.* De sacerdótibus. ℣. Sacerdótes. xxvj. *Oratio.* Deus. *ut infrà.*

*Deinde de Cruce.* 131.

*IN NOCTUR. Lectio j. de Scriptura occurrente; è tribus una.*

*Lectio ij.*

*Ex Petro Alliaco & aliis.*

Cælestínus quintus, Petrus de Murône ante Pontificátum appellátus, piis parén-

tibus ex Apúlia oriundus, à téneris annis deserta pétiit. Tanta fuit ejus vitæ aspéritas, ut dies ferè nocteíque ánimum oratiónibus & legendo Psaltério intènderet, & jejúniis, labóre mánuum ac cilício, adhíbitâ étiam caténâ férreâ córpus domáret. Cùmque multi ad eum, tantæ sanctitátis famâ permóti, confluerent, Congregatiónem Cæléstinórum sub régula sancti Benedicti, statútis étiam arctióribus ádditis, instituit. Post mortem Nicolái quarti, cùm Sedes Apostólica biénnio & ámpliùs vacásset, ad Pontificátum promótus est; cui se dignitáti ímparem exístimans, post sex circiter menses eam abdicávit, ut rerum divinárum contemplatióni libériùs vacáret. Cum deserta repéteret, detentus & in custódiam missus, patiéntiæ corónam felíci morte proméruit, anno ætátis octogésimo-quarto, quem miráculis conspícuum Clemens quintus Sanctórum número adscripsit.

*De S. Tvone, Presbytero.*

*Lectio iij.*

*Ex Processu Canoniz. apud Bollandum.*

Yvo in Diœcési Trecorensi nobílibus paréntibus natus, Lutétiæ Parisiórum, deinde Aurélliæ lítteris óperam dedit. Judex Ecclesiásticus ab Archidiácono Rhedonensi primum est constitútus, deinde étiam à duóbus Trecorénsibus Episcopis Aláno scílicet & Gaufrédo; quod munus, ut rerum divinárum contemplatióni & cáritátis officiis libé-

riùs

riùs vacáret, abdicávit. Dúplicem Parochíam rexit, unam per octo annos, álteram per annos decem. Singulári in páuperes, víduas & órphanos caritáte enítuit, eorumque perpétuus fuit patrónus vigilantíssimus & indefessus. Oratióni assíduè vacábat sicut & verbi Dei prædicatióni. Cum Aureliánis versarétur, cœpit à cárnibus & vino abstinére; quod per totum vitæ tempus obsérvávit, sæpiùs pane solo contentus. Ejus domus públicum erat páuperum hospítium, in quorum usus quidquid sibi erat, expendébat. Aliquando bis & ter in die conciónes hábuit ad pópulum. Nunquam verò ad concionandũ accedébat, quin priùs preces ad Deum fudísset, sæpiùs étiam lácrymis obortis; multóties quoque inter concionandum flere vísus. Tanta in eo erat dicendi vis, ut ipseSpíritus sanctus loquenti verba suggérere viderétur. Multa miracula per ipsum Deus operátus est. Pridiè quàm morerétur extrémam unctiónem máxima cum reverántia suscépit, strámine jacens. Obdormívit in Dómino ætátis suæ anno circiter quinquagésimo. Quátuor ab hinc annis super quadraginta à Clemente sexto, instante Philippo Valésio, inter Sanctos solémniter est relátus, anno Dómini millésimo trecentésimo quadragésimo séptimo.

*Oratio.* Deus, qui pópulis. xviij.

*AD LAUD. Commemor. de sancto Yvone, Ant.* Ubi sum. ℣. Sacerdótes. xxix.

Mir. *Pars Verna.*

*Oratio.*

Deus, qui beátum Yvónem presbyterum miséricórdiæ viscéribus implevísti; præsta, quæsumus, ut quem páuperum patrem tuâ grátiâ effeciſti, benignum apud te júgiter habeámus intercessórem; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus, per ómnia sécula seculórum.

℟. Amen.

*Deinde de Cruce.* 126.

Die xxiv.

In Festo

S. FRANCISCI REGIS, Presbyteri.

*Semiduplex.*

*Oratio.* Deus, qui in Eccléſiæ. xxix.

*Commemor. de Cruce*, 131.

*Lectio ij.*

Joannes Franciscus Regis nóbili génere, prope Carcassónam natus, in oppídulo Narbonensis Gálliæ, cui nomen Fons-coopertus, exímiæ sanctitátis à téneris annis indícia præbuit. Societátem Jesu ingressus Tolósæ anno ætátis décimo nono, ómnibus excélluit vitæ religiósæ virtútibus. Absolútis stúdiis totum se procurandæ animárum salúti pénitùs devóvit. Velaunórum & Forénsium montes, & ingentes Helviórum tractus, eorumque colónos barbárie intractábiles suscépit excolendos, eo successu, ut innumerábiles hómines aut Calviniánâ lue infectos, aut pérditis móribus corruptos, ad fidem cathólicam, &

ad Christiánam pietátem tradúxerit.

*Lectio iij.*

CAmpéstribus missiónibus hyberno témpore perfunctus, æstívo revertebátur Anícium; ibíque per nosocómia in ægrotórum ministériis, sustentandísque paupéribus strénuam exhibébat óperam. Grassante peste infírmos eo morbo laborántes sédulò invísens, ardenti caritáte reficiébat. Erga álios blandus, in se ipse sæviébat acérrimè. Somnum humi carpens, semper abstémius, vili cibo victitans, divíno amóre sic erat incensus, ut illum unum spiráre, loqui, cogitáre vidérétur. Tandem miráculis clarus, in Viennensis Diœcésis pago, cui nomen est Lalovescus, spíritum Creatóri réddidit anno milléfimo sexcentésimo quadragésimo, vitæ suæ quadragésimo quarto.

*Orat.* Deus, qui in. xxix.

*Commem. de Cruce*, 131.

Die xxvi.

In Festo

S. PHILIPPI NERII,

Presbyteri.

*Simplex.*

*Pridiè VESP. de Psalterio; & Capitulo de Communi SS. Presbyterorum*, xxv. *exceptis quæ sequuntur. Oratio.* Deus, qui in Ecclésiæ. xxix.

*Commem. de Cruce*, 131.

*AD NOCT. Lectiones duæ priores de Scriptura occurrente; & tribus una.*

*Lectio iij.*

PHilippus Nérius, piis, honestísque paréntibus Florentiæ natus, Romæ Philosophia ac sacris litteris erudítus totum se Christo dicávit. Eâ fuit abstinéntia, ut sæpè jejúnus tríduum permánserit. Sacerdos ex obediéntia factus, in animárum salúte procuranda totus fuit, & in confessiónibus audiendis ad extrémam usque diem perseverans, innúmeros penè filios Christi péperit: quos verbi Dei quotidiáno pábulo, Sacramentórum frequéntia, oratiónis assiduitáte aliísque piis exercitatiónibus enutríri cúpiens Oratórii Congregatiónem instituit. Charitáte Dei vulnerátus languébat júgiter: tantóque cor ejus æstuábat ardóre, ut cum intra fines suos contíneri non posset, illíus sinum, confractis atque elátis duábus costulis, mirabíliter Dóminus ampliáverit. Sacrum fáciens aut ferventius orans, in áera quandóque sublátus, mira úndique luce fulgére visus est. Egénos & páuperes omni caritátis officio prosequebátur. Humilitáti addictus, ab honóribus semper abhórruit, atque Ecclesiásticas dignitátes étiam primárias, non semel ultro delátas, constantíssime recusávit. Prophétiæ dono fuit illustris. Virginitátem perpétuo illibátam servávit. Abséntibus interdum appáruit, iisque periclitántibus opem tulit. Ægrótos plúrimos & morti próximos sanitáti restituit. Mórtuum quoque ad vitam revocávit. Anno salútis milléfimo quingentésimo nonagésimo-quinto, octávo Kalendas Júnias, quâ prædíxerat horâ, octogenárius obdormí-

vit in Dómino. Quem Gregórius décimus-quintus miráculis clarum, in sanctórum número rétulit.

*Oratio.* Deus, qui in Eccléſiæ. xxix.

*Fit Commemor. de Cruce.* 126.

Die xxviii.

In Feſto

SANCTI GUILLELMI, Monachi.

*Semiduplex.*

*Pridiè VESP. de Feria; à Capitulo de Communi SS. Monachorum.* xxj. *Oratio.* Da nobis. *ut infrà.*

*Fit Commem. S. Germani, Epiſcopi. Ant.* Elégit. ℣. Beátus. xiv. *Oratio.* Deus, sanctórum tuórum. *ut infrà.*

*Deinde de Cruce.*

*AD NOCTUR. Lectio j. de Scriptura occurrente; tribus in unam junctis.*

*Lectio ij.*

*Ex vita S. Guillelmi.*

Guillelmus, patre Theodoríco Cómite, & matre Abdóna natus, ſub Cárolo magno Aulæ militiæque mancipátus, primæ cohortis ſortítus eſt principátum. Deinde cùm in tractandis rebus béllicis egrégiam ſibi laudem comparaſſet, ab eódem Imperatóre, Aquitaniæ Dux, Comeſque Tolosánus renunciátus eſt. Tùm, victis ſæpiùs bárbaris, dilatatóque império Chriſtiáno, & pace conſtitúta; ſub diſciplína ſancti Benedicti Anianenſis, totum ſe dedit opéribus juſtitiæ, pietátis ac miſericórdiæ. Nec multò poſt Monaſtérium ædificári curávit in valle Gellonenſi Diœcéſis Lodovenſis, ſcópulis & móntibus aſpérrimâ, quod nunc ſancti Guillelmi in erémo nuncupátur. In aulam póſteà ab imperatóre vocátus, hinc brevi diſcedendi licéntiam impetrávit; pergenſque ad ſanctum Benedictum, moram nullam fieri paſſus, hábitu monacháli indúitur in Gellonenſi monaſtério, quod quidem jam ántea amplis à ſe reditibus donátum fúerat. Ibi ómnium deinceps virtútum ſplendóre, ac potiſſimum humilitátis laude antecélluit; continuæ vacans oratióni, jejúniis impénſiùs fávens, ac ſæpè noctes ſólitus inſomnes dúcere. Demum méritis plenus, prænuntiáto mortis die, obdormívit in Dómino quinto Calendas Júnii, anno octogentéſimo duodécimo. Ejus corpus in oratório ſancti Michaélis quod ipſe conſtrúxerat, primò ſepultum, deinde in majórem monaſtérii Gellónenſis Basilicam tranſlátum, ſub altári cónditum eſt, ubi etiamnum quieſcit.

*De S. Germano, Epiſcopo.*

*Lectio iij.*

*Venant. Fortunat. Pict. Epiſc. ſecul.* 1. *Bened.*

Germánus apud Æduos natus Préſbyter primùm, & Monaſtérii ſancti Symphoriáni Æduenſis Abbas, morum ſanctitáte ad Epiſcopátum Pariſienſis Eccléſiæ aſſumptus eſt. Nihil ibi remíſit de vitæ auſteritáte, quam in Monaſtério égerat. Mira erat ejus in páuperes, máximè vero in ſervos captivoſque redimen-

dos beneficéntia, & Childeberto regi tam probáta, ut ex régio ærário ad pias largitiónes ingentem ei pecúniam submínistráret. Caribertum unum è Francis régibus qui uxóris sorórem dúxerat, sacris interdixit. Sigebertum per lítteras à cæde Chilperici fratris deterrére conátus est, & suis mónitis reluctantem brevi moritúrum prædixit. In Synodo Bituricensi plúrimos Judæos Christo lucrátus est. Sedit in Concílio Parisiensi tértio & quarto, & Turonensi secundo. Aliquot ante tránsitum diébus hæc verba, Quinto Calendas Júnias: ad lectum suum scribi vóluit; quâ die óbiit.

*Oratio.*

DA nobis, quæsumus, Dómine, beátum confessórem tuum Guillelmum imitári; ut seculáribus expediti negótiis, donis cœléstibus te largiente ditémur; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat.

*AD LAUD. pro Commem. S. Germani, Ant.* Ego sum. ℣. Elégit. xviij.

*Oratio.*

DEus, Sanctórum tuórum splendor mirábilis, qui hunc diem beáti Germáni Pontíficis depositióne consecrásti: da Eccléstæ tuæ in ejus natalítio exultanti, ut apud misericórdiam tuam exemplis ejus protegátur & méritis; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum; qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus, per ómnia sécula seculórum.

℟. Amen.

*Commem. de Cruce.*

# FESTA JUNII.

Die 11.

In Festo SS. Martyrum POTHINI EPISCOPI, Blandinæ Virginis, & Sociórum.

*Semiduplex.*

*Omnia de Communi plurium Martyrum*, viij. *additis quæ sequuntur.*

*Oratio.* Mártyrum. *ut infrà.*

*IN I. VESP. fit Commem. SS. Marcellini & Petri, Marzyrum. Ant.* Beáti. ℣. Eruet. xij. *Oratio.* Deus, invisíbilis. *ut infrà.*

*Lectio prima de Scriptura occurrente, è tribus fit una.*

Ex Epístola Eccleśiárum Viennensis & Lugdunensis ad Eccléśias Asiæ & Phrygiæ. *Euseb. Hist. Eccles. L. 5. C. 1.*

*Lectio ij.*

Beatíssimus Pothínus, Eccléśiæ Lugdunensis Epíscopus, nonagenário major, ob córporis infirmitátem vix spíritum trahens, sed præ cupiditáte martyrii mirâ alacritáte ánimi firmátus, ad tribúnal trahebátur. Quo perlátus, prosequéntibus ipsum Magistrátibus civitátis, & universâ plebe váriis eum clamóribus impetente, tanquam ipse Christus esset, egrégium édidit testimónium. Interrogátus à Præside quisnam esset Christianórum Deus, respondit: Si dignus fúeris, cognosces. Post hæc inhumánè raptátus & innúmeris plagis affectus est; cum ii quidem qui própius astábant, cálcibus & pugnis illum contumelióse appéterent; qui verò lóngius distábant, quidquid ad manum erat in ipsum conjícerent; omnes dénique gravíssimi piáculi reos se existimárent, nisi pro sua quisque parte ei petulanter insultárent. Quippe hoc modo injúriam deórum suórum ultúros se arbitrabantur. Exinde vix adhuc spírans, in cárcerem projectus est; tandemque post bíduum ánimam exhalávit. Matúrus verò neóphytus, & Sanctus Diáconus Viennensis cum Blandína ancilla, & Attalo, ducti sunt ad béstias in amphitheátrum. Et Matúrus quidem ac Sanctus consuéta illic flagrórum vérbera pertulérunt, & bestiárum ipsos trahéntium morsus, ipsam postrémò férream cáthedram; cui superpósita Mártyrum membra cùm torrerentur, illórum nares molestíssimus nidor implébat. Hi ergo máximo certámine perfuncti, tandem jugulati sunt. Blandina autem ad palum suspensa, béstiis objecta est. Quæ cùm in crucis spéciem suspensa cernerétur, Deoque intentíssimè supplicáret, máximam alacritátem addébat certántibus; quippe qui sub soróris persóna cérnerent illum

qui pro ipsis crucifixus est. Cumque nulla tunc béstia corpus ejus attigisset, depósita ex stípite, rursus in cárcerem conjícitur, in áliud certámen reservàta.

*Lectio iij.*

ATtalus quoque cum per amphitheátrum circumducerétur, præcedente eum tabellâ, in qua Latíno sermóne scriptum erat: Hic est Attalus Christiánus; præses postquàm civem Románum eum esse cómperit, redúci in custódiam jubet, litteris ad Cæsarem datis de his qui inclúsi tenebantur. Ineunte ígitur solemni apud nos mercátu, Præses addúci jubet Mártyres ad tribúnal, tanquam in theatráli pompa eos pópulis ostentans. Cùmque illos dénuò interrogásset, quicumque cives Románi reperti sunt, cápite truncávit; réliquos trádidit béstiis. Cæterùm ingens glória accessit Christo per eos qui priùs quidem negáverant, tunc verò confitebantur fidem. Quibus exámini subjectis, Alexander natióne Phryx, professióne médicus, plures jam annos moràtus in Gálliis cum illos ad fidei confessiónem nútibus hortarétur, cunctis qui tribúnal circúmdabant, tanquam partúriens videbátur. Instans illicò Præses interrogávit eum quis esset. Qui cùm Christiánum se esse dixisset, irátus judex eum ad béstias damnávit. Postridie igitur unà cum Attalo ingressus est; nam & hunc Præses béstiis iterùm tradiderat. Ambo ítaque cùm ómnia tormentórum génera in amphitheátro sustinuíssent, gládio percussi sunt. Ultimo tandem spectaculórum die, Blandína rursus illáta est, unà cum Póntico adolescente quíndecim circiter annos nato. Et Pónticus quidem cuncta supplícia generósè perpessus, emísit spíritum. Beata verò Blandína post flagra, post béstias, post sartáginem, reticulo inclúsa, tauro objecta est, à quo diu in altum jactáta, tandem & ipsa instar victimæ jugulàta est. ¶ Item hâc ipsâ die, Diocletiáno & Maximiáno in Christiános sæviéntibus, pro Christi fide cápite truncáti sunt Marcellínus Ecclésiæ Románæ Presbyter, & Petrus Exorcista, quorum laudes célebrat in cármine à se scripto sanctus Dámasus Papa, & quotídie nomen in altáris sacrifício commemorátur.

*Oratio.*

MArtyrum tuórum Pothíni Pontíficis, Blandínæ vírginis, & Sociórum solémnia recensentes; súpplices te, Dómine, deprecámur, ut in caritáte radicáti & fundáti, passiónes hujus témporis, amóre illíus glóriæ quæ revelanda est in nobis invícto ánimo sustinére valeámus; Per Dóminum nostrum Jesum

*Fit Commem. SS. Marcellini & Petri. Ant.* Datæ sunt. ℣. In æternum. xiij.

*Oratio.*

DEus, invisíbilis fortitúdo certántium, adesto, quæsumus nobis supplicántibus, ut qui hodierna die sanctórum Mártyrum tuórum Petri & Marcellíni gloriósum

triumphum recólimus, eórum méritis ac précibus contra ſpirituália nequítiæ muniámur. (Per.)

*Fit Commemor. de Cruce.* 126.

*IN VESP. Commem. S. Clotildis. Ant.* Sanctificátus eſt vir infidélis per mulíerem fidélem, allelúia. 1. *Cor.* 7.

℣. Anima ejus in bonis demorábitur, ℟. Et ſemen ejus hæreditábit terram. *Pſ.* 24.

*Oratio.* Reſpice, quæſumus, Dómine, ad Francórum, &c. *ut infrà.*

DIE III.

In Feſto

SANCTÆ CLOTILDIS, Reginæ.

*Simplex.*

*Lectio iij.*

*Ex Gregor. Turon. & aliis ſcriptor. apud Ducheſne.*

CLotildis Chilperici filia Clodovéo adhuc éthnico in conjúgium data, primogénitum Ingómerem baptizári juſſit. Cùm autem infantis in Albis defuncti mortem baptiſmo tribúeret Clodovéus, gráviter Clotildem objurgávit. At illa: Deo, inquit, omnipotenti creatóri ómnium grátias ago, qui me non uſquequáque judicávit indignam, ut de útero meo génitum regno ſuo aſciret. Alterum quoque filium Clodómerem baptizári curávit, quo páriter ægrotante, irátus eſt rex: ſed matris précibus conváluit. Clotildis, quæ matrimónio conſénſerat, eâ lege, ut abjectâ idololatriâ, verum Deum cóleret Clodovéus, non ceſsábat hortári príncipem, ut ſtaret promiſſis, ejuſque converſiónem ad fidem enixè poſtulábat à Deo. At rex Francórum rem protraxit, donec in expeditióne Allemánnica inclinátam cernens ſuórum ácies, imploráto Chriſti auxílio, ſeſe voto aſtrinxit ad ſuſcipiendam veri Dei Religiónem, ſi victóriam de hóſtibus reportáret. Regína de rebus geſtis cértior facta, Regi læta occurrit apud Remos, & advocávit ſanctum Remígium civitátis hujus Antiſtitem, à quo prínceps fidem edoctus baptizátus eſt, & Chriſmate ſacro inunctus. Poſt Clodovéi mortem, Turónes pétiit Clotildis, ibíque ad ſancti Martíni ſepulchrum piis opéribus intenta réliquũ vitæ tempus exégit. Clodómeris in bello Burgúndico occíſi filios nepótes ſuos, Theobáldum, Guntárium, & Clodoaldum educávit: ac tandem plena diérum Turónis migrávit ad Dóminum, & Paríſios tranſláta ſepulta eſt à filiis Childeberto & Clotário régibus ad latus Clodovéi in ſacrário baſilicæ ſancti Petri, nunc ſanctæ Genovéfæ.

*Ad* Benedictus. *Ant. 6.* F. Cùm invocaſſet ómnium rectórem & Salvatórem Deum, convertit Deus ſpíritum regis. *Eſther* 15.

*Oratio.*

REſpice, quæſumus, Dómine, ad Francórum benignus Impérium: & quibus per devótam ſanctæ Clotildis inſtántiam donum fídei contuliſti, iiſdem nunc per ejus interceſſiónem tríbue ſincé-

rum christiánæ pietátis affectum; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spiritûs sancti Deus, per ómnia sécula seculórum.

*Fit Comm. de Cruce.*

DIE VI.

In Festo

SANCTI NORBERTI,

Episcopi.

*Semiduplex.*

*Lectio ij.*

*Ex Bolland.*

NOrbertus Sanctis, Clíviæ óppido, in Diœcési Colonienſi, nóbili prosápiâ ortus, cùm à prima ætáte Clero nomen dedisset, statim atque idóneos annos áttigit, Subdiáconus média in aulâ, necdum formátis ad gravitátem Ecclesiásticam móribus, ordinátus est. Sed in tempestáte deprehensus, & ictu fúlminis ex equo dejectus, toto ánimo *ad Deum* conversus est. Tum relictâ Imperatóris aulâ, & majóribus quos háctenus suscípere distúlerat ordínibus initiátus, verbi Dei prædicatiónem ferventi zelo aggredi cœpit. De quo tamen postèa véritus, ne quid illegítimè à se præsumptum esset quòd uno die sacros diaconátûs & presbytérii Ordines contra Cánones accepisset, à Geláſio Papa secundo, ignorántiam confessus, véniam pétiit, & regulárem demum Evangélici múneris confirmatiónem obtínuit. Abdicátis beneficiis ecclesiásticis quibus abundábat, & património paupéribus erogáto, austeriórem vitam amplexus est. Innúmeros hæréticos ad fidem, peccatóres ad pœniténtiam, dissidentes ad concórdiam révocávit. Cùm esset Laudúni, à Bartholomæo Episcopo rogátus ne ab ipsíus Diœcési discéderet, desertum in ea locum qui Præmonstrátus dicebátur, sibi delégit; ex quo totus Ordo, quem ibi sub régula sancti Augustíni instítuit, nomen accépit.

*Lectio iij.*

SAcramentáriam & Adamíticam Tanchelíni hæresim Antuérpiæ grassántem, eò vocátus, profligávit: & qui multò antè oblátum sibi Cameracensem Episcopátum recusáverat, ad Magdeburgensem Archiepiscopátum postèa raptus, Ecclesiásticam disciplínam, præsertimque sacrórum minístrórum cœlibátum constanter propugnávit. Remis in Concílio Innocéntium secundum egrégiè adjúvit; & Romam cum áliis Episcopis profectus, schisma Petri Leónis compressit, Innocéntio suæ Sedi réddito. Exactis in Pontificátu annis ferè octo, ábiit ad Dóminum anno millésimo centésimo trigésimo quarto, huncque Gregórius décimus-tértius anno millésimo quingentésimo octogésimo secundo in Sanctórum órdinem rétulit.

*Oratio.*

DA Ecclésiæ tuæ, miséricors Deus, ut mérita sancti Episcopi Norberti pietátem tuam pro ipsa semper exórent, & fructum in nobis labórum ejus custódiant; Per.

*Commem. de Cruce.*

Die xi.

In Festo

SANCTI BARNABÆ,

Apostoli.

*Duplex I. Ordinis.*

*Pridiè AD VESP. pro ejus Commemor. Ant.* Joseph, qui cognominátus est Bárnabas ab Apóstolis, cum habéret agrum, véndidit eum, & attulit prétium, & pósuit ante pedes Apostolórum, allelúia. *Act.* 4.

℣. Beátus qui intélligit super egénum & páuperem: ℟. In die mala liberábit eum Dóminus. *Ps.* 40.

*Oratio, ut infrà ad Laudes.*

AD NOCTURNUM.

*Invit.* Caput córporis Eccléſiæ Dóminum, * Veníte, adorémus, allelúia. *Coloss.* 1. *Ps.* 94. Veníte. 2.

*Hymnus.*

Cœlo datur quiéscere,
Terris relictis, Bárnaba:
Solemnis hæc affert tuis
Finem dies labóribus.

Quem propter, agro véndito,
Opes caducas déseris,
Magno rependens fœnore
En fundus ipse fit tuus.

Tu sacra per jejúnia,
Tu públicas inter preces,
Jubente sancto Spíritu,
Christi creáris núntius.

Quas non adis mundi plagas,
Pauli labórum párticeps!
Vos unus ambo Spíritus,
Vos una junxit cáritas.

Quam vestra gens Christi fidem
Luci rebellis réppulit,
Nil hæsitantes bárbaris
Portastis illam géntibus.

Fac, Christe, nostris se tuum
Cùm lumen offert méntibus,
Amóre ne noctis suæ
Cœleste donum réspuant.

Da, Christe, nos tecum mori;
Tecum simul da súrgere:
Terréna da contémnere;
Amáre da cœléstia.

Qui Patris ad dextram sedes
Jesu, tibi sit glória
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.

*Psalmi de Feria, & sic in toto Officio.*

*Ant.* 3. c. Bárnabas apprehensum Saulum duxit ad Apóstolos, & narrávit illis quómodò in via vidísset Dóminum, & quia locútus est ei, allelúia. *Act.* 9.

*Ant.* 2. D. Erant in Eccléſia quæ erat Antiochíæ, Prophétæ & Doctóres, in quibus Bárnabas & Saulus, allelúia. *Act.* 13.

*Ant.* 5. a. Bárnabas & Paulus, excusso púlvere pedum, venérunt Icónium; & illíc fiduciáliter agébant in Dómino, testimónium perhibente verbo grátiæ suæ, allelúia. *Act.* 13. & 14.

℣. Nimis honorificáti sunt amíci tui, Deus; ℟. Nimis confortátus est principátus eórum. *Ps.* 138.

*Lectio j. de Scriptura occurrente; è tribus fit una.*

℟. Bárnabas hortabátur omnes in propósito cordis permanére in Dómino; * Quia

erat vir bonus, & plenus Spíritu sancto & fide, allelúia, allelúia. ℣. Mónita salútis dabat eis, & consolabátur eos; * Quia erit vir bonus. *Act.* 11. *Tob.* 1.

Ex Commentário sancti Joannis Chrysóstomi in Acta Apostolórum.

*Homil.* 28. & 30. *Cap.* 13.

*Lectio ij.*

BArnabas & Saulus ordináti simul exiérunt; & cùm veníssent Salamínam, prædicábant verbum Dei in Metrópoli Cypri. Per annum mansérunt Antiochíæ. Oportébat illò abíre, nec semper hìc sedére. Ut venérunt ad metrópolim ínsulæ, Procónsulem emendáre studébant. Et statim credit Proconsul, non simpliciter, sed obstupescens. Vidit enim non hìc verba dari, neque fallácijs rem agi. Vide quantum doctrínæ amórem hábuit. Rursus Pergen venientes, prætercurrunt álias civitátes. Secúti sunt autem eos multi Judæórum & pii ádvenæ, quos allocúti, persuadébant eis ut manérent in grátia Dei. Videntes autem turbas Judæi, repléti sunt zelo, contradicentes ac blasphemantes. Hoc ipsos clarióres reddébat, quòd illi contradícerent. Tunc constanter Paulus & Bárnabas dixérunt: Vobis oportébat primùm loqui verbum Dei: sed quóniam repéllitis illud, & indignos vos judicátis æternâ vitâ, ecce convértimur ad Gentes. Nec dixit, Indigni estis; sed, Indignos vos judicátis, ut non onerósus sermo esset. Quia verò repulístis illud, inquit, non nos, (non enìm in nos contumélia vestra vértitur) convértimur ad Gentes. Multâ plenum mansuetúdine hoc verbum. Non dicunt, Derelínquimus vos, intuentes fieri posse ut reverterentur. Judæi verò concitárunt mulíeres religiósas: & persecutióne excitavére, id est, calumniáti sunt Apóstolos, de míllibus eos accusántes. Vidérunt ímpetum, & confugérunt ad civitátes Lycaóniæ, Lystram & Derben, & universam in circúitu regiónem. Vide Géntium simplicitátem, & Judæórum nequítiam. Opéribus declarábant Gentíles, se dignos esse qui audírent: sicque illos ob sola signa honorábant. Et vocábant, inquit, Bárnabam Jovem, Paulum verò Mercúrium. Mihi vidétur venerábilis aspectu fuísse Bárnabas: tentátio verò non módica ex immoderáto illo stúdio pródiit; verùm étiam hinc Apostolórum virtus osténditur. Et vide quómodò ómnia ubíque Deo réferant. Hos & nos imitémur: nihil nostrum esse putémus, quando nec ipsa quidem fides nostra est.

℣. Proconsul Sérgius Paulus, accersítis Bárnabâ & Saulo, desiderábat audíre verbum Dei: sed * Resistébat illis Elymas magus, & cécidit in eum calígo. Proconsul autem cùm vidísset factum, crédidit, admirans super doctrína Dómini, allelúia, allelúia. ℣. Pósuit Dóminus in eis verba signórum suórum, & prodigiórum in terra. * Resistébat. *Actor.* 13. *Ps.* 104.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

*Lectio iij.* Cap. 10.

IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum. Et réliqua.

Homília sancti Joannis Chrysóstomi.

*In Matth. Homil.* 34. *num.* 1.

POstquàm Dóminus omnem curam à discípulórum ánimis ejécerat, ac signórum spectáculo munierat, & quasi férreos adamantinosque reddíderat, seculáribus ómnibus superióres, & ab omni temporánea sollicitúdine liberátos; demum illa prædícit mala quæ ipsos invasúra erant, non solùm ea quæ paulò pòst futúra, sed étiam ea quæ pòst multum témporis erant eventúra, diu ante illos ad bellum præparans contra diábolum suscipiendum. Multa enim hinc bona emergébant. Primò, quòd ipsius præsciéntiæ vim agnóscerent; secundò, quòd nemo suspicári posset hæc mala ob doctóris imbecillitátem evenire; tértiò, ne ii qui hæc passúri erant, percellerentur, si hæc inexpectáta & præter spem accidíssent; quartò, ne hæc crucis témpore audientes turbarentur.

℟. Repléti zelo Judæi contradicébant his quæ dicebantur, blasphemantes. * Tunc constanter Paulus & Bárnabas dixérunt: Vobis oportébat primùm loqui verbum Dei; sed quóniam repéllitis illud, & indignos vos judicátis æternæ vitæ, ecce convértimur ad Gentes, allelúia, allelúia. ℣. Dedérunt húmerum recedentem, & cervícem suam induravérunt, nec audiérunt; * Tunc. Glória Patri. * Tunc. *Act.* 13. 2. *Esdr.* 9.

Te Deum.

AD LAUDES.

*Ant.* 7. d. BArnabas & Paulus, cùm constituíssent per síngulas Eccléstas Presbyteros, & oraíssent cum jejuniónibus, commendavérunt eos Dómino, in quem credidérunt, allelúia. *Act.* 14.

*Ant.* 8. c. Cùm veníssent Antiochíam, unde erant tráditi grátiæ Dei, in opus quod complevérunt, retulérunt quanta feciíssent Deus cum illis, & quia aperuíssent Géntibus óstium fidei, allelúia. *Actor.* 14.

*Ant.* 6. Descendentes quidam de Judæa, docébant: Quia nisi circumcidámini, non potestis salvári, allelúia. *Act.* 15.

*Ant.* 1. a. Statútum est ut ascénderent Paulus & Bárnabas ad Apóstolos: illi ergo deducti ab Eccléfia, pertransibant narrantes conversiónem Géntium, allelúia. *Act.* 15.

*Ant.* 4. d. Cùm veníssent Jerosólymam, suscepti sunt ab Eccléfia, & ab Apóstolis, & à senióribus, annuntiantes quanta Deus feciíssent cum illis, allelúia. *Act.* 15.

*Capitulum.* Act. 15.

TAcuit omnis multitúdo, & audiébant Bárnabam & Paulum, narrantes quanta Deus feciíssent signa & prodigia in Géntibus per eos.

*Hymnus.*

QUEM misit in terras Deus,
Ut morte nos servet suâ,
Amóris hîc fidos sui,
Vos éligit vicários.

OCCISUS Agnus à lupis
Vos misit agnos ad lupos.
Mores ferínos éxuunt,
Agni repentè de lupis.

QUÆ victimárum cædibus
Tellus madébat ímpiis,
Vestris eam sudóribus,
Vestro piastis sánguine.

HOC rore facta pínguior,
Quot illa fructus prótulit!
Quæ, quanta surrexit seges?
Et ista nos seges sumus.

QUAM si bonus respéxeris,
Qui das rigátis créscere,
Frumenta nos cœléstibus
Matúra condes hórreis.

DA, Christe, nos tecum mori;
Tecum simul da súrgere:
Terréna da contémnere;
Amáre da cœléstia.

QUI Patris ad dextram sedes,
Jesu, tibi sit glória
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.

℣. Annúntient nomen Dómini, & laudem ejus in Jerúsalem, ℟. In conveniendo pópulos in unum. *Ps.* 101.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 1. D. Jacóbus, Cephas & Joannes dextras dedérunt mihi & Bárnabæ societátis; ut nos in Gentes, ipsi autem in circumcisiónem: tantùm ut páuperum mémores essémus, alleluia. *Gal.* 2.

*Oratio.*

DEus, qui beátum Bárnabam, plenum fide & Spíritu sancto, ad opus conversiónis Géntium assúmere dignátus es: concéde propítius, ut mémores labóris & caritátis ejus, dignè Evangélio Christi, quod prædicávit, conversári mereámur; Per eumdem Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte ejusdem Spíritus sancti Deus, per ómnia sécula seculórum.

℟. Amen.

AD PRIMAM.

*Ant.* Bárnabas & Paulus.

AD TERTIAM.

*Ant.* Cùm venissent.

*Capitulum.* Rom. 9.

GEntes quæ non sectabantur justítiam, apprehendérunt justítiam: justítiam autem, quæ ex fide est. Israël, verò sectando legem justítiæ, in legem justítiæ non pervénit. Quare? Quia non ex fide, sed quasi ex opéribus.

℟. *br.* Elégit nobis Dóminus hæreditátem suam,* Allelúia, allelúia. Elégit. ℣. Subjécit pópulos nobis & gentes, * Allelúia. Glória Patri. Elégit. *Ps.* 46.

℣. In conspectu géntium revelávit justítiam suam: ℟. Recordátus est misericórdiæ suæ. *Ps.* 97.

AD SEXTAM.

*Ant.* Descendentes.

*Capitulum.* Galat. 2.

SUbintroiérunt falsi fratres exploráre libertátem nostram quam habémus in Christo Jesu, ut nos in servitútem

redígerent: quibus neque ad horam cessímus subjectióne, ut véritas Evangélii permáneat apud vos.

℟. *br.* Iniquè non égimus in testamento tuo, Dómine, * Allelúia, allelúia. Iniquè. ℣. Et non recessit retro cor nostrum, * Allelúia. Glória Patri. Iniquè. *Ps.* 43.

℣. Confirmáta est super nos misericórdia Dómini: ℟. Et véritas ejus manet in ætérnum. *Ps.* 116.

AD NONAM.

*Ant.* Cùm venissent.

*Capitulum.* 2. Cor. 4.

ABdicámus occulta dedécoris, non ambulantes in astútia, neque adulterantes verbum Dei; sed in manifestatióne veritátis commendantes nosmetipsos ad omnem conscriéntiam hóminum coram Deo.

℟. *br.* In Deo laudábimur totâ die, Allelúia, allelúia. In Deo. ℣. Et in nómine tuo confitébimur in séculum, * Allelúia. Glória Patri. In Deo. *Ps.* 43.

℣. Narrantes laudes Dómini, & virtútes ejus, ℟. Et mirabília ejus quæ fecit. *Ps.* 77.

AD II. VESPERAS.

*Ant.* 8. G. PLácuit Apóstolis & senióribus, viros míttere Antiochíam cum Paulo & Bárnaba, scribentes per manus eórum, allelúia. *Act.* 15.

*Ant.* 3. c. Descendérunt Antiochíam; & congregátâ multitúdine, tradidérunt epístolam: quam cum legíssent gavísi sunt super consolatióne, allelúia. *Act.* 15.

*Ant.* 7. c. Paulus & Bárnabas demorabantur Antiochiæ, docentes & evangelizantes cum áliis plúribus verbum Dómini, allelúia. *Act.* 15.

*Ant.* 6. Dixit ad Bárnabam Paulus: Revertentes visitémus fratres, quibus prædicávimus verbum Dómini, allelúia. *Act.* 15.

*Ant.* 2. D. Bárnabas, assúmpto Marco, navigávit in Cyprum; Paulus verò, electo Silâ, perambulábat Syriam, allelúia. *Act.* 15.

*Capitulum.* 2. Cor. 2.

DEo grátias, qui semper triúmphat nos in Christo Jesu, & odórem notítiæ suæ manifestat per nos in omni loco.

*Hymnus.*

CŒLO datur quiéscere,
Terris relictis, Bárnaba:
Solemnis hæc affert tuis
Finem dies labóribus.

QUEM propter, agro véndito,
Opes caducas déseris,
Magno rependens fœnore
En fundus ipse fit tuus.

TU sacra per jejúnia,
Tu públicas inter preces,
Jubente sancto Spíritu,
Christi creáris núntius.

QUAS non adis mundi plagas,
Pauli labórum párticeps!
Vos unus ambo Spíritus,
Vos una junxit cáritas.

QUAM vestra gens Christi fidem
Luci rebellis réppulit,
Nil hæsitantes bárbaris
Portastis illam géntibus.

Fac, Christe, nostris se tuum
Cùm lumen offert méntibus,
Amóre ne noctis suæ
Cœleste donum réspuant.

Da, Chiste, nos tecum mori;
Tecum simul da súrgere:
Terréna da contémnere;
Amáre da cœléstia.

Qui Patris ad dextram sedes
Jesu, tibi sit glória
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.

℣. Dedisti nos tanquam oves escárum, ℟. Et in géntibus dispersísti nos. *Ps.* 43.

*Ad* Magnificat. *Ant.* 1. D. Bárnabas & Paulus tradidérunt ánimas suas pro nómine Dómini nostri Jesu Christi, allelúia. *Act.* 15.

*Oratio, ut suprà ad Laudes.*



# COMMUNE SANCTORUM.

## PARS VERNA.

## COMMUNE UNIUS MARTYRIS.

[ *In hoc Communi , & in cæteris , ad I. Vesperas semper dicuntur Psalmi de Feria.* ]

### IN I. VESPERIS.

*Ant.* 1. 2. JUstus quasi leo confidens, absque terróre erit. [*Tempore Pasc. ad singulas Antiphonas additur* , Allelúia. ] *Prov.* 28.

*Ant.* 4. E. Qui timet Dóminum , nihil trepidábit , & non pavébit ; quóniam ipse est spes ejus. [ Allelúia. ] *Eccli.* 34.

*Ant.* 6. Probatiónem indúcet super illum, donec credat ánimæ illíus , & firmábit illũ , & lætificábit. [ Allel. ] *Eccli.* 4.

*Ant.* 5. a. In tentatióne Deus illum conservábit , & liberábit à malis ; & non illidétur quasi in procella navis. [ Allelúia. ] *Eccli.* 33.

*Ant.* 4. a. Usque in tempus sustinébit pátiens , & póstea redditio jucunditátis. [ Allelúia. ] *Eccli.* 1.

*Capitulum.* Josue 1.

ECce præcípio tibi : Confortáre , & esto robustus. Noli metúere , & noli timére ; quóniam tecum est Dóminus Deus tuus.

*In Duplicibus* 1. *ordinis*, *& supra* :

℟. Benedictus vir , qui confídit in Dómino ; * Erit Dóminus fidúcia ejus ; † Non timébit , cùm vénerit æstus. [ *Tempore Paschali , ad singula Responsoria , & ad eorum reclamationem additur* , Allelúia , Allelúia. ] ℣. Hæc est grátia si propter Dei conscién-tiam sustinet quis tristítias pátiens injustè. * Erit Dóminus. Glória. † Non timébit. *Jer.* 17. 1. *Petr.* 2.

*Hymnus.*

FElix morte tuâ , qui cruciáribus
Cœlo difficilem rúmpere amas viam ;
Et signáre cruóre ,
Quam Christo déderas fidem.
Pœnis victa quibus defíceret fides ,
Tu pœnas ávidâ mente præóccupas ;
Cui non súfficit una ,
Ambis innúmeras neces.
Te pro lege sua magnánimum mori ,
Te Christus púgilem spectat ab æthere :
Ne succúmbere possis ,

Tecum prælia sustinet.
Et nos delícias, vana per ótia,
Gens infida Deo, quærimus anxii:
Quid torpémus? inertes
Sanguis Mártyris éxcitat.
Patri máxima laus, máxima Fílio;
Sit par, Sancte, tibi glória, Spíritus,
Quo donante, corónam
Invictus pugil óbtinet.
Amen.

℣. Justus, cùm cecíderit, non collidétur; ℟. Quia Dóminus suppónit manum suam. *Ps.* 36.

*Ad* Magnific. *Ant.* 5. C. Nemo patiátur ut homicída, aut fur, aut alienórum appetítor: si autem ut Christiánus, non erubéscat, glorificet autem Deum in isto nómine. [Allelúia.] 1. *Petr.* 4.

*Oratio, ut infrà ad Laudes, nisi sit propria.*

*Ad Completorium, Psalmi feriales, & cætera ut in Psalterio notantur.*

[ *In Solemnibus super Psalmos ad Completorium*

*Ant.* 1. a. Ego ad Dóminum aspíciam: expectábo Deum salvatórem meum. [Allelúia.] *Mich.* 7.]

## AD OFFICIUM NOCT.

*Invit.* Deum patiéntiæ & solátii, * Veníte, adorémus. *Rom.* 15. [*Tempore Paschali, additur*, Alellúia.]

[ *In Solemnibus Invit. ante Ps.* Veníte *bis dicitur, & post singulos ejus versus repetitur integrum: post* Glória, *cum* Sicut erat. *repetitur à medio, ac postea integrè adhuc dicitur. In. Duplicibus idem servatur ritus, nisi quòd post* 2. *&* 4. *versum repetitur duntaxat à medio. In Semidupl. autem & Simpl. semel tantùm dicitur ante Psalmum* Veníte. *repetitur verò integrum post* 1. *versum: à medio post alios versus: & integrum post* Glória. *cum* Sicut erat. *Et sic in omni alio Communi.*]

*Ps.* 94. Veníte. 2.

*Hymnus.*

Ex quo, salus mortálium,
Fluxit sacer Dei cruor;
Homo redemptus æmulum
Deo litávit sánguinem.
Non jam crucis Christi pudet:
Quin surgit ingens glória
Deum fatéri mórtuum,
Pro mórtuo mori Deo.
Hoc iste plenus spíritu
Ridet minas, ridet neces;
Tuâque fretus déxterâ,
Tibi, Redemptor, militat.
Parata spectans præmia,
Secúrus ad pœnas volat:
Sic pugnat, ut speret mori,
Et morte mortem vincere.
Unus tot armatas manus
Stupente lassat júdice;
Et tortus ipsis qui cadit
Torquéntibus fit fórtior.
Da, Christe, tanti mílitis
Æquáre facta fórtia:
Da sustinére pro tuo,
Quodcumque durum nómine.

*Ante Paschа.*

Æterne, tu Verbi Pater,
Æterne Fili par Patri,
Et par utrísque Spíritus,
Tibi, Deus, sit glória. Amen.

*Tempore Paschali.*

Da, Christe, nos tecum mori;
Tecum sumul da súrgere:

Terréna da contémnere;
Amáre da cœléstia.

Sit laus Patri, laus Filio,
Qui nos triumphátâ nece,
Ad astra secum dux vocat:
Compar tibi laus, Spíritus.
Amen.

*Hæc Doxologia*, Da, Christe. & Sit laus. *dicitur in fine Hymnorum hujus metri toto Temp. Paschali, usque ad Ascensionem, nisi aliter notetur.*

[ *Quovis Tempore in Solemnibus primi & secundi ordinis ad Officium Nocturnum, itemque ad II. Vesperas, Psalmi sunt proprii, prout designantur in Proprio Ecclesiarum; vel, si nulli sunt ejusmodi, sumuntur de Dominica: ad Laudes verò, ad Horas, & ad Completorium, dicuntur de Dominica; & sic in omni alio Communi.*

*In Solemnibus tertii ordinis & infrà, Psalmi in toto Officio semper sunt de Feria.*

*Tempore Quadrag. Officium novem Lectionum ordinatur ut præscribitur infra pro unoquoque Nocturno.*

*Toto autem Tempore Paschali dicuntur tantùm tres Psalmi & tres Lectiones ad Officium Matut. sumunturque Ant. ℣. & ℟℟. ex uno Nocturnorum secundùm Feriam; id est, Dominicâ, Feriis II. & V. sumuntur de primo Nocturno: Feriis II. & VI. de secundo: Feriâ IV. & Sabbato de tertio. Tres Antiphonæ dicuntur in Duplicibus & supra, una nempe ad unumquemque Psalmum: unica verò tantùm super tres Psalmos dicitur in semiduplicibus & simplicibus; quæ semper erit prima Nocturni. Lectio j. in Semiduplicibus & supra erit de Scriptura occurrente (nisi sit propria,) ij & iij de Festo: in Simplicibus, j & ij de Scriptura, iij de Festo. Benedictiones propriæ habentur ad calcem Psalterii*

*Is porrò ritus servatur in omni alio Communi.* ]

*IN I. NOCTURNO.*

*Ant.* 1. a. Filí, sta in justítia & timóre, & præpara ánimâ tuam ad tentatiónem. *Tempore Pasch.* [ Allelúia. ] *Eccli.* 2.

*Ant.* 8 G. Confortáre, & esto robustus: Dóminus ipse erit tecum non dimittet: nec derelinquet te. [ Allelúia. ] *Deut.* 31.

*Ant.* 3. a. Qui vícerit, vestiétur vestimentis albis; & non delébo nomen ejus de libro vitæ: & confitébor nomen ejus coram Patre meo, & coram Angelis ejus. [ Allelúia. ] *Apoc.* 3.

℣. In die tribulatiónis éruam te, ℟. Et honorificábis me. *Ps.* 49.

Pater noster.

*Benedictiones habentur ad calcem Psalterii.*

*Lectiones de Scriptura occur.*

℟. j. Qui volúerit ánimam suam salvam fácere, perdet eam; * Qui autem perdíderit ánimam suam propter me & Evangélium, salvam fáciet eam. [ *Tempore Paschali, additur*, Allelúia, allelúia. ]

℣. Erit tibi ánima tua in salútem, quia in me habuísti fidúciam, ait Dóminus. * Qui autem. *Marc.* 8. *Jerem.* 39.

℟. ij. Esto fidélis usque ad

mortem, & dabo tibi corónam vitæ: * Qui vícerit, non lædétur à morte secunda. [ Allelúia, allelúia. ] ℣. Usque ad mortem certa pro justítia, & Deus expugnábit pro te inimícos tuos: * Qui. *Apoc.* 2. *Eccli.* 4.

℟. *iij.* Qui vícerit, fáciam illum columnam in templo Dei mei, * Et foràs non egrediétur ámplius: & † Scribam super eum nomen Dei mei, & nomen civitátis novæ Jerúsalem. [ Allelúia, allelúia. ] ℣. Plantábo eum, & non turbábitur ámplius; nec addent fílii iniquitátis, ut affligant eum sicut prius, * Et. Glória. † Scribam. *Apoc.* 3. 2. *Reg.* 7.

*IN II. NOCTURNO.*

*Ant.* 2. D. Non mihi contingat párcere ánimæ meæ in omni témpore tribulatiónis. [ Allelúia. ] 1. *Mach.* 13.

*Ant.* 7. d. Prompto ánimo pro gravíssimis ac sanctíssimis légibus honestâ morte perfungar. [ Allelúia. ] 2. *Mach.* 6.

*Ant.* 8. c. E cœlo membra ista posídeo; sed propter Dei leges hæc ipsa despício, quóniam ab ipso me ea receptúrũ spero. [ Allelúia. ] 2. *Mach.* 7.

℣. Fortitúdinem meam ad te custódiam; ℟. Quia Deus susceptor meus es. *Ps.* 58.

Pater noster.

*Benedictiones habentur ad calcem Psalterii.*

*Lectiones ut in Proprio.*

℟. *iv.* Ego non solum alligári, sed * Et mori parátus sum propter nomen Dómini Jesu. [ Allelúia, Allelúia. ] ℣. Ego ánimam meã & corpus meum trado pro pátriis légibus: * Et mori. *Act.* 21. 2. *Mach.* 7.

℟. *v.* Etsi in præsenti témpore supplíciis hóminum erípiar, manum Omnipotentis nec vivus, nec defunctus effúgiam; * Quamobrem fórtiter vitâ excedendo, exemplum forte relinquam. [ Allelúia, allelúia ] ℣. Exístimo quòd non sunt condígnæ passiónes hujus témporis ad futúram glóriam: * Quamobrem. 2. *Mach.* 6. *Rom.* 8.

℟. *vj.* Dómine, qui habes sanctã sciéntiam, manifestè tu scis quia cùm à morte possem liberári, * Duros córporis sustíneo dolóres; secundùm ánimam verò, propter timórem tuum libenter hæc pátior. [ Allelúia, allelúia. ] ℣. Gáudeo in passiónibus, & adimpleo ea quæ desunt passiónum Christi in carne mea: * Duros córporis. Glória Patri. * Duros. 2. *Mach.* 6. *Colos.* 1.

*IN III. NOCTURNO.*

*Ant.* 4. E. Pro certo habet omnis qui te colit, Dñe, quod vita ejus, si in probatióne fúerit, coronábitur. [ Allel. ] *Tob.* 3.

*Ant.* 5. a. Iste pauper clamávit, & Dñus exaudívit eum, & de ómnibus tribulatiónibus ejus salvávit eũ. [ Allel. ] *Ps.* 33.

*Ant.* 6. In fraude circumveniéntium illum áffuit illi, custodívit illum ab inimícis, & à seductóribus tutávit illum. [ Allelúia. ] *Sap.* 10.

℣. Tu, Dómine, adjuvísti me. ℟. Et consolátus es me. *Ps.* 85.

Pater noster.

*Benedictiones habentur ad calcem Psalterii.*

*Evangelium & Homilia ut in Proprio.*

℟. *vij.* Certámen forte dedit illi Dóminus, * Ut vinceret, & sciret quóniam ómnium poténtior est sapiéntia, [ Allelúia, allelúia. ] ℣. Confortátus est fide, dans glóriam Deo, * Ut vinceret. *Sap.* 10. *Rom.* 4.

℟. *viij.* A peccatóribus liberávit eum Dóminus: * Descendit cum illo in fóveam, & in vinculis non derelíquit illum. [ Allelúia, Allelúia. ] ℣. Erat Deus cum eo, & erípuit eum ex ómnibus tribulatiónibus ejus: * Descendit. *Sap.* 10. *Act.* 7.

℟. *ix.* Hanc tentatiónem ideo permísit Dóminus evenire illi, ut pósteris darétur exemplum patiéntiæ: nam * Non est contristátus contra Deum quod plaga ei acciderit, sed † Immóbilis in Dei timóre permansit. [ Allelúia, allel. ] ℣. Magis éligens affligi cum pópulo Dei, quam temporális peccáti habére jucunditátem. * Non est. Glória. † Immóbilis. *Tob.* 2. *Hebr.* 11.

Te Deum.

## AD LAUDES.

*Ant.* 3. *a.* Dóminus mecum est, quasi bellátor fortis: ideírco qui persequúntur me, cadent, & infirmi erunt. [ Allelúia. ] *Jerem.* 20.

*Ant.* 1. f. Circumdedérunt me úndique, & non erat qui adjuváret: memorátus sum misericórdiæ tuæ, Dómine, quóniam éruis sustinentes te. [ Allelúia. ] *Eccli.* 51.

*Ant.* 2. D. Bonus Dóminus, & confortans in die tribulatiónis, & sciens sperantes in se. [ Allelúia. ] *Nahum.* 1.

*Ant.* 4. A. Cantáte Dómino, laudáte Dóminum; quia liberávit ánimam páuperis de manu malórum. [ Allelúia. ] *Jerem.* 20.

*Ant.* 7. d. Eripuísti me de témpore iníquo; propterèa confitébor, & laudem dicam tibi, & benedícam nómini Dómini. [ Allel. ] *Eccli.* 51.

*Capitulum.* Job. 23.

PRobávit me [ Deus ] quasi aurum quod per ignem tránsit: vestígia ejus secútus est pes meus: viam ejus custódivi, & non declinávi ex ea.

*Hymnus.*

JAM non te lácerant carnífici manus,
Inter qui récubas Cœlítuum choros,
Nunc pro cárcere cœco
Fulgentes hábitas domos.
NON jam vincla manus, non cóhibent pedes;
Tu liber súperum regna perámbulas:
Quot plagis laniátus,
Cœlo tot rádiis nites.
NEC te dira fames, nec sitis ámplius,
Nec probrósa premit te modò núditas:
Nunc te límine puro
Pascit Christus & índuit.
SIC tu Martyribus dexter ades, Deus,
Ut quos mors périmit, glória vindicet;
Confundísque tyrannum,
Dum quos déprimit, élevas.
SEMPER máxima laus ingénito Patri:
Semper laus génito máxima Filio:
Sacri nexus amóris,
Sit laus par tibi, Spíritus. Amen.

℣. Adjútor meus, tibi psallam; ℟. Quia Deus suscéptor meus es. *Ps.* 58.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 1. D. Bonum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi: in réliquo repósita est mihi coróna justítiæ. [Alelúia.] 2. Tim. 4.

*Oratio.*

ADesto, Dómine, supplicatiónibus nostris, ut qui beáti Mártyris tui N. natalítiis gloriámur, nec minis injustè persequéntium, nec ullis perturbémur adversis; Per.

*Alia Oratio.*

DA nobis, quæsumus, Dómine, intercedente beáto N. Mártyre tuo, in tua fide & sinceritáte constántiam; ut in caritáte divína firmáti, nullis tentatiónibus ab ejus integritáte divellámur; Per.

*Si sit Pontifex, Oratio.*

OMnípotens, sempiterne Deus, qui in ómnium Sanctórum tuórum es virtúte mirábilis: da nobis in festivitáte beáti N. cum gratiárum actióne lætári, qui Fílii tui Martyr & Póntifex, quod ministério gessit, testimónio comprobávit; & quod prædicávit ore, confirmávit exemplo; Per eumdem.

*Alio Oratio.*

DEus, cujus grátia beátum N. Pontíficem tuum in Sacerdótium elégit, doctrína ad prædicandum erúdiit, poténtia ad perseverandum confirmávit: da nobis ex ejus imitatióne pópulum christiánum & instrúere vivendi exemplo, & confirmáre patiendo; Per.

*Si sit Sacerdos tantùm, Oratio.*

DEus, à quo constántiam fides, & virtútem sumit infirmitas: quæsumus, ut beáti N. Sacerdótis & Mártyris tui exemplo & précibus, quidquid in persecutiónibus sævũ est, quidquid in morte terríbile, fácias nos tui nóminis confessióne superáre; Per.

*AD HORAS.* [*Tempore Paschali, in fine Hymnorum, dicitur Doxologia*, Da, Christe. *&* Sit laus. *suprà* ij.]

*Antiphonæ dicuntur de Laudibus, quartâ prætermissâ, quod semper observatur, nisi aliter notetur.*

AD PRIMAM.

*Ant.* Dóminus.

*Capitulum & cætera ut in Psalterio & Proprio pro diversitate Temporis.*

*Si Capitulum diversum sit Dominicis & Feriis, ut in Quadragesima semper sumitur de Dominica, quando dicuntur Psalmi Dominicæ: sumitur verò de Feriis, quando adhibentur Psalmi Feriales.*

AD TERTIAM.

*Ant.* Circumdedérunt.

*Capitulum.* Is. 41.

ERunt quasi non sint, & véluti consúmptio, hómines bellántes adversùm te; quia ego Dñus Deus tuus apprehendens manum tuam, dicensque tibi: Ne tímeas, ego adjúvi te.

*In Quadragesima.*

℟. *br.* In Deo salutáre meũ, * Et glória mea. In Deo. ℣. Deus auxílii mei, & spes mea in Deo est, * Et. Glória Patri. In Deo. *Ps.* 61.

*Tempore Paschali, ad* ℟. *br. Horarum cujuslibet Communis*

*additur bis* Allelúia. *idemque pro Reclamatione etiam bis dicitur, hoc ritu:*

℟. *br.* In Deo salutare meũ, & glória mea. * Allel. allel. In Deo. ℣. Deus auxílii mei, & spes mea in Deo est. * All. allel. Glória. In Deo. *Ps.* 61.

℣. Deus meus adjútor meus, & sperábo in eum. ℟. Protéctor meus, & cornu salútis meæ. *Ps.* 17.

## AD SEXTAM.

*Ant.* Bonus Dóminus.

*Capitulum.* 2. Tim. 1.

PAtior, sed non confundor: scio enim cui crédidi; & certus sum quia potens est depósitũ meũ servare in illũ diẽ.

℟. *br.* Si consístant adversùm me castra, * Non timébit cor meũ. [ * Allelúia, all. ] Si consístant. ℣. Si exurgat adversùm me prælíũ, in hoc ego sperábo: [ * Allel. allel. ] Glória Patri. Si. *Ps.* 26.

*Temp. Quadrag. Reclamatio fit ad primum astériscum* *Non timébit. *Temp. autem Pasch. ad secundum ut notatur* * Allelúia. *& sic in* ℟. *br. aliarum Horarum cujuslibet Communis.*

℣. Dóminus mihi adjútor, ℟. Non timébo quid fáciat mihi homo. *Ps.* 117.

## AD NONAM.

*Ant.* Eripuísti me.

*Capitulum.* Tob. 3.

POst tempestátem tranquillum facis, Dómine; & post lacrymatiónem & fletum, exultatiónem infundis. Sit nomen tuum, Deus Israel, benedíctum in sécula.

℟. *br.* Factus es, Dómine, * Susceptor meus. [ * Allelúia, allelúia. ] Factus es. ℣. Et refúgium meum in die tribulatiónis, [ * Allelúia, allelúia. ] Glória. Factus. *Ps.* 58.

℣. In die tribulatiónis meæ clamávi ad te: ℟. Quia exaudísti me. *Ps.* 85.

## AD II. VESPERAS.

*Ant.* 8. G. PRopter opus Christi usque ad mortem accessit, tradens ánimam suam. [ Allelúia. ] *Philipp.* 2.

*Ant.* 3. a. Patienter sustinens, destinávit non admíttere illícita propter vitæ amórem. [ Allelúia. ] 2. *Mach.* 6.

*Ant.* 7. a. Divítias æstimans impropérium Christi, aspiciébat in remuneratiónem. [ Allelúia. ] *Hebr.* 11.

*Ant.* 5. C. Gloriosíssimam mortem magìs quàm odíbilem vitam complectens, voluntáriè præíbat ad supplícium. [ Allelúia ] 2. *Mach.* 6.

*Ant.* 1. a. Hoc modo vitâ decéssit, universæ genti memóriam mortis suæ ad exemplum virtútis & fortitúdinis derelínquens. [ Allel. ] 2. *Mach.* 6.

*Capitulum.* Jac. 1.

BEátus vir qui suffert tentatiónem; quóniam cùm probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se.

*Hymnus*, FELIX, *ut in I. Vesperis*.

℣. Posuísti, Dómine, in cápite ejus corónam ℟. De lápide pretióso. *Ps.* 20.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 4. D. Justum non derelíquit Deus, donec afferret illi poténtiam adversùs eos qui eum deprimébant; & dedit illi claritátem æternam. [ Allelúia. ] *Sap.* 10

*Oratio, ut suprà ad Laudes, nisi sit propria.*

*[ In Solemnibus, ad Completorium super Psalmos Antiphona propria quæ ad Completorium habetur post I. Vesperas.*

*Capitulum & cetera ut in Psalterio & Proprio pro diversitate Temporis.*

*Si Capitulum non sit idem Dominicis & Feriis, ut in Quadragesima, sumitur de Dominica quando dicuntur Psalmi Dominicæ: de Feriis verò cùm adhibentur Psalmi Feriales.*

# COMMUNE PLURIUM MARTYRUM.

## IN I. VESPERIS.

*Ant.* 2. D. VEnit hora, ut omnis qui intérficit vos, arbitrétur obséquium se præstáre Deo. [ *Tempore Paschali*, Allelúia. ] *Joan.* 16.

*Ant.* 3. c. Injicient vobis manus suas, & persequentur, trahentes ad reges & præsides propter nomen meum. [ Allelúia. ] *Luc.* 21.

*Ant.* 4. E. Tradet autem frater fratrem in mortem; & insurgent filii in Parentes, & morte eos afficient. [ Allel. ] *Matth.* 10.

*Ant.* 6. Cum tradent vos, nolíte cogitáre quid loquámini: dábitur enim vobis in illa hora quid loquámini. [Allelúia.] *Matth.* 10.

*Ant.* 5. a. Nolíte timére eos qui occídunt corpus, ánimam autem non possunt occidere. [ Allelúia. ] *Ibid.*

*Capitulum.* I. Petr. 4.

SI exprobrámini in nómine Christi, beati éritis: quóniam quod est honóris, glóriæ, & virtútis Dei, & qui est ejus Spíritus, super vos requiéscit.

*In Dupl. 1. ordinis, & suprà:*

℟. In nullo terreámini ab adversáriis; * Quia vobis donátum est pro Christo, non solum ut in eum credátis, sed ut étiam pro illo patiámini. [ Allelúia, allelúia. ] ℣. Confortámini, & non dissolvantur manus vestræ: erit enim merces óperi vestro: * Quia. Glória Patri. * Quia. *Philipp.* 1. 2. *Paral.* 15.

*Hymnus.*

CHristi Martyribus débita nos decet,
Virtútis mémores, prómere cántica;
Quos nec blandítiis, nec pótuit minis
Fallax víncere séculum.
Cœlestis Pátriæ mens ínhians bonis,
Mundi spérnit opes, fluxaque gáudia:
Vitæ quin étiam, præ Dómini lucro,
Jactúram fácilem putant.
Non vultus métuunt carnifícum truces:
Fœtas suppliciis despíciunt manus:
Enses, flagra, rotas, ómnia pérpeti
Victrix edócuit fides.
O INCREDIBILEM vim patiéntiæ!
Non, artus láceros qui crúciat dolor,

Extorquet gémitum, non querimóniam
Agnis mítibus élicit.
ERGO nunc própior, Christe, tibi sedet
Palmis turba nitens usque viréntibus,
Victorumque gerens præmia, nóbiles
Multo sánguine láureas.
SIT laus summa Patri, summaque Fílio:
Sit par, Sancte, tibi glória, Spíritus,
Cujus præsídio prælia fústinent,
Contemptâ nece Mártyres.
Amen.

℣. Viríliter ágite, & confortétur cor vestrum, ℟. Omnes qui sperátis in Dómino. *Ps.* 30.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 8. G. Cùm vos óderint hómines, & exprobráverint propter Fílium hóminis, gaudéte & exultáte: ecce enim merces vestra multa est in cælo. [ Allel. ] *Luc.* 6.

*Oratio, ut infra ad Laudes.*

[ *In Solemnibus ad Completorium*

*Ant.* 7. b. *super Psalmos*: Complebuntur dies luctûs tui, Sion: non óccidet ultrà sol tuus, pópulus tuus omnes justi. [ Allelúia. ] *Is.* 60.

AD OFFICIUM NOCT.

*Invit.* Dóminum legitimè certantes coronantem, * Veníte, adorémus. [ *Témpore Pasch.* Allelúia. ] 2. *Tim.* 2.

*Ps.* 94. Veníte. 2.

*Hymnus.*

FORTES cadendo Mártyres,
Quos empta fuso sánguine
Cœléstis ornat púrpura,
Junctis canámus vócibus.
ACTI procellis ómnibus,
Sui cruóris flúmine
Vehuntur, & Christo duce,
Portus beátos óccupant.
SÆVIT tyrannus, állicit:
Temnunt minas, temnunt preces,
Deum minantem dum timent,
Dum munerantem díligunt.
QUEM lictor insánus sitit,
Quem cæcus effundit furor,
Amor sacerdos pródigum
Christo cruórem cónsecrat.
ET ille mixtus sánguini
Quem fudit in ligno Deus,
Fundéntibus placábilem
Oráre non cessat Deum.
IMPLERE vos omnes decet
Passo Deo quod défuit:
Per tot neces læso Patri
Fit plena Christus hóstia.

*Ante Pascha.*

ÆTERNE tu Verbi Pater,
Æterne Fili par Patri,
Et par utrique Spíritus,
Tibi, Deus, sit glória. Amen.

*Tempore Paschali, dicitur Doxologia*, Da, Christe, & Sit laus. *sup.* ij & iij; *ubi etiam præscribitur ritus quo Officium Matut. eodem tempore dicendum est.*

*IN I. NOCTURNO.*

*Ant.* 3. c. Convenérunt adversùm nos ut nos dispérdant: quómodo potérimus subsístere, nisi tu Deus, ádjuves nos? [ Allelúia. ] 1. *Mach.* 3.

*Ant.* 5. a. Séquimur te in toto corde; & timémus te; & quærimus fáciem tuam: érue nos, & da glóriam nómini tuo, Dómine. [ Allelúia. ] *Dan.* 3.

*Ant.* 8. G. Omnes qui osténdunt servis tuis mala, confundantur in omnipoténtia tua; & sciant quia tu es Dóminus Deus solus. [ Allelúia. ] *Dan.* 3.

℣. Da nobis auxílium de tribulatióne, ℟. Quia vana salus hóminis. *Ps.* 59.

*Lectiones de Scriptura occurrente.*

℟. *i.* Nos stulti propter Christum : maledícimur, & benedícimus : * Persecutiónem pátimur, & sustinémus : blasphemámur, & obsecrámus. [ Allel. allel. ] ℣. Propter te, Dómine, mortificámur totâ die : æstimáti sumus sicut oves occisiónis ; * Persecutiónem. 1. *Cor.* 4. *Ps.* 43.

℟. *ij.* Quis nos separábit à caritáte Christi ? Tribulátio ? an angústia ? an fames ? an persecútio ? an gládius ? * Neque mors, neque vita póterit nos separáre à caritáte Dei. [ Allelúia, allelúia. ] ℣. Hæc ómnia venérunt super nos, nec oblíti sumus te, Dómine ; * Neque mors. *Rom.* 8. *Ps.* 43.

℟. *iij.* Deus omnis grátiæ qui vocávit nos in ætérnam suam glóriam in Christo Jesu, * Módicum passos ipse perficiet : ipsi glória & impérium † In sécula seculórum. [ Allelúia, allel. ] ℣. Rex mundi defunctos nos pro suis légibus in ætérnæ vitæ resurrectióne suscitábit : * Módicum. Glória Patri. † In sécula. 1. *Petr.* 5. 2. *Mach.* 7.

*IN II. NOCTURNO.*

*Ant.* 7. ç. In mortem trádimur propter Jesum, ut & vita Jesu manifestétur in carne nostra mortáli. [Allel.] 2. *Cor.* 4.

*Ant.* 2. D. Paráti sumus mori, magis quàm pátrias Dei leges prævaricári. [ Allelúia. ] 2. *Mach.* 7.

*Ant.* 6. Propítius sit nobis Deus : non est nobis útile relínquere legem & justítias Dei, ut eámus álterâ viâ. [ Allel. ] 1. *Mach.* 2.

℣. In Deo faciémus virtútem : ℟. Et ipse ad níhilum dedúcet tribulantes nos. *Ps.* 59.

*Lectiones, ut in Proprio.*

℟. *iv.* Absit à nobis, ut relinquámus Dóminum, & serviámus diis aliénis : * Dómino Deo nostro serviémus, & obedientes érimus præceptis ejus. [ Allelúia, allelúia. ] ℣. Etsi sunt qui dicantur dii, sive in cœlo, sive in terra, nobis tamen unus Deus : * Dómino. *Jos.* 24. 1. *Cor.* 8.

℟. *v.* Dóminus Deus aspíciet veritatem, & consolábitur in nobis. * Pótius est ab homínibus morti datos spem expectáre à Deo, iterùm ab ipso resuscitandos. [ Allelúia, allelúia. ] ℣. Sicut abundant passiónes Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolátio nostra : * Pótius est. 2. *Mach.* 7. 2. *Cor.* 1.

℟. *vj.* Exhibeámus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patiéntia, in tribulatiónibus, * In necessitátibus, in angústiis, in plagis, in carcéribus. [ Allelúia, allelúia. ] ℣. Omnes qui placuérunt Deo, per multas tribulatiónes transiérunt fidéles, * In. Glória. * In. 2. *Cor.* 6. *Jud.* 8.

*IN III. NOCTURNO.*

*Ant.* 7. ç. Ruent in gládio, & in flamma, & in captivitáte, ut conflentur, & dealbentur usque ad tempus præfinitum. [ Allelúia. ] *Dan.* 11.

*Ant.* 4. A. Distenti sunt, non

súscipientes redemptiónem, ut meliórem invenírent resurrectiónem. [ Allel. ] *Hebr.* 11.

*Ant.* 8. c. Ecce quómodò computáti sunt inter fílios Dei, & inter sanctos sors illórum est! [ Allelúia. ] *Sap.* 5.

℣. Salus justórum à Dómino, ℟. Et protéctor eórum in témpore tribulatiónis. *Ps.* 36.

*Evangelium & Homilia, ut in Proprio.*

℟. *vij* Ludíbria & vérbera experti, insuper & víncula & cárceres, * Lapidáti sunt, sécti sunt, tentáti sunt, in occisióne gládii mórtui sunt. [ Allelúia, allelúia. ] ℣. Tradidérunt córpora sua, ne servírent, & ne adorárent omnem Deum, excepto Deo suo. * Lapidáti sunt. *Hebr.* 11. *Dan.* 3.

℟. *viij.* Vicérunt propter sánguinem Agni, & propter verbum testimónii sui, & non dilexérunt ánimas suas usque ad mortem: * Proptéreà lætámini, cœli, & qui habitátis in eis. [ Allelúia, allelúia. ] ℣. Módico dolóre sustentáto, sub testamento æternæ vitæ effecti sunt: * Proptéreà. *Apoc.* 12. 2. *Mach.* 7.

℟. *ix.* Antíquus diérum judícium dedit sanctis Excelsi; * Et † Regnum obtinuérunt sancti. [ Allelúia, allelúia. ] ℣. Per fidem operáti sunt justítiam, adepti sunt repromissiónes; * Et. Glória. † Regnum. *Dan.* 7. *Hebr.* 11.

Te Deum.

AD LAUDES.

*Ant.* 8. G. Datum est béstiæ bellum fácere cum sanctis, & víncere eos. [ Allelúia. ] *Apoc.* 13.

*Ant.* 7. *d.* Elegérunt magis mori, & noluérunt infríngere legem Dei sanctam; & trucidáti sunt. [Allel.] 1. *Mach.* 1.

*Ant.* 1. f. Si coram homínibus tormenta passi sunt, spes illórum immortalitáte plena est. [ Allelúia. ] *Sap.* 3.

*Ant.* 2. D. In paucis vexáti, in multis bene disponentur; quóniam Deus tentávit eos, & invénit illos dignos se. [ Allelúia. ] *Sap.* 3.

*Ant.* 7. d. Tanquam aurum in fornáce probávit illos, & quasi holocaústi hóstiam accépit illos; & in témpore erit respectus illórum. [ Allel. ] *Sap.* 3.

*Capitulum.* Jac. 1.

OMne gáudium exístimáte, fratres mei, cùm in tentatiónes várias incidéritis: sciéntes quòd probátio fidei vestræ patiéntiam operátur; patiéntia autem opus perfectum habet.

*Hymnus.*

QUAM, Christe, signasti viam
Primus, profúso sánguine,
Per hanc tui te fórtiter
Ducem sequuntur mílites.

FOSSUS manus, fossus pedes,
Ovans ad astra tránsvolas;
Et membra trunci Mártyres
Addunt triumpho se tuo.

OMNES in ostro spléndidi
Tuum tribúnal ámbiunt:
Accepta monstrant vúlnera,
Et per tot ora súpplicant.

AUDIRE si nos réspuis,
Quos críminum moles gravat:
Audi tuos, qui sánguinem
Fudêre pro te, Mártyres.

FAC, si tyrannus déficit

Ne blandiendo mólliùs
Frangat voluptas péctora,
Ipsis tyrannis sævior.

*Ante Pascha.*

ÆTERNE tu Verbi Pater,
Æterne Fili par Patri,
Et par utríque Spíritus,
Tibi, Deus, sit glória. Amen.

*Tempore Paschali usque ad Ascensionem Doxologia*, DA, Christe, *&* Sit laus, *ut supra* ij.

℣. Eruet eos & liberábit eos Dóminus, ℟. Quia speravérunt in eo. *Ps.* 36.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 1. D. Beáti qui persecutiónem patiuntur propter justítiam; quóniam ipsórum est regnum cœlórum. [ Allelúia. ] *Matth.* 5.

*Oratio.*

DEus, invisíbilis fortitúdo certántium, adesto, quæsumus, nobis supplicántibus, ut qui hodiernâ die sanctórum Mártyrum tuórum *N.* & *N.* gloriósum triumphum recólimus, eórum méritis & précibus contra spirituália nequítiæ muniámur; Per.

*Alia Oratio.*

OMnipotens, sempiterne Deus, qui in sanctórum tuórum córdibus flammam tuæ dilectiónis accendis: da méntibus nostris eamdem fidei caritatisque virtútem; ut Mártyris tui *N.* & sociórum, quorum gaudémus victóriis, proficiámus exemplis; Per.

AD HORAS *servatur ritus supra præscriptus in Communi unius Martyris.*

AD PRIMAM.

*Ant.* Datum est béstiæ.

AD TERTIAM.

*Ant.* Elegérunt.

*Capitulum. Sap.* 3.

JUstórum ánimæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis. Visi sunt óculis insipiéntium mori, & æstimáta est afflictio éxitus illórum; & quod à nobis est iter, extérminium: illi autem sunt in pace.

℟. *br.* Custódit Dóminus * Animas sanctórum suórum. [ * Allelúia, allel.] Custódit. ℣. De manu peccatóris liberábit [ * Allelúia, allel. ] Glória. Custódit. *Ps.* 96.

℣. Dóminus loquétur pacem in plebem suam, ℟. Et super sanctos suos. *Ps.* 84.

AD SEXTAM.

*Ant.* Si coram homínibus.

*Capitulum.* 2. Cor. 4.

QUod in præsenti est momentáneum & leve tribulatiónis nostræ, supra modum in sublimitáte æternum glóriæ pondus operátur in nobis, non contemplántibus nobis quæ vidéntur, sed quæ non vidéntur. Quæ enim vidéntur, temporália sunt, quæ autem non vidéntur, æterna sunt.

℟. *br.* Probásti nos, Deus, * Et eduxísti nos in refrigérium. [ * Allelúia, allelúia. ] Probásti. ℣. Igne nos examinásti sicut examinátur argentum. [ * Allelúia, allel. ] Glória.

℣. Lætáti sumus pro diébus quibus nos humiliásti, ℟. Annis quibus vídimus mala. *Ps.* 98

AD NONAM.

*Ant.* Tanquam aurum.

*Capitulum.* Isaiæ. 9.

LÆtabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe, sicut exultant victóres captâ præ-

dâ, quando dividunt spólia.

℟. *br.* Qui séminant in lácrymis, * In exultatióne metent. [ * Allelúia, allel.] Qui. ℣. Euntes ibant & flebant, mittentes sémina sua. [ * Allelúia, allel. ] Glória Patri. Qui séminant.

℣. Venientes vénient cum exultatióne, ℟. Portantes manípulos suos. *Ps* 125.

AD II. VESPERAS.

*Ant.* 2. D. Vidi ánimas interfectórum propter verbum Dei, & propter testimónium quod habébant. [ Allelúia. ] *Apoc. cap.* 6.

*Ant.* 4. D. Stábant ante thronum in conspéctu Agni; & palmæ in mánibus eórum. [ Allelúia. ] *Apoc.* 7.

*Ant.* 8. G. Venérunt de tribulatióne magna, & lavérunt stolas suas & dealbavérunt eas in sánguine Agni. [ Allelúia. ] *Apoc.* 7.

*Ant.* 1. f. Ante thronum Dei sunt, & sérviunt ei die ac nocte in templo ejus; & qui sedet in throno, habitábit super illos. [ Allelúia. ] *Apoc.* 7.

*Ant.* 3. a. Non esúrient, neque sítient ámpliùs; nec cadet super illos sol, neque ullus æstus. [ Allelúia. ] *Apocal.* 7.

*Capitulum.* Apoc. 21.

Absterget Deus omnem lácrymam ab óculis eórum; & mors ultrà non erit: neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà, quia prima abiérunt.

*Hymnus*, CHRISTI Martyribus. *ut in I. Vesperis*, viij.

℣. In æternum exultábunt, ℟. Et habitábis in eis. *Ps.* 5.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 8. G. Datæ sunt illis síngulæ stolæ albæ; & dictum est illis ut requiéscerent, donec compleántur conservi eórum, qui interficiendi sunt sicut & illi. [ Allelúia. ] *Apoc.* 6.

*Oratio, ut suprà ad Laudes, nisi sit propria.*

---

# COMMUNE SANCTORUM PONTIFICUM.

IN I. VESPERIS.

*Ant.* 1. f. Dabo vobis Pastóres juxta cor meum, & pascent vos scientiâ & doctrinâ. [ *Tempore Paschali, ad omnes Antiphonas additur* Allelúia. ] *Jer.* 3.

*Ant.* 2. D. Pópulum meum docébunt quid sit inter sanctum & pollútum, & inter mundum & immundum ostendent eis. [ Allelúia. ] *Ezech.* 44.

*Ant.* 3. g. Cùm fúerit controvérsia, stabunt in judiciis meis, & judicábunt. [ Allel. ] *Ezech.* 44.

*Ant.* 4. E. Holocaústa eórum, & victimæ eórum placébunt mihi super altári meo. [ Allelúia. ] *Is.* 56.

*Ant.* 5. a. Invocábunt nomen meum super fílios Israel, & ego benedícam eis. [ Allelúia. ] *Num.* 6.

*Capitulum.* Heb. 5.

Omnis Póntifex ex homínibus assúmptus, pro homínibus constitúitur in iis

quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccátis. Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocátur à Deo tanquam Aaron.

*In Dupl. 1. ordinis, & supra.*

℟. Locútus es sanctis tuis, Dómine, & dixisti: Invéni servum meum, * Oleo sancto meo unxi eum: † Manus mea auxiliábitur ei. [ *Tempore Paschali, ad singula Responsoria, & ad eorum Reclamationes additur*, Allelúia, allelúia. ] ℣. Huic Deus testimónium pérhibens, dixit: Invéni virum secundùm cor meum: * Oleo. Glória Patri. † Manus. *Ps.* 88. *Act.* 13.

*Hymnus.*

CHRISTE, Pastórum caput atque princeps,
Præsulis festam veneráta lucem,
Débitis supplex tua templa votis
Turba frequentat.
ILLE non vano ténuit tremendam
Spíritu sedem, próprio nec ausu:
Sed sacrum jussus, Dómino vocante,
Sumpsit honórem.
STRENUUM bello púgilem superni
Chrísmatis pleno tuus unxit intùs
Spíritus cornu, posuitque sanctam
Páscere gentem.
FIT gregis pastor, pater atque forma:
Lætus impendit sua, seque; servus
Omnium, curis gravis, omnibusque
Omnia factus.
PRO reis orat, réficit gementes,
Erigit lapsos, tenebrasque pellit;
Fit potens verbo, docet alta, pravum
Conterit hostem.
FAC ut illius précibus juvémur,
Christe; fac Patrem, pariterque recum
Spíritum jugi celebrémus hymno
Omne per ævum. Amen.

℣. Beátus quem elegísti & assumpsísti: ℟. Inhabitabit in átriis tuis. *Ps.* 64.

*Ad* Magnificat. *Ant.* 4. E. Elégit ipsum Dóminus ab omni vivente offerre sacrificium Deo, incensum & bonum odórem pro pópulo suo. [ Allelúia. ] *Eccli.* 45.

*Oratio, ut infrà ad Laudes, nisi sit propria.*

[ *In Solemnibus ad Completorium super Psalmos. Ant.* 3. *a.* Die noctuque fugiébat somnus ab óculis meis pro grégibus tuis, Domine. [ Allelúia. ] *Gen.* 31. ]

## AD OFFICIUM NOCT.

*Invit.* Christum Pastórum príncipem, * Venite, adorémus. [ *Tempore Paschali additur*, Allelúia. ] 1. *Petr.* 5. *Ps.* 94. Venite. 2.

*Hymnus.*

CHRISTE, decréto Patris institútus
Póntifex summo, tibi, qui fidéles
Quos legis, formas pópulis regendis
Ipse ministros.

Hunc juvat festo celebráre cantu,
Qui licèt magnis méritis abundans,
Flens & invitus, duce te, tremendum
Sumpsit honórem.
Noverat quantis páteat perículis
Ille, qui summos ápices adeptus,
Omnium curas, sibi raptus uni,
Sústinet omnes.
Fecerat fervens amor inquiétum:
Quò gregis cari pia cura poscit,
Advolat promptus: mora non euntem
Ulla retardat.
Dux iter, vitâ præeunte, monstrat;
Cómprobat factis sua dicta magnis;
Et domum sanctam bene olente Christi
Implet odóre.
Lux erat cœco, cólumen labanti,
Una spes lapso, mísero levámen,
Próvidus cunctis pater, omnibusque
Omnia factus.
Christe, Pastórum bonus ipse Pastor,
Qui greges pascis próprio cruóre,
Fac ut æternæ súbeant opíma
Páscua vitæ. Amen.

[ *Tempore Paschali. Officium Matut. ordinatur ut præscriptum est in Communi unius Martyris*, iij. ]

*IN I. NOCTURNO.*

*Ant.* 2. D. Vocávit eum Dóminus, & ait: Vidi afflictiónem pópuli mei: veni, & mittam te, ut edúcas pópulum meum. [ Allelúia. ] *Exod.* 3.

*Ant.* 1. g. Dixit ad Deum: Quis sum ego, ut vadam & edúcam filios Israel? Qui dixit ei: Ego ero tecum. [ Allelúia. ] *Exod.* 3.

*Ant.* 8. G. Perge ígitur & ego ero in ore tuo: tu autem eris in his quæ ad Deum pértinent. [ Allel. ] *Exod.* 4.

℣. Pósui adjutórium in potente, ℟. Et exaltávi electum de plebe mea. [ Allelúia. ] *Ps.* 88.

*Lectiones de Script. occurr.*

℟. *j.* Rectórem te posuérunt? noli extolli: * Esto in illis quasi unus ex ipsis; curam illórum habe. [ *Tempore Paschali.* Allelúia, allelúia. ] ℣. Si quis vult primus esse, erit ómnium novíssimus, & ómnium minister: * Esto. *Eccli.* 32. *Marc.* 9.

℟. *ij.* Speculatórem dedi te dómui Israel: * Audiens ergo ex ore meo sermónem, annuntiábis eis ex me. [ Allelúia, allelúia. ] ℣. In mente habe quáliter accéperis, & audiéris, & serva: * Audiens. *Ezech.* 33. *Apoc.* 3.

℟. *iij.* Accéde ad altáre, & ímmola pro peccáto tuo: * Offer holocaustum, & † Deprecáre pro te & pro pópulo. [ Allelúia, allelúia. ] ℣. Debet Póntifex quemádmodùm pro pópulo, ita étiam & pro semetipso offerre pro peccátis: * Offer. Glória Patri. † Deprecáre. *Levitic.* 9. *Hebr.* 5.

*IN II. NOCTURNO.*

*Ant.* 5. a. In lege Dómini

congregatiónem judicávit, & in fide sua probátus est prophéta; & cógnitus est in verbis suis fidélis. [ Allelúia. ] *Eccli.* 46.

*Ant.* 3. *a.* Dedit illis legem, ne oblivíscerentur præcepta Dómini, & ut non exerrárent méntibus; & hortabátur ne legem amovérent à corde suo. [ Allelúia. ] 2. *Mach.* 2.

*Ant.* 8. c. Invocávit Dóminum omnipotentem in oppugnando hostes circumstantes úndique, in oblatióne Agni inviolati. [ Allelúia. ] *Eccli.* 46.

℣. Invocábant Dóminum sacerdótes ejus; ℟. Ipse exaudiébat eos, & loquebátur ad eos. *Ps.* 98.

*Lectiones, ut in Proprio.*

℟. *iv.* Hic erat edoctus viam Dómini, * Et fervens spíritu loquebátur ea quæ sunt Jesu. [ Allelúia, allelúia. ] ℣. Unxit illum óleo sancto, & dedit illi Dóminus in præceptis suis potestátem docére Jacob testimónia, & in lege suâ lucem dare Israel: * Et fervens. *Act.* 13. *Eccli.* 45.

℟. *v.* Lex veritátis fuit in ore ejus, & iníquitas non est invénta in lábiis ejus: in pace & in æquitáte ambulávit, * Et multos avertit ab iniquitáte. [ Allelúia, allelúia. ] ℣. Hortabátur omnes in propósito cordis permanére in Dómino: quia erat vir bonus & plenus Spíritu sancto. * Et multos. *Malach.* 2. *Act.* 11.

℟. *vj.* Obtulit holocaustum Dómino: & * Clamávit ad Dóminum pro Israel, & exaudívit eum Dóminus. [ Allelúia, allelúia. ] ℣. Plúrimam hóstiam óbtulit Deo, per quam testimónium consecútus est esse justus, testimónium perhibente munéribus ejus Deo. * Clamávit. Glória. * Clamávit. 1. *Reg.* 7. *Hebr.* 11.

*IN III. NOCTURNO.*

*Ant.* 4. A. In omni ópere dédit confessiónem Sancto & Excelso in verbo glóriæ. [ Allelúia. ] *Eccli.* 47.

*Ant.* 7. *d.* Erogávit pecúnias multas: justítiam & fidem conservávit genti suæ; & exquisívit omni modo exaltáre pópulum suum. [ Allelúia. ] 1. *Mach.* 14.

*Ant.* 1. a. Non recédet memória ejus, & nomen ejus requirétur à generatióne in generatiónem. [ Allelúia.. ] *Eccli.* 39.

℣. Justítia ejus manet in séculum séculi: ℟. Cornu ejus exaltábitur in glória. *Ps.* 111.

*Evangelium & Homilia, ut in Proprio.*

℟. *vij.* Quis est fidélis servus & prudens, quem constítuit dóminus suus super famíliam suam, ut det illis cibum in témpore? * Beátus ille servus, quem cùm vénerit dóminus ejus, invénerit sic faciéntem. [ Allelúia, allelúia. ] ℣. A domino suo præpósitus ómnibus, gubernábat créditâ sibi domum. * Beátus. *Matth.* 24. *Genes.* 39.

℟. *viij.* Sacerdos magnus in vita sua suffulsit domum, & corroborávit templum: * Curávit gentem suam, & liberávit eam à perditióne, adeptus est glóriam in conversatióne

tióne gentis. [ Allelúia, allelúia. ] ℣. Exemplum fidélium in verbo, in conversatióne, in charitáte, in fide. * Curávit gentẽ. *Eccli.* 50. 1. *Tim.* 4.

℟. *ix.* Euge, serve bone & fidélis; quia super pauca fuísti fidélis, super multa te constítuam: * Intra in gáudium dómini tui. [ Allelúia, allelúia. ] ℣. Super pópulum meum constítui te: sapiéntia & sciéntia data sunt tibi; & glóriam dabo tibi. * Intra. Glória. * Intra. *Matth.* 25. 2. *Paral.* 1.

Te Deum.

AD LAUDES.

*Ant.* 7. a. QUi intrat per óstium, pastor est óviũ: huic ostiárius áperit; & oves vocem ejus áudiunt. [ Allelúia. ] *Joan.* 10.

*Ant.* 2. D. Próprias oves vocat nominátim, & edúcit eas, & ante eas vadit. [ Allelúia. ] *Joan.* 10.

*Ant.* 7. d. Oves illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus: aliénum autem non sequuntur, sed fúgiunt ab eo. [ Allelúia. ] *Joan.* 10.

*Ant.* 6. Si perdíderit unam ex illis, vadit ad illam donec invéniat eam; & cùm invénerit, impónit in húmeros suos gaudens. [ Allelúia. ] *Luc.* 15.

*Ant.* 8. G. Fur venit ut perdat; mercenárius videt lupum, & fugit: bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. [ Allelúia. ] *Joan.* 10.

*Capitulum.* Tit. 1.

OPortet Epíscopum sine crímine esse, sicut Dei dispensatórem; hospitálem, benígnum, sóbrium, justum, sanctum, continentem, amplectentem eum, qui secundùm doctrínâ est, fidélem sermónem: ut potens sit exhortári in doctrínâ sanâ, & eos qui contradícunt, arguere.

*Hymnus.*

JESU, Sacerdótum decus,
In hac die, quâ glóriâ
Sanctum corónas Præsulem,
Votis adesto súpplicum.

SUI probátus præmium
Amóris, & pignus tui,
A Patre tráditos tibi
Accépit agnos páscere.

HOs novit, & præit vocans
In tuta quemque páscua,
Victumque præbet: áudiunt,
Sequuntur, & vivunt oves.

QUAM sentit errantem jugis,
Hanc nocte quærit ac die;
Et gaudet inventam suo
Portans ovili réddere.

ARCET frementes béstias,
Lupi retundit ímpetus,
Dolosque fallit, vel mori
Caro parátus pro grege.

OFFERT frequentem victimam
Cum plebe Pastor ínnocens
Secumque devótum gregem
Pius Sacerdos ímmolat.

*Ante Paschа.*

SUPREME Christe Póntifex,
Jugis tibi sit glória,
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula. Amen.

*Tempore Paschali.*

DA, Christe, nos tecum mori,
Tecum simul da súrgere:
Terréna da contémnere,
Amáre da cœléstia.

SIT laus Patri; laus Filio,
Qui nos, triumphátâ nece,

Ad astra secum dux vocat: Compar tibi laus, Spíritus. Amen.

℣. Elégit Dóminus servum suum, ℟. Páscere hæreditátem suam. *Ps.* 77.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 1. D. Ego sum óstium: per me si quis introíerit, salvábitur, & ingrediétur, & egrediétur, & páscua invéniet. [ Allelúia. ] *Joan.* 10.

*Oratio.*

DEus, qui pópulis tuis indulgéntiâ cónsulis, & amóre domináris; quique illis regendis vicários caritátis tuæ præficis ministros: da, quæsumus, intercedente beáto N. Pontifice, Spíritum sapiéntiæ, quibus præesse dedísti Eccléfiæ tuæ; ut de profectu sanctárum óvium fiant gáudia æterna Pastórum; Per Dóminum.... in unitáte ejusdem Spíritûs, &c.

*Alia Oratio.*

DEus, fidélium lumen & Pastor animárum, qui beátum N. Episcopum in Eccléfia posuísti, ut oves tuas verbo pásceret, & informáret exemplo: da nobis ejus intercessióne, & fidem servare quã docuit, & viam sequi quam exemplo monstrávit; Per.

AD PRIMAM.

*Ant.* Qui intrat per óstium.

AD TERTIAM.

*Ant.* Próprias oves.

*Capitulum.* Prov. 27.

DIligenter agnósce vultũ pécoris tui, tuosque greges considera; non enim habébis júgiter potestátem; sed coróna tribuétur in generatiónem & generatiónem.

℟. *br.* Deus protector meus, * In ipso sperávi. [ * Allelúia, allelúia. ] Deus. ℣. Qui subdit pópulum meum sub me. [ * Allelúia, allelúia. ] Glória Patri. Deus. *Ps.* 143.

*In Quadrag. omisso* Allelúia. *Reclamatio fit ad primum asteriscum* *, *& sic ad alias Horas.*

℣. Nisi Dóminus custodiérit civitátem; ℟. Frustra vigilat qui custódit eam. *Ps.* 126.

AD SEXTAM.

*Ant.* Oves.

*Capitulum.* 1. Petr. 5.

PAscite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coactè, sed spontáneè secundum Deum, neque turpis lucri grátiâ, sed voluntáriè; neque ut dominantes in Cleris, sed forma facti gregis ex ánimo.

℟. *br.* Deduxit eos * In viam rectam. [ * Allelúia, allelúia. ] Deduxit. ℣. Ut irent in civitátem habitatiónis. [ * Allelúia, allelúia. ] Glória Patri. Deduxit. *Ps.* 106.

℣. Abstulit sicut oves pópulum suum, ℟. Et deduxit eos in spe. *Ps.* 77.

AD NONAM.

*Ant.* Fur venit.

*Capitulum.* Act. 20.

ATténdite vobis, & universo gregi in quo vos Spíritus sanctus pósuit Episcopos régere Eccléfiam Dei, quam acquisívit sánguine suo.

℟. *br.* Pavit eos * In innocéntia cordis sui. [ * Allelúia, allelúia. ] Pavit eos. ℣. Et in intellectibus mánuum suárum deduxit eos. [ Allelúia, allelúia. ] Glória. Pavit eos. *Ps.* 77.

℣. Nos pópulus tuus & oves páscuæ tuæ, ℟. Confitébimur tibi in séculum. *Ps.* 78.

AD II. VESPERAS.

*Ant.* Eccléſiæ factus ſum 3. a. ego miniſter ſecundùm diſpenſatiónem Dei, quæ data eſt mihi in vos, ut impleam verbum Dei. [ Allelúia. ] *Coloſſ.* 1.

*Ant.* 4. E. Scitis quómodò nihil ſubtráxerim utílium, quóminùs annuntiárem vobis & docérem vos públicè, & per domos. [ Allelúia. ] *Act.* 20.

*Ant.* 1. D. Mundus ſum à sánguine ómnium; non enim ſubterfúgi quóminùs annuntiárem omne consílium Dei vobis. [ Allelúia ] *Act.* 20.

*Ant.* 8. G. Nihil véreor, nec fácio ánimam meam pretioſiórem quàm me, dúmmodò conſummem curſum meũ, & miniſtérium verbi quod accépi à Dómino Jeſu. [ Allelúia. ] *Act.* 20.

*Ant.* 7. ç. Abſit à me hoc peccátum in Dóminum, ut ceſſem oráre pro vobis; & docébo vos viam bonam & rectam. [ Allel. ] 1. *Reg.* 12.

*Capitulum.* Act. 20.

NOcte & die non ceſsávi, cum lácrymis monens unumquemque veſtrûm: & nunc commendo vos Deo, & verbo grátiæ ipsíus, qui potens eſt ædificáre, & dare hæreditátem in ſanctificátis ómnibus.

*Hymnus*, Chriſte, Paſtórum. *ut in I. Veſperis.*

℣. Salvum fecit Dóminus Chriſtum ſuum: ℟. Exáudiet illum de cœlo ſancto ſuo. *Pſ.* 19.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 5. C. Státuit ei Dóminus teſtamentum æternum; dedit illi ſacerdótium gentis, & beatificávit illum in glória. [ Allelúia. ] *Eccli.* 45.

*Oratio, ut ſupra in Laudibus, niſi ſit propria.*

---

# COMMUNE SS. DOCTORUM.

IN I. VESPERIS.

*Ant.* A Deo profecta eſt 4. E. ſapiéntia: & in ore fidéli abundábit; & Dominátor dabit eam illi. [ *Tempore Paſch. ad omnes Antiphonas additur*, Allelúia. ] *Eccli.* 15.

*Ant.* 5. a. Denudábit abſconſa ſua illi, & theſaurizábit ſuper illum ſciéntiam & intellectum juſtítiæ. [ Allelúia. ] *Eccli.* 4.

*Ant.* 3. a. Cibábit illum Deus pane vitæ & intellectûs, & aquâ ſapiéntiæ ſalutáris potábit. [ Allelúia. ] *Eccli.* 15.

*Ant.* 8. G. Firmábitur in illo, & non flectétur; & continébit illum, & non confundétur; & exaltábit illum apud próximos ſuos. [ Allelúia. ] *Eccli.* 15.

*Ant.* 1. D. Stolâ glóriæ véſtiet illum; & nómine æterno hæreditábit illum. [ Allel. ] *Eccli.* 15.

*Capitulum.* Eccli. 37.

VIr sápiens plebem suam érudit, & fructus sensûs illius fidéles sunt. Vir sápiens implébitur benedictiónibus, & vidéntes illum laudábunt. Sápiens in pópulo hæreditábit honórem, & nomen illius erit vivens in ætérnum.

*In Dupl. 1. ordinis & supra.*

℟. Dóminus dat sapiéntiam sapiéntibus, & sciéntiam intelligéntibus disciplínam: * Ipse revélat profunda & abscóndita, & † Lux cum eo est. [ *Tempore Paschali, ad singula Responsoria, & eorum Reclamationes additur*, Allelúia, allelúia. ] ℣. Spíritus ómnia scrutátur, étiam profunda Dei: * Ipse. Glória. †. Lux. *Dan. 2. 1. Cor. 2.*

*Hymnus.*

O Qui perpétuus nos mónitor doces,
Vox ætérna Patris, Christe, Vicários
Doctóres, pátrias cùm témeas domos,
Nobis quàm bene súppetis!
Hi semper vigilant, ne quid adúlterum
Corrumpat fidei virgíneum decus:
Lædi vel léviter non pátitur fides,
His custódibus íntegra.
Infames ábolent relíquias deum:
Errónes ábigunt, crímina dédocent:
Christo restituunt, quos malè crédulos
Mendax lúserat hæresis.
Patrum canítiem, tot veneráhiles
Rugas objiciunt, unde nitet fides:
Quæ sunt prisca, docent, quæ nova súbruunt:
Servant depósitum Dei.
Sit supréma tibi glória, Véritas,
Quæ per scripta Patrum quando foris sonas,
Nullo vocis egens, corda doces, sono,
Et te méntibus inseris. Am.

℣. Beátus homo quem tu erudíeris, Dómine, ℟. Et de lege tua docéris eum. *Ps. 93.*

*Ad* Magníficat. *Ant. 7. G.* Beátus qui excógitat vias sapiéntiæ in corde suo, vadens post illam quasi investigátor: protegétur sub tégmine illius a fervóre, & in glória ejus requiéscet. [ Allelúia. ] *Eccli. 14.*

*Oratio, ut infra ad Laudes.*

[ *In Solemnibus, ad Completorium super Psalmos Ant. 6.* Qui vigiláverit propter sapiéntiam, citò secúrus erit; quóniam dignos se ipsa circuit quærens, & in viis osténdit se illis hiláriter. [ Allelúia. ] *Sap. 6.* ]

AD OFFICIUM NOCT.

*Invitat.* Fontem sapiéntiæ Dóminum, * Veníte, adorémus. [ *Tempore Paschali*, Allelúia. ] *Eccli. 1.*

*Ps. 94.* Veníte. 2.

*Hymnus.*

JAm nunc, quæ números tot tibi vindices,
Effer fidéreum, Relligio, caput:
Quot sunt mota tibi prælia, nóbiles
Tot nectis tibi láureas.
Cum per mille neces impietas furit,
Oppónis válido péctore Mártyres;

Cùm per mille dolos décipit hæresis,
Doctóres tibi fúscitas.
QUANDO spársa lues úndique críminum,
Hi glíscens vitium prótinus ámputant:
Quando plúrima nox méntibus incubat,
Hi plenum révehunt diem.
FIRMANT instábiles, & dúbios regunt:
Monstrant tuta procul líttora náufragis:
Nobis, qui véhimur cæca per æquora,
Lucent perpétuæ faces.
QUÆ dixêre tuis cónsona sénsibus,
Nostris illa, Deus, córdibus ímprimas:
Quos terris cólimus, quos séquimur duces,
Fac nos móribus ássequi.
SIT supréma tibi glória, Véritas,
Quæ per scripta Patrum, quando foris sonas,
Nullo vocis egens, corda doces, sono,
Et te méntibus ínseris.
Amen.

*Tempore Paschali, Officium Matut. ordinátur ut notátur in Communi unius Martyris, suprà.* iij.

*IN I. NOCTURNO.*

*Ant.* 3. a. Sapiéntia non est multis manifésta; quibus autem cógnita est, pérmanet usque ad conspectũ Dei. [ Allelúia. ] *Eccli.* 6.

*Ant.* 4. E. Os prudéntis quæritur in Ecclésia, & verba illíus cogitábunt in córdibus suis. [ Allelúia. ] *Eccli.* 21.

*Ant.* 5. a. Sciéntia sapientis tanquam inundátio abundábit, & consílium illíus sicut fons vitæ pérmanet. [ Allelúia. ] *Eccli.* 21.

℣. Os justi meditábitur sapiéntiam, ℟. Et lingua ejus loquétur judícium. *Ps.* 36.

*Lectiones de Scriptura occurrente.*

℟. *j.* In médio Ecclésiæ apériet Dóminus os ejus, * Et adimplébit illum spíritu sapiéntiæ & intellectûs. [ *Tempore Paschali*, Allelúia, allelúia. ] ℣. Si quis índiget sapiéntia, póstulet à Deo, qui dat ómnibus affluenter, & non impróperat. * Et adimplébit. *Eccli.* 15. *Jac.* 1.

℟. *ij.* Ipse tanquam imbres mittet elóquia sapiéntiæ suæ: * Ipse psalam fáciet disciplínam doctrínæ suæ, & in lege testamenti Dómini gloriábitur. [ Allelúia, allelúia. ] ℣. Multos filiórum Israel convértet ad Dóminum Deum ipsórum. * Ipse. *Eccli.* 39. *Luc.* 1.

℟. *iij.* Omnis scriba doctus in regno cœlórum * Símilis est hómini patrifamílias qui † Profert de thesáuro suo nova & vétera. [ Allelúia, allelúia. ] ℣. In corde prudéntis requiéscit sapiéntia, & indóctos quosque erúdiet. * Símilis. Glória Patri. † Profert. *Matth.* 13. *Prov.* 14.

*IN II. NOCTURNO.*

*Ant.* 7. ç. Ecce dedi verba mea in ore tuo: ecce constítui te ut evéllas, & déstruas, & dispérdas, & ædífices, & plantes. [ Allelúia. ] *Jerem.* 1.

*Ant.* 8. G. Ne retíneas verbum in témpore salútis:

in lingua enim ſapiéntia dignóſcitur ; & ſenſus, & ſciéntia, & doctrína in verbo ſensáti. [ Allelúia. ] *Eccli.* 4.

*Ant.* 2. D. Depóſitum cuſtódi, devítans profánas vocum novitátes, & oppoſitiónes falſi nóminis ſciéntiæ. [ Allel. ] 1. *Tim.* 6.

℣. Deus, docuíſti me à juventúte mea : ℟. Pronuntiábo mirabília tua. *Pſ.* 70.

*Lectiones, ut in Proprio.*

℟. *iv.* Qui habet ſermónem meum, loquátur ſermónem meum verè. * Numquid non verba mea ſunt quaſi ignis, & quaſi málleus cónterens petram ? [ Allelúia, allelúia. ] ℣. Si quis voluérit voluntáte fácere ejus qui miſit me, cognoſcet de doctrína ; utrum ex Deo ſit. * Numquid. *Jerem.* 23. *Joan.* 7.

℟. *v.* Confortáre in grátia quæ eſt in Chriſto Jeſu, & * Quæ audiſti, hæc commenda fidélibus homínibus qui idónei erunt & álios docére. [ Allelúia, allelúia. ] ℣. Erudítus es in juventúte tua ; & implétus es quaſi flumen, ſapiéntia. * Quæ audiſti. 2. *Tim.* 2. *Eccli.* 47.

℟. *vj.* Dabo te, dicit Dóminus, in murum æreum, fortem : * Et bellábunt adversùm te, & † Non prævalébunt ; quia ego tecum ſum. [ Allelúia, allelúia. ] ℣. Exurgent viri loquentes perverſa, ut abdúcant diſcípulos poſt ſe : * Et bellábunt. Glória Patri † Non. *Jerem.* 15. *Act.* 20.

*IN III. NOCTURNO.*

*Ant.* 4. D. Propóſui ſapiéntiam addúcere mihi ad convivendum ; ſciens quóniam mecum communicábit de bonis. [ Allelúia. ] *Sap.* 8.

Ant. 7. d. Quæsívi ſapiéntiam palàm in oratióne mea ; & efflóruit tanquam præcox uva. [ Allelúia. ] *Eccli.* 51.

*Ant.* 1. f. Inventi ſunt ſermónes tui, Dómine ; & comédi eos : & factum eſt mihi verbum tuum in lætítiam cordis mei. [ Allelúia. ] *Jerem.* 15.

℣. Scrutábor legem tuam, Dómine, * Et cuſtódiam illã in toto corde meo. *Pſ.* 118.

*Evangelium & Homilia, ut in Proprio.*

℟. *vij.* Super ſalútem & ſpéciem dilexi ſapiéntiam : * Et propóſui pro luce habére illam : venérunt autem mihi ómnia bona páriter cum illa. [ Allelúia, allelúia. ] ℣. Quæ deſurſum eſt ſapiéntia, pudica eſt, pacífica, plena miſericórdiâ & frúctibus bonis ; * Et propóſui. *Sap.* 7. *Jac.* 3.

℟. *viij.* Optávi, & datus eſt mihi ſenſus ; & invocávi, & venit in me Spíritus ſapiéntiæ : & præpóſui illam regnis & ſédibus, * Et divítias nihil eſſe duxi in comparatióne illíus. [ Allelúia, allelúia. ] ℣. Exíſtimo ómnia detrimentum eſſe propter eminentem ſciéntiã Jeſu Chriſti Dómini mei ; * Et divítias. *Sap.* 1. *Philip.* 3.

℟. *ix.* Sapiéntia bonórum ómnium mater eſt ; quam ſine fictióne dídici, & ſine invídia commúnico : infinítus enim theſaurus eſt ; * Quo qui uſi ſunt, † Partícipes facti ſunt amicítiæ Dei. [ Allelúia, allelúia. ] ℣. Bonus homo de bono theſauro córdis ſui pro-

fert bonum; * Quo qui usi sunt. Glória Patri. † Participes. *Sap.* 7. *Luc.* 6.

Te Deum.

AD LAUDES.

*Ant.* 2. D. Dominus dedit mihi linguam eruditam; ut sciam sustentáre eum qui lassus est, verbo. [ Allelúia. ] *Is.* 50.

*Ant.* 6. Sermo meus non in persuasibílibus humánæ sapiéntiæ verbis; sed in ostensióne Spíritûs, & virtútis. [ Allelúia. ] 1. *Cor.* 2.

*Ant.* 3. g. Auxílio adjútus Dei sto, testíficans minóri atque majóri, nihil extra dicens quàm ea quæ Prophétæ locúti sunt. [ Allelúia. ] *Act.* 26.

*Ant.* 4. A. Non judicávi me scire áliquid inter vos, nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum. [ Allelúia. ] 1. *Cor.* 2.

*Ant.* 5. a. Si nóverim mystéria ómnia, & omnem sciéntiam; caritátem autem non habúero, nihil sum. [ Allelúia. ] 1. *Cor.* 13.

*Capitulum.* Sap. 7.

Mihi dedit Deus dícere ex sententia, & præsúmere digna horum quæ mihi dantur; quóniam ipse sapiéntiæ dux est, & sapiéntium emendátor: in manu enim illíus & nos, & sermónes nostri, & omnis sapiéntia, & óperum sciéntia & disciplína.

*Hymnus.*

VOs succensa Deo spléndida lúmina:
Vos sal, nos hómines quo sápimus Deum;
Ævum, puri ánimo, móribus íntegri,
Quo condímur in álterum.
Per vos Relígio, tutaque Véritas,
Per vos virgíneis fulget honóribus:
Per vos Christus amat pándere divites
Thesáuros sapiéntiæ.
Vestris unda fluit pura canálibus;
Christi floret ager; munda nitet seges:
Lac aptum púeris, & sólidum viris
Cauti sufficitis cibum.
Hi sunt, fumme Deus, qui tibi mílitant;
Hi sunt, qui stábiles ædíficant domos:
Unâ docta cohors arma tenet manu,
Muros cónstruit álterâ.
Vicistis stygias vos quibus hæreses,
Hæc nos accípimus tela supérstites:
His pugnámus adhuc, nec dúbio éxitu;
His armis quoque víncimus.
Sit suprema tibi glória, Véritas,
Quæ per scripta Patrum, quando foris sonas,
Nullo vocis egens, corda doces, sono,
Et te méntibus ínseris.
Amen.

℣. Annuntiávi justítiam tuam in eccléfia magna; ℟. Ecce lábia mea non prohibébo: Dómine, tu scísti. *Ps.* 39.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 1. *D.* Sapiéntia & fortitúdo Dómini sunt: tibi, Deus, confiteor, teque laudo; quia sapiéntiam

& fortitúdinem dedísti mihi. [ Allelúia. ] *Dan.* 11.

*Oratio.*

OMnípotens, ætérne Deus, qui Eccléſiæ tuæ filios, ſicut non ceſſas erudíre, ita non déſinis adjuváre: da fidélibus tuis interceſſióne beáti *N.* quem eis ætérnæ ſalútis miniſtrum tribuísti, ut, te miſerante, ſciéntiam recta faciendi, & virtútem cápiant exequendi; Per.

*Alia Oratio.*

EXcita, Dómine, in Eccléſia tua Spíritum, quo beátus *N.* ſervívit; ut eódem nos replente, ſtudeámus amáre quod amávit, & ópere exercére quod docuit; Per... in unitáte ejuſdem Spíritûs.

AD PRIMAM.

*Ant.* Dóminus.

AD TERTIAM.

*Ant.* Sermo meus.

*Capitulum.* 1. Cor. 12.

UNicuíque datur manifeſtátio Spíritûs ad utilitátem: álii quidem per Spíritum datur ſermo ſapiéntiæ: álii autem ſermo ſciéntiæ ſecúndum eumdem Spíritum.

℟. *br.* Da mihi intellectum, * Et ſcrutábor legem tuam. [ Allelúia, allelúia. ] Da mihi. ℣. Státue ſervo tuo elóquium tuum, Dómine, [ * Allelúia, allelúia. ] Glória Patri. Da mihi. *Pſ.* 118.

[ *Tempore Quadrag. omiſſo* Allelúia, *Reclamatio ſit ad primum aſteriſcum.* * ]

℣. Os meum loquétur ſapiéntiam, ℟. Et meditátio cordis mei prudéntiam. *Pſ.* 48.

AD SEXTAM.

*Ant.* Auxílio.

*Capitulum.* 1. Tim. 6.

SI quis áliter docet, & non acquieſcit ſanis ſermónibus Dómini noſtri Jeſu Chriſti, & ei quæ ſecúndum pietátem eſt doctrínæ, ſuperbus eſt, nihil ſciens.

℟. *br.* Viam veritátis elégi, * Judícia tua non ſum oblítus. [ Allelúia, allelúia. ] Viam. ℣. Adhæſi teſtimóniis tuis, Dómine, [ * Allelúia, allelúia. ] Glória Patri. Viam.

℣. A judíciis tuis non declinávi; ℟. Quia tu legem poſuíſti mihi. *Pſ.* 118.

AD NONAM.

*Ant.* Si nóverim.

*Capitulum.* 1. Tim. 1.

FInis præcepti eſt cáritas de corde puro, & conſciéntia bonâ, & fide non fictâ: a quibus quidam aberrantes, converſi ſunt in vanilóquium, volentes eſſe legis doctóres, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.

℟. *br.* Veritátem tuam * Et ſalutáre tuum dixi. [ * Allelúia, allelúia. ] Veritátem. ℣. Non abſcondi miſericórdiam tuam, & veritátem tuam; [ * Allelúia, allelúia. ] Glória Patri. Veritátem. *Pſ.* 39.

℣. Pronuntiávi ómnia judícia oris tui: ℟. In via teſtimoniórum tuórum delectátus ſum. *Pſ.* 118.

AD II. VESPERAS.

*Ant.* 1. f. FUit gratus Deo, eruditus omni ſapiéntiâ; & erat potens in verbis & in opéribus ſuis. [ Allelúia. ] *Act.* 7.

*Ant.* 5. C. Juxta manum Dei ſui bonam ſuper ſe, pará-

vit cor suum, ut investigáret legem Dómini, & fáceret, & docéret. [ Allelúia. ] 1. *Esdr.* 7.

*Ant.* 8. c. Postquàm se ámpliùs dedit ad diligéntiam lectiónis legis & Prophetárum, vóluit & ipse scríbere quæ ad doctrínam & sapiéntiam pértinent. [ Allelúia. ] *Prolog. Eccli.*

*Ant.* 3. a. Cùm esset sapientíssimus, dócuit pópulum: quæsívit verba utília, & conscripsit sermónes rectíssimos ac veritáte plenos. [ Allelúia. ] *Eccles.* 12.

*Ant.* 7. a. Collaudábant multi sapiéntiam ejus, & usque in séculum non delébitur. [ Allelúia. ] *Eccli.* 39.

*Capitulum.* Eccli. 39.

NOn recédet memória ejus, & nomen ejus requirétur à generatióne in generatiónem; sapiéntiam ejus enarrábunt gentes, & laudem ejus enuntiábit Eccléfia.

*Hymnus*, O qui perpétuus. *ut in I. Vesperis.*

℣. Beátus vir qui dispónet sermónes suos in judício: ℟. In æternum non commovébitur. *Ps.* 111.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 6. Qui docti fuérint, fulgébunt quasi splendor firmaménti; & qui ad justítiam erúdiunt multos, quasi stellæ in perpétuas ætérnitates. [ Allelúia. ] *Dan.* 12.

*Oratio, ut supra ad Laudes, nisi sit propria.*

---

# COMMUNE SS. PRESBYTERORUM.

## IN I. VESPERIS.

*Ant.* 3. a. SUscitábo mihi Sacerdótem fidélem, qui juxta cor meum & ánimã meam fáciet. [*Tempore Pasc. additur ad omnes Antiphonas,* Allelúia. ] 1. *Reg.* 2.

*Ant.* 2. D. Ædificábo ei domum fidélem; & ambulábit coram Christo meo cunctis diébus. [ Allelúia. ] 1. *Reg.* 2.

*Ant.* 8. c. Ecce do ei pacem fœderis mei, & erit ipsi pactum sacerdótii sempitérnum. [ Allelúia. ] *Num.* 25.

*Ant.* 1. D. Lábia Sacerdótis custódient sciéntiam, & legem requírent ex ore ejus. [ Allelúia. ] *Malach.* 2.

*Ant.* 7. *d.* Apériet os suum, & in oratióne confitébitur Dómino; & ipse dirìget consílium ejus & disciplínam. [ Allelúia. ] *Eccli.* 39.

*Capitulum.* Num. 16.

NOtum fáciet Dóminus qui ad se pertíneant, & sanctos applicábit sibi, & quos elégerit appropinquábunt ei.

*In Duplicibus* 1. *ordinis, & supra.*

℟. Sacerdótes qui custodiérunt cæremónias sanctuárii mei, qui ingrediéntur sanctuárium meum. Et * Ipsi accédent ad mensam meam, ut minístrent mihi. [ *Tempore Paschali, ad omnia Responsoria, & eorum Reclamationes additur*, Allelúia, allelúia. ]

℣. Hi probentur primùm, & sic ministrent, nullum crimen habentes. * Ipsi. Glória. * Ipsi. *Ezech.* 44. 1. *Tim.* 3

*Hymnus.*

JAM satis fluxit cruor hostiárum,
Prístinæ cessent holocaústa legis;
Christe, quos formas melióra libant
Sacra ministri.

PINGUE libámen novus & Sacerdos,
Orbe jam toto Deus immolátur;
Se lubens aris litat incruento
Fúnere Christus.

TALE nil prisci Pátribus tribútum:
Angelis nusquam data par potestas;
Per Sacerdótes Deus ipse jugem
Se dat in escam.

FAC, Sacerdótes tua sacra tractent
Péctore intégro manibusque puris,
Christe, fac ardor sacer ut ministros
Applicet aris.

LUMINIS splendor, Patris una proles,
Christe, te pronus venerétur orbis,
Qui Sacerdótes per amóris almi
Flamen inungis. Amen.

℣. Sacerdótes tui induantur justítiam, ℟. Et Sancti tui exultent. *Ps.* 131.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 6. De Sacerdótibus non interíbit vir à fácie meâ, qui ófferat holocaustómata, & incendat sacrificium. [ Allelúia. ] *Jer.* 33.

*Oratio, ut infra ad Laudes.*

[ *In Solemnibus, ad Completorium super Psalmos Ant.* 2. D. Qui státis in domo Dómini, in nóctibus extóllite manus vestras in sancta, & benedícite Dóminum. [ Allelúia. ] *Psal.* 133. ]

## AD OFFICIUM NOCT.

*Invit.* Sacerdótem in ætérnum Jesum Christum, * Veníte, adorémus. [ *Tempore Paschali*, Allelúia. ] *Hebr.* 5.

*Ps.* 94. Venite. 2.

*Hymnus.* JAM satis fluxit, *ut in I. Vesperis.*

[ *Tempore Pasch. Officium Matut. ordinatur ut notatur in Communi unius Martyris*, iij. ]

### *IN I. NOCTURNO.*

*Ant.* 8. G. Designávit Dóminus septuagínta duos, & misit illos ante fáciem suam in omnem civitátem & locum, quò erat ipse ventúrus. [ Allelúia. ] *Luc.* 10.

*Ant.* 2. D. Accépit Jesus panem, & grátias agens frégit, & dixit: Accípite & manducáte: hoc est corpus meum. Similiter & cálicem, dicens: Hic calix novum testamentum est in sánguine meo: hoc fácite in meam commemoratiónem. [ Allelúia. ] 1. *Cor.* 11.

*Ant.* 8. c. Insufflávit & dixit eis: Accípite Spíritum sanctum: quorum remiséritis peccáta, remittuntur eis; & quorum retinuéritis, retenta sunt. [ Allelúia. ] *Joan.* 20.

℣. Benedícite, Sacerdótes Dómini, Dómino. ℟. Laudá-

te, & ſuperexaltáte eum in ſécula. *Dan.* 3.

*Lectiones de Script. occurrente.*

℟. *j.* Vos genus electum, regále ſacerdótium, gens ſancta, pópulus acquiſitiónis: * Ut virtútes annuntiétis ejus qui de ténebris vos vocávit in admirábile lumen ſuũ. [ *Tempore Paſchali*, Allelúia, allelúia. ] ℣. Si cuſtodiéritis pactum meum, ait Dóminus, éritis mihi in pecúlium, & in regnum ſacerdotále, & gens ſancta. * Ut virtútes. 1. *Petr.* 2. *Exod.* 19.

℟. *ij.* Impleſtis manus veſtras Dómino: * Accédite, & ófferte victímas, & laudes in domo Dómini. [ Allelúia, allelúia. ] ℣. Superædificámini domus ſpirituális, ſacerdótium ſanctum, offerre ſpirituáles hoſtias, acceptábiles Deo per Jeſum Chriſtũ. * Accédite. 2. *Paral.* 29. 1. *Petr.* 2.

℟. *iij.* Vidéte quid faciátis: * Non enim hóminis exercétis judícium, ſed Dómini; & quodcumque judicavéritis, in vos redundábit. [ Allelúia, allelúia. ] ℣. Nolíte judicáre ſecundùm fáciem, ſed juſtum judícium judicáte. * Non enim. Glória. * Non enim. 2. *Par.* 19. *Joan.* 7.

*IN II. NOCTURNO.*

*Ant.* 7. d. Sanctificámini & eſtóte ſancti: cuſtodite præcepta mea, & fácite ea: Ego Dóminus qui ſanctífico vos. [ Allelúia. ] *Levit.* 20.

*Ant.* 1. f. Ambulétis dignè Deo, per ómnia placentes, in omni ópere bono fructificantes, & creſcentes in ſciéntia Dei. [ Allelúia. ] *Coloſſ.* 1.

*Ant.* 3. *a.* Erit hoc vobis legítimum ſempiternum, ut oréris pro filiis Iſrael, & pro cunctis peccátis eórũ. [ Allelúia. ] *Levit.* 16.

℣. Dómine, quis habitábit in tabernáculo tuo: ℟. Qui ingréditur ſine mácula. *Pſ.* 14.

*Lectiones, ut in Proprio.*

℟. *iv.* Secundùm eum qui vocávit vos, ſanctum * Et ipſi in omni converſatióne ſancti ſitis: quóniam ſcriptũ eſt: Sancti éritis, quia ego ſanctus ſum. [ Allelúia, allelúia. ] ℣. Ego ſum Dóminus Deus veſter: ſancti eſtóte, quia ego ſanctus ſum.* Et ipſi. 1. *Petr.* 1. *Levit.* 11.

℟. *v.* Vos eſtis lux mundi. * Sic lúceat lux veſtra coram homínibus, ut vídeant ópera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt. [ Allelúia, allelúia. ℣. Juſtórũ ſémita quaſi lux ſplendens, procédit & creſcit uſque ad perfectum diem. * Sic lúceat. *Matt.* 5. *Prov.* 4.

℟. *vj.* Miniſtráte in ſanctuário, & * Sanctificáti immoláte: Fratres etiam veſtros, ut poſſint juxta verba quæ locútus eſt Dóminus fácere, præparáte. [ Allelúia, allelúia. ] ℣. Dignè Evangélio Chriſti conversámini, collaborantes fidei Evangélii. * Sanctificáti. Glória. * Sanctificáti. 2. *Par.* 35. *Philip.* 1.

*IN III. NOCTURNO.*

*Ant.* 2. D. Præceptum ſempiternum eſt, ut habeátis ſcién-

tiam discernendi inter sanctum & prophánum, docearísque filios Israel ómnia legítima mea. [ Allelúia. ] *Levit.* 10.

*Ant.* 4. D. Si præoccupátus fúerit homo in áliquo delícto, vos qui spirituáles estis, instrúite in spíritu lenitátis. [ Allel. ] *Gal.* 6.

*Ant.* 1. g. Cùm apparúerit Princeps Pastórum, percipiétis immarcessíbilem glóriæ corónam. [ Allelúia [ 1. *Petr.* 5.

℣. Vidi prævaricantes, & tabescébam; ℟. Quia elóquia tua non custodiérunt. *Ps.* 118.

*Evangelium & Homilia ut in Proprio.*

℟. *vij.* Ubicumque quæstio est de lege, de mandáto, de cæremóniis, de justificatióni bus, * Osténdite frátribus vestris, ut non peccent in Dóminum, & ne véniat ira super vos, & super fratres vestros. Sic agentes non peccábitis. [ Allelúia, allelúia. ] ℣. Unusquísque sicut accépit grátiam, in altérutrum illam administrántes, sicut boni dispensatóres multiformis grátiæ Christi. * Osténdite. 2. *Par.* 19. 1. *Petr.* 4.

℟. *viij.* Quóniam vos estis Presbyteri in pópulo Dei, & ex vobis pendet ánima illórum, * Ad eloquium vestrum corda córum erígite. [ Allelúia, allelúia. ] ℣. Corrípite inquiétos, consolámini pusillánimes, suscípite infirmos, patientes estóte ad omnes. * Ad elóquium. *Juduh.* 8. 1. *Thess.* 5.

℟. *ix.* Beáti servi illi, quos cum vénerit Dóminus, invénerit vigilántes, * Præcinget se, & faciet illos discúmbere, & tránsiens ministrábit illis. [ Allelúia, allelúia. ] ℣. Accipient regnum decóris, & diadéma speciéi de manu Dómini. * Præcinget se. Glória. * Præcinget se. *Luc.* 12. *Sap.* 5.

Te Deum.

## AD LAUDES.

*Ant.* 8. G. O Homo Dei, sectáre justitiam, pietátem, fidem, caritátem, patiéntiam, mansuetúdinem. [ Allelúia. ] 1. *Tim.* 6.

*Ant.* 7. a Præcipe hæc, & doce. Exemplum esto fidélium in verbo, in conversatióne, in charitáte, in fide, in castitáte. [ Allelúia. ] 1. *Tim.* 4.

*Ant.* 6. Noli negligere grátiam quæ in te est, quæ data est tibi cum impositióne mánuum presbytérii. [ Allelúia. ] *ibid.*

*Ant.* 1. a. Vígila, in ómnibus labóra, opus fac Evangelistæ, ministérium tuum imple, sóbrius esto. [ Allelúia. ] 2. *Tim.* 4.

*Ant.* 2. D. Sollícitè cura teipsum probábilem exhibére Deo, operárium inconfusíbilem, recté tractántem verbum veritátis. [ Allelúia. [ 2. *Timoth.* 2.

*Capitulum.* 2. Tim. 2.

SEctáre justitiam, fidem, charitátem, & pacem cum iis qui ínvocant Dóminum de corde puro: stultas autem & sine disciplína quæstiones devíta, sciens quia génerant lites: servus autem Dei non

oportet li·igáre, ſed manſuétum eſſe ad omnes.

*Hymnus.*

QUANTIS nites honóribus,
Cœlo Sacerdos áddite,
Cum præmiórum pródigus
Tibi Deus ſe dégregit.

PARTIS labóre plúrimo
Quot clarus es virtútibus,
Tot emicantem glória
Ornant corónæ vérticem.

QUOS parturiſti númini
Te fílii nunc ámbiunt,
Tuóque lætis cántibus
Certant triumpho pláudere.

CHRISTUS tuum ſit præmiũ:
Quem conſecraſti víctimâ
Dehinc aperto númine
Te paſcet eſca cœlitum.

ADHUC Sacerdos hóſtiam
Gratam, Deo nos dévove:
Undiſque merſos náufragis
Duc ad ſalútis líttora.

*Ante Paſcha.*

SUPREME Chriſte Póntifex,
Jugis tibi ſit glória,
Cum Patre & almo Spíritu
In ſempiterna ſécula. Amen.

*Tempore Paſchali.*

DA, Chriſte, nos tecum mori,
Tecum ſimul da ſúrgere:
Terréna da contémnere,
Amáre da cœléstia.

SIT laus Patri, laus Fílio,
Qui nos triumphátâ nece
Ad aſtra ſecum dux vocat,
Compar tibi laus, Spíritus.

℣. Sacerdótes Sion induam ſalutári; ℟. Et ſancti ejus exultatióne exultábunt. *Pſ.* 131.

*Ad* Benedíctus. *Ant.* 1. D. Ubi ſum ego & miniſter meus erit. Si quis mihi miniſtráverit, honorificábit eum Pater meus. [ Allelúia. ] *Joan.* 12.

*Oratio.*

DOmine, Deus omnípotens, qui fámulum tuum *N.* ut ſacerdótio tibi fungerétur à pópulo ſegregaſti; ejus nos interceſſióne à peccatóribus ſégrega; ut ſecundùm vocatiónem noſtram gens ſancta & regále ſacerdótium efficiámur; Per Dóminum.

*Alia Oratio.*

DEus, qui in Eccléſiæ tuæ decus & ſubsídium, beátum *N.* verendo ſacerdótii miniſtério decoraſti; præſta ut, per quem pópulus tuus Evangélii verbum, & Dominici Córporis ſacramentum ſuſcépit, ejus patrocínio dignos utriuſque fructus percípiat; Per Dóminum.

AD PRIMAM.

*Ant.* O homo Dei.

AD TERTIAM.

*Ant.* Præcipe.

*Capitulum.* Tit. 2.

IN ómnibus teipſum præbe exemplum bonórum óperum, in doctrínâ, in integritáte, in gravitáte, verbum ſanum, irreprehenſíbile: ut is qui ex adverſo eſt, vereátur nihil habens malum dicere de nobis.

℟. *br.* Dómine, dilexi * Decórem domus tuæ. [ * Allelúia, allelúia. ] Dómine. ℣. Et locum habitatiónis glóriæ tuæ. [ * Allelúia. ] Glória. Dómine. *Pſ.* 25

[ *Tempore Quadrag. omiſſo* Allelúia, *Reclamatio fit ad primum aſteriſcum* * ]

℣. Ego in innocéntiâ meâ ingreſſus ſum. ℟. Rédime me & miſerére mei. *ibid.*

AD SEXTAM.

*Ant.* Noli.

*Capitulum.* 2. Tim. 1.

ADmóneo te ut resúscites grátiam Dei, quæ est in te per impositiónem mánuum meárum.

℟. *br.* Quid retríbuam Dómino * Pro ómnibus quæ retríbuit mihi? [ * Allelúia, allelúia. ] Quid. ℣. Cálicem salutáris accípiam, & nomen Dómini invocábo. [ * Allelúia, allelúia. ] Glória. Quid. *Ps.* 115.

℣. Vota mea Dómino reddam, ℟. Coram omni pópulo ejus. *ibid.*

AD NONAM.

*Ant.* Sollícitè.

*Capitulum.* 1. Tim. 5.

QUi bene præsunt Presbyteri, dúplici honóre digni habeantur; máximè qui labórant in verbo & doctrína.

℟. *br.* Hic accípiet * Benedictiónem à Dómino. [ * Allelúia, allelúia. ] Hic. ℣. Et misericórdiam à Deo salutári suo. [ * Allelúia, allelúia. ] Glória. Hic accípiet. *Ps.* 23.

℣. Exaltent eum in Eccléfia plebis; ℟. Et in cáthedra seniórum laudent eum. *Psal.* 106.

AD II. VESPERAS.

*Ant.* FUit Dóminus cum 4. E. eo, & gubernábat créditam sibi domum, & universa quæ ei trádita fúerant. [ Allelúia. ] *Gen.* 39.

*Ant.* 5. a. De omni corde suo laudávit Dominum, & dilexit Deum qui fecit illum; & dedit in celebratiónibus decus. [ Allelúia. ] *Eccli.* 47.

*Ant.* 3. g. Porrexit manum suam in libatióne, & libávit de sánguine uvæ. Effúdit in fundamento altáris odórem divínũ excelso príncipi. [ Allelúia. ] *Eccli.* 50.

*Ant.* 7. c. Óbtulit holocaústa & pacífica, & invocávit Dóminum, & exaudívit eum de cœlo. [ Allelúia. ] 1. *Par.* 21.

*Ant.* 8. G. Confirmávit omnes húmiles pópuli sui, & legem exquisívit, & abstulit omne iníquum & malum. [ Allelúia. ] 1. *Macch.* 14.

*Capitulum.* 2. Par. 31.

OPerátus est bonum & rectum & verum coram Dómino Deo suo in universâ cultúrâ domus Dómini juxta legem & cæremónias, volens requírere Deum suum in toto corde suo: fecitque & prosperátus est.

*Hymnus.*

O SACERDOTUM veneranda jura!
Ceu vices Christi téneant salútis
Arbitri, claudunt réserantque nobis
Atria cœli.

OMNE pendentes scelus in statéra,
Cum reum solvunt, Deus ipse solvit:
Cum ligant sontem, Deus ipse sontis
Víncula nectit.

VERBA dum promunt, pópulus fidélis
Excipit vocem, cúpidus docéri;
Nempe divínæ sacra verba legis
Mente recondunt.

DUM Sacerdótes tua sacra tractant,
Christe, fac sacris quibus applicasti
Cónsonent mores, populíque fiat
Forma Sacerdos.
LUMINIS splendor, Patris unâ proles,
Christe, te pronus venerétur orbis,
Qui Sacerdótes per amóris almi
Flamen inungis.
Amen.

℣. Glóriâ & honóre coronasti eum: ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum *Ps.* 8.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 5. C. Induit eum Deus stolam glóriæ, & coronávit eum in vasis virtútis. [ Allelúia. ] *Eccli.* 45.

*Oratio, ut supra ad Laudes, nisi sit propria.*

---

# COMMUNE SS. ABBATUM, MONACHORUM, CŒNOBITARUM ET ANACHORETARUM.

## IN I. VESPERIS.

*Ant.* 3. a. DOminus ponet desértum quasi delícias, & solitúdinẽ quasi hortum Dómini. [ *Tempore Paschali. ad singulas Antiphonas additur*, [ Allel. ] *Is.* 51.

*Ant.* 5. C. Exultábit solitúdo, & florébit quasi lilium: gérminans germinábit, & exultábit lætabunda & laudans. [ Allelúia. ] *Is.* 35.

*Ant.* 6. Gáudiũ & lætítia inveniétur in solitúdine; gratiárũ áctio & vox laudis. [ Allelúia. ] *Is.* 51.

*Ant.* 8. c. In cubílibus in quibus priùs dracones habitábant oriétur viror cálami & junci; & erit ibi sémita & via, & via sancta vocábitur. [ Allelúia. ] *Is.* 35.

*Ant.* 4. E. Habitábit in solitúdine judícium, & erit opus justítiæ pax, & cultus justítiæ siléntium, & secúritas usque in sempiternum. [ Allelúia. ] *Is.* 32.

*Capitulum.* 2. Cor. 6.

EXíte de médio eórum, & separámini, dicit Dóminus, & immundum ne tetigéritis: & ego recipiam vos; & ero vobis in patrem, & vos éritis mihi in filios.

*In Duplicibus* 1. *ordinis, & supra.*

℟. Fúgite de médio Babylónis, & salvet unusquísque ánimam suam; * Quóniam tempus ultiónis est a Dómino. [ *Tempore Paschali, additur*, Allelúia, allelúia. ] ℣. Exíte de illa, pópulus meus, ut ne partícipes sítis delictórum ejus, & de plagis ejus non accipiátis; * Quóniam. *Jerem.* 51. *Apoc.* 18.

*Hymnus.*

FELICES némorum páng imus íncolas,
Certo consílio quos Deus ábdidit,
Ne contágio sæcli
Mores læderet íntegros.

Ut te possideant, quem sitiunt Deum,
Urbes, regna, suos, se quoque déserunt:
Totus víluit orbis,
Dum cœléstia cógitant.
Nudi, prompti, álacres, líberi ab ómnibus,
Ad luctam púgiles óciùs ádvolant:
Ut vastum mare tranent,
Prudentes onus éxuunt.
Æternas ut opes, certaque gáudia
Secúri rápiant, ómnia lúdicra
Sano péctore temnunt,
Confísi melióribus.
Illis summa fuit glória, déspici;
Illis dívitiæ, paupériem pati;
Illis summa voluptas,
Longo supplício mori.
Fac nos, summe Deus, quæ pátimur mala,
In pœnam scélerum ferre libéntiùs;
Et, tellúre relictâ,
Immortália quærere.
Æternus sit honos ingénito
Patri:
Sit par unigenæ glória filio:
Sacri nexus amóris,
Laus compar tibi, Spíritus.
Amen.

℣. Abscondes eos in abscóndito faciéi tuæ, ℟. A conturbatióne hóminum. *Ps.* 30.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 8. G. Sedébit pópulus meus in pulchritúdine pacis, & in tabernáculis fidúciæ, & in réquie opulentâ. [ Allelúia. ] *Is.* 32.

*Oratio, ut infra ad Laudes.*

[ *In Solemnibus, ad Completorium super Psalmos:*

*Ant.* 1. D. Qui hábitant in desérto secúri dórmient in sáltibus: & ponam eos in circúitu collis mei benedictiónem. [Allelúia.] *Ezech.* 34.]

AD OFFICIUM NOCT.

*Invit.* Remuneratórem inquiréntibus se, Deum, * Veníte, adorémus. [ *Tempore Paschali*, Allel. ] *Hebr.* 11.

*Ps.* 94. Venite. 2.

*Hymnus*, Felices. *ut suprà.*

[ *Tempore Paschali, Officium Matut. ordinatur, ut præscriptum est in Communi unius Martyris.* iij. ]

*IN I. NOCTURNO.*

*Ant.* 7. d. Qui non renúntiat ómnibus quæ póssidet, non potest meus esse discípulus. [ Allelúia ] *Luc.* 14.

*Ant.* 1. f. Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, adhuc autem & ánimam suam, non potest meus esse discípulus. [ Allelúia. ] *Ibid.*

*Ant.* 2. D. Quid prodest hómini, si mundum universum lucrétur, ánimæ verò suæ detrimentum patiátur? [Allelúia.] *Matth.* 16.

℣. Beáta gens cujus Dóminus Deus ejus. ℟. Pópulus quem elégit in hæreditátem sibi. *Ps.* 32.

*Lectiones, de Scriptura occurrente.*

℟. *j.* Si vis perfectus esse, * Vade, vende quæ habes, & da paupéribus; & habébis thesaurum in cœlo, & veni séquere me. [ Allelúia, allelúia. ] ℣. Bona est orátio cum jejúnio, & eleemósina magis quàm thesauros auri recóndere. * Vade. *Matth.* 19. *Tob.* 12.

℟.

℟. *ij.* Egrédere de cognatióne tua, & de domo patris tui; * Et veni in terram quam monstrábo tibi: & benedícam tibi. [ Allelúia, allelúia. ] ℣. Séquere me, & dimitte mórtuos sepelíre mórtuos suos. * Et veni. *Gen.* 12. *Matth.* 8.

℟. *iij.* Surge ne péreas in scélere civitátis, salva ánimã tuam; * Noli respícere post tergum; sed in monte † Salvum te fac, ne péreas. [ Allelúia, allelúia. ] ℣. Nemo mittens manum suã ad arátrum, & respíciens retrò, aptus est regno Dei. * Noli respícere. Glória. † Salvum te fac. *Gen.* 19. *Luc.* 9.

*IN II. NOCTVRNO.*

*Ant.* 8. c. Dóminus Deus apéruit mihi aurem: Ego autem non contradíco; retrorsum non ábii. [ Allelúia. ] *Is.* 50.

*Ant.* 4. a. Quæ mihi fuérunt lúcra, hæc arbitrátus sum propter Christum detrimenta. [ Allelúia. ] *Philipp.* 3.

*Ant.* 3. c. Exui me stolâ pacis, índui autem me sacco obsecratióni; & venit mihi gáudium à Sancto. [Allelúia.] *Baruch.* 4.

℣. Propter verba labiórum tuórum, ℟. Ego custodívi vias duras. *Ps.* 16.

*Lectiones, ut in Proprio.*

℟. *iv.* Ecce elongávi fúgiens, & * Mansi in solitúdine, quóniam vidi iniquitátem & contradictiónem in civitáte. [ Allelúia, allel. ] ℣. Omne quod est in mundo concupiscéntia carnis est, & concupiscéntia oculórum, & superbia vitæ. * Mansi in solitúdine. *Ps.* 54. 1. *Joan.* 2.

℟. *v.* Propter Christum * Omnia detrimentum feci, & árbitror ut stércora, ut Christum lucrifáciã, & invéniar in illo; ad cognoscendum illũ, & societátem passiónum illíus configurátus morti ejus. [ Allelúia, allelúia. ] ℣ Elégi abjectus esse in domo Dei mei, magis quàm habitáre in tabernáculis peccatórum. * Omnia *Philip.* 3. *Ps.* 83.

℟. *vj.* Omnis qui in agóne contendit, ab ómnibus se ábstinet: * Ego ígitur sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi áerem vérberans; sed castigo corpus meũ, & in servitútem rédigo. [ Allelúia, allelúia. ] ℣. A juventúte mea investigábam sapiéntiã: colluctáta est ánima mea in illa, & in faciendo eam confirmátus sum. * Ego ígitur. 1. *ad Cor.* 9. *Eccli.* 51.

*IN III. NOCTVRNO.*

*Ant.* 6. Sapiéntia deduxit illos in via mirábili, & fuit illis in velamento diéi, & in luce stellárum per noctem. [ Allelúia. ] *Sap.* 10.

*Ant* 4. E. Omnes erant perseverantes unanímiter in oratióne. [ Allelúia. ] *Act.* 1.

*Ant.* 5. a. Possessiónes & substántias vendébant, & dividébant illa ómnibus, prout cuique opus erat. [ Allelúia. ] *Act.* 11.

℣. Perduxit eos Deus támquam gregem in deserto, ℟. Et induxit eos in montem sanctificatiónis suæ. *Ps.* 77.

*Evangelium & Homilia, ut ut Proprio.*

℟. *vij.* Sapiéntia direxit ópera eórum: * Iter fecérunt per desérta quæ non habitabántur; & in locis desértis fixérunt casas. [ Allelúia, allelúia. ] ℣. Circuiérunt in péllibus caprínis, egentes, angustiáti, afflícti; quibus dignus non erat mundus: in solitudínibus errantes, & in cavernis terræ.* Iter. *Sap.* 11. *Hebr.* 11.

℟. *viij.* A mínimo usque ad máximum eórum, * Plorábant & jejunábant, & orábant in conspectu Dómini. [ Allelúia, allelúia. ] ℣. Confitentes quia peregrini & hóspites sunt super terram. * Plorábant. *Baruch.* 1. *Heb.* 11.

℟. *ix.* Multitúdinis erat cor unum, & ánima una: nec quisquam áliquid suum esse dicébat; sed * Erant illis ómnia commúnia. [ Allelúia, allelúia. ] ℣. Ecce quàm bonum & quàm jucundum habitáre fratres in unum! * Erant. Glória Patri. * Erant. *Act.* 4. *Ps.* 132.

Te Deum.

AD LAUDES.

*Ant.* 2. D. EXístimo ómnia detrimentum esse propter eminentẽ sciéntiã Jesu Christi Dñi mei. [ Allelúia. ] *Philip.* 3.

*Ant.* 1. a. Non sedi in concilio ludéntium: solus sedébam, quóniam comminatióne repleísti me. [ Allelúia. ] *Jerem.* 15.

*Ant.* 8. G. Pósui fáciem meã ad Dñum Deum meum rogáre & deprecári in jejúniis, sacco & cínere. [ Allelúia. ] *Dan.* 9.

*Ant.* 4. E. Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. [ Allelúia. ] *Gal.* 6.

*Ant.* 7. *d.* Gáudeo in passiónibus, & adímpleo ea quæ desunt passiónum Christi in carne mea. [ Allelúia. ] *Coloss.* 1.

*Capitulum.* Philip. 3.

FRatres, quæ retrò sunt obliviscens, ad ea verò quæ sunt prióra extendens meipsum, ad destinátum pérsequor, ad bravium supernæ vocatiónis Dei in Christo Jesu.

*PRO S. ABBATE, Monacho, & Cœnobita.*

*Hymnus.*

O PULCHRAS ácies, castraque fórtia,
Quæ spes, una fides, unus amor regit!
Omnes lege sub una,
Uno sub duce mílitant.
HEU! quantis rápiunt astra labóribus!
Pulsant perpétuis quéstibus æthera,
Per jejúnia longa
Vires córporis átterunt.
VOTIS unánimes, vi quoque flétuum
Instant, & sócias ingéminant preces,
Et concórdibus armis
Vim cœlo símul ínferunt.
HÆC vis grata Deo: sic amat óptimus
Vinci per lácrymas, per gémitus Patrem:
Sic duris referátur
Cœlum conditiónibus.
FERVENT quando die cuncta tumúltibus,
Altum turba silet: cétera dum tacent,
Hi per cántica rumpunt

Noctis longa filéntia.
EXERCET vigiles contínuus labor;
Incumbunt óperi non réfides manus;
Tellus culta colónis
Victum fuppéditat fuis.
QUIN regina fui mens quoque fúbditur,
Rectorifque ftudet nútibus óbfequi:
Nil fervat fibi juris,
Capto libérior jugo.
ÆTERNUS fit honor ingénito Patri:
Sit par unígenæ glória Fílio:
Sacri nexus amóris,
Laus compar tibi, Spíritus.
Amen.

*PRO S. ANACHORETA, & Solitario.*

*Hymnus.*

QUID tu, relictis úrbibus,
Mortálium confórtia
Timens fugis? quid tu vides,
Solufque tecum cógitas?
MENTIS volátu libero,
Percurris æternas domos;
Et quæ negas mortálibus,
Transfers Deo commércia.
PRÆSENS choris cœléftibus,
Sacro quiétus ótio,
Totus tuendo Númini,
Totus colendo tu vacas.
QUAM pura, qui te diligunt,
O Chrifte, libant gáudia!
Te propter arris ábditos
Sinu recondis in tuo.

*Ante Paſcha.*

ÆTERNE tu Verbi Pater,
Æterne Fili par Patri,
Et Par utrique Spíritus,
Tibi, Deus, fit glória.
Amen.

*Tempore Paſchali.*

DA, Chrifte, nos tecum mori,
Tecum fimul da súrgere,
Terréna da contémnere,
Amáre da cœléftia.
SIT laus Patri, fit Fílio,
Qui nos triumphátâ nece,
Ad aftra fecum dux vocat:
Compar tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Clamávi ad te, Dómine, dixi: Tu es fpes mea: ℟. Portio mea in terra vivéntium. *Pſ.* 141.

*Ad* Bened. *Ant.* 7 G. Perféctio tua, Dómine, & doctrina tua viro fancto tuo, qui dixit patri fuo, & matri fuæ: Néfcio vos; & frátribus fuis: Ignóro vos. [ Allelúia. ] *Deut.* 33.

*Si ſit Abbas.*

*Oratio.*

DEUS, cujus múnere beátus *N.* Abbas Chriftum páuperem fequi, & húmilem corde ufque in finem perfeverávit imitári: da cunctis fémitam mandatórum tuórum ingreffis, ut nec retrò afpíciant, nec in via hæreant; fed ad te fine offenfióne currentes, vitam æternam apprehendant; Per eumdem.

*Alia Oratio.*

DA nobis, quæfumus, Deus noftet, beáti Abbátis *N.* interceffiónibus fublevári; ut per quem fervis tuis perfectiónis evangélicæ documenta donafti, per eum nobis fubsídia perpétuæ falútis impendas; Per Dóminum.

*Si non ſit Abbas.*

*Oratio.*

OMnípotens, fempiterne Deus, terréna pro te calcántium merces magna nimis: da nobis exemplo &

intercessióne beáti *N.* cujus hódie tránsitum celebrámus, temporália ómnia despicere, & ad æterna totâ mentis intentióne festináre; Per

*Alia Oratio.*

QUæréntium te, Dómine, Salvátor & custos, qui beáto *N.* ne párticeps esset coinquinatiónis, renuntiáre sæculo, & sub alas tuas confúgere tribuísti: ejus intercessióne da pópulo tuo diabólica vitáre contágia, & te solum Dóminum purâ mente sectári; Qui vivis.

AD PRIMAM.

*Ant.* Exístimo.

AD TERTIAM.

*Ant.* Non sedi.

*Capitulum.* 2. Macch. 5.

SEcéssérat in desértum locum, ibique inter feras vitam in móntibus cum suis agébat, ne partícipes essent coinquinatiónis.

℟. *br.* Extráneus factus sum * Frátribus meis. [ * Allelúia, allelúia. ] Extráneus. ℣. Et peregrínus filiis matris meæ. [ * Allelúia, allelúia. ] Glória. Extráneus. *Ps.* 68.

*Tempore Quadrag. omisso*, Allelúia. *Reclamatio fit ad primum asterisc., & sic ad alias Horas.*

℣. Símilis factus sum Pellicáno solitúdinis. ℟. Factus sum sicut passer solitárius in tecto. *Ps.* 101.

AD SEXTAM.

*Ant.* Pósui.

*Capitulum.* Is. 26.

NOmen tuum & memoriále tuũ, Dñe, in desidério ánimæ. Anima mea desiderávit te in nocte; sed & spíritu meo in præcórdiis meis de manè vigilábo ad te.

℟. *br.* Sépties in die * Laudem dixi tibi. [ * Allelúia, allelúia. ] Sépties in die. ℣. Super judícia justítiæ tuæ, [ * Allelúia, allelúia. ] Glória. Sépties.

℣. Cantábiles mihi erant justificatiónes tuæ, ℟. In loco peregrinatiónis meæ. *Ps.* 118.

AD NONAM.

*Ant.* Gáudeo.

*Capitulum.* Hebr. 12.

OMnis disciplína in præsenti quidem vidétur non esse gáudii, sed mœróris, póstea autem fructum pacatíssimum exercitátis per eam reddet justítiæ.

℟. *br.* Cùm mihi molesti essent, * Induébar cilício. [ * Allelúia, allelúia. ] Cùm mihi. ℣. Humiliábam in jejúnio ánimam meam. [ * Allelúia, allelúia. ] Glória. Cùm mihi. *Ps.* 34.

℣. Cogitávi dies antíquos, ℟. Et annos æternos in mente hábui. *Ps.* 76.

AD II. VESPERAS.

*Ant.* SUmus húmiles in 2. D. universa terra, Dómine: sed in ánimo contrito & spíritu humilitátis suscipiámur; quóniã non est confúsio confidéntibus in te. [ Allelúia. ] *Dan.* 3.

*Ant.* 8. G. Non derelínquimur, semper mortificatiónem Jesu in córpore nostro circumferentes. 2. [ Allelúia. ] *Cor.* 4.

*Ant.* 6. Quasi morientes, & ecce vívimus; quasi tristes, semper autem gaudentes; tan-

quam nihil habentes, & ómnia possidentes. [ Allelúia. ] 2. *Cor.* 6.

*Ant.* 7. d. Omnes unánimes, compatientes, fraternitátis amatóres, misericordes, modesti, húmiles. [ Allel. ] 1. *Petr.* 3.

*Ant.* 4. E. Ingemíscimus, habitatiónem nostram quæ de cœlo est, superíndui cupientes. [ Allelúia. ] 2. *Cor.* 5.

*Capitulum.* Deut. 7.

DOminus Deus ipse est fortis & fidélis, custódiens pactum & misericórdiam diligéntibus se, & his qui custódiunt præcepta ejus in mille generatiónes.

*Hymnus*, FELICES.

℣. Justus ut palma florébit: ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur. *Ps.* 91.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 3. E. Scimus quóniam, si terréstris domus nostra dissólvátur, ædificatiónem ex Deo habémus æternam in cœlis. [ Allelúia. ] 2. *Cor.* 4.

*Oratio, ut supra ad Laudes, nisi sit propria.*

---

# COMMUNE JUSTORUM.

*IN I. VESPERIS.*

*Ant.* 7. a. DIcébat Jesus ad omnes: Si quis vult post me veníre, ábneget semetipsum, & tollat crucem suam quotídie, & sequátur me. [ *Tempore Pas.* Allelúia. ] *Luc.* 9.

*Ant.* 2. D. Dico vobis: Nisi abundáverit justítia vestra plusquàm Scribárum & Pharisæórum, non intrábitis in regnum cœlórum. [ Allel. ] *Matth.* 5.

*Ant.* 6. Nisi convérsi fuéritis, & efficiámini sicut párvuli, non intrábitis in regnum cœlórum. [ Allel. ] *Matth.* 18.

*Ant.* 8. G. Non omnis qui dicit mihi: Dómine, Dñe, intrábit in regnum cœlórum; sed qui facit voluntátem Patris mei qui in cœlis est, ipse intrábit in regnum cœlórum. [ Allelúia. ] *Matth.* 7.

*Ant.* 1. D. Conténdite intráre per angustam portam; quia multi, dico vobis, quærent intráre, & non póterunt. [ Allelúia. ] *Luc.* 13.

*Capitulum.* Eccli. 2.

QUi timétis Dóminum, crédite illi; & non evacuábitur merces vestra. Qui timétis Dóminum, sperate in illum; & in oblectatiónem véniet vobis misericórdia. Qui timétis Dóminum, dilígite illum; & illuminabuntur corda vestra.

*In Dupl. maj. & supra.*

℟. Qui timent Dóminum, non erunt incredíbiles verbo illíus; &* Qui diligunt illum, conservábunt viá illíus. [ *Tempore Paschali*, Allelúia, allelúia. ] ℣. Plenitúdo legis est diléctio.* Qui. Glória. * Qui. *Eccli.* 2. *Rom.* 13.

*Hymnus*

SUmmi pusillus grex Patris, Timóre mentem sólvite,

Sui paternus vos amor
Vult esse regni cómpotes.
En regnat inter Cœlites,
Qui vixit olim século
Ignótus, exósus sibi,
Qui pauper, & sciens pati.
Angusta pœniténtiæ
Ingressus, & viam crucis,
Per dura Christum prælia,
Per damna non timet sequi.
Carnem terit jejúniis;
Linguam domat siléntio:
In páuperum, parcus sibi,
Abscondit & spargit sinu.
Sapore verbi páscitur;
Totoque legem péctore
Scrutátus, orat pérvigil:
Mens celsa versátur polo.

*Ante Pascha.*

Hac surgit ad cœlum viâ:
Et nos eâdem da, Pater,
Da, Nate, da cum Spíritu,
Ad te veníre sémitâ. Amen.

*Tempore Paschali.*

Da, Christe, nos tecum mori,
Tecum simul da súrgere,
Terréna da conrémnere,
Amáre da cœléstia.
Sit laus Patri, sit Fílio,
Qui nos, triumphátâ nece,
Ad astra secum dux vocat:
Compar tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Beátus vir, cujus est nomen Dómini spes ejus: ℟. Et non respexit in vanitátes & insánias falsas. *Ps.* 39.

*Ad* Magn. *Ant.* 5. C. Oculus non vidit, nec auris audívit, nec in cor hóminis ascendit, quæ præparávit Deus iis qui díligunt illum. [ Allelúia. ] 1. *Cor.* 2.

*Oratio, ut infra ad Laudes.*

[ *In Solemnibus ad Completorium super Psalmos:*

*Ant.* 3. *a.* Qui séquitur me non ámbulat in ténebris, sed habébit lumen vitæ. [ Allelúia. *Joan.* 8. ]

## AD OFFICIUM NOCT.

*Invitat.* Diligentem justos Dóminum, * Venite, adorémus. [ *Tempore Paschali*, Allelúia. ] *Ps.* 145.

*Ps.* 94. Venite. 2.

*Hymnus.*

Non parta solo sánguine
Ornat beátos púrpura:
Sunt incruenta, quæ suos
Habent triumphos, prælia.
Non iste flammas, non cruces,
Non sensit uncos péctines:
Crudélis & durus sibi
Se morte lentâ cónficit.
Si lictor illi défuit,
Si vincla, fustes, úngulæ;
Parátа pro Christo mori
Hoc supplet omne cáritas.
Corpus subégit cástitas,
Et liberam mentem fides:
Amor supérnis ignibus
Totam litávit hóstiam.
Venis apertis ómnibus
Qui vellet ultrò erúmpere,
Fraudátus optátâ viâ,
It fusus in fletum cruor.
Da, Christe, sic nos vívere,
Discámus ut semper mori:
Da, post brevis vitæ dies,
Vitæ perennis gáudia.

*Ante Pascha.*

Æterne tu verbi Pater,
Æterne Fili par Patri,
Et par utrique Spíritus,
Tibi, Deus, sit glória.
Amen.

*Tempore Paschali dicitur Doxologia*, Da, Christe. *ut supra*, xxviij.

*Eodem Tempore, Officium Matutinum ordinatur, ut*

*dictum est in Communi unius Martyris, supra*, iij.

*IN I. NOCTURNO.*

*Ant.* 6. Vosmetipsos in dilectióne Dei serváte, expectantes misericórdiam Dómini nostri Jesu Christi in vitã æternam. [ Allelúia. ] *Jud.*

*Ant.* 2. D. Vigiláte & estóte paráti; quia quâ nescítis horâ Filius hóminis ventúrus est. [ Allelúia. ] *Matth.* 24.

*Ant.* 8. G. Stábiles estóte & immóbiles, abundántes in ópere Dómini semper, sciéntes quod labor vester non est ináuis in Dómino. [ Allel. ] 1. *Cor.* 15.

℣. Diligite Dóminum omnes Sancti ejus: ℟. Quóniam veritátem requíret Dóminus. *Ps.* 30.

*Lectiones, de Scriptura occurrente.*

℟. *j.* Tóllite jugum meum super vos, & discite à me quia mitis sum & húmilis corde: * Et inveniétis réquiem animábus vestris; jugum enim meum suáve est, & onus meũ leve. [ Allelúia, allelúia. ] ℣. Interrogáte quæ sit via bona, & ambuláte in ea: * Et inveniétis. *Matth.* 11. *Jerem.* 6.

℟. *ij.* Sint lumbi vestri præcincti, & lúcernæ ardentes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum; ut cùm vénerit, confestim apériant ei. [ Allelúia, allel. ] ℣. Qui vigiláverint ad illũ, justítias quasi lumen accendent. * Et vos. *Luc.* 12. *Eccli.* 32.

℟. *iij.* Omnis qui venit ad me, & audit sermónes meos, & facit eos, ostendam vobis cui símilis sit: * Símilis est hómini ædificanti domum, qui † Fodit in altum, & pósuit fundamentum super petram. [ Allelúia, allelúia. ] ℣. Beátus homo, cui donátum est habére timórem Dei: qui tenet illum, cui assimilábitur? * Símilis est. Glória. † Fodit. *Luc.* 6. *Eccli.* 25.

*IN II. NOCTURNO.*

*Ant.* 1. a. Timenti Dóminum benè erit, & in diébus consummatiónis illíus benedicétur. [ Allelúia. ] *Eccli.* 1.

*Ant.* 5. a. Benedíctio Dei in mercédem justi festínat; & in hora velóci processus illíus fructificat. [ Allel. ] *Eccli.* 11.

*Ant.* 2. D. Tenébit justus viã suam, & mundis mánibus addet fortitúdinem. [ Allelúia. ] *Job.* 17.

℣. Gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum, ℟. Quóniam tu benedíces justo. *Ps.* 5.

*Lectiones, ut in Proprio.*

℟. *iv.* Quàm magnus qui invénit sapiéntiam & sciéntiam! sed * Non est super timentem Dóminum. [ Allelúia, allelúia. ] ℣. Mundémus nos ab omni inquinamento carnis & spíritus, perficiéntes sanctificatiónem in timóre Dei: * Non est. *Eccli.* 25. 2. *Cor.* 7.

℟. *v.* Qui ámbulat in justítiis & lóquitur veritátem, & claudit óculos suos ne vídeat malum, * Iste in excelsis habitábit; regem in decóre suo vidébunt óculi ejus. [ Allelúia, allelúia. ] ℣. Si quis emundá-

verit se, erit vas in honórem sanctificátum Dño. * Iste in. *Is.* 33. 2. *Tim.* 2.

℟. *vj.* Beátus qui inventus est sine mácula, & * Qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia & thesauris: Quis est hic, & laudábimus eum? † Erit illi glória ætérna. [ Allelúia, allelúia. ] ℣. Quàm difficile qui pecúnias habent, in regnum Dei intrábunt. * Qui post aurum. Glória. † Erit illi. *Eccli.* 31. *Luc.* 18.

*IN III. NOCTURNO.*

*Ant.* 3. *a.* In géntibus multis non erat símilis illi, & dilectus Deo suo erat. [ Allelúia. ] 2. *Esdr.* 13.

*Ant.* 7. ç. Nunquam contamináta est: pergébat ad omnes, & mónita salútis dabat eis. [ Allelúia. ] *Tob.* 1.

*Ant.* 4. E. Consolabátur eos, dividebatque unicuique, prout póterat, de facultátibus suis. [ Allelúia. ] *ibid.*

℣. Beátus qui intélligit super egénum & páuperem; ℟. In die malâ liberábit eum Dóminus. *Ps.* 40.

*Evangelium & Homilia, ut in Proprio.*

℟. *vij.* Non est inventus símilis illi in glória: * Conservávit legem Excelsi, & in tentatióne inventus est fidélis: ideò jurejurando dedit illi glóriam in gente suâ. [ Allelúia, allelúia. ] ℣. Qui servat verbum Christi, verè in hoc cháritas Dei perfecta est. * Conservávit. *Eccli.* 44. 1. *Joan.* 2.

℟. *viij.* Sapiéntia justum deduxit per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei; & * Dedit illi sciéntiam sanctórum: Honestávit illum in labóribus, & complévit labóres illíus. [ Allelúia, allelúia. ] ℣. Regnum Dei justítia est, & pax in Spíritu sancto: qui in hoc serv. Christo, placet Deo. * Dedit. *Sap.* 10. *Rom.* 14.

℟. *ix.* Probátus & perfectus est; pótuit tránsgredi & non est tránsgressus; fácere mala & non fecit: * Ideò stabilíta sunt bona illíus in Dómino, & † Eleemósinas illíus, enarrábit omnis Ecclésia sanctórum. [ Allelúia, allelúia. ] ℣. Erat vir religiósus ac timens Deum, fáciens eleemósinas multas plebi, & déprecans Deum semper. * Ideò. Glória. † Eleemósinas. *Eccli.* 31. *Act.* 10.

Te Deum.

AD LAUDES.

*Ant.* 1. f. ANte Dóminum qui elégit me, vílior fiam plusquàm factus sum; & ero húmilis in óculis meis. [ Allelúia. ] 2. *Reg.* 6.

*Ant.* 8. c. Semper quasi tumentes super me fluctus timui Deum, & pondus ejus ferre non pótui. [ Allel. ] *Job.* 31.

*Ant.* 4. a. A mandátis labiórum ejus non recessi, & in sinu meo abscondi verba oris ejus. [ Allelúia. ] *Job.* 23.

*Ant.* 5. a. Ambulávit pes meus iter rectum: zelátus sum bonum, & non confundar. [ Allelúia. ] *Eccli.* 51.

*Ant.* 3. *a.* Donec supereat hálitus in me, non loquentur lábia mea iniquitátem, nec lingua mea meditábitur

mendácium. [ Allel.] *Job.* 27.

*Capitulum.* 2. Cor. 1.

GLória nostra hæc est, testimónium conscientiæ nostræ, quòd in simplicitáte cordis & sinceritáte Dei, & non in sapiéntia carnáli, sed in grátia Dei conservati sumus in hoc mundo.

*Hymnus.*

QUI te, Deus, sub íntimo
Amans recépit péctore,
Non ille terras ámplius
Suspírat, oblítus sui.

QUID ergo gaudes néctere
Tristes moras amántibus?
Terris retardas éxules,
Cives polo quos déstinas.

HINC fervet in dies amor;
In vota toti dífluunt:
Ad astra festinántibus
Fit pœna vita lóngior.

VIX iste tardi córporis
Pondus molestum sústinet;
Præ mortis óccupat diem,
Ardens Deo se júngere.

*Ante Paschа.*

ÆTERNE tu Verbi Pater,
Æterne Fili par Patri,
Et par utríque Spíritus,
Tibi, Deus, sit glória.
Amen.

*Tempore Paschali, dicitur Doxologia*, DA, Christe, *supra*, xxxviij.

℣. In justítia apparébo conspéctui tuo; ℟. Satiábor cùm apparúerit glória tua. *Ps.* 16.

*Ad* Bened. *Ant.* 4. D. Propter Christum ómnia detrimentum feci, ad cognoscendum illum, si quo modo occurram ad resurrectiónem, quæ est ex mórtuis. [ Allelúia. ] *Philip.* 3.

*Oratio.*

FAc, quæsumus, Dómine Deus noster, intercedente beáto *N.* pópulum tuum in tua dilectióne ambuláre, quia perpétua est & plena felicitas, si bonórum ómnium serviámus auctóri; Per Dóminum nostrũ Jesum Christum, Fílium tuum, qui tecum vivit.

*Alia Oratio.*

DEus, qui nobis festivitátem beáti *N.* concédis cum gáudio celebráre; præsta, quæsumus, sic ipsíus nos sequi vestígia sanctitátis, ut per viã virtútum, ad te qui verum es virtútis præmium veniámus; Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Fílium tuum, qui tecum vivit....

AD PRIMAM.

*Ant.* Ante Dóminum.

AD TERTIAM.

*Ant.* Semper.

*Capitulum.* Eccli. 1.

TImor Dómini glória, & gloriátio, & lætítia, & coróna exultatiónis: timor Dómini delectábit cor, & dabit lætítiam & gáudium, & longitúdinem diérum.

℟. *br.* Beátus vir * Qui timet Dóminum. [ * Allelúia, allelúia. ] Beátus. ℣. In mandátis ejus volet nimis. [ * Allelúia, allelúia. ] Glória Patri. Beátus. *Ps.* 111.

*In Quadrag. omisso*, Allelúia. *fit Reclamatio ad primum asteriscum.*

℣. Beneplácitum est Dómino super timentes eum; ℟. Et in eis, qui sperant super misericórdia ejus. *Ps.* 146.

AD SEXTAM.

*Ant.* A mandátis.

*Capitulum.* Jac. 1.

QUi perspéxerit in legem perfectam libertátis, & permánserit in ea, non audítor oblivióſus factus, ſed factor óperis; hic beátus in facto ſuo erit.

℟. *br.* Lucerna pédibus meis * Verbum tuum Dómine. [ * Allelúia, allelúia. ] Lucerna pédibus meis. ℣. Et lumen ſémitis meis. [ * Allelúia, allelúia. ] Glória Patri. Lucerna.

℣. Servávi mandáta tua & teſtimónia tua; ℟. Quia omnes viæ meæ in conſpectu tuo. *Pſ.* 118.

AD NONAM.

*Ant.* Donec ſupereſt.

*Capitulum.* Eccli. 15.

JUſtítia longè abeſt à ſupérbia & dolo: viri mendáces non erunt illíus mémores; & viri veráces invenientur in illa, & ſucceſſum habébunt uſque ad inſpectiónem Dei.

℟. *br.* Juſtítia tua, Dómine, * Juſtítia in æternum. [ * Allelúia, allel. ] Juſtítia. ℣. Et lex tua, véritas. [ * Allelúia, allelúia. ] Glória Patri. Juſtítia tua.

℣. Ne áuferas de ore meo verbum veritátis uſquequáque; ℟. Quia in judíciis tuis ſuperſperávi. *Pſ.* 118.

AD II. VESPERAS.

*Ant.* 4. E. ERat vir ille ſimplex, & rectus, ac timens Deum, & recédens à malo. [ Allelúia. ] *Job.* 1.

*Ant.* 7. c. In omni ópere dedit confeſſiónem Sancto: de omni corde ſuo laudávit Dóminum, & dilexit Deum qui fecit illum. [ Allelúia. ] *Eccli.* 47.

*Ant.* 1. D. Cuſtodívit ánimam ſuam, & memor fuit Dñi in toto corde ſuo. [ Allelúia. ] *Tob.* 1.

*Ant.* 3. a. Non prætériit de univerſis mandátis, nec unum quidem verbum quod júſſerat Dóminus. [ Allelúia. ] *Joſue.* 11.

*Ant.* 5. C. Immóbilis in Dei timóre permanſit, agens grátias Deo ómnibus diébus vitæ ſuæ. [ Allel. ] *Tob.* 2.

*Capitulum.* Galat. 6.

FRatres, quæ ſemináverit homo, hæc & metet. Quóniam qui ſéminat in carne ſua, de carne & metet corruptiónem: qui autem ſéminat in ſpíritu, de ſpíritu metet vitam æternam.

*Hymnus*, SUMMI puſillus. *ut in I. Veſperis.*

℣. In memória æterna erit juſtus; ℟. Cornu ejus exaltábitur in glória. *Pſ.* 111.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 3. E. Dilectus Deo & homínibus, cujus memória in benedictióne eſt. Símilem illum fecit in glória Sanctórum, & oſtendit illi glóriam ſuam. [ Allel. ] *Eccli.* 45.

*Oratio, ut ſupra ad Laudes, niſi ſit propria.*

# COMMUNE SS. VIRGINUM.

## IN I. VESPERIS.

*Ant.* 3. a. QUid Dómini bonum est, & quid pulchrum ejus, nisi frumentum electórum, & vinum gérminans vírgines. [ *Tempore Paschali, ad Antiphonas additur*, Allelúia.] *Zach.* 9.

*Ant.* 4. E. Hæc dicit qui habet septem spíritus Dei, & septem stellas: Qui non inquinavérunt vestimenta sua, ambulábunt mecum in albis. [ Allelúia. ] *Apoc.* 3.

*Ant.* 5. a. Qui elégerint quæ ego vólui, & tenúerint fœdus meum; dabo eis in domo mea locum. [ Allelúia. ] *Is.* 56.

*Ant.* 1. D. Dabo eis nomen mélius à filiis & filiábus: nomen sempiternum dabo eis: quod non períbit. [ Allelúia. ] *Is.* 56.

*Ant.* 7. a. Non omnes cápiunt verbum istud, sed quibus datum est. [ Allelúia. ] *Matth.* 19.

*Capitulum.* 1. Cor. 7.

UNusquísque próprium donum habet ex Deo: álius quidem sic, álius verò sic. Dico autem non nuptis, & víduis: Bonum est illis, si sic permáneant.

*In Duplicib. maj. & suprà.*

℟. Dilectus meus electus ex míllibus, lábia ejus lília distillántia myrrham primam, * Totus desiderábilis, & † Ipse est amícus meus, filiæ Jerúsalem. [ *Tempore Paschali, additur*, Allelúia, allelúia. ] ℣. Vivo, jam non ego; vivit verò in me Christus. * Totus desiderábilis. Glória Patri. † Ipse est amícus meus. *Cant.* 5. *Gal.* 2.

*Si sit Martyr.*

*Hymnus.*

FEstis læta sonent sídera cántibus:
Nunc aptáte tubas, súmite tympana,
Cœtus Angélici: dícite Vírginem,
Christi dicite Mártyrem.
VEstris illa fuit débita cœtibus,
Quæ mortális adhuc, nóbilis æmula,
Ut vos exprímeret, dedícit genus,
Virgo córporis ímmemor.
SED quid cogis, amor? Fórtiter ámbiit
Sponso virgíneum fúndere sánguinem:
Oblíti méminit tunc bene córporis,
Præcláræ sitiens necis.
SIC quâ parte minor, vos superéminet,
Immortále genus, quæ pótuit mori,
Et per damna sui córporis íntegram
Testári Dómino fidem.
PATRI máxima laus, máxima Fílio,
Amborumque sacro máxima Flámini,
Per quem magnánimæ prælia sústinent,

*

MIR. *Pars Verna.*

Spreto fúnere, Vírgines.
Amen.

*Si non sit Martyr.*
*Hymnus.*

VOs ô virgínei cum cítharis chori,
Agni delíciæ, pars gregis óptima,
Sponsum virgíneo progénitum sinu
Puris tóllite láudibus.
HÆc est sacra dies, óbvia quâ suo
Cum plena rútilans lámpade júngitur
Sponso, stansque throno próxima cóncinit
Virgo cántica Vírgini.
SOLO digna Deo cónjuge réspuit
Mortáles thálamos: ut semel óbligat
Sese fida suo, quem benè déperit,
Ultró se Deus óbligat.
PURUM ne máculent pectus imágines,
In se tota sui córporis ímmemor
Mens sese récipit; nil óculi vident;
Surdis nil sonat áuribus.
ÆGRO vix sua sunt pábula córpori,
Ardet mille modis ante diem mori:
Quidquid mors rápiet, jam sibi præripit;
Unus fit Deus ómnia.
FAC, ô Christe, tuæ Vírginis æmulos
Hâc nos ire tibi, quâ gráditur viâ:
Qui gens sancta sumus, móribus íntegris.
Fac soli tibi vívere.
DA te, summe Pater, tóllere láudibus:
Da te, Christe, sequi, láurea Vírginum:
Fac incensa tuis, Spíritus, árdeant
Flammis frígida péctora.
Amen.

℣. Vírgines laudent nomen Dómini: ℟. Quia exaltátum est nomen ejus solíus. *Ps.* 148.

*Ad* Magnificat. *Ant.* 3. E. Córpora vestra membra sunt Christi, templum Spíritûs sancti. Glorificáte & portáte Deum in córpore vestro. [Allelúia.] 1. *Cor.* 6.

*Oratio, ut infrà ad Laudes.*

*In Solemnibus ad Completorium super Psalmos:*

*Ant.* 1. f. In resurrectióne neque nubent neque nubentur; sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo. [Allelúia.] *Matth.* 22.

AD OFFICIUM NOCTUR.

*Invit.* Agnum quem sequuntur Vírgines, * Veníte, adorémus. [*Tempore Paschali*, Allelúia.] *Apoc.* 14.

*Ps.* 94. Veníte. 2.

*Si sit Martyr.*
*Hymnus.*

VIRGINUM robur, Deus, atque custos:
Sexus imbellis, médios per enses,
Dum faves, quas non súperat viríli
Péctore mortes!
PRO tuis aris animósa Virgo
Molle dat pœnis lacerare corpus:
Non suos sentit, memor, ô! tuórum,
Christe, dolórum.
NON graves plagæ, válidi nec ictus
Integram possunt violáre mentem;

Quin ſacri creſcit magis
obſtinátus
Ardor amóris.
SPONSA dilecto placitúra
Sponſo,
Déſpicit ruptum laniáta
corpus:
Eſt ſuus truncis honor &
venuſtas
Eſt ſua membris.
OMNIS à Recto fluit ille ſplen-
dor:
Chriſte, ſic olim cruce ten-
ſus altâ,
Obſequens Patri, láceros
placébas
Hórridus artus.
SUMMA laus Patri, genitóque
Verbo;
Et tibi compar, utriuſque
Nexus:
Fac tibi ſemper placeámus
uni
Móribus æquis. Amen.

*Si non ſit Martyr.*

*Hymnus.*

COeleſtis aula pánditur:
En Sponſus; omnes óbviæ
Exíte ſponſo Vírgini,
Exíte, ſponſæ Vírgines.
HÆC nuptiális eſt dies,
Quæ, longa poſt ſuſpíria,
Dat ómnibus, dat ſíngulis
Jam pléniùs frui Deo.
QUÆ caſta vobis gáudia,
Quos afflet ignes, dícite:
Ab ore cujus púrior
Torrens voluptas éffluit?
HUNC propter unum víluit
Superba regum púrpura:
Dotáta quæ ſponſo Deo,
Quid Virgo terris ámbiat?
O virgináles núptiæ,
Per quas caro fit ſpíritus,
O dulce vinclum, júngitur
Quo mens Deo, menti Deus!

*Ante Paſcha.*

SIT laus Patri, laus Fílio;
Sit par tibi laus, Spíritus!
Divina qui perénnibus
Firmas ſigillis fœdera.
Amen.

*Tempore Paſchali, dicitur Doxologia.* DA, Chriſte. *ut ſupra*, xxxviij.

*Eodem Tempore, Officium Matutinum ordinatur ut præſcriptum eſt ſupra*, iij.

*IN I. NOCTURNO.*

*Ant.* 6. Inclína aurem tuá, & ſuſcipe verba intellectûs: conjúngere Deo & ſuſtine, ut creſcat in noviſſimo vita tua. [ Allelúia. ] *Eccli.* 2.

*Ant.* 2. D. Sponſábo te mihi in fide: & ſcies quia ego Dóminus. [ Allelúia. ] *Oſee.* 2.

*Ant.* 7. *d.* Cave nequando obliviſcáris pacti Dómini Dei tui, quod pépigit tecum; quia Dóminus Deus tuus, Deus æmulátor. [ Allelúia. ] *Deut.* 4.

℣. Deus corónat te in miſericórdia & miſeratiónibus: ℟. Replet in bonis deſidérium tuum. *Pſ.* 102.

*Lectiones, de Scriptura occurrente.*

℟. *j.* Audi, fília, & vide, inclína aurem tuam: * Obliviſcere pópulum tuum & domum patris tui, & concupiſcet rex decórem tuum; quóniam ipſe eſt Dóminus Deus tuus. [ Allelúia, allelúia. ] ℣. Virgo cógitat quæ Dómini ſunt, ut ſit ſancta córpore & ſpíritu. * Obliviſcere. *Pſ.* 44. 1. *Cor.* 7.

℟. *ij.* Sponſábo te mihi in ſempiternum: * Et ſponſábo te in juſtítia & judício, & in

misericórdia, & in miserationibus. [ Allelúia, allelúia. ]

℣. Sectáre justítiam, pietátem, fidem, caritátem, patiéntiam, mansuetúdinem, * Et sponsábo. *Osee.* 2. 1. *Tim.* 6.

℟. *iij.* Scient quia ego dilexi te: * Tene quod habes, ut nemo accípiat corónam tuam. [ Allelúia, allelúia. ]

℣. Dedi corónam decóris in cápite tuo: & profecísti in regnum; quia perfecta eras in decóre meo. * Tene. Glória Patri. * Tene. *Apoc.* 3. *Ezech.* 16.

*IN II. NOCTURNO.*

*Ant.* 4. E. Tu scis, Dómine, quia nunquam concupívi vírum, & mundam servávi ánimam meam ab omni concupiscéntia. [ Allelúia. ] *Tob.* 3.

*Ant.* 5. a. In velamento alárum tuárum exultábo; adhæsit ánima mea post te, me suscépit déxtera tua. [ Allelúia. ] *Ps.* 62.

*Ant.* 1. f. Quia complácui Dómino, secundùm munditiam mánuum meárum reddet mihi. [ Allelúia. ] 2. *Reg.* 22.

℣. Deus meus, impollúta via ejus, ℟. Protector est ómnium sperántium in se. *Ps.* 17.

*Lectiones, ut in Proprio.*

℟. *iv.* Súscipe me, Dómine, secundùm elóquium tuum, & vivam: * Non confundas me ab expectatióne mea. [ Allelúia, allelúia. ]

℣. In fide vivo Filii Dei qui dilexit me. * Non. *Ps.* 118. *Galat.* 2.

℟. *v.* Deus, in voluntáte tua deduxísti me, & cum glória susceptísti me. * Mihi adhærére Deo bonum est, pónere in Dómino Deo spem meam. [ Allelúia, allelúia. ]

℣. Qui adhæret Dómino, unus spíritus est. * Mihi. *Ps.* 72. 1. *Cor.* 6.

℟. *vj.* Lex tua, Dómine, meditátio mea est: * Fiat cor meum immaculátum in justificatiónibus tuis, ut non confundar. [ Allelúia, allelúia. ]

℣. Secundùm expectatiónem & spem meam, magnificábitur Christus in córpore meo. * Fiat. Glória. * Fiat. *Ps.* 118. *Philip.* 1.

*IN III. NOCTURNO.*

*Ant.* 1. a. Omnis ponderátio non est digna continéntis ánimæ. [ Allelúia. ] *Eccli.* 26.

*Ant.* 3. *a.* Incorrúptio facit esse próximum Deo. [ Allelúia. ] *Sap.* 6.

*Ant.* 8. G. Qui díligit corde mundítiam, propter grátiam lábiorum suórum habébit amícum regem. [ Allel. ] *Prov.* 22.

℣. Beáti immaculáti in via, ℟. Qui ámbulant in lege Dómini. *Ps.* 118.

*Evangelium & Homilia, ut in Proprio.*

℟. *vij.* O quàm pulcra est casta generátio cum claritáte! * Immortális est enim memória illíus; quóniam & apud Deum nota est, & apud hómines. [ Allelúia, allel ]

℣. Religio munda apud Deum & Patrem hæc est, Immaculátum se custodíre ab hoc século. * Immortális. *Sap.* 4. *Jac.* 1.

℟. *viij.* Felix est stérilis,

* Et incoinquináta habébit fructum in reſpectióne animárum ſanctárum. [ Allelúia, allelúia. ℣. Deus reddet iis qui ſecundùm patiéntiam boni óperis incorruptiónem quærunt, vitam æternam ; * Et incoinquinàta. *Sap.* 3. *Rom.* 2. ℟. *ix.* Dábitur illi ſors in templo Dei acceptíſſima ; * Bonórum enim labórum glorióſus eſt fructus, & quæ non cóncidat radix ſapiéntiæ, [ Allelúia, allelúia. ] ℣. Beáti mundo corde, quóniam ipſi Deum vidébunt. * Bonórum. Glória Patri. *Bonórum enim. *Sap.* 3. *Matth.* 5.

Te Deum.

AD LAUDES.

*Ant.* Dilectus meus deſcendit in hortum ſuum ad aréolam arómatum, ut lília cólligat. [ Allelúia. ] *Cant.* 6.

*Ant.* 5. a. Invéni quem díligit ánima mea : ténui eum, nec dimittam. [ Allelúia. ] *Cant.* 3.

*Ant.* 2. D. Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, qui páſcitur inter lília. [Allelúia.] *Cant.* 6.

*Ant.* 6. Dilectus meus ordinávit in me caritátem : fulcite me flóribus, ſtipáte me malis. [ Allelúia. ] *Cant.* 2.

*Ant.* 3. *a.* Sub umbra illíus quem deſideráveram, ſedi ; & fructus eius dulcis gúttuti meo. [ Allelúia. ] *Cant.* 2.

*Capitulum.* Sap. 8.

SCivi quóniam áliter non poſſem eſſe cóntinens, niſi Deus det ; & hoc ipſum erat ſapiéntiæ, ſcire cujus eſſet hoc donum.

*Si ſit Martyr.*

*Hymnus.*

QUID ſacram, Virgo, generóſa Martyr,
Ambiunt frontem dúplices corónæ ?
Nempe non unum gémino reportas
Hoſte triumphum.
MOLLIOR fregit neque te voluptas ;
Impotens flexit neque te tyrannus :
Tu graves pœnas, pariterque blandos
Vincis amóres.
LILIIS Sponſus récubat, roſiſque :
Tu, tuo ſemper bene fida Sponſo,
Et roſas Martyr, ſimul & dediſti
Lília Virgo.
SUMMA laus Patri, genitóque Verbo ;
Et tibi compar, utriuſque Nexus :
Fac tibi ſemper placeámus uni
Móribus æquis. Amen.

*Si non ſit Martyr.*

*Hymnus.*

NON vana dilectum gregem
Pavêre mundi gáudia,
Nec pura fallax péctora
Imágo luſit ſéculi.
SED hæc tuárum própria
Sunt, Chriſte, ſponsárum bona,
Te ſemper, & tecum tuis
In te potíri gáudiis.
CASTIS viciſſim tu tibi
In córdibus thorum ſtruis ;
Interque flammas intimo
Amans quieſcis in ſinu.
HIC unus eſt ſponſis amor,

Unusque tecum spíritus;
Beasque sponsus singulas,
In teque transformas, Deus.

Te deprecámur súpplices,
Nostris ut addas sénsibus,
Nescíre prorsus ómnia
Corruptiónis vúlnera.

*Ante Pascha.*

Sit laus Patri, laus Fílio,
Sit par tibi laus, Spíritus,
Divína qui perénnibus
Firmas sigillis fœdera.

Amen.

*Tempore Paschali, dicitur Doxologia*, Da, Christe. *supra*, xxxviij.

℣. Sitívit in te ánima mea: ℟. Quàm multipliciter tibi caro mea! *Ps.* 62.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 7. G. Exultávit ánima mea in Deo meo; quia índuit me vestimentis salútis, quasi sponsam ornátam monílibus suis. [ Allelúia. ] *Is.* 61.

*Si sit Martyr.*

*Oratio.*

Deus, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula, étiam in sexu frágili victóriam martyrii contulísti: concéde propítius, ut qui beátæ *N.* Virginis & Mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exempla gradiámur; Per.

*Alia Oratio.*

Omnípotens, sempiterne Deus, cujus múnere beáta *N.* virginitátis & martyrii palmam adepta est: da nobis ejus précibus, ita córporis ac mentis servâre puritátem, ut nec blandítiis carnis, nec malórum acerbitáte vincámur; Per.

*Si non sit Martyr. Oratio.*

Deus, qui habitáculum tuum in corde pudíco constituísti: concéde, ut qui fidélis sponsæ tuæ *N.* puritátem húmili venerámur obséquio, piæ conversatiónis sequámur exemplo; Per.

*Alia Oratio.*

Fidéles tuos, quæsumus, Dómine, intercedente beátâ *N.* Vírgine tuâ, córpore & mente purífica; ut tuâ inspiratióne compuncti, nóxias delectatiónes vitáre prævâleant; atque ut earum non capti illécebris, tuâ semper suavitáte pascántur; Per.

AD PRIMAM.

*Ant.* Dilectus meus.

AD TERTIAM.

*Ant.* Invéni.

*Capitulum.* 1. Cor. 7.

De vírginibus præceptum Dómini non hábeo; consílium autem do, tanquam misericórdiam consecútus à Dómino, ut sim fidélis.

℟. *br.* Lætétur mons Sion: * Exultent fíliæ Judæ. [ * Allelúia, allelúia. ] Lætétur. ℣. Propter judícia tua, Dñe. [ * Allelúia, ] Glória. Lætétur. *Ps.* 47.

*In Quadrag. omittitur*, Allelúia. *& Reclamatio fit ad primum asteriscum, & sic ad alias Horas.*

℣. Audívit, & lætáta est Sion; ℟. Et exultavérunt fíliæ Judæ. *Ps.* 96.

AD SEXTAM.

*Ant.* Ego.

*Capitulum.* 1. Cor. 7.

Mulier innupta, & Virgo cógitat quæ Dómini sunt, ut sit sancta córpore & spíritu;

spíritu : quæ autem nupta est, cógitat quæ sunt mundi, quómodo placeat viro.

℟. *br.* Quid mihi est in cœlo ? * Et à te quid vólui super terram ? [ * Allelúia , allelúia. ] Quid. ℣. Deus cordis mei , & pars mea Deus in æternum. [ * Allelúia , allelúia. ] Glória Patri. Quid. *Ps.* 72.

℣. Concupíscit , & déficit ánima mea in átria Dómini : ℟. Cor meum & caro mea exultavérunt in Deum vivum. *Ps.* 83.

## AD NONAM.

*Ant.* Sub umbra.

*Capitulum.* 2. Cor. 11.

ÆMulor vos Dei æmulatióne : despondi enim vos uni viro vírginem castam exhibére Christo.

℟. *br.* Afferentur Regi vírgines * In lætítia & exultatióne. [ * Allelúia, allel. ] Afferentur Regi vírgines. ℣. Adducentur in templum Regis. [ * Allelúia , allelúia. ] Glória Patri. Afferentur.

℣. Delectavérunt te filiæ regũ, ℟. In honóre tuo. *Ps.* 44.

## AD II. VESPERAS.

*Ant.* VIrgines accipientes 4. E. lámpades suas, exiérunt óbviam sponso & sponsæ. [ Allelúia. ] *Matth.* 25.

*Ant.* 3. a. Prudentes accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus , & ornavérunt lámpades suas. [ Allelúia. ] *Matth.* 25.

*Ant.* 7. d. Médiâ nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit , exíte óbviam ei. [ Allelúia. ] *Matth.* 25.

*Ant.* 2. D. Venit sponsus ; & quæ parátæ erant , intravérunt cum eo ad núptias. [ Allelúia. ] *Matth.* 25.

*Ant.* 1. D. Vírgines sequuntur Agnum quócumque íerit : sine mácula enim sunt ante thronum Dei. [ Allel. ] *Apocal.* 14.

*Capitulum.* Apoc. 19.

REgnávit Dóminus Deus noster omnípotens : gaudeámus , & exultémus , & demus glóriam ei ; quia venérunt núptiæ Agni , & uxor ejus præparávit se.

*Hymnus , ut in I. Vesperis.*

℣. Hæréditas immaculatórum in æternum erit : ℟. Non confundentur in témpore malo. *Ps.* 36.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 5. C. Casta generátio in perpétuum coronáta triumphat , incoinquinatórum certáminum præmium vincens. [ Allelúia. ] *Sap.* 4.

*Oratio , ut suprà ad Laudes.*

---

# COMMUNE SS. MULIERUM.

## IN I. VESPERIS.

*Ant.* SIcut sol óriens mundo 1. a. in altíssimis Dei , sic mulieris bonæ spécies in ornamentum domûs ejus. [ *Temp. Pasch.* Allelúia. ] *Eccli* 26.

*Ant.* 2. D. Pars bona , múlier bona ; in parte timéntium

Deum dábitur viro pro factis bonis. [ Allelúia. ] *Ibid.*

*Ant.* 3. g. Grátia super grátiam, múlier sancta & pudoráta. [ Allelúia. ] *Ibid.*

*Ant.* 4. E. Mulieris bonæ beátus vir; número enim annórum illius duplex. [ Allelúia. ] *Ibid.*

*Ant.* 5. C. Fallax grátia & vana est pulchritúdo; múlier timens Dóminum ipsa laudábitur. [ Allelúia. ] *Prov.* 31.

*Capitulum.* Ephes. 5.

RElinquet homo patrem, & matrem suam, & adhærébit uxóri suæ; & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo & in Ecclésia. Verúmtamen & vos singuli unusquisque uxórem suam sicut seipsum diligat; uxor autem timeat virũ suum.

*In Dupl. 1. ordinis & suprà.*

℟. Mulierem fortem quis invéniet? Procul & de últimis finibus prétium ejus. * Confidit in ea cor viri sui: reddet ei bonum, & non malum, ómnibus diébus vitæ suæ. [ *Tempore Pasch.* Allelúia, allelúia. ] ℣. Vir imágo & glória Dei est: múlier autem glória viri est. * Confidit in ea. Glória. * Confidit in ea. *Prov.* 31. 1. *Cor.* 11.

*Hymnus, ut infra ad Officium Nocturnum.*

℣. Anima ejus in bonis demorábitur, ℟. Et semen ejus hæreditábit terram. *Ps.* 24.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 6. Domus & divitiæ dantur à paréntibus; à Dómino autem própriè uxor prudens. [ Allelúia. ] *Prov.* 19.

*Oratio, ut infra ad Laudes.*

[ *In Solemnibus ad Completorium super Psalmos*

*Ant.* 3. *g.* Múlier sensáta, & tácita: non est immutátio eruditæ ánimæ. [ Allelúia. ] *Eccli.* 26. ]

## AD OFFICIUM NOCT.

*Invit.* Deum in quo sperant sanctæ muliéres, * Venite, adorémus. [ *Tempore Paschali,* Allelúia. ] 1. *Petr.* 3.

*Ps.* 94. Venite. 2.

*Hymnus.*

ADeste, sanctæ Cónjuges;
En illa fortis Fémina,
Ornáta quæ virtútibus
Inter triumphat Cœlites.

Blandos ut hostes vinceret,
Hanc fortitúdo véstiit:
Ut prosit intuéntibus,
Cœléstis ornávit decor.

Non vana pompa sécusi
Sensus fefellit, nec malis
Gliscens voluptas ártibus
Virile pectus mólliit.

Non illa luxu véstium,
Non crine torto splénduit:
Cultu nitens sed simplice,
Puris placébat móribus.

Se sub serénis vúltibus
Austéra virtus ócculit:
Timet vidéri, ne suum,
Dum prodit, amittat decus.

Pascenda cœléstí cibo,
Sacris studébat litteris,
Templo frequens, sed sédula
Redíbat ad curam domus.

*Ante Pascha.*

Æterne tu Verbi Pater,
Æterne Fili par Patri,
Et par utrique Spíritus,
Tibi, Deus, sit glória.
Amen.

*Tempore Paschali.*

Da, Christe, nos tecum mori,
Tecum simul da súrgere,
Terréna da contémnere;
Amáre da cœléstia.
Sit laus Patri, laus Fílio,
Qui nos triumphátâ nece,
Ad astra secum dux vocat:
Compar tibi laus, Spíritus.
Amen.

*IN I. NOCTURNO.*

*Ant.* 7. *d.* Mulíeres subdítæ estóte viris, sicut oportet, in Dómino. [ Allelúia. ] *Coloss.* 3.

*Ant.* 8. *c.* Oportet mulíeres esse pudícas, non detrahentes, sóbrias, fidéles in ómnibus. [ Allelúia. ] 1. *Timoth.* 3.

*Ant.* 1. *f.* Prudéntiam dóceant adolescéntulas, viros suos ament, filios suos díligant. [ Allelúia.. ] *Tit.* 2.

℣. Deus habitáre facit in domo, ℟. Matrem filiórum lætantem. *Ps.* 112.

*Lectiones, de Scriptura occurrente.*

℟. *i.* Mulíeres viris suis súbditæ sint, sicut Dómino: * Quóniam vir caput est mulíeris, sicut Christus caput est Eccléstæ, ipse salvátor córporis ejus. [ Allel. allel. ] ℣. Múlier si primátum hábeat, contrária est viro suo. * Quóniam. *Eph.* 5. *Eccli.* 25.

℟. *ij.* Fílii sanctórum sumus, & * Non póssumus ita conjungi, sicut gentes, quæ ignórant Deum. [ Allelúia, allelúia. ] ℣. Non vocávit nos Deus in immundítiam, sed in sanctificatiónē. * Non póssumus. *Tob.* 8. 1. *Thess.* 4.

℟. *iij.* Grátia mulíeris sédulæ delectábit virum suum: * Disciplína illíus datum Dei est. [ Allelúia, allel. ] ℣. Quæ fílios aut nepótes habet, díscat domum suam régere; hoc enim acceptū est coram Deo. * Disciplína. Glória. * Disciplína. *Eccli.* 26. 1. *Tim.* 5.

*IN II. NOCTURNO.*

*Ant.* 4. E. Deprecabátur Dóminum, dicens: Dómine mi, qui rex noster est solus, ádjuva me, cujus præter te nullus est auxiliátor álius. [ Allelúia. ] *Esther* 14.

*Ant.* 5. a. Dómine, qui habes ómnium sciéntiam, nosti quia óderim glóriam iniquórum. [ Allelúia. ] *Ibid.*

*Ant.* 6. Tu scis quòd nunquam lætáta sit ancilla tua nisi in te, Dómine Deus. [ Allelúia. ] *Ibid.*

℣. Ad ómnia mandáta tua dirigébar. ℟. Omnem viam iniquam ódio hábui. *Ps.* 110.

*Lectiones, ut in Proprio.*

℟. *iv.* In oratióne perstítens cum lácrymis deprecabátur Deum: * Ad te, Dómine, fáciem meam converto, ad te óculos meos dirigo. [ Allelúia, allel. ] ℣. Omne datum óptimum, & omne donum perfectum desúrsum est, descendens à Patre lúminum. * Ad te. *Tob.* 3. *Jac.* 1.

℟. *v.* Dilexi, Dómine, mandáta tua super aurum & topázion; * Propterèa ad ómnia mandáta tua dirigébar: omnem viam iniquam ódio hábui. [ Allelúia, allelúia. ] ℣. Quæ participátio justítiæ cum iniquitáte? * Propterèa. *Ps.* 118. 2. *Cor* 6.

℟. *vj.* Tu scis, Dómine, * Quia † Nunquam cum ludéntibus míscui me, neque cum his, qui in levitáte ámbulant participem me præbui: virum autem cum timóre tuo, non cum libídine mea consensi suscipere. [ Allelúia, allelúia. ] ℣. Gratias ago Deo cui sérvioin conscién-tia pura. * Quia. † Glória. †. Nunquam. *Tob.* 3. 2. *Timoth.* 1.

## *IN III. NOCTVRNO.*

*Ant.* 2. D. Manum suam misit ad fórtia, & dígiti ejus apprehendérunt fusum. [ Allelúia. ] *Proverb.* 31.

*Ant.* 7. c. Quæsívit lanam & linum, & operáta est consílio mánuum suárum. [ Allelúia. ] *Ibid.*

*Ant.* 8. G. Facta est quasi navis institóris, de longè portans panem suum. [ Allelúia. ] *Ibid.*

℣. Dispersit dedit paupéribus; ℟. Justítia ejus manet in séculum séculi. *Ps.* 111.

*Evangelium & Homilia, ut in Proprio.*

℟. *vij.* Roborávit bráchiũ suum, * Non timébit dómui suæ à frigóribus nivis: omnes enim doméstici ejus vestíti sunt duplícibus. [ Allelúia, allelúia. ] ℣. Túnicas & vestes faciébat illis. * Non timébit. *Prov.* 31. *Act.* 9.

℟. *viij.* Os suum apéruit sapiéntiæ, & lex clemèntiæ in lingua ejus: * Considerávit sémitas domus suæ, & panem otiósa non comédit. [ Allelúia, Allelúia. ] ℣. Quod decet mulíeres promittentes pietátem per ópera bona: * Considerávit. *Prov.* 31. 1. *Tim.* 2.

℟. *ix.* Non extinguétur lúcerna ejus; * Manum suam apéruit ínopi, & palmas suas extendit ad páuperem; [ Allelúia, allel. ] ℣. Hæc erat plena opéribus bonis & eleemósynis quas faciébat. * Manum. Glória Patri. * Manum. *Prov.* 31. *Act.* 9.

Te Deum.

## AD LAUDES.

*Ant.* 4. a. ERat hæc in ómnibus famosíssima, quóniam timébat Dóminum valde; nec erat qui loquerétur de illa verbum malum. [ Allelúia. ] *Judith.* 8.

*Ant.* 1. a. Magna facta est, erat etiam virtúti cástitas adjuncta. [ Allelúia. ] *Judith.* 16.

*Ant.* 3. *a.* Induens se cilício póstuit cinerem super caput suum; & prosternens se Domino clamábat ad Dóminum. [ Allelúia. ] *Judith.* 9.

*Ant.* 6. Cónfitebátur Dómino, & loquebátur de illo ómnibus qui expectábant redemptiónem Israel. [ Allel. ] *Luc.* 2.

*Ant.* 1. f. Fílios educávit, hospítio recépit, sanctórum pedes lavit, tribulatiónem patiéntibus subminístrávit, omne opus bonum subsecúta est. [ Allelúia. ] 1. *Tim.* 5.

*Capitulum.* 1. Tim. 2.

MUlier salvábitur per filiórum generatiónem, si permánserit in fide, & dilectióne, & sanctificatióne cum sobrietáte.

*Hymnus.*

ARDET Deo quæ Fémina,
Latére frustrà cógitat:
Quot índigos hæc súblevat,
Tot próditur præcónibus.

PRODESSE quærit ómnibus,
Curis honestis ánxia;
Patróna custos vírginum,
Secunda mater órphanis.

PANNIS latentem vílibus
Christum fovébat hóspitem:
Quas dura subtraxit sibi,
Opes refundit pródiga.

PACEM domi, pacem foris
Alto colit siléntio:
Lites amat compónere,
Ut una mens sit ómnibus.

*Ante Paſcha.*

ÆTERNE tu Verbi Pater,
Æterne Fili par Patri;
Et par utríque Spíritus,
Tibi, Deus, sit glória.
Amen.

[ *Tempore Paſchali, dicitur Doxologia*, DA, Chriſte, &c. *ſupra*, lj.

℣. Adhæsit ánima mea post te, Deus meus: ℟. Me suscépit déxtera tua. *Pſ.* 62.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 5. C. Fortitúdo & decor indumentum ejus: Dare ei de fructu mánuum suárum, & laudent eam in portis ópera ejus. *Proverb.* 31.

*Si ſit Martyr.*
*Oratio.*

DEus, cujus grátiâ vírtus in infirmitáte perficitur, largíre nobis beátæ *N.* Mártyris tuæ passiónem recolénti-bus; ut quæ à te accépit ut vínceret, à te quoque vincendi grátiam nobis obtíneat; Per.

*Si non ſit Martyr.*
*Oratio.*

TUórum corda fidélium, miserátor illustra, & beáta *N.* précibus ac méritis, fac nos terréna despícere & amáre cœléstia; Per.

*Si ſit Vidua.*
*Oratio.*

DEus in quem sperat omnis ánima, quæ longè à te éxulans in terris se verè víduam sentit ac desolátam: tríbue nobis, quæsumus, ut exemplo beátæ *N.* nocte ac die obsecratiónibus & oratiónibus instantes, cœléstium consolatiónum mereámur esse partícipes; Per.

AD PRIMAM.

*Ant.* Erat.

AD TERTIAM.

*Ant.* Magna.

*Capitulum.* Eccli. 40.

FIlii, & ædificátio civitátis confirmábit nomen; & super hæc múlier immaculáta comprobábitur.

℟. *br.* Perambulábam * In innocéntia cordis mei. [ * Allelúia, allel. ] Perambulábam ℣. In médio domus meæ. [ Allelúia, allelúia. ] Glória. Perambulábam. *Pſ.* 100.

*In Quadrageſima, omittitur* Allelúia. *& Reclamatio ſit ad primum aſteriſcum, & ſic ad alias horas.*

℣. Iniquitátem ódio hábui, ℟. Legem autem tuam dilexi. *Pſ.* 118.

AD SEXTAM.

*Ant.* Induens.

*Capitulum.* 1. Tim. 2.

VOlo oráre mulíeres in hábitu ornáto, cum verecúndia & sobrietáte ornan-

tes se, & non in tortis crínibus, aut auro, aut margarítis, vel veste pretiósâ; sed quod decet mulíeres, promittentes pietátẽ per ópera bona.

℟. *br.* Expectávi Dóminum, * Et intendit mihi. [ * Allelúia, allelúia. ] Expectávi. ℣. Et exaudívit preces meas. [ Allelúia, allelúia. ] Glória Patri. Expectávi Dóminum. *Ps.* 39.

℣. Veníte, & vidéte ópera Dei, ℟. Qui pósuit ánimam meam ad vitam. *Ps.* 65.

## AD NONAM.

*Ant.* Fílios.

*Capitulum.* 1. Petr. 3.

MUlieres súbditæ sint viris suis; ut & si qui non credunt verbo, per mulíerum conversatiónem sine verbo lucrifiant, considerantes in timóre castam conversatiónem vestram.

℟. *br.* Párticeps ego sum * Omnium timéntiũ te. [ * Allelúia, allelúia. ] Partíceps. ℣. Custodiéntiũ mandáta tua. [ * Allelúia, allelúia. ] Glória. Párticeps. *Ps.* 118.

℣. Oculi mei ad fidéles terræ, ut sédeant mecum: ℟. Ambulans in via immaculáta hic mihi ministrábat. *Ps.* 100.

## AD II. VESPERAS.

*Ant.* SUrrexérunt fílii ejus, i. g. & beatíssimam prædicavérunt; vir ejus & laudávit eam. [ Allelúia. ] *Proverb.* 31.

*Ant* 5. a. Benedixérunt eam omnes unâ voce dicentes: Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israel, tu honorificéntia pópuli nostri. [ Allelúia. ] *Judith.* 15.

*Ant.* 3. a. Benedícta es à Dómino: scit enim omnis pópulus mulíerem te esse virtútis. [ Allelúia. ] *Ruth.* 3.

*Ant.* 6. Fecísti viríliter & confortátum est cor tuum; eò quod castitátem amáveris, ideo eris benedícta in ætérnum. [ Allelúia. ] *Judith.* 15.

*Ant.* 7. a. Non est in sermónibus tuis ulla reprehénsio: nunc ergo ora pro nobis, quóniam múlier sancta es, & timens Deum. [ Allelúia. ] *Judith.* 8.

*Capitulum.* Judith. 13.

BEnedícta tu à Deo tuo in omni tabernáculo Jacob, quóniam in omni gente, quæ audíerit nomen tuum, magnificábitur super te, Deus Israel.

*Hymnus.*

O JAm beáta, quæ suo
Tandẽ solúta córpore,
Vinclis perennióribus
Uni Deo conjúngitur!
PER quos gradus cœlum petit,
Hâc ire vos omnes docet,
Junctæ jugáli vínculo,
Et vos solútæ Cónjuges.
INSIGNIS & nos Féminæ
Sequi decet vestígia,
Magnum vel ipsis quæ fuit
Virtútis exemplum viris.
QUEIS arsit illa, fac, Deus,
Flagrémus & nos ígnibus;
Eoque, quo te vis coli,
Amóre fac mens te colat.

*Ante Pascha.*

ÆTERNE tu Verbi Pater,
Æterne Fili par Patri,
Et par utrique Spíritus,

Tibi, Deus, ſit glória.
Amen.

[*Tempore Paſchali*, *Doxologia*, DA, Chriſte. *ſupra.* lj.

℣. Anima mea exultábit in Dómino, ℟. Et delectábitur ſuper ſalutári ſuo. *Pſ.* 34.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 3. Exue te ſtolâ luctûs, & índue te decóre & honóre ejus, quæ à Deo tibi eſt, ſempiternæ glóriæ. *Baruch.* 5.

*Oratio, ut ſupra ad Laudes.*

# COMMUNE
## *LECTIONUM*
## PATRONI VEL PATRONÆ,
## *AUT ETIAM PLURIUM PATRONORUM*
## ECCLESIÆ ALICUJUS PRIVATÆ.

*IN Ecclesiis ubi Officium proprium de Patronis non habetur, eorum Festa ad eum modum celebrantur, qui in Rubricis Breviarii generalibus præscribitur; nempe ritu solemni primi ordinis, omnia sumendo in Breviario, primùm de Proprio, si quid in eo habeatur, deinde de Communi cujusque Sancti, secundùm titulum ejus & dignitatem, id est, vel Apostoli, vel Martyris, & aliorum similiter.*

*Lectiones I. Nocturni in Quadragesima dicuntur ut sequitur pro unoquoque Communi.*

*In II. Nocturno, si nihil omnino habetur in Breviario de Sancto cujus sit Officium, tres Lectiones pariter dicentur ut hic notantur pro unoquoque Communi. Si verò vel una vel duæ Lectiones in Breviario de illo Sancto habentur, præferentur his quæ hic notantur; quibus proinde locus non erit, nisi quando vel nullæ propriæ aderunt, vel non sufficient, aut dividi commodè non poterunt. Ubi verò una vel duæ habebuntur, pro secunda vel tertia ritè sumentur quæ prima vel secunda in unoquoque Communi hic ponuntur.*

*In III. Nocturno, tres Lectiones hic appositæ pro unoquoque Communi adhibebuntur.*

*Nullæ hic in secundo & tertio Nocturno appositæ sunt Lectiones pro Patrono Apostolo; quia nullus est cujus Festum non habeat Lectiones utrique Nocturno proprias in Breviario.*

*Circa Officium dierum intra Octavam servabuntur pariter quæ præscribuntur in Rubricis generalibus, Parte I. cap. II. n. 3. de Octavis Festorum Solemnium I. ordinis ad secundum ordinem pertinentibus: cujusmodi declarantur ibidem Octavæ Festorum Patroni; ideòque Dominicâ intra Octavas hujusmodi occurrente (modò aliàs privilegiata non sit) totum Officium fiet de Octava, cum Commemoratione Dominicæ occurrentis in utriusque Vesperis & Laudibus, & ix. Lectione. Lectiones verò I. Nocturni de Scriptura occurente sumentur, adhibitis in II. & III. Nocturno quæ hic communes Patronis cujuscumque tituli & dignitatis notantur.*

*Diei Octavæ Officium erit duplex* 1. *Ordinis cum Lectionibus pro II. & III. Nocturno pariter Communibus.*

*Tempore Paschali,* 1. *Lectio erit ex Scriptura, ij. erit prima ex assignatis II. Nocturno, iij. de Evangelio cum primâ ex Homilia.*

*Diebus infra Octavam Patronorum, Officium est semiduplex. Sunt etiam Lectiones communes, singulis ejusmodi diebus assignatæ.*

*Si nihil in Breviario habetur de aliquo Sancto non Patrono, cujus Festum alicubi forte celebrari debeat, vel si Festum aliquod celebrandum occurrat solemniori ritu, quàm in Breviario notetur; quæ ad ejusmodi Festum peragendum in Proprio deerunt, supplenda erunt ex hoc Communi.*

# DIE FESTO.

## *PRO APOSTOLO.*

*IN I. NOCTURNO.*

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

*Lectio* 1. Cap. 4.

SIc nos exístimet homo ut minístros Christi, & dispensatóres mysteriórum Dei. Hîc jam quæritur inter dispensatóres, ut fidélis quis inveniátur. Mihi autem pro mínimo est ut à vobis júdicer, aut ab humáno die: sed neque meipsum júdico. Nihil enim mihi cónscius sum; sed non in hoc justificátus sum: qui autem júdicat me, Dóminus est. Itaque nolíte ante tempus judicáre, quoadúsque véniat Dóminus, qui & illuminābit abscóndita tenebrárum, & manifestábit consília córdium; & tunc laus erit unicuique à Deo.

*Lectio ij.*

HÆc autem, Fratres, transfigurávi in me & Apollo, propter vos; ut in nobis discátis, ne súpra quàm scriptum est, unus adversùs álterum inflétur pro álio. Quis enim te discernit? Quid autẽ habes quod non accepísti? Si autem accepísti, quid gloriáris quasi non acceperis? Jam saturáti estis, jam dívites facti estis: sine nobis regnátis; & útinam regnétis, ut & nos vobíscum regnémus! Puto enim quòd Deus nos Apóstolos novíssimos ostendit tanquam mórti destinátos; quia spectáculum facti sumus mundo, & Angelis, & homínibus.

*Lectio iij.*

NOs stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo: nos infirmi, vos autem fortes: vos nóbiles, nos autem ignóbiles. Usque in hanc horam & esurímus, & sitímus, & nudi sumus, & cólaphis cædimur, & instábiles sumus; & laborámus operántes mánibus nostris. Maledícimur, & benedícimus: persecutiónem pátimur, & sustinémus: blasphemámur, & obsecrámus: tanquam purgaménta hujus mundi facti sumus, ómniũ perípséma usque

adhuc. Non ut confundam vos, hæc scribo; sed ut filios meos carissimos móneo. Nam si decem millia pædagogórũ habeátis in Christo, sed non multos patres: nam in Christo Jesu per Evangélium ego vos génui.

*IN II. & III. NOCTVR.*

*Lectiones, ut in Proprio Sanctorum.*

---

# DIE FESTO.

## *PRO UNO MARTYRE.*

*IN I. NOCTVRNO.*

De Epístola secunda B. Pauli Apóstoli ad Corinthios.

*Lectio j.* Cap. 4.

DEus qui dixit de ténebris lucem splendéscere, ipse illuxit in córdibus nostris, ad illuminatiónem sciéntiæ claritátis Dei, in fácie Christi Jesu. Habémus autem thesaurum istum in vasis fictílibus; ut sublímitas sit virtútis Dei, & non ex nobis. In ómnibus tribulatiónem pátimur, sed non angustiámur: aporiámur, sed non destitúimur: persecutiónem pátimur, sed non derelinquimur: dejícimur, sed non perímus; semper mortificatiónem Jesu in córpore nostro circumferentes, ut & vita Jesu manifestétur in corpóribus nostris.

*Lectio ij.*

SEmper enim nos qui vívimus, in mortem trádimur propter Jesum; ut & vita Jesu manifestétur in carne nostra mortáli. Ergo mors in nobis operátur vita autem in vobis. Habentes autem eumdem spíritum fidei, sicut scriptum est: Crédidi, propter quod locútus sum; & nos crédimus propter quod & lóquimur: scientes quóniam qui suscitávit Jesum, & nos cum Jesu suscitábit, & constítuet vobiscum. Omnia enim propter vos; ut grátia abundans, per multos in gratiárum actióne abundet in glóriam Dei. Propter quod non deficimus: sed licèt is qui foris est, noster homo corrumpátur; tamen is qui intùs est, renovátur de die in diem.

*Lectio iij.*

ID enim quod in præsenti est momentáneum & leve tribulatiónis nostræ, supra modum in sublimitáte ætternum glóriæ pondus operátur in nobis; non contemplántibus nobis quæ vidéntur, sed quæ non vidéntur. Quæ enim vidéntur, temporália sunt; quæ autem non vidéntur, ætterna sunt. Scimus enim, quóniam si terréstris domus nostra hujus habitatiónis dissolvátur, quòd ædificatiónem ex Deo habémus, domũ non manufactam, ætternam in cœlis. Nam & in hoc ingemíscimus, habitatiónem nostrã quæ de cœlo est superindui cupientes; si tamen vestíti,

non nudi inveniámur. Nam & qui sumus in hoc tabernáculo, ingemíscimus graváti, eò quòd nólumus expoliári, sed superveſtíri; ut absorbeátur quod mortále est, a vita.

*IN II. NOCTVRNO.*

Sermo S. Augustíni Epíscopi.

*Serm.* 311. *in nat. S. Cypriani Martyris.*

*Léctio iv.*

ISTum nobis festum diem pássio beatíssimi Mártyris fecit, cujus nos victóriæ celébritas in istum locum devotíssimos congregávit. Sed celebrátio solemnitátis Mártyrum imitátio debet esse virtútum. Fácile est honórem Mártyris celebráre; magnum est fidem atque patiéntiam Mártyris imitári. Hoc sic agámus, ut illud optémus: hoc sic celebrémus, ut illud pótius diligámus. Quid laudámus in fide Mártyris? Quia usque ad mortem pro veritáte certávit, & ideò vicit. Blandiéntem mundum contempsit, sævienti non cessit; ideò victor ad Deum accessit.

*Léctio v.*

ABundant in isto século erróres & terróres: beatíssimus Mártyr erróres sapiéntiâ, terróres patiéntiâ superávit. Magnum est quod fecit: secútus Agnum, leónem vicit. Quando persecútor sæviébat, leo fremébat; sed quia Agnus sursùm attendebátur, leo deorsùm calcabátur. Cogitáte, fratres, quale fuit mitti hómines per orbem terrárum prædicáre hóminem mórtuum resurréxisse, in cœlum ascendísse, & pro ista prædicatióne pérpeti ómnia quæ insániens mundus inferret, damna, exília, víncula, tormenta, flammas, béstias, cruces, mortes.

*Léctio vj.*

ALius moriebatur, ut álius honorarétur; álius occidebátur, ut álius colerétur. Numquid hoc fácerent, nisi flagrántia caritátis de cónscientia veritátis? Prædicavérunt mórtuum quem sciébant vivum. Sciébant pro qua vita contémnerent vitã: sciébant pro qua felicitáte ferrent transitóriam infelicitátem, pro quibus præmiis ista damna contémnerent. Fides eórum cum toto mundo non appenderétur. Audierant: Quid prodest hómini, si totum mundum lucrétur, ánimæ autem suæ detrimentum patiátur?

*IN III. NOCTVRNO.*

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

*Léctio vij.* Cap. 10.

IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Non est discípulus super magístrũ, nec servus super dóminum suum. Et réliqua.

Homília sancti Cypriáni Epíscopi & Mártyris.

*Epístola 56. quæ est de exhortatione ad martyrium ad Thibaritanos.*

GAudére nos in persecutiónibus vóluit Dóminus; quia tunc dantur corónæ fidei, tunc probantur mílites Dei, tunc Martyribus patent cœli. Neque enim sic nomen milítiæ dédimus, ut pacem tantúmmodò cogitáre, & recusáre milítiam debeámus, quando in ipsa milítia primus

ambulavérit Dóminus, humilitátis & tolerántiæ passiónis magister; ut quod fieri dócuit, prior fáceret; & quod pati hortátur, prior pro nobis ipso paterétur. Sit ante óculos, Fratres dilectíssimi, quòd qui omne judícium à Patre solus accépit, & qui ventúrus est & judicatúrus, jam judícii sui & cognitiónis futúræ sententiam protúlerit, prænúntians & contestans confessúrum se coram Patre suo confitentes, & negatúrum negantes.

*Longè post præc. Lectio viij.*

NEque áliquis persecutiónis metu sic terreátur, ut non evangélicis exhortatiónibus & præceptis, ac mónitis cœléstibus, ad ómnia inveniátur armátus. Iráscitur adversárius & minátur, sed est qui possit de ejus mánibus liberáre. Ille metuendus est, cujus iram nemo potest evádere, ipso prænonente & dicente: Ne timuéritis eos qui occídunt corpus, ánimam autem non possunt occídere: magis autem métuite eum qui potest & corpus & ánimam occídere in géhennam. Et íterùm: Qui amat ánimã suã, perdet illã; & qui odit ánimã suam in isto século, in vitam æternam conservábit illam. Ecce agon sublímis & magnus, & corónæ cœléstis præmio gloriósus. Præliantes nos spectat Deus, spectant Angeli ejus, spectat & Christus. Quanta est glóriæ dignitas, quanta felícitas, præsente Deo cóngredi, & Christo júdice coronári!

*Lectio ix.*

ARmémur víribus totis, & parémur ad agónem mente incorruptâ, fide integrâ, virtúte devótâ. Armat nos Apóstolus, dicens: Indúite arma Dei, ut possítis resístere in die nequíssimo. Induámus lorícam justítiæ, ut contra inimíci jácula munítum sit pectus & tutum. Calceáti sint evangélico magistério, & armáti pedes; ut cum serpens calcári à nobis cœperit, mordére & supplantáre non possit. Portémus scutum fidei, quo protegente, quidquid jaculátur inimícus possit extingui. Accipiámus ad tegumentum cápitis gáleam salutárem, ut muniantur aures, ne áudiant edicta ferália. Muniantur óculi, ne vídeant detestanda simulácra: muniátur frons, ut signum Dei incólume servétur: muniátur os, ut Dóminum suum Christum victrix lingua fateátur. Armémus & déxteram gládio spirituáli, ut sacrificia funesta fórtiter réspuat, & Eucharístiæ mémor, quæ Dómini corpus accépit, ipsum complectátur, póstea à Dómino sumptúra præmiũ cœléstium coronárũ.

# DIE FESTO

## *PRO PLURIBUS MARTYRIBUS.*

### *IN I. NOCTURNO.*

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

*Lectio j.* Cap. 8.

FRatres; Debitóres sumus non carni, ut secundùm carnem vivámus. Si enim secundùm carnem vixéritis, moriémini: si autem spíritu facta carnis mortificavéritis, vivétis. Quicumque enim Spíritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. Non enim accepístis spíritum servitútis iterùm in timóre; sed accepístis spíritum adoptiónis filiórũ, in quo clamámus: Abba, Pater. Ipse enim Spíritus testimónium reddit spíritui nostro, quòd sumus filii Dei. Si autem filii, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi; si tamen compátimur, ut & conglorificémur. Exístimo enì quòd non sunt condignæ passiónes hujus témporis ad futúram glóriam quæ revelábitur in nobis. Nam expectátio creáturæ revelatiónem filiórum Dei expectat.

*Lectio ij.*

SCimus autem quóniam diligéntibus Deum ómnia cooperantur in bonum, iis qui secundùm propósitum vocáti sunt sancti. Nam quos præscívit, & prædestinávit conformes fieri imáginis filii sui, ut sit ipse primogénitus in multis frátribus. Quos autem prædestinávit, hos & vocávit: & quos vocávit, hos & justificávit; quos autem justificávit, illos & glorificávit. Quid ergo dicémus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui étiam próprio Fílio suo non pepercit, sed pro nobis ómnibus trádidit illum: quómodò non étiam cum illo ómnia nobis donávit? Quis accusábit adversùs electos Dei? Deus qui justificat quis est qui condemnet? Christus Jesus, qui mórtuus est, imò qui & resurrexit, qui est ad déxteram Dei, qui étiam interpellat pro nobis.

*Lectio iij.*

QUis ergo nos separábit à caritáte Christi? Tribulátio, an angústia, an fames, an núditas, an periculum, an persecútio, an gládius? Sicut scriptũ est: Quia propter te mortificámur totâ die, æstimáti sumus sicut oves occisiónis. Sed in his ómnibus superámus propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principátus, neque virtútes, neque instántia, neque futúra, neque fortitúdo, neque altitúdo, neque profundum, neque creatúra ália póterit nos separáre à caritáte Dei, quæ est in Christo Jesu Dómino nostro.

## IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Augustíni Episcopi.

*Serm. 335. in nat. Mart.*

*Lectio iv.*

QUóniam dies sanctórum Mártyrum est, unde pótiùs áliquid delectet nos dícere, nisi de glória ipsórum? Adjuvet nos Dóminus Mártyrum. Audívimus paulò antè beátum Paulum Apóstolum prædicantem: Quis nos separábit à caritáte Christi? Ista vox est Mártyrum. Tribulátio, an angústia, an persecútio, an fames, an núditas, an perículum, an gládius? sicut scriptum est: Propter te morte afficimur totâ die, deputáti sumus ut oves occisiónis: sed in his omnibus superámus per eum qui dilexit nos. Hæc est vox Mártyrum, ómnia toleráre, & de se nihil præsúmere; illum diligere qui glorificátur in suis: ut qui gloriátur, in Dómino gloriétur.

*Lectio v.*

NOvérunt & illud quod nos cantávimus paulò antè: Lætámini in Dómino, & exultáte, justi. Si justi in Dómino lætantur, injusti non novérunt lætári nisi in século. Sed ipsa est prima ácies debellanda. Primò vincendæ sunt delectatiónes, & póstea dolóres. Quómodò potest superáre mundum sævientem, qui non potest superáre blandientem? Blanditur hic mundus pollicendo honóres, divítias, voluptátes: minátur hic mundus intentando dolóres, egestátes, humilitátes. Qui non contemnit quod pollicétur, quómodò superáre potest quod minátur?

*Lectio vj.*

HAbent delectatiónem suâ divitiæ, quis nescit? Sed plus habet delectatiónis justítia. Delectáre divítiis cum justítia. Ubi autem talis articulus tentatiónis incíderit, ut duo hæc véniant in tentationem, divítiæ & justítia; & non possis hábere utrumque: sed si míseris manum ad divítias, necesse est ut amittas justítiam; si míseris manum ad justítiam, péreant divitiæ. Modò élige, modò pugna; modo videámus si non sine causa cantásti: Lætámini in Dómino, & exultáte, justi; modò videámus si non sine causa audísti: Quis nos separábit à caritáte Christi? Et quidem prætermísit ómnia quibus blanditur mundus, & te vóluit commemoráre cui blanditur mundus. Quare? Quia certámina Mártyrum pronuntiábat: illa útique certámina, ubi vicérunt persecutiónem, famem, sitim, egestátem, ignóminiam; ad extrémum timórem mortis, & hostem sævíssimum.

## IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

*Lectio vij.* Cap. 6.

IN illo témpore; Descendens Jesus de monte, stetit in loco campestri; & turba discipulórum ejus, & multitúdo copiósa plebis ab omni Judæa, & Jerusalē, & maritima, & Tyri, & Sidónis. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Episcopi.

*Lib. 1. Off. Cap. 15. & 16.*

NOn potest quis præmiũ accípere, nisi legítimè certáverit: nec est gloriósa victória, nisi ubi fúerint laboriósa certámina. Nonne injustus est, qui antè quærat præmium, quàm certámen fúerit absolútum? Ideòque Dóminus in Evangélio ait: Beáti qui persecutiónem patiúntur propter justítiam, quóniam ipsórum est regnum cœlórum: beáti estis, cùm vos maledícent hómines, & persequéntur, & dicent omne malum adversúm vos propter justítiam; gaudéte, & exultáte, quóniam merces vestra copiósa est in cœlo. Futúram, non præséntem, in cœlo, non in terra, mercédem promísit esse reddendam. Quid álibi póscis quod álibi debétur? Quid præpróperè corónam éxigis, ante quàm vincas? Quid detérgere púlverem, Quid requiéscere cupis? Quid epulári gestis, ántequàm stádium solvátur? Adhuc pópulus spectat, adhuc athlétæ in scámmate sunt; & tu jam ótium petis?

*Lectio viij.*

SEd fortè dicas: Cur ímpii lætantur? cur luxuriantur? cur étiam ipsi non mecum labórant? Quóniam qui non subscripserint ad corónam, non tenentur ad labórem certáminis: qui in stádium non descénderint, non se perfundunt óleo, non oblíniunt púlvere. Quos manet glória, expectat injúria. Unguentárii spectáre solent, non decertáre, non solem, æstus, púlverem, imbresque pérpeti. Dicant ergo & ipsis athlétæ: Veníte, nobíscum laboráte. Sed respondébunt spectatóres: Nos hîc ínterim de vobis judicámus; vos autem sine nobis corónæ, si vicéritis, glóriam vindicábitis.

*Lectio ix.*

ISti ígitur qui in delíciis, qui in luxúria, rapínis, quæstibus, honóribus, stúdia posuérunt sua, spectatóres magis sunt quàm præliatóres. Habent lucrum labóris, fructum virtútis non habent. Fovent ótium, astútiâ & improbitáte ággerant divitiárum acervos; sed exolvent, feram licèt, nequítiæ suæ pœnam. Perfectórum est coróna. Expecta ut véniat quod perfectũ est, quando non per spéciem in ænigmate, sed fácie ad fáciem formam ipsam redopertæ veritátis possis agnóscere.

# DIE FESTO
## *PRO SS. PONTIFICIBUS.*

*IN I. NOCTURNO.*

De Epístola prima B. Pauli Apóstoli ad Timótheum.

*Lectio. j.* Cap. 3.

FIdélis sermo: Si quis Episcopátum desíderat, bonũ opus desíderat. Oportet ergo Episcopum irreprehensíbilem esse, unius uxóris virum, sóbrium, prudéntem, ornátum, púdicum, hospitálem, doctórem, non vinolentum, non

percussórem, sed modestum; non litigiósum, non cúpidũ, sed suæ dómui bene præpósitum, filios habentem súbditos cum omni castitáte. Si quis autem dómui suæ præesse nescit, quómodò Ecclésiæ Dei diligéntiam habébit? Non néophytum; ne in supérbiam elátus, in judícium incidat diáboli. Oportet autem illum & testimónium habére bonũ ab iis qui foris sunt; ut non in oppróbrium incidat, & in láqueum diáboli.

De Epístola ad Titum.

*Lectio ij.* Cap. 1.

OPortet enim Epíscopum sine crímine esse, sicut Dei dispensatórem: non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussórem, non turpis lucri cúpidum; sed hospitálem, benignum, sóbrium, justum, sanctum, continentem, amplectentem eum qui secundùm doctrínam est, fidélem sermónem; ut potens sit exhortári in doctrína sana, & eos qui contradícunt argúere. Sunt enim multi étiam inobedientes, vaníloqui, & seductóres, máximè qui de circumcisióne sunt, quos oportet redárgui; qui universas domos subvertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri grátiâ.

*Lectio iij.* Cap. 2.

TU autem lóquere quæ decent sanam doctrínam. Senes, ut sóbrii sint, púdici, prudentes, sani in fide, in dilectióne, in patiéntia. Anus simíliter, in hábitu sancto, non criminatrices, non multo vino servientes, bene docentes, ut prudéntiam dóceant adolescéntulas, ut viros suos ament, filios suos díligant; prudentes, castas, sóbrias, domûs curam habentes, benignas, súbditas viris suis, ut non blasphemétur verbum Dei. Júvenes simíliter hortáre, ut sóbrii sint. In ómnibus teipsum præbe exemplum bonórum óperum, in doctrína, in integritáte, in gravitáte, verbum sanum, irreprehensíbile; ut is qui ex adverso est, vereátur, nihil habens malum dícere de nobis.

*IN II. NOCTURNO.*

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

*Hom. 20. in Epist. 1. ad Tim.*

*Lectio iv.*

SI quis Episcopátum áppetit, non principátûs ac dominatiónis fastu, sed pro cura regíminis & caritátis affectu, non ímprobo: bonum quippe desíderat opus. Quippe & Móyses eamdem rem appetivísse cognóscitur. Verùm ille hujúsmodi poténtiam ambitumque dominandi nequáquam quæsívit; sed eam rem ita cupívit, ut nec contuméliam audíre refúgeret, cùm illi dicerétur: Quis te constítuit príncipem & júdicem super nos? Si quis ígitur ita desíderat, desíderat bene. Episcopátus enim ex eo dícitur, quód omnes inspíciat cunctaque speculétur. Oportet ígitur Episcopum irreprehensíbilem esse. Hoc único verbo genus omne virtútum expressit. Itaque qui sibi vel levis culpæ cónscius est, malè profectò facit eam rem áppe-

rens

tens, quâ indignum se per ópera facit. Non enim decet hujúsmodi régere, sed pótiùs regi. Eum quippe qui regendos álios súscipit, tantâ decet glóriâ virtútis excéllere, ut instar solis, céteros véluti stellárum ignículos in suo fulgóre obscúret. Debet hujúsmodi vitam habére immaculátam atque compósitam; ut omnes in illum & in ejus vitam, véluti in exemplum áliquod excellens, intueántur.

*Lectio v.*

OPortet Episcopum vigilantem esse, hoc est, claríssimâ mentis ácie prædítum, innumerosque habéntem omni ex parte óculos, quibus acutíssimè cuncta prospíciat. Sunt quippe plura quæ incídant, & mentis hébetent ácies, putà concupiscéntiæ desidéria, curæ quotidiánæ, rerumque perturbátio; & plúrima id genus úndique imminent. Vigilantem ígitur esse nécesse est eum, qui non tantùm suî curam habet, verùm étiam reliquórum. Decet esse pervigilem eum qui ejúsmodi est, ac spíritu vívere, & affectûs sui flammam opéribus ipsis osténdere, sollicitúdine atque indústriâ præcéllere; ut die noctuque exércitum & castra perlustret, labóret, & sui officii munus diligentíssimè impleat, atque ómnium curam & sollicitúdinem gerat. Pudícum, addit, ornátum, & hospitalitátis amatórem. Ista & in súbditis plerumque vídeas. Verùm quóniam oportet eum & ea quæ sunt rectóris habére, idcírcò subjunxit: Aptum ad docendum. Hoc quippe à súbditis nequáquam exígitur: céterùm illi ante ómnia adésse debet, qui hujúsmodi suscépit officium.

*Lectio vj.*

IDcircò nos elégit Deus, ut símus quasi luminária, ut véluti fermentum evadámus, ut magístri cæterórum efficiámur, ut véluti Angeli cum homínibus versémur in terris, ut tanquam viri cum infántibus & púeris, quasi spirituáles cum animálibus, ut ex contubérnio nostro ingéntia lucra conquírant; ut sémina símus, ut fructum lætíssimum afferámus. Nihil opus esset verbis, si hunc in modum vita nostra sanctitátis luce fulgéret. Nihil magístris opus esset, si virtútis probos actus præferrémus. Nemo profectò Gentilis esset, si ipsi ut oportet Christiáni esse curaremus, si Dei mónitis ac scitis obtemperarémus, si injúrias perpessi vicè non referrémus, si malédictis lacessiti benedicerémus, si pro malis bona redderémus. Nemo esset ita fera béllua, ut non statim ad cultum veræ religiónis accúrreret, si vidéret hæc ab ómnibus fieri. Atque ut discas ita esse, unus Paulus qui talis fuit, tot pópulos attraxit ad Dei notítiam. Si omnes essémus hujúsmodi, quot terrárum orbes & ipsi attrahere possémus?

*IN III. NOCTURNO.*

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

*Lectio vij.* Cap. 24.

IN illo tempore; Dixit Jesus discípulis suis: Vigiláte, quia nescítis quâ horâ

Dóminus veſter ventúrus ſit. Et réliqua.

Homília S. Fulgéntii Epíſcopi.

DOmínicus ſermo quem debémus omnes, non ſolùm ſtudióſè, verùm étiam ſapienter audíre, cui nos opórtet humíliter ac delectabíliter obedíre, moderatiónis ſuæ tenens ubíque tempériem, ut nec óvibus deſint pábula, nec paſtóribus alimenta; quædam ſpeciáliter ſolis præcípit nobis, quædam verò generáliter & nobis & vobis. Nobis namque (id eſt, ſervis, quos Pater ille famílias, rerum ómnium Dóminus, ad hoc in ſua magna domo conſtítuit, ut pópulo ejus verbum grátiæ miniſtrémus) ſpeciáliter adjúngitur ſanctæ prædicatiónis officium; generáliter verò & nobis & vobis ſalutáris indícitur obſervántia mandatórum.

*Lectio viij.*

SErvórum ígitur, quos pópulo ſuo præpóſuit Dóminus, ſpeciáliter volens officiũ demonſtráre, ait: Quis putas eſt fidélis diſpensátor & prudens, quem conſtítuit Dóminus ſuper famíliam ſuam, ut det illis in témpore trítici mensúram? Beátus ille ſervus, quem cùm vénerit Dóminus, invénerit ita facientem. Quis eſt iſte Dóminus, Fratres? Chriſtus ſine dúbio, qui ſuis diſcípulis ait: Vos vocátis me, Magiſter & Dómine; & bene dícitis: ſum étenim. Quæ eſt étiam hujus Dómini família? Nimírum illa eſt, quam ipſe Dóminus de manu inimíci redémit, & ſuo dominio mancipávit. Hæc autem família ſancta eſt Eccléſia cathólica, quæ per orbem terræ copiósâ fertilitáte diffúnditur, & redemptam ſe pretióſo ſui Dómini ſánguine gloriátur.

*Lectio ix.*

DIſpensátor verò quis ſit, quem oportet eſſe fidélem páriter ac prudentem, Paulus nobis oſtendit Apóſtolus, qui de ſe ſuiſque ſóciis loquens, ait: Sic nos exíſtimet homo ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatóres myſteriórum Dei. Hic jam quǽritur inter diſpenſatóres, ut fidélis quis inveniátur. Ne quis autem noſtrùm ſolos Apóſtolos diſpenſatóres factos exíſtimet; negléctoque militiæ ſpiritális officio, ſervus piger infidéliter imprudenterque dormítet, ipſe beátus Apóſtolus Epíſcopos eſſe diſpenſatóres oſtendens, ait: Oportet ergo Epíſcopum ſine crímine eſſe, ſicut Dei diſpenſatórem. Servi Patrisfamílias ſumus, diſpenſatóres Dómini ſumus; menſúram trítici quam vobis erogémus, accépimus. Quæ vera ſit iſta menſúra trítici ſi quǽrámus, ipſam quoque vobis beátus Paulus Apóſtolus oſtendet, dicens: Unicuíque ſicut Deus diviſit menſúram fidei. Hujus trítici menſúram vobis in nómine Dómini damus, quóties illumináti dono grátiæ ſpiritális, ſecundùm régulam veræ fidei diſputámus; & eamdem trítici menſúram per Dominícos diſpenſatóres accípitis, cùm quotídie per Dei fámulos verbum veritátis auditis.

# DIE FESTO

## *PRO SS. DOCTORIBUS.*

*IN I. NOCTURNO.*
De Libro Eccleſiáſtici.
*Lectio j.* Cap. 39.

SApiéntiam ómnium antiquórum exquíret sápiens, & in Prophétis vacábit. Narratiónem virórum nominatórum conſervábit, & in versútias parabolárum ſimul introíbit. Occulta proverbiórũ exquíret, & in abſcónditis parabolárum conversábitur. In médio magnatórum miniſtrábit, & in conſpectu præſidis apparébit. In terram alienigenárum géntium pertránſiet: bóna enim & mala in homínibus tentábit.

*Lectio ij.*

COr ſuum tradet ad vigilandum dilúculo ad Dóminum qui fecit illum, & in conſpectu Altíſſimi deprecábitur. Apériet os ſuum in oratióne, & pro delíctis ſuis deprecábitur. Si enim Dóminus magnus volúerit, ſpíritu intelligéntiæ replébit illum, & ipſe tanquam imbres mittet elóquia ſapiéntiæ ſuæ: & in oratióne confitébitur Dómino: & ipſe diriget consílium ejus & diſciplinam, & in abſcónditis ſuis conſiliábitur.

*Lectio iij.*

IPſe palàm fáciet diſciplinam doctrínæ ſuæ, & in lege teſtamenti Dómini gloriábitur. Collaudábunt multi ſapiéntiam ejus, & uſque in ſéculum non delébitur. Non recédet memória ejus, & nomen ejus requirétur à generatióne in generatiónem. Sapiéntiam ejus enarrábunt gentes, & laudem ejus enuntiábit Eccléſia.

*IN II. NOCTURNO.*
Ex Libro S. Auguſtíni Epíſcopi contra Julianum.

*Lib.* 2. *Cap.* 10. *Lectio iv.*

SAnctos & in ſancta Eccléſia illuſtres Antíſtites Dei, non Platónicis, & Ariſtotélicis, & Zenónicis, aliíſque hujuſcémodi, vel Græcis, vel Latinis, quanquam ex iſtis áliquos eórum, verùm omnes ſacris lítteris erudítos, nominátim, ſicut oportébat, expreſſi; eorumque ſententias, quantùm ſufficere videbátur, ſine ulla éditas ambiguitáte digeſſi; ut in eis tímeas non ipſos, ſed illum qui ſibi eos utília vaſa formávit, & ſancta templa conſtruxit: qui tunc de iſta cauſa judicavérunt, quando eos nemo poteſt dícere pérperàm cuíquam vel adversári, vel favére potuiſſe. Nullas nobiſcum vel vobiſcum amicítias attendérunt, vel inimicítias exercuérunt: neque nobis, neque vobis iráti ſunt; neque nos, neque vos miſeráti ſunt. Quod invenérunt in Eccléſia, tenuérunt: quod didicérunt, docuérunt: quod à Pátribus accepérunt, hoc filiis tradidérunt.

*Longè post præcedentia.*

*Lectio v.*

ISti Epíscopi sunt docti, graves, sanéti, veritátis acérrimi defensóres adversùs gárrulas vanitátes: in quorũ ratióne, eruditióne, libertáte, quæ tria bona júdici tribuísti, non potes invenire quod spernas. Si Episcopális Synodus ex toto orbe congregarétur, mirum si tales possent illìc fácilè tot sedére, quia nec ísti uno témpore fuérunt: sed fidéles, & multis excellentióres paucos dispensatóres suos Deus per diversas ætátes témpórum, locorumque distántias, sicut ei placet atque expedíre júdicat, ipse dispensat. Hos ítaque de áliis atque áliis tempóribus atque regiónibus ab Oriente & Occidente congregátos vides, non in locum quo navigáre cogantur hómines, sed in librum qui navigáre possit ad hómines.

*Lectio vj.*

QUantò tibi essent isti júdices optabilióres, si teneres cathólicam fidem; tantò tibi sunt terribiliores, quia oppugnas catholicam fidem, quam in lacte suxérunt, quam in cibo sumpsérunt, cujus lac & cibum parvis magnísque ministravérunt, quam contra inimícos, étiam vos tunc nondum natos, unde nunc revelámini, apertíssimè ac fortíssimè defendérunt. Tálibus post Apóstolos sancta Eccléfia plantatóribus, rigatóribus, ædificatóribus, pastóribus, nutritóribus crevit. Idcò profánas voces vestræ novitátis expávit; & cauta ac sóbria, ex admonitióne Apostólica, ne sicut serpens Evam seduxit astútiâ suâ, sic & mens ejus corrumperétur à castitáte quæ est in Christo; cathólicæ fidei virginitáte, insídias vestri dógmatis surrepentis exhórruit, & tanquâ caput cólubri calcávit, obtrívit, abjécit.

*IN III. NOCTURNO.*

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

*Lectio vij.* Cap. 5.

IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Vos estis sal terræ: quòd si sal evanúerit, in quo saliétur? Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

*Lib. 1. de Serm. Domini in Monte. C. 6.*

OStendit Dóminus fátuos esse judicandos, qui temporálium bonórum vel cópiam sectantes, vel inópiá metuentes, amittunt æterna, quæ nec dari possunt ab homínibus, nec auferri. Itaque si sal infatuátum fúerit, in quo saliétur? Id est, si vos per quos condiendi sunt quodámmodò pópuli, metu persecutiónum temporálium amitéritis regna cœlórum; qui erunt hómines per quos à vobis error auferátur, cùm vos elégerit Deus per quos errórem áuferat ceterórum?

*Lectio viij.*

ERgo ad níhilum valet sal infatuátum, nisi ut mittátur foràs, & calcétur ab homínibus. Non ítaque calcátur ab homínibus, qui pátitur persecutiónem, sed qui per-

secutiónem timendo infatuátur. Calcári enim non potest nisi inférior: sed inférior non est, qui quamvis córpore multa in terra sustíneat, corde tamen fixus in cœlo est.

*Lectio ix.*

VOs estis lumen mundi. Quómodò dixit supériùs Sal terræ, sic nunc dicit Lumen mundi. Nam neque supériùs ista terra accipienda est, quam pédibus corpóreis calcámus; sed hómines qui in terra hábitant, vel étiam peccatóres, quorum condiendis & extinguendis putóribus Apostólicum salem Dóminus misit in mundum. Et hîc mundum, non cœlum & terram, sed hómines qui sunt in mundo vel díligunt mundum, oportet intélligi, quibus illuminandis Apóstoli missi sunt.

---

# DIE FESTO

## *PRO SS. PRESBYTERIS.*

*IN I. NOCTURNO.*
De Epístola Beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

*Lectio j.* Cap. 7.

MElchísedech, Rex Salem, Sacerdos Dei summi, qui obviávit Abrahæ regresso à cæde regum, & benedíxit ei: cui & décimas ómnium divísit Abraham: primùm quidem qui interpretátur rex justítiæ: deinde autem & Rex Salem, quod est, rex pacis, sine patre, sine matre, sine genealógia, neque inítium diérum, neque finem vitæ habens, assimilátus autem Filio Dei, manet sacerdos in perpétuum.

*Lectio ij.*

INtuémini autem quantus sit hic, cui & décimas dedit de præcipuis Abraham Patriarcha: & quidem de filiis Levi sacerdórium accipiéntes, mandátum habent, décimas súmere, à pópulo secundùm Legem, id est, à fratribus suis: quanquam & ipsi exíerint de lumbis Abrahæ. Cujus autem generátio non annumerátur in eis, décimas sumpsit ab Abraham, & hunc qui habébat repromissiónes, benedixit; sine ulla autem contradictióne, quod minus est, à melióre benedícitur.

*Lectio iij.*

MAnifestum est: si secundùm similitúdinem Melchísedech exurgat álius Sacerdos, qui non secundùm legem mandáti carnális factus est, sed secundùm virtútem vitæ insolúbilis. Contestátur enim: Quóniam tu es sacerdos in æternum secundùm órdinem Melchísedech. Reprobátio quidem fit præcedentis mandáti, propter infirmitátem ejus & inutilitátem; nihil enim ad perfectum adduxit Lex: introdúctio verò melióris spei per quam proximámus ad Deum. Et quantum est non sine jurejurando

(álii quidem sine jurejurando Sacerdótes facti sunt; hic autem cum jurejurando, per eum qui dixit ad illum: jurávit Dóminus, & non pœnitébit eum: Tu es Sacerdos in æternum:) in tantum melióris testamenti sponsor factus est Jesus.

*IN II. NOCTVRNO.*

Ex Libro S. Joannis Chrysóstomi de Sacerdótio.

*Lib. 3. C. 2. Lectio iv.*

SAcerdótium in terra quidem perágitur, sed in rerum cœléstium classem ordinemque referendũ est. Atque id per quam méritò: quippe non mortális quisquam, non Angelus, non Archángelus, nonália quævis creáta poténtia, sed ipse Paraclétus órdinem hujusmodi dispósuit: qui mortálibus homínibus etiamnum in carne manéntibus author fuit, ut Angelórum ministérium ánimo concíperent. Idcircò necesse est Sacerdótem sic esse purum, ut si in ipsis cœlis collocátus inter cœlestes illas virtutes médius staret. Nam dum cónspicis Dóminum immolátum, & illic situm, Sacerdótem sacrificio incumbentem, ac preces fundentem; tum verò turbam circumfúsam pretióso illo sánguine intingi ac rubefieri, etiamne te inter mortáles versári atque in terra consístere censes? An non pótius è vestígio in cœlos transferri? An non cogitatiõnẽ omnem carnis abjiciens, nudo ánimo, mente purâ, circúmspicis quæ in cœlo sunt? O miráculum! ô Dei benignitátem! qui cum Patre sursùm sedet, in illo ipso témporis artículo ómnium mánibus pertractátur, ac se ipse tradit voléntibus ipsum excípere ac complecti.

*Lectio v.*

NAm si quis consideret quantum id sit mystérium, ut is scilicet qui homo ipse sit carne ac sánguine étiamnum constans, iisque involútus, beátæ atque immortáli natúræ illi fieri própior queat: tum probè intélliget quanto Sacerdótis honóre, quantâ dignitáte Spíritûs sancti grátia dignata fuerit: opéribus enim illis tum sacra hæc quæ dico initiantur, perficiunturque, tum étiamália his níhilò inferióra, quæ ipsa ad dignitátem, salútisque nostræ ratiónem spectant. Etenim qui terram incolunt atque in ea versántur, iis commíssum est ut ea quæ in cœlis sunt dispensent: iis datum est ut potestátem hábeant quam Deus óptimus, neque Angelis, neque Archángelis datam esse vóluit: neque enim ad illos dictum est: Quæcumque alligavéritis in terra, erunt alligáta in cœlo; & quæcumque solvéritis in terra, erunt solúta & in cœlo.

*Lectio vj.*

HAbent quidem & terréstres príncipes vínculi potestátem, verùm córporum solùm. Id autem quod dico Sacerdótum vínculum, ipsam étiam ánimam contingit, atque ad cœlos usque pervádit: usque adeò ut quæcumque infernè sacerdótes confécerint, illa éadem Deus súpernè rata

hábeat, ac servórum sententiam confirmet. Etenim quidnam hoc áliud esse dicas, nisi omnem rerum cœléstium potestátem illis à Deo concessam? Quorumcumque enim, ait, peccáta remiséritis, remittuntur eis, & quorumcumque retinuéritis, retenta sunt. Quænam, obsecro, potestas, hâc unâ major esse queat? Pater omne judícium Filio dedit: cæterum vídeo ipsum omne judícium à Deo Filio illis tráditum.

*IN III. NOCTURNO.*

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

*Lectio vij.* Cap. 10.

IN illo témpore, designávit Dóminus & álios septuaginta duos: & misit illos binos ante fáciem suam, in omnem civitátem & locum, quò erat ipse ventúrus. Et dicébat illis: Messis quidem multa, operárii autem pauci. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

*Hom. 17. in Evang.*

AD messem multam operárii pauci sunt quod sine gravi merore loqui non póssumus, quia etsi sunt qui bona áudiant, desunt qui dicant: Ecce mundus Sacerdótibus plenus est, sed tamen in messe Dei rarus valde invenítur operátor: quia officium quidem sacerdotále suscépimus, sed opus officii non implémus. Sed pensáte, fratres mei, pensáte quod dicitur: Rogáte ergo Dñum messis ut mittat operários in messem suam. Vos pro nobis pétite ut digna vobis operári valeámus, ne ab exhortatióne lingua tórpeat, ne postquam prædicatiónis locum suscépimus apud justum júdicem, taciturnitas nostra nos addicat.

*Lectio viij.*

SEd útinam si ad prædicatiónem virtútis non sufficimus loci nostri officium innocéntiâ vitæ teneámus; nam súbditur. Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Multi enim cùm regíminis curam suscipiunt ad lacerandos súbditos inardescunt, terrórem potestátis éxhibent & quibus prodesse debuerant nocent. Et quia charitátis víscera non habent dómini víderi áppetunt, patres se esse minimè recognoscunt. Humilitátis locum in elatiónem dominatiónis immutant: etsi quando extrinsecus blandiuntur, intrínsecus sæviunt. De quibus áliàs véritas dicit: Véniunt ad vos in vestimentis óvium, intrínsecus autem sunt lupi rapáces.

*Lectio ix.*

COntra quæ ómnia considerandum nobis est, quia sicut agni inter lupos mittimur, ut sensû servantes innocéntiæ morsum malitiæ non habeámus. Qui enim locum prædicatiónis súscipit, mala inferre non debet, sed tolerâre; ut ex ipsâ suâ mansuetúdine iram sævientem mitiget, & peccatórum vúlnera in áliis ipse afflictiónibus vulnerátus sanet. Quod tunc bene rector éxhibet cùm seipsum díligere per amórem privátum nescit:

cùm nulla quæ mundi sunt appetit: cùm terréndo cupiditátis onéribus nequáquã mentis colla supponit.

# DIE FESTO

## *PRO SS. ABBATIBUS, MONACHIS ET SOLITARIIS.*

*IN I. NOCTVRNO.*
De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Philippenses.
*Lectio j.* Cap. 3.

FRatres; Quæ mihi fuérunt lucra, hæc arbitrátus sum propter Christum detrimenta. Verúmtamen exístimo ómnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Jesu Christi Dómini mei, propter quem ómnia detrimentũ feci, & árbitror ut stércora, ut Christum lucrifáciam, & invéniar in illo, non habens meam justitiam quæ ex lege est, sed illam quæ ex fide est Christi Jesu: quæ ex Deo est justítia in fide ad cognoscendum illum, & virtútem resurrectiónis ejus, & societátem passiónum illíus; configurátus morti ejus, si quo modo occurram ad resurrectiónem quæ est ex mórtuis, non quod jam accéperim, aut jam perfectus sim: sequor autem, si quo modo comprehendam, in quo & comprehensus sum à Christo Jesu.

*Lectio ij.*

FRatres, ego me non árbitror comprehendísse. Unum autem, quæ quidem retrò sunt oblivíscens, ad ea verò quæ sunt prióra extendens meipsum, ad destinátum pérsequor, ad bravium supernæ vocatiónis Dei in Christo Jesu. Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiámus: & si quid áliter sápitis, & hoc vobis Deus revelábit. Verúmtamen ad quod pervénimus, ut idem sapiámus, & in eádem permaneámus régula.

*Lectio iij.*

IMitatóres mei estóte, fratres; & obsérvate eos qui ita ámbulant, sicut habétis formam nostram. Multi enim ámbulant, quos sæpè dicébam vobis (nunc autem & flens dico) inimícos crucis Christi; quorum finis intéritus, quorum Deus venter est, & glória in confusióne ipsórum, qui terréna sápiunt. Nostra autem conversátio in cœlis est.

*IN II. NOCTVRNO.*
Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.
*Homil. 69. in Matth.*
*Lectio iv.*

IN mentem véniat memória Sanctórum, qui cilicio induuntur, erémum hábitant, qui nunquam oblátas púrpuras acceptárent; sed quemádmodùm rex, si quis pannósa in-

dumenta páuperis induendà offerret, abominarétur atque repélleret, non áliter illi régiam púrpuram contemnunt. Hæc illis instituta ciliciórum usu confirmáta sunt; unde régibus ipsis excellentióres sunt atque præstantióres. Nam si posses mentis eórum atque ánimi jánuas reserare, & nudas cogitatiónes eórum, & omnẽ interiórem ornátum conspícere, fulgóre perculsus in terram concideres; nec illárum véstium splendórem, nec conscientiæ lucem perferre posses.

*Lectio v.*

NIhil ergo in tabernáculis eórum triste inveniétis; sed tanquam in cœlo tugúria fabricáti, sic longè à sæculi perturbatiónibus hábitant, adversùs diábolum militantes, & cum lætítia cum expugnantes. Idcircò enim in solitúdine domicílium constituérunt, civitátibus & célebri habitatióne hóminum omninò relictâ; quóniam qui bellum gerit, non potest domi sedére; sed necesse est quasi súbitò migratúrus, præparáto in diem domicílio hábitet. Quis unquam in exércitu domûs fundamenta jecit? Quis ædes ædificat, cùm inde paulò pòst descesúrus sit? Quis in castris agri júgera emit? Nullus certè. In pátria hæc, non in castris, facienda sunt.

*Lectio vj.*

HÆc tibi à me símiliter dicuntur. Cùm in suprémam civitátem pervéneris, tunc ista facito: imò verò nullo tibi labóre opus ibi est, cùm universa hæc à Rege tibi præparáta sint. Hìc ígitur satis nobis est fossam fácere, vallum fígere: ædificiórum constructióne opus non est. Christiános adversùs diábolum pugnantes; captívos à mánibus ejus rapientes, ómnibus temporálibus neglectis, vívere oportet. Cur ítaque magníficas ædes strúis, ô homo? An ut te ipsum magìs víncias? Cur thesaurum óbruis? Ut diábolum adversùs ánimam tuam invítes? Cur mœnia condis? An ad cárceres tibi construendos: Quód si hæc tibi difficília neglectu videantur, ad tabernácula Monachórum proficiscámur, ut reipsâ fácilè ista contemni posse perdiscas. Tugúria sibi constítuunt; quæ si relínquere oportébit, ita fácilè fáciunt, sicut mílites castra.

*IN III. NOCTURNO.*

Léctio sancti Evangélii secundùm Marcum.

*Lectio vij.* Cap. 10.

IN illo témpore; Cœpit Petrus dícere ad Jesum: Ecce nos dimísimus ómnia, & secúti sumus te. Et réliqua.

Homília sancti Paulini Episcopi.

*Epist. 24. ad Sulpit. Sever. aliàs 2. §. 5. 6.*

BOna quæ nobíscum non intulerámus in hunc mundum, nec poterámus efferre, quasi mutuáta reddidimus; nec ut curem à carne distráximus, sed ut vestem à córpore deposúimus. Nunc opus est, ut quæ verè nostra sunt, dependámus Deo, hoc est, cor & ánimam, & córpora nostra exhibentes in hóstiam vivam,

ut scriptum est, Dómino; nosque ipsos ædificantes ei in templum sanctum, in ipso lápide angulári, qui nobis sanctificatiónis nostræ fórmulam in semetipso dedit, & ait: Sancti estóte, quóniam ego sanctus sum. Quæ ígitur nobis grátia, si in aliéno tantùm fidéles fuérimus, nisi de próprio serviámus, id est, de libero voluntátis arbítrio, ex toto corde nostro, ex totis ánimæ nostræ, ut scriptum est, viribus diligentes Deum?

§. 7. 8. *Lectio viij.*

QUamobrem temporáliũ quæ in hoc século habentur bonórum relictio, sive distráctio; non decursus stádii, sed ingressus; nec ut meta, sed ut jánua est. Non enim athléta tùm vincit, cùm exúitur; qui ideò nudátur, ut incípiat dimicáre, cùm legítimè certáverit coronandus. Et natátor amnem interpósitum superatúrus, exúitur; nec tamen hoc tanto apparátu quòd se despoliáverit, transnatábit, nisi totius córporis nisu torrentis ímpetum scindat, & labórem natatiónis exháuriat. Vídeo & in Jacob hujus expeditiónis órdinem prolusísse; cùm illum lego, posteáquàm torrente transmísso, præmíssis curátum suárum onéribus, id est, facultátum & necessitúdinum impedimentis, solus in tabernáculi loco remánserat, Deo colluctátum.

*Lectio ix.*

ITaque ad corripiendam vitæ viam, capiendumque Dei verbum, & prævalendum in regnum cœlórum, quod à diébus Joannis vim patitur, & à diripiéntibus obtinétur, idónei esse non póssumus, nisi ómnia quæ vel amóre, vel curâ, si in itínere istius séculi nobis adhæreant, impédiunt & retardant, ante óbitûs nostri vésperam præmittámus, & inde per totam hujus séculi noctem apprehéndere, & tenére Christum sollícitâ spiritálium óperum ac studiórum contentióne luctémur: nec divellamur à charitáte Christi, sicut Jacob ab ejus amplexu, nisi extorqueámus benedictiónem. Atque útinam ad salutáris insigne luctáminis, nervum fémoris nostri majestátis suæ timóre percútiat; quo obstupescente, infirmábitur virtus carnis, & spiritális grátia convalescet.

---

# DIE FESTO

## *PRO JUSTIS.*

*IN I. NOCTURNO.*

De Libro Sapiéntiæ.

*Lectio j.* Cap. 4.

JUstus si morte præoccupátus fúerit, in refrigério erit. Senectus enim venerábilis est, non diuturna, neque annórum número computáta. Cani autem sunt sensus hóminis, & ætas senectútis vita immaculáta. Placens Deo factus est dilectus, & vivens

inter peccatóres translátus est. Raptus est, ne malítia mutáret intellectum ejus, aut ne fictio decíperet ánimam illíus. Fascinátio enim nugacitátis obscúrat bona, & inconstántia concupiscéntiæ transvértit sensum sine malítia. Consummátus in brevi, explévit témpora multa: plácita enim erat Deo ánima illíus; propter hoc properávit edúcere illum de médio iniquitátum.

*Lectio ij.*

POpuli autem vidéntes, & non intelligéntes, nec ponéntes in præcórdiis tália; quóniam grátia Dei, & misericórdia est in sanctos ejus, & respectus in electos illíus. Condemnat autem justus mórtuus vivos ímpios, & juventus celériùs consummáta longam vitam injusti. Vidébunt enim finem sapiéntis, & non intélligent quid cogitáverit de illo Deus, & quare munierit illum Dóminus. Vidébunt, & contemnent eum: illos autem Dóminus irridébit. Et erunt post hæc decidéntes sine honóre & in contumélia, inter mórtuos in perpétuum; quóniam dirumpet illos inflátos sine voce, & commovébit illos à fundamentis: & usque ad suprémum desolabúntur.

*Lectio iij.* Cap. 4. & 5.

ET erunt gementes, & memória illórum peribit. Vénient in cogitatióne peccatórum suórum tímidi, & traducent illos ex adverso iniquitátes ipsórum. Tunc stabunt justi in magna constántia adversús eos qui se angustiavérunt, & qui abstulérunt labóres eórum. Vidéntes turbabúntur timóre horríbili, & mirabúntur in subitatióne insperátæ salútis, dicéntes intrà se, pœniténtiam agéntes, & præ angústia spíritûs gementes: Hi sunt quos habúimus aliquando in derísum, & in símilitúdinẽ impropérii. Nos insensáti vitam illórum æstimabámus insániam, & finem illórum sine honóre. Ecce quómodò computáti sunt inter fílios Dei, & inter sanctos sors illórum est!

*IN II. NOCTURNO.*
Ex Libro Morálium sancti Gregórii Papæ.
*Lib.* 10. *Cap.* 16.
*Lectio iv.*

DEridétur justi simplícitas. Hujus mundi sapiéntia est cor machinatiónibus tégere, sensum verbis veláre; quæ falsa sunt, vera osténdere; quæ vera sunt, falsa demonstráre. Hæc nímirum prudéntia usu à juvénibus scitur: hæc à púeris prétio dísicitur: hanc qui sciunt, céteros despiciendo supérbiunt: hanc qui nésciunt, subjecti & tímidi in áliis mirantur; quia ab eis hæc éadem duplícitas iniquitátis nómine palliáta diligitur, dum mentis pervérsitas urbánitas vocátur. Hæc sibi obsequéntibus præcipit honórũ cúlmina quærere, adeptâ temporális glóriæ vanitate gaudére, irrogáta ab áliis mala multipliciùs réddere; cùm vires súppetunt, nullis resisténtibus cédere; cùm virtútis possibilitas déest, quidquid explére per malítiam non va-

lent, hoc in pacífica bonitáte símuláre.

*Léctio v.*

AT contrà, sapiéntia justórum est nihil per ostensiónem fingere, sensum verbis aperíre, vera ut sunt diligere, falsa devitáre; bona gratis exhibére, mala libéntius toleráre quàm fácere, nullam injúriæ ultiónem quærere, pro veritáte contuméliam lucrum putáre. Sed hæc justórum simplícitas deridétur; quia ab hujus mundi sapiéntibus puritátis virtus fatúitas créditur. Omne enim quod innocenter ágitur, ab eis procul dúbio stultum putátur; & quidquid in ópere véritas ápprobat, carnáli sapiéntiæ fátuum sonat. Quid namque stúltius vidétur mundo, quàm mentem verbis osténdere, nil cállidâ machinatióne símuláre, nullas injúriis contumélias réddere, pro maledicéntibus óráre, paupertátem quærere, possessa relinquere rapiénti non resístere, percutiénti maxillam álterâ præbére.

*Post pauca. Léctio vj.*

QUæ nímirùm justi símplicitas bréviter sed sufficienter exprímitur, cùm prótinùs subinfertur, Lampas contempta apud cogitatiónes divítum. Sæpè namque contingit, ut electus quisque qui ad externam felicitátem dúcitur, continuâ hîc adversitáte deprimátur, non hunc rerum abundántia fúlciat, non dignitátum glória honorábilem ostendat, nulla ei obsequéntium frequéntia súppetat, nulla hunc humánis óculis véstium pompa compónat. A cunctis verò despicábilis cérnitur, & hujus mundi glóriâ indignus æstimátur; sed tamen ante occulti Júdicis óculos virtútibus émicat, vitæ méritis coruscat. Honorári métuit, dédpici non réfugit: corpus continéntiâ áfficit, solâ in ánimo dilectióne pingueścit: mentem semper ad patiéntiam præparat, & erectus pro justítia de perceptis contuméliis exultat: afflictis ex corde compátitur; de bonórum prosperitátibus quasi de própriis lætátur: sacri verbi pábula in mente sollícitus rúminat; & inquísitus quódlibet éloqui dupliciter, ignórat.

*IN III. NOCTURNO.*

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

*Lectio vij.* Cap. 12.

IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in mánibus vestris. Et réliqua Homília sancti Gregórii Papæ. *In Evang. Homil.* 13.

DOminus dicit: Sint lumbi vestri præcincti. Lumbos præcingimus, cùm carnis luxúriam per continéntiam coarctámus. Sed quia minus est mala non ágere, nisi étiam quisque stúdeat & bonis opéribus insúdáre, prótinùs áddit: Et lucernæ ardentes in mánibus vestris. Lucernas quippe ardentes in mánibus tenémus, cùm per bona ópera próximis nostris lucis exempla monstrámus. De quibus profectò opéribus Dóminus

dicit: Lúceat lex veſtra coram homínibus, ut vídeant ópera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt. Duo autem ſunt quæ jubentur, & lumbos reſtringere, & lucernas tenére; ut & munditia ſit caſtitátis in córpore, & lumen veritátis in operatióne. Redemptóri etenim noſtro unum ſine áltero placére nequáquam poteſt; ſi aut is qui bona agit, adhuc luxúriæ inquinamenta non déſerit; aut is qui caſtitáte præéminet, necdum ſe per bona ópera exercet.

*Lectio viij.*

NEc cáſtitas ergo magna eſt ſine bono ópere; nec opus bonum eſt áliquod ſine caſtitáte. Sed & ſi utrumque ágitur, reſtat ut quiſquis ille eſt, ſpe ad ſupernam pátriam tendat, & nequáquam ſe à vítiis pro mundi hujus honeſtáte contíneat. Qui etſi quædam bona aliquando pro honeſtáte inchoat, in ejus tamen intentióne non debet permanére, nec per bona ópera præſentis mundi glóriã quærere; ſed totam ſpem in redemptóris ſui adventum conſtituat. Unde & prótinùs súbditur: Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum ſuum, quando revertátur à núptiis. Ad núptias quippe Dóminus ábiit; quia reſurgens à mórtuis, aſcendens in cœlum, ſupernam ſibi Angelórũ multitúdinem novus homo copulávit. Qui tunc revértitur, cùm nobis jam per judícium manifeſtátur.

*Lectio ix.*

BEne autem de ſervis expectántibus súbditur: Ut cùm vénerit & pulsáverit, confeſtim apériant ei. Venit Dñus, cùm ad judícium próperat: pulſat verò, cùm jam per ægritúdinis moléſtias mortem vicínam eſſe deſignat. Cui confeſtim aperímus, ſi hunc cum amóre ſuſcípimus. Aperíre enim júdici pulſanti non vult, qui exíre de córpore trépidat; & vidére eum, quem contempſiſſe ſe méminit, júdicem formídat. Qui autem de ſua ſpe & operatióne ſecúrus eſt, pulſanti confeſtim áperit, quia lætus júdicem ſúſtinet; & cùm tempus propinquæ mortis advénerit, de glória retributiónis hilareſcit.

---

# DIE FESTO

## *PRO SS. VIRGINIBUS.*

*IN I. NOCTURNO.*

De Epiſtola prima beáti Pauli Apóſtoli ad Corínthios.

*Lectio j.* Cap. 7.

DE virgínibus præceptum Dómini non hábeo: consílium autem do, tanquam miſericórdiam conſecútus à Dómino, ut ſim fidélis. Exíſtimo ergo hoc bonum eſſe propter inſtantem neceſſitátem, quóniam bonum eſt hómini ſic eſſe. Alligátus es uxóri? noli quærere ſolutiónem.

Solútus es ab uxóre? noli quærere uxórem. Si autem accéperis uxórem, non peccásti: & si núpserit virgo, non peccávit. Tribulatiónem tamen carnis habébunt hujuſmodi. Ego autem vobis parco. Hoc ítaque dico, fratres: tempus breve eſt. Réliquum eſt, ut & qui habent uxóres, tanquam non habentes ſint: & qui flent, tanquam non flentes: & qui gaudent, tanquam non gaudentes: & qui emunt, tanquam non poſſidentes: & qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur; præterit enim figúra hujus mundi.

*Lectio ij.*

VOlo autem vos ſine ſollicitúdine eſſe. Qui ſine uxóre eſt, ſollícitus eſt quæ Dómini ſunt, quómodò pláceat Deo. Qui autem cum uxóre eſt, ſollícitus eſt quæ ſunt mundi, quómodò pláceat uxóri; & diviſus eſt. Et múlier innupta & virgo cógitat quæ Dómini ſunt, ut ſit ſancta córpore & ſpíritu. Quæ autem nupta eſt, cógitat quæ ſunt mundi, quómodò pláceat viro. Porrò hoc ad utilitátem veſtram dico; non ut láqueum vobis injíciam, ſed ad id quod honeſtum eſt, & quod facultátem præbeat ſine impedimento Dóminum obſecrandi.

*Lectio iij.*

SI quis autem turpem ſe vidéri exíſtimat ſuper vírgine ſua, quòd ſit ſuperadulta, & ita oportet fieri: quod vult fáciat; non peccat, ſi nubat. Nam qui ſtátuit in corde ſuo firmus, non habens neceſſitátem, poteſtátem autem habens ſuæ voluntátis, & hoc judicávit in corde ſuo ſervare vírginem ſuam, bene facit. Igitur & qui matrimónio jungit vírginem ſuam, bene facit; & qui non jungit, mélius facit. Múlier alligáta eſt legi, quanto témpore vir ejus vivit. Quòd ſi dormíerit vir ejus, liberáta eſt: cui vult nubat, tantùm in Dómino. Beátior autem erit ſi ſic permánſerit, ſecundùm meum conſílium. Puto autem quòd & ego Spíritum Dei hábeam.

*IN II. NOCTURNO.*

Ex Libro ſancti Cypriáni Epíſcopi & Martyris, de diſciplína & hábitu Vírginum.

*Paulò poſt initium.*

*Lectio iv.*

NUnc nobis ad Vírgines ſermo eſt, quarum quò ſublímior glória eſt, major & cura eſt. Flos eſt ille Eccleſiaſtici gérminis, decus atque ornamentum grátiæ ſpirítalis, læta índoles, laudis & honóris opus íntegrum atque incorruptum, Dei imágo reſpondens ad ſanctimóniam Dómini, illúſtrior pórtio gregis Chriſti. Gaudet per illas, atque in illis lárgiter floret Eccléſiæ matris gloriósa fœcúnditas: quantòque plùs copióſa virgínitas número ſuo addit, tantò plùs gáudium matris augeſcit.

*Lectio v.*

AD has lóquimur, has adhortámur affectióne pótiùs quàm poteſtáte: non quód extrémi & mínimi, & humilitátis noſtræ ádmodùm

cónscii, áliquid ad censúram licéntiæ vindicémus; sed quòd ad sollicitúdinem magis cauti, plus de diáboli infestatióne timeámus. Neque inánis hæc cáutio est, & vana formído, quæ ad salútis viam cónsulit, quæ Dominica & vitália præcepta custódit; ut quæ se Christo dicáverint, & à carnáli concupiscéntia recedentes, tam carne quàm mente se Deo vóverint, consúmment opus suum magno præmio destinátum: nec ornári jam, aut placére cuíquam, nisi Dómino suo, stúdeant; à quo & mercédem virginitátis expectant, dicente ipso: Non omnes cápiunt verbum, sed illi quibus datum est.

*Lectio vj.*

DEnuò quoque per hanc Angeli vocem continéntiæ munus osténditur, virginitas prædicátur. Hi sunt, inquit, qui cum muliéribus se non coinquinavérunt; vírgines enim permansérunt: hi sunt qui sequuntur Agnum quòcumque íerit. Neque enim tantùm másculis continéntiæ grátiam Dóminus repromittit, & féminas præterit, sed quóniam fémina viri pórtio est, & ex eo súmpta atque formáta est; in Scriptúris ferè ómnibus ad protoplastum Deus lóquitur, quia sunt duo in carne una, & in másculo simul significátur & fémina. Quod si Christum continéntia séquitur, & regno Dei virginitas destinátur; quid est illis cum terréno cultu & cum ornamentis, quibus dum homínibus placére géstiunt, Deum offendunt?

*IN III. NOCTURNO.*

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

*Lectio vij.* Cap. 25.

IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis parábolã hanc: Símile erit regnum cœlórum decem vírginibus, quæ accipiéntes lámpades suas exiérunt óbviam sponso & sponsæ. Et réliqua.

Homilia sancti Gregórii Papæ.

*In Evang. Homil.* 12.

OMnes lámpades habent, sed omnes óleum non habent; quia plerumquè bona in se ópera cum electis & réprobi osténdunt: sed soli ad sponsum cum óleo véniunt; quia de his quæ foris égerint, intùs glóriã requírunt. Unde per Psalmistam quoque de sancta Electórum Eccléfia dícitur: Omnis glória ejus filiæ Regis ab intùs. Moram autem faciente sponso, dormitavérunt omnes & dormiérunt; quia dum venire Judex ad extrémum judícium differt, electi & réprobi in mortis somno sopiuntur.

*Post pauca. Lectio viij.*

DE adventu sponsi clamor in média nocte fit; quia sic dies judícii surrépit, ut prævidéri non váleat quando venit. Unde scriptum est: Dies Dñi sicut fur in nocte, ita véniet. Tunc omnes vírgines súrgunt; quia & electi & réprobi à somno suæ mortis excitantur. Lámpades ornant; quia sua secum ópera númerant, pro quibus æternam recípere beatitúdinem expectant. Sed lámpades fatuárum

Vírginum extinguuntur; quia eárum ópera quæ clara homínibus fóris apparuérunt, in adventu Júdicis intùs obscurantur; & à Deo retributiónem non invéniunt, quia pro eis recepérunt ab homínibus laudes quas amavérunt.

*Lectio ix.*

QUid est autem quòd tunc à prudéntibus óleum petunt, nisi quòd in adventu Júdicis, cùm se intùs vácuas invénerint, testimónium foris quærunt? Sed prudentes Vírgines respondent, dicentes: Ne fortè non sufficiat nobis & vobis, ite pótiùs ad vendentes, & émite vobis. Sed dum irent émere, venit sponsus; quæ autem parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias: & clausa est jánua. O! si sápere in cordis palato possis, quid admiratiónis habet quod dicitur, Venit sponsus? quid dulcédinis, Intravérunt cum eo ad núptias? quid amaritúdinis, Et clausa est jánua? Tunc regni jánua lugéntibus claudétur, quæ modò quotidie pœniténtibus aperitur: erit namque & tunc pœniténtia; sed fructuósa jam non erit, quia nequáquam tunc véniam invenit, qui modò aptum véniæ tempus perdit.

---

# DIE FESTO.

## *PRO SANCTIS MULIERIBUS.*

*IN I. NOCTURNO.*
De Parábolis Salomónis.

*Lectio j.* Cap. 31.

MUlierem fortem quis invéniet? Procul & de últimis finibus prétium ejus. Confidit in ea cor viri sui, & spóliis non indigébit. Reddet ei bonum, & non malum, ómnibus diébus vitæ suæ. Quæsívit lanam & linum, & operáta est consílio mánuum suárum. Facta est quasi navis institóris, de longè portans panem suum. Et de nocte surrexit, deditque prædam domésticis suis, & cibária ancillis suis. Considerávit agrum, & emit eum: de fructu mánuum suárum plantávit víneam. Accinxit fortitúdine lumbos suos, & roborávit bráchium suum.

*Lectio ij.*

GUstávit & vidit quia bona est negotiátio ejus: non extinguétur in nocte lucerna ejus. Manum suam misit ad fórtia, & dígiti ejus apprehendérunt fusum. Manum suam apéruit ínopi, & palmas suas extendit ad páuperem. Non timébit dómui suæ a frigóribus nivis: omnes enim doméstici ejus vestíti sunt duplícibus. Stragulátam vestem fecit sibi: byssus & púrpura indumentum ejus. Nóbilis in portis vir ejus, quando séderit cum senatóribus terræ. Síndonem fecit, & véndidit; & cíngulum trádidit Chananæo.

*Lectio*

*Lectio iij.*

FOrtitúdo & decor indumentum ejus, & ridébit in die novíssimo. Os suum apéruit sapiéntiæ, & lex cleméntiæ in lingua ejus. Considerávit sémitas domûs suæ, & panem otiósa non comédit. Surrexérunt filii ejus, & beatíssimam prædicavérunt; vir ejus & laudávit eam. Multæ filiæ congregáverunt divítias; tu supergressa es universas. Fallax grátia, & vana est pulchritúdo; múlier timens Dóminum ipsa laudábitur. Date ei de fructu manuum suárum, & laudent eam in portis ópera ejus.

*IN II. NOCTURNO.*

Sermo sancti Augustíni Episcopi.

*Lib. de ver. Relig. Cap. 41.*

*Lectio iv.*

VIncámus cupiditátis, vel blanditias, vel moléstias, si viri sumus. Nobis dúcibus & ipsa erit mélior, nec jam cupiditas, sed temperántia nominábitur. Nam cùm ipsa ducit, nos autem sequimur, cupiditas illa & libído, nos verò teméritas & stultítia nuncupámur. Hoc & féminis præcipi potest, non maritáli, sed fraterno jure; quo jure in Christo, nec másculus, nec fémina sumus. Habent enim illæ viríle quiddam unde femíneas subjugent voluptátes, unde Christo sérviant, & imperent cupiditáti.

*Sermo 59. de Div.*

*Lectio v.*

TRes vitæ sunt in Eccléfia membrórũ Christi: conjugális, viduális, virginális. Quia ipsæ vitæ, ipsæ pudicítiæ futúræ erant in sanctis membris Christi, omnes istæ vitæ tres attestátæ sunt Christum. Prima conjugális. Quando María virgo concípit, Elizabeth uxor Zacharíæ & ipsa concéperat. Hujus Júdicis præcónem ferébat in útero. Venit ad eam sancta María tanquam ad cognátam suam salutándam. Exultávit infans in útero Elizabeth. Ille exultávit, illa prophetávit. Habes attestántem pudicítiam conjugálem. Ubi viduális? In Anna. Audístis quòd esset sancta Prophetissa, vídua octogínta & quátuor annórum, quæ septem ánnis víxerat cum viro suo, frequentans templum Dómini, sérviens in oratiónibus nocte & die. Et ipsa vídua agnóvit Christum: vidit parvum, agnóvit magnum, & ipsa attestáta est. Habes & in ista vitam viduálem, in María virgináles.

*Lectio vj.*

ELigat sibi quisque de istis tribus quam volúerit. Qui præter istas esse volúerit, in membris Christi esse non dispónit. Non dicant conjugátæ: Nos ad Christum non pertinémus: habuérunt maritos sanctæ féminæ. Non se extollant Vírgines. Quantò magnæ sunt, humílient se in ómnibus: ómnia exempla salútis propósita sunt ante óculos nostros. Nemo exórbitet: si pudicítiam conjugálem quæris, habes Susannam; si viduálem, habes Annam; si virginálem, habes Maríam.

*IN III. NOCTURNO.*

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

*Lectio vij.* Cap. 10.

IN illo témpore ; Intrávit Jesus in quoddam castéllum: & múlier quædam, Martha nómine , excépit illum in domum suam. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

*Lib. 1. Comment. in Luc. n. 9.*

ESt nonnunquam in intentióne pluscuàm in actióne , aut plus in actióne quàm in intentióne, ut in Evangélio cérnimus inter sanctam Maríam & Martham fuísse distántiam. Alia enim verbum audiébat :ália festinábat circa minístérium. Quæ stetit, & ait : Dómine , non est tibi curæ quòd derelíquit me soror mea solam minístráre ? Dic ergo illi ut me ádjuvet. Et dixit illi Dóminus : Martha , Martha, María óptimam partem elégit , quæ non auferétur ab ea. Ergo in áltera intentiónis stúdium , in áltera actiónis minístérium redundábat. Utrique tamen utríusque virtútis stúdium suppetébat ; siquidem & Martha , nisi audísset verbum , minístérium non subiísset : & María tantum grátiæ de utríusque retulit perfectióne virtútis , ut úngeret pedes Jesu , & térgeret cápillis , & totam domum suæ fidei odóre compléret. Ideò ergo utríusque virtútis plenitúdo quærenda est.

*Lib. 7. num. 84. Lectio viij.*

RElígiósa mentis inténtio Dei verbo, si cum fide congruat , étiam ipsis opéribus antefertur , juxta quod & hìc scriptum est : María óptimam sibi partem elégit , quæ non auferétur illi. Studeámus & nos habére quod nemo nobis possit auferre ; non ut perfunctória , sed díligens audiéntia deferátur. Solent enim étiam ipsius sémina verbi cœléstis auferri , si secus viam sint seminàta. Agat te, sicut Maríam , desidérium sapiéntiæ ; hoc enim majus, hoc perfectiónis opus ; nec minístérii cura cognitiónem verbi cœléstis avertat ; nec árguas eos, aut otiósos júdices quos vídeas stúdere sapiéntiæ. Hanc enim sibi cohabitantem Sálomon ille pacíficus adscívit.

*n. 86. Lectio ix.*

NEc Martha tamen in bono minístério reprehénditur ; sed María quòd melióre m partem sibi elégerit , antefertur. Jesus enim multis abundat , & multa largítur : & ídeò sapiéntior quis judicátur , quia quod principále advertit , elégit. Dénique & Apóstoli óptimum non putavérunt relínquere Dei verbum , & minístráre mensis. Sed utrumque munus sapiéntiæ est : nam & Stéphanus plenus sapiéntiâ minister eléctus est. Et ídeò qui minístrat , doctóri déferat ; & minístrantem doctor invíret & próvocet. Unum enim est corpus Eccléfiæ , etsi diverso

membra, & álterum áltero eget. Non potest dicere óculus mánui: Opera tua non desídero; aut iterùm caput pédibus, aut auricula se negáre esse de córpore. Nam etsi ália principália, tamenália necessária. Sapiéntia in cápite, actus in mánibus. Oculi enim sapiéntis in cápite ejus; quia ille verè sapit, cujus ánimus in Christo est, & cujus interior óculus erígitur ad supérna. Et ideò sapiéntis óculi in cápite ipsius; stulti autem in calcáneo.

# LECTIONES
## *INTRA OCTAVAM*
## ET
## *IN DIE OCTAVA*
## PATRONI VEL PATRONÆ
## [*Pro Tempore Paschali.*]

### *DIE DOMINICA*
### INTRA OCTAVAM.
### AD NOCTURNUM.

*Léctio j. de Scriptura occurrente.*

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

*Léctio ij.* Cap. 11.

IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Quis vestrùm habébit amícum & bit ad illum médiâ nocte & dícet illi: Amice, cómmoda mihi tres panes. Et réliqua.

Homília sancti Basilii Epíscopi.

*Constit. Monast.* Cap. 1.

HOc exemplum idcircò nobis à Dómino propónitur, ut doceat nos in fide firmos esse & pertináces. Exemplum enim súmit ab hómine ad hóminem, ut discas nunquàm desperáre; ut cùm petiéris nec accéperis, non desístas tamen, quoad accípias, si modò quod Deus vult póstules: neque díxeris, peccátor sum & ideò non exáudior. Verùm enimverò ne spem abjíceres, idcircò ait: Et si non propterea quod amícus ejus sit, dabit illi; propter improbitátem tamen ejus dabit illi quotquot habet necessários. Flagrandum autem est non ségniter, neque mente huc & illuc divagante: siquidem quisquis est ejúsmodi, non solùm non consecutúrus est quæ petet: immo verò Dóminum magis exacerbábit. Si

enim cum áliquis coram príncipe ſtat, ac lóquitur, ſtat cum multo timóre, atque tum externum tum internum ánimæ óculum nequáquam vagum, ſed intentum habet, quantò magís coram Deo cum timóre & tremóre ſtandum eſt, mente totâ in illum tolum, nuſquam verò áliò intenta. Nam ipſe non externum hóminem modò videt ut hómimines, ſed internum étiam intuétur. Quod ſi à peccáto debilitátus non potes citra mentis aberratiónem precári, quantùm potes vim tibi inferas, ac conſtanter ſta coram Deo, mente in illum defixâ, eáque ad ſeipſam advocátâ, ſicque ignoſcet Deus, quóniá non ex contemptu, ſed ex infirmitáte, ut convenit ſtare coram Deo non potes. Si ſic vi tibi illátâ, omne opus bonum perficias; ne ſuperſéderis, quoad petíta conſequáre: ſed patiénter fores ejus pulſa cum petis. Vis diſcere, ô dilecte, quómodò patientes fúerint ſancti, nec ſpem abjécerint? Imitáre fidem Abrahæ, áccipe exempla.

*Lectio iij. de Homilia in Evangelium Dominicæ occurr.*

## DIE II.

Sermo ſancti Baſilii Epiſcopi.

*Oratio in 40. Mart.*

*Lectio ij.*

HI ſunt qui acceptam à Deo noſtram regiónem, quaſi turres quædam contra adverſariórum incurſum munientes, refúgium éxhibent. Beneficium hoc, fratres dilectíſſimi, grátiam hanc mínimè ceſſántem à Deo obtinémus. Parátum eſt hîc Chriſtiánis auxílium. Qui áliquâ prémitur angúſtiâ, ad hos cónfugit; qui rursùs lætátur, ad hos recurrit: hic ut à malis liberétur, ille ut duret in rebus lætis. Hæc múlier orans pro filiis auditur, peregrinanti viro réditû incólumem, ægrotanti verò ſalútem implórat & óbtinet.

*Lectio iij.*

O Sanctum chorum! ô ſacrû órdinem! ô cúneum inexpugnábilem! ô commúnes humáni géneris cuſtódes! óptimi curárum ſócii, precum ac votórum ínvicem ſuffragatóres! legáti apud Deum potentíſſimi! aſtra mundi, flores Eccleſiárum, vos non terra cóntexit, ſed cœlum excépit. Apertæ ſunt vobis paradíſi portæ, dignum profectò exercitibus Angelórum, Patriarchis, Prophétis & Juſtis ómnibus ſpectáculum.

## DIE III.

Sermo ſancti Auguſtíni Epiſcopi.

*Tract. 1. in C. 2. Ep. Joan.*

*Lectio ij.*

JOannes quid dixit: Si quis peccáverit, advocátum habémus ad Patrem Jeſum Chriſtû juſtû. Sed dicet áliquis: Ergo Sancti non petunt pro nobis? Ergo & Epiſcopi & Præpóſiti non petunt pro pópulo? Sed atténdite Scriptúras, & vidéte quia & Præpóſiti commendant ſe pópulo. Nam Apóſtolus dicit plebi: Orantes ſimul & pro nobis. Orat Apóſtolus pro ple-

be, orat plebs pro Apóstolo. Orámus pro vobis, fratres; sed & vos, oráte pro nobis. Invicem pro se ómnia membra orent. Caput pro ómnibus interpellet.

*Sermo* 280. *Lectio iij.*

BEnedixit Dóminus pusillos cum magnis. Non nobis parùm videátur quòd ejus córporis membra sumus, cujus & illi quibus æquiparári non póssumus. Quia si unum membrum pátitur, compatiuntur ómnia membra, ita, cùm glorificátur unum membrum, congaudent ómnia membra. Glória cápiti unde consúlitur, & superióribus mánibus, & ínfimis pédibus. Sicut ille unus ánimam suam pro nobis póstuit, ita & imitáti *sunt* Mártyres, & ánimas pro frátribus posuérunt. Fructus labóris ergo illórũ étiam nos sumus. Mirámur eos, miserantur nos. Gratulámur eis, precantur pro nobis.

## *DIE IV.*

Sermo sancti Bernardi Abbátis.

*In Vigil. SS. Petri & Pauli.*

*Lectio ij.*

TRia sunt quæ in festivitátibus Sanctórum vigilanter considerare debémus: auxílium Sancti, exemplum ejus, confusiónem nostram. Auxílium ejus; quia qui potens in terra fuit, poténtior est in cœlis ante fáciem Dómini Dei sui. Si enim, dum hîc víveret, misértus est peccatóribus, & orávit pro eis; nunc tantò ámpliùs, quantò vérius agnoscit miserias nostras, orat pro nobis Patrem: quia beáta illa pátria caritátem ejus non immutávit, sed augmentávit; neque enim quia impassíbilis omníno, ideò & incompassíbilis factus est.

*Lectio iij.*

DEbémus étiam atténdere exemplum ejus; quia quámdiu in terris visus est, & cum homínibus conversátus est, non declinávit neque ad déxteram, neque ad sinístram; sed viam régiam ténuit, donec veníret ad illum qui dicit: Ego sum via, véritas & vita. Intuémini humilitátem óperum ejus, auctoritátem verbórum ejus, & tunc vidébitis quómodò tam verbo quàm exemplo lúxerit inter hómines: quália nobis vestígia derelíquerit, ut ambulémus per ea, & non errémus in eis. Verè, juxta Prophétam, sémita justi recta est; rectus callis justi ad ambulandum.

## *DIE V.*

De Sermóne sancti Bernardi Abbátis.

*In Vigil. SS. Petri & Pauli.*

*Lectio ij.*

DIligentiórem intúitu, in festivitátibus Sanctórũ, confusiónem nostram inspiciámus; quia homo ille símilis nobis fuit passíbilis, ex eódem luto formátus, ex quo & nos. Quid ergo est quòd non solùm difficile, sed & impossíbile crédimus ut faciámus ópera quæ fecit? Confundámur, fratres, & contremiscámus. Hómines isti fuérunt qui præcessérunt nos,

qui tam mirabíliter processérunt per vias vitæ, ut vix eos hómines fuísse credámus. Sic ergo & gaudére, & confúndi debémus: gaudére, quia patrónos præmísimus; confúndi, quia eos imitári non póssumus.

*Lectio iij.*

ITa semper gáudium nostrum in hac valle lacrymárum, lacrymárum pane condíri debet; ut semper non solùm extréma, sed & prima gáudii luctus óccupet; quia etsi magna est gaudiórum matéria, sed máxima est dolórum. Verè nobis rubor confusiónis sunt, quos vix audeámus respícere, ne dicam, imitári. Orémus ergo eos, ut ipsi propítium nobis reddant amícum suum, júdicem nostrum, qui est Deus benedictus in sécula. Amen. Tu autem.

## DIE VI.

Sermo sancti Ambrósii Epíscopi.

*Epist. 22. ad Marcellinam sororem.*

*Lectio ij.*

GRátias tibi, Dómine Jesu, quòd hoc témpore tales nobis Sanctórum spíritus excitásti, quo Eccléstia tua sancta majóra præsídia desiderat. Agnoscant omnes quales ego propugnatóres requíram. Hos ego acquisívi tibi, plebs sancta, qui prosint ómnibus, némini nóceant: tales ego ámbio defensóres: tales mílites hábeo; hoc est, non séculi mílites, sed mílites Christi.

*Lectio iij.*

NUllam ego de tálibus invídiam tímeo, quorum quò majóra, eò tutióra patrocínia sunt. Horum étiam illis ipsis qui mihi invident, opto præsídia. Véniant ergo, & vídeant stipatóres meos: tálibus me armis ambíri non nego. Nos etsi eos vidére non póssumus, sentímus tamen.

## DIE VII.

De Sermóne Sancti Cæsárii Epíscopi.

*Serm. 230. in App. apud Aug.*

*Lectio ij.*

QUando festivitátes cólimus, fratres carissimi, diligenter debémus atténdere, & totis víribus laboráre, ut quod visíbiliter cólitur, in nobis invisíbiliter compleátur. Qui nec castitátem custódit in córpore, nec puritátem tenet in mente, quóties sanctæ solemnitátes advéniunt, in córpore vidétur habére gáudium, in corde non célebrat nisi luctum. Quale enim gáudium potest habére, in cujus ánimâ multis vítiis occupatâ magis diábolus probátur habitáre quàm Christus? Nos verò, fratres carissimi, etiamsi nobis áliqua, ut solet fieri, peccáta subrépunt, quantùm póssumus, cum Dei adjutório laborémus, jejúniis, vigíliis, oratiónibus, eleemósynis mundáre sórdida; ut véniens Dóminus in nobis, nihil invéniat quod óculos suæ majestátis offéndat.

*Sermo 265. Lectio iij.*

FIlios & omnes familias vestras admonéte, fratres, semper ut castè & justè ac

salúbriter vivant: nec solùm eos verbis, sed étiam exemplis ad bona ópera provocáte. Ante ómnia ubicumque fuéritis, sive in domo, sive in itínere, sive in convívio, sive in concessu, verba túrpia & luxuriósa nolite ex ore vestro proferre; sed magis vicínos & próximos vestros júgiter admonéte, ut semper quod bonũ est & honestum, loqui stúdeant; ne fortè detrahendo, mala loquendo, & in sanctis festivitátibus choros ducendo, cántica luxuriósa & túrpia proferendo, de lingua sua, unde debúerant Deum laudáre, inde sibi vúlnera videantur infligere. Isti enim infelices & míseri hómines, qui balatiónes & saltatiónes ante ipsas Basílicas Sanctórum exercére nec métuunt, nec erúbescunt: etsi Christiáni ad Ecclésiam vénerint, Pagáni de Ecclésia revertuntur; quia ista consuetúdo balandi de Paganórum observatióne remansit.

---

## DIE OCTAVA.

*Duplex* I. *ordinis.*

### AD NOCTURNUM.

*Lectio j. de Scriptura occurrente.*

Sermo sancti Bernardi Abbátis.

*Lectio ij.*

ILlórum lauda virtútẽ quorum jam certa victória est: illos devóris extolle præcóniis quorum secúrè potes adgaudére corónis. Secúrè laudantur hómines qui non suâ jam vivunt vitâ, sed Dei. Non enim est quò vánitas intret, ubi véritas jam totum occupávit. Sed quænam est, inquit, glória Sanctis? Ad quid ergo Sanctis laus nostra? Ad quid glorificátio nostra? Ad quid nostra hæc ipsa solémnitas? Quò eis terrénos honóres quos juxta verácem Fílii promissiónem honorificat Pater cœléstis? Quo eis præcónia nostra? pleni sunt. Prorsus ita est, dilectíssimi; honórum nostrórum Sancti non egent, nec quidquam eis nostrâ devotióne præstátur, plenè quòd eórum memóriam veneramur, nostrâ íntersit, non ipsórum. Vultis scire quantum íntersit nostrâ? Ego in me fáteor ex hâc recordátione séntio desidérium véhemens inflammáti. Quando & nos addémur ad patres nostros? Quando essentiáliter præsentábimur eis? Hoc enim primum desidérium, quod in nobis Sanctórum memória éxcitat, ut eórum tam optábili societáte fruámur. Ut eam glóriã nobis speráre liceat, & ad tantã beatitúdinem adspiráre, summópere nobis desideranda sunt suffrágia Sanctórum, ut quod possibílitas nostra non obtinet eórum nobis intercessióne donétur. Miserémini mei, miserémini mei saltem vos amíci mei. Nostis ipsi periculum nostrum: nostis figmentum nostrum: nostis ignorántiam nostram, & dolos adversariórum: nostis eórum ímpetus & nostram fragilitátem. Vobis enim loquor qui in eádem tentatióne fuístis; qui eosdem superastis conflictus; qui eosdem láqueos

evasistis; quì didicistis ex his quæ pass estis, compassiónem.

Léctio sancti Evangélii secundùm Lucam.

*Lectio iij.* Cap. 11.

IN illo témpore; dixit Jesus discípulis suis: Quis vestrùm habébit amícum, & ibit ad illum médiâ nocte, & dicet illi: Amice, cómmoda mihi tres panes. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Episcopi.

*Lib. 7. in Luc. n. 87.*

ALius præcepti locus est, ut in ómnibus momentis, non solùm diébus, sed étiam nóctibus orário deferátur. Vides enim quod iste qui médiâ nocte perrexit, tres panes ab amico suo póstulans, & in ipsa petendi intentióne persístens, non defraudátur orátis. Qui sunt isti tres panes, nisi mystérii cœléstis alimentum? Quòd si díligas Dóminum Deum tuum, non solùm tibi, sed étiam áliis póteris emeréri. Quis autem amícior nobis, quàm qui pro nobis corpus suum trádidit? Ab hac médiâ nocte panes David pétiit & accépit. Pétiit quando dicébat: Médiâ nocte súrgebam ad confitendum tibi. Neque enim timuit ne excitáret dormientem quem scit semper vigilantem. Et ídeò scriptórum mémores nóctibus ac diébus oratióni instantes, peccâtis nostris véniam postulémus. Nam si ille tam sanctus & qui regni erat necessitátibus occupátus, sépties in die laudem Dómino dicébat matutínis & vespertínis sacrificiis semper intentus, quid nos fácere oportet, qui eò ámpliùs rogáre debémus quò frequéntius carnis fragilitáte delinquimus; ut de viâ lassis & istíus ævi cursu, ac vitæ humánæ anfractu gráviter fatigátis, panis refectiónis déesse non possit, qui hóminis corda confirmet? Nec solùm médiâ nocte Dóminus, sed ómnibus propè docet vigilandum esse momentis: venit enim & vespertínâ, & secundâ, & tértiâ vigiliâ & pulsáre consuévit. Beáti itaque servi illi, quos cùm vénerit Dóminus invénerit vigilantes.

*Si Dies Octava sit Dominica, Lectio j. erit de Scriptura occurrente; ij. de Evangelio & Homilia præcedente; iij. de Homilia in Evangelium Dominicæ occurrentis.*

# *IN ANNIVERSARIO*
# DEDICATIONIS
# ECCLESIÆ.
## *SOLEMNE II. ORDINIS.*

( *Ipso die Dedicationis*, SOLEMNE I. ORDINIS. )

### IN I. VESPERIS.

*Psalmi de Feria.*

*Ant.* 1. D. CErnitis quòd Dóminus Deus vester vobiscum sit: præbéte ígitur corda vestra, ut quæratis Dóminum; & consúrgite, & ædificáte sanctuárium Dómino. [ *Tempore Paschali, ad singulas Antiphonas additur*, Allelúia. ] 1. *Paral.* 22.

*Ant.* 7. *d.* Domus quam ædificári volo Dómino, talis esse debet, ut in cunctis regiónibus nominétur: præparábo ergo ei necessária. [ Allelúia. ] 1. *Paral.* 22.

*Ant.* 5. C. Magnus est Deus noster super omnes deos: quis ergo pórerit prævalére, ut ædificet dignam Deo domum? [ Allelúia. ] 2. *Paral.* 2.

*Ant.* 6. Si cœlum & cœli cœlórum cápere eum néqueunt, quantus ego sum, ut possim ædificáre ei domum. [ Allelúia. ] 2. *Paral.* 2.

*Ant.* 3. a. Dóminus Deus cœli ipse præcépit mihi ut ædificárem ei domum. [ Allelúia. ] 1. *Esdr.* 1.

*Capitulum.* Agg. 1.

HÆc dicit Dóminus exercítuum: Pónite corda vestra super vias vestras: ascéndite in montem, portáte ligna, & ædificáte domum; & acceptábilis mihi erit, & glorificábor, dicit Dóminus.

℟. Cuncta, Dómine, quæ in cœlo sunt & in terra, tua sunt; & quæ de manu tua accépimus, dédimus tibi: * Dómine Deus noster, † Omnis hæc cópia quam parávimus, ut ædificarétur domus nómini sancto tuo, de manu tua est. [ *Tempore Paschali, additur*, Allelúia, Allelúia. ] ℣. Quis prior Dómino dedit, & retribuétur ei? Ex ipso sunt ómnia: ipsi glória in sécula. * Dómine. Glória. † Omnis. 1. *Paral.* 29. *Rom.* 11.

*Hymnus.*

URBS Jerúsalem beáta,
Dicta pacis vísio,
Quæ constrúitur in cœlis
Vivis ex lapídibus,
Et ovantûm coronáta
Angelórum ágmine.

NOVA véniens è cœlo
Nuptiáli thálamo,
Præparáta ut sponsáta

Copulétur Dómino:
Plátеæ & muri ejus
Ex auro purissimo.

Portæ nitent margarítis,
Adytis patentibus;
Et virtúte meritórum
Illuc introdúcitur
Omnis qui ob Christi nomen
Hic in mundo premitur.

Tunsionibus, pressúris
Expoliti lápides,
Suis coaptantur locis
Per manus Artíficis:
Disponuntur permansúri
Sacris ædificiis.

Sit perennis laus Parenti;
Sit perennis Fílio:
Laus tibi qui nectis ambos,
Sit perennis, Spíritus,
Chrisma cujus nos inungens
Viva templa cónsecrat. Am.

℣. Fundátur exultatione universæ terræ mons Sion: ℟. Deus in dómibus ejus cognoscétur. *Ps.* 47.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 4. D. Domus mea ædificábitur in Jerúsalem; & consolábitur adhuc Dóminus Sion, & éliget adhuc Jerúsalem. [Allelúia.] *Zach.* 1.

[*Ipso die Dedicationis, & per Octavam.*

*Oratio.*

Deus, qui invisibíliter ómnia cóntines, & tamen pro salúte géneris humáni signa tuæ poténtiæ visibíliter ostendis: Templum hoc poténtiâ tuæ inhabitatiónis illustra, & concéde ut omnes qui huc deprecatúri convéniunt, ex quacumque tribulatióne ad te clamáverint, consolatiónis tuæ beneficia consequantur; Per Dóminum.]

*In Anniversario Dedicationis; & per Octavam.*

*Oratio.*

Deus, qui nobis per síngulos annos hujus sancti Templi tui consecratiónis réparas diem, & sacris semper mystériis repræsentas incólumes: exaudi preces pópuli tui, & præsta ut quisquis hoc Templum beneficia petitúrus ingréditur, cuncta se impetrásse lætétur; Per Dóminum.

[*Si sit Dominica, fit Commemoratio Dominicæ occurrentis in utrísque Vesperis & Laudibus.*]

AD COMPLETORIUM.

*Psalmi de Feria.*

*Ant.* 6. *super Psalmos.* Sint óculi tui aperti super domum hanc nocte ac die, Dómine, ut exáudias deprecatiónem pópuli tui. [Allelúia.] 3. *Reg.* 8.

AD OFFICIUM NOCT.

*Invit.* Dóminum in templo sancto suo, * Venite, adorémus. [*Tempore Paschali, additur*, Allelúia.] *Habac.* 2.

*Ps.* 94. Venite. 2.

*Hymnus.*

Angularis fundamentum
Lapis Christus missus est,
Qui parietum compáge
In utróque néctitur,
Quem Sion sancta suscépit,
In quo credens pérmanet.

Omnis illa Deo sacra
Et dilecta cívitas,
Plena módulis, in laude
Et canóre jubilo,
Trinum Deum unicumque
Cum fervóre prædicat.

Hoc in templo, summe Deus,
Exorátus ádveni,

Et clementi bonitáte
Precum vota súscipe:
Largam benedictiónem
Hic infunde júgiter.

Hic promereantur omnes
Petita acquírere,
Et adepta possidére
Cum Sanctis perénniter,
Paradísum introíre,
Transláti in réquiem.

Sit perennis laus Parenti,
Sit perennis Filio:
Laus tibi qui nectis ambos,
Sit perennis, Spíritus,
Chrísma cujus nos inungens
Viva templa cónsecrat. Amen.

[ *Tempore Paschali, ad Nocturnum, tres Psalmi, Antiphonæ, ℣. & ℟. ℟. sumuntur ex uno è Nocturnis sequentibus, juxta Feriam in quam Festum inciderit, hoc est, Dominicâ, Feriis II. & V. ex primo Nocturno; Feriis III. & VI. ex secundo: Feriâ IV. & Sabbato, ex tertio.*

*Lectio j. erit de Libro secundo Paralipomenon, ut infra in I. Nocturno: ij. erit prima ex assignatis II. Nocturno; & iij. erit prima è III. Nocturno, de Homilia in Evangelium. Si sit Dominica, ij. Lectio erit de Homilia in Evangelium mox dicta; iij. de Homil. in Evangelium Dominicæ occurrentis* ]

*In Quadragesimâ, Officium Nocturnum fiet integrum, ut sequitur, omissis*, Allelúia. *ad Antiphonas & Responsória.*

*IN I. NOCTURNO.*

*Ant.* 6. Salvábit.

*Psalmus* 5.

VErba mea áuribus pércipe, Dómine; * intélli-ge clamórem meum.
Intende voci oratiónis meæ, * Rex meus & Deus meus.

Quóniam ad te orábo, Dómine; * manè exáudies vocē meam.

Manè astábo tibi, & vídebo; * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malignus; * neque permanébunt injusti ante óculos tuos.

Odísti omnes qui operantur iniquitátem; * perdes omnes qui loquuntur mendácium.

Virum sánguinum & dolósum abominábitur Dóminus: * ego autem in multitúdine misericórdiæ tuæ,

Introíbo in domum tuam; * adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Dómine, deduc me in justítia tua: * propter inimícos meos dírige in conspéctu tuo viam meam;

Quóniam non est in ore eórum véritas, * cor eórum vanum est.

Sepulchrum patens est guttur eórum, linguis suis dolósè agébant; * júdica illos, Deus.

Décidant à cogitatiónibus suis; secundùm multitúdinem impietátum eórū expélle eos, * quóniam irritavérunt te, Dómine.

Et lætentur omnes qui sperant in te: * in æternum exultábunt, & habitábis in eis.

Et gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum, * quóniam tu benedíces justo.

Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ * coronásti nos.

*Ant.* Salvábit Dñus Deus gregem pópuli sui, quia lápides sancti elevabuntur super

terram ejus. [ Allel. ] *Zach.* 9.

*Ant.* 7. *d.* Glória.

*Psalmus* 23.

DOmini est terra, & plenitúdo ejus, * orbis terrárum, & universi qui hábitant in eo:

Quia ipse super mária fundávit eum, * & super flúmina præparávit eum.

Quis ascendet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus & mundo corde, * qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem à Dómino, * & misericórdiam à Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas príncipes vestras; & elevámini portæ æternáles: * & introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus fortis & potens, Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas príncipes vestras; & elevámini portæ æternáles: * & introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est Rex glóriæ.

*Ant.* Glória Líbani véniet ad ornandum locum sanctificatiónis meæ, & locum pedum meórũ glorificábo. [ Allelúia. ] *Is.* 60.

*Ant.* 2. D. Dabo.

*Psalmus* 25.

JUdica me, Dómine, quóniã ego in innocéntia mea ingréssus sum, * & in Dómino sperans, non infirmábor.

Proba me, Dómine, & tenta me; * ure renes meos & cor meum;

Quóniam misericórdia tua ante óculos meos est, * & complácui in veritáte tua.

Non sedi cum concílio vanitátis, * & cum iníqua geréntibus non introíbo.

Odívi eccléſiam malignántium, * & cum ímpiis non sedébo.

Lavábo inter innocentes manus meas, * & circúmdabo altáre tuum, Dómine;

Ut áudiam vocem laudis, * & enarrem universa mirabília tua.

Dómine, dilexi decórem domûs tuæ, * & locum habitatiónis glóriæ tuæ.

Ne perdas cum ímpiis, Deus, ánimam meã, * & cum viris sánguinum vitam meam,

In quorum mánibus iniquitátes sunt: * déxtera eórum repléta est munéribus.

Ego autem in innocéntia mea ingréssus sum; * rédime me, & miserére mei.

Pes meus stetit in directo; * in eccléſiis benedicam te, Dómine.

*Ant.* Dabo sanctificatiónẽ meam in médio eórum, & erit tabernáculum meum in eis. [ Allelúia. ] *Ezech.* 37.

℣. Lætátus sum in his quæ dicta sunt mihi: ℟. In domum Dómini íbimus. *Ps.* 121.

De Libro secundo Paralipómenon.

*Lectio* 1. Cap. 7.

CUm complesset Sálomon fundens preces, ignis descendit de cœlo, & devorávit

holocaustа & víctimas : & majestas Dómini implévit domum ; nec póterant Sacerdótes ingredi templum Dómini, eò quòd implesset majestas Dómini templum Dñi. Sed & omnes filii Israel vidébant descendentem ignem, & glóriam Dómini super domum : & corruentes proni in terram super pavimentum stratum lápide, adoravérunt & laudavérunt Dóminum : quóniam bonus, quóniam in séculum misericórdia ejus. Rex autem & omnis pópulus immolábant víctimas coram Dómino. Mactávit ígitur Rex Sálomon hóstias, boum viginti duo míllia, ariétum centum viginti míllia : & dedicávit domum Dei Rex, & universus pópulus.

℟. Non mansi in domo usque ad diem hanc, dicit Dóminus ; sed fui semper in tentório manens cum omni Israel : * Nunc ígitur dedi locum pópulo meo ; plantábitur, & ultrà non commovébitur. [ *Tempore Paschali, additur*, Allelúia, allelúia. ] ℣. Tabernáculum testimónii fuit cum pátribus in desérto usque in diébus David : Sálomon autem ædificávit Dómino domum : * Nunc. 1. *Paral.* 17. *Act.* 7.

*Lectio ij.*

SAcerdótes autem stabant in officiis suis : & Levítæ in órganis cárminum Dómini, quæ fecit David rex ad laudandum Dóminum : Quóniam in æternum misericórdia ejus ; hymnos David canentes per manus suas. Porrò Sacerdótes canébant tubis ante eos, cunctusque Israel stabat. Sanctificávit quoque Sálomon médium átrii ante templum Dómini : obtúlerat enim ibi holocausta & ádipes pacificórum ; quia altáre æneum quod fécerat, non póterat sustinére holocausta & sacrificia & ádipes. Fecit ergo Sálomon solemnitátem in témpore illo septem diébus ; & omnis Israel cum eo, ecclésia magna valde, ab intróitu Emath usque ad torrentem Ægypti. Fecitque die octávo collectam, eò quòd dedicásset altáre septem diébus, & solemnitátem celebrásset diébus septem.

℟. In templo hoc ponam nomen meum in sempiternum, & ultrà non fáciam commovéri pedem Israel, * Si tamen custodíerint ómnia ópera quæ præcépi eis. [ Allelúia, allelúia. ] ℣. Vos estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus : Quóniam inhabitábo in illis, & inambulábo inter eos ; * Si. 4. *Reg.* 2. 2. *Cor.* 6.

*Lectio iij.*

COmplevítque Sálomon domum Dómini, & domum regis, & ómnia quæ dispósuerat in corde suo ut fáceret in domo Dómini, & in domo sua, & prosperátus est. Appáruit autem ei Dóminus nocte & ait : Audívi oratiónem tuam, & elégi locum istum mihi in domum sacrificii. Si cláusero cœlum, & plúvia non flúxerit, & mandávero & præcépero locustæ ut dévoret terram, & misero pestiléntiam in pópulum meũ : conversus autẽ pópulus meus, super quos invocátum est no-

men meum, deprecátus me fúerit, & exquisierit fáciem meam, & égerit pœniténtiam à viis suis péssimis, & ego exáudiã de cœlo, & propítius ero peccátis eórum, & sanábo terram eórum: óculi quoque mei erunt aperti, & aures meæ erectæ ad oratiónẽ ejus qui in loco isto oráverit. Elégi enim & sanctificávi locum istum, ut sit nomen meum ibi in sempiternum, & permáneant óculi mei, & cor meum ibi cunctis diébus.

℟. Elégi locum istum mihi in domum sacrificii: * Oculi quoque mei erunt aperti, & aures meæ erectæ † Ad oratiónem ejus qui in loco isto oráverit. [Allelúia, allelúia.] ℣. De omni re quamcumque petierint fiet; ubi enim sunt duo vel tres congregáti in nómine meo, ibi sum. * Oculi. Glória. † Ad oratiónem. 2. *Paralipom.* 7. *Matth.* 18.

*IN II. NOCTURNO.*

*Ant.* 1. f. Sanctificávi.

*Psalmus* 28.

AFferte Dómino, filii Dei; * afferte Dómino filios aríetum.

Afferte Dómino glóriam & honórem; afferte Dómino glóriam nómini ejus: * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Vox Dómini super aquas; Deus majestátis intónuit: * Dóminus super aquas multas.

Vox Dñi in virtúte: * vox Dómini in magnificéntia.

Vox Dómini confringentis cedros; * & confringet Dóminus cedros Líbani,

Et commínuet eas tanquam vítulum Líbani; * & dilectus quemádmodum filius unicórnium.

Vox Dómini intercidéntis flammam ignis: vox Dómini concutientis desértum; * & commovébit Dóminus desértum Cades.

Vox Dómini præparántis cervos, & revelábit condénsa; * & in templo ejus omnes dicent glóriam.

Dóminus dilúvium inhabitáre facit; * & sedébit Dóminus rex in æternum.

Dóminus virtútem pópulo suo dabit: * Dóminus benedícet pópulo suo in pace.

*Ant.* Sanctificávi domum hanc, quam ædificásti, ut pónerem nomen meum ibi in sempiternum. [Allelúia.] 3. *Reg.* 9.

*Ant.* 5. a. Sanctificábitur.

*Psalmus* 45.

DEus noster refúgium & virtus: * adjútor in tribulatiónibus quæ invenérunt nos nimis.

Propterèa non timébimus, dum turbábitur terra, * & transferentur montes in cor maris.

Sonuérunt & turbátæ sunt aquæ eórum: * conturbári sunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei: * sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Deus in médio ejus; non commovébitur: * adjuvábit eam Deus manè dilúculo.

Conturbátæ sunt gentes, & inclinátæ sunt regna: * dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtútum nobíscum : * súsceptor nóster Deus Jacob.

Veníte, & vidéte ópera Dómini, quæ pósuit prodígia super terram, * áuferens bella úsque ad finem terræ.

Arcum cónteret, & confringet arma, * & scuta comburet igni.

Vacáte, & vidéte quóniam ego sum Deus : * exaltábor in géntibus, & exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobíscum : * súsceptor nóster Deus Jacob.

*Ant.* Sanctificábitur altáre in glóriâ meâ : sanctificábo & tabernáculum cum altári, & habitábo in médio filiórum Israel. [ Allelúia. ] *Exod.* 29.

*Ant.* 4. E. Scient.

*Psalmus* 47.

MAgnus Dóminus, & laudábilis nimis, * in civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus.

Fundátur exultatióne universæ terræ mons Sion, * látera Aquilónis, cívitas Regis magni.

Deus in dómibus ejus cognoscétur, * cùm súscipiet eam.

Quóniam ecce reges terræ congregáti sunt : * convenérunt in unum.

Ipsi vidéntes sic admiráti sunt, conturbáti sunt, commóti sunt : * tremor apprehendit eos.

Ibi dolóres ut parturiéntis : * in spíritu vehementi cónteres naves Tharsis.

Sicut audívimus, sic vídimus in civitáte Dómini virtútum, in civitáte Dei nostri : * Deus fundávit eam in ætérnum.

Suscépimus, Deus, misericórdiam tuam * in médio templi tui.

Secundùm nomen tuum, Deus, sic & laus tua in fines terræ : * justítiâ plena est déxtera tua.

Lætétur mons Sion, & exultent filiæ Judæ * propter judícia tua, Dómine.

Circúmdate Sion, & complectímini eam : * narráte in túrribus ejus.

Pónite corda vestra in virtúte ejus : * & distribúite domos ejus, ut enarrétis in progénie áltera.

Quóniam hic est Deus, Deus noster in ætérnum, & in séculum séculi : * ipse réget nos in sécula.

*Ant.* Scient gentes quia ego Dóminus sanctificátor Israel, cùm fúerit sanctificátio mea in médio eórum in perpétuum. [ Allelúia ] *Ezech.* 37.

℣. Sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus : ℟. Deus in médio ejus. *Ps.* 45.

Sermo sancti Bernardi Abbátis.

*Serm.* 1. *de Dedicatione.*

*Lectio iv.*

FEstívitas hodierna, fratres, tantò nobis debet esse devótior, quantò familiárior est. Nam céteras quidem Sanctórum solemnitátes cum Ecclésiis áliis habémus communes : hæc verò sic nobis est própria, ut necesse sit, vel à nobis eam, vel à né-

mine, celebrári. Nostra est, quia de Ecclésia nostra: magis autem nostra, quia de nobis ipsis. Mirámini fórsitan, & erubéscitis celebrári festa de vobis. Sed quid lápides isti potuérunt sanctitátis habére, ut eórum solémnia celebrémus? Habent útique sanctitátem, sed propter córpora vestra. An verò córpora vestra sancta esse quis dúbitet, quæ templum sancti Spíritus sunt; ut sciat unusquísque vas suum possidére in sanctificatióne? Itaque sanctæ sunt ánimæ propter inhabitantem Spíritum Dei in vobis: sancta sunt córpora propter ánimas: sancta est étiam propter córpora domus.

℟. Mactávit hóstias, & dedicávit domum Dei rex, & universus pópulus; Sacerdótes autem stabant & Levítæ ad laudandum Dóminum: * Quóniam in æternum misericórdia ejus. [ Allelúia, Allelúia. ] ℣. Christus dilexit Ecclésiam, & seipsum trádidit pro ea, ut illam sanctificáret: * Quóniam in æternum misericórdia ejus. 2. *Paralip.* 7. *Ephes.* 5.

*Lectio v.*

QUando domus ista per manus Pontificum dedicáta est Dómino, propter nos sine dúbio factum est. In nobis proinde spirituáliter impléri necesse est, quæ in parietibus visibiliter præcessérunt. Et si vultis scire, hæc útique sunt; aspérsio, inscríptio, inúnctio, illuminátio, benedíctio: hæc quidem in hac visíbili domo fecêre Pontífices; hæc Christus assístens Póntifex futurórum bonórum invisíbiliter quotídie operátur in nobis. Aspergit nos hyssópo, ut mundémur, lavémur, dealbémur: lavat nos in confessióne; lavat nos lacrymárum imbre; lavat sudóre pœniténtiæ: magis autem lavat nos aquâ illâ pretiósâ quæ de fonte pietátis, id est, ab ejus látere, emanávit. Non solum autem, sed inscribit digito Dei in quo ejiciébat dæmónia, haud dúbium quin in Spíritu sancto. Inscríbit, inquam, legem suam, non in lápide, sed in tábulis cordis carnálibus, prophéticam implens promissiónem, quâ se pollícitus est ablatúrum cor lapídeum, & cárneum cor esse datúrum, id est, non durum, non obstinátum, non Judáicum; sed pium, sed mansuétum, sed tractábile, sed devótum. Beátus quem tu erudíeris, Dómine, & de lege tua docúeris eum.

℟. Móyses tabernáculum & ómnia vasa ministérii aspérsit; & ómnia in sánguine secundùm legem mundantur: * Necesse est ergo exemplária quidem cœléstium his mundári; ipsa autem cœléstia melióribus hóstiis, quàm istis. [Allelúia, allelúia.] ℣. Tulit Móyses unctiónis óleum, quo linívit tabernáculum cum omni supellléctili sua: óbtulit & vítulum pro peccáto. * Necesse est. *Hebr.* 9. *Levit.* 8.

*Lectio vj.*

BEáti, inquam, qui docti & mémores sunt mandatórum ejus, sed ad faciendum

ea

ea: alióquin sciénti bonum & non faciénti, peccátum est illi; & servus sciens voluntátem dómini sui & non faciens, plagis vapulábit multis. Unde necesse est únctio spirituális grátiæ ádjuvet infirmitátem nostram, obsérvantiárum & multímodæ pœniténtiæ cruces devotiónis suæ grátiâ líniens: quia nec est sine cruce sequi Christum; & sine unctióne, crucis asperitátem ferre quis posset? Hinc est quód multi abominantur & fúgiunt pœniténtiam, crucem quidem vidéntes, sed non étiam unctiónem. Vos qui experti estis, ecce scitis quia verè crux nostra inuncta est, & per grátiam Spíritûs adjuvántis, suávis & delectábilis est pœniténtia nostra, & ut ita dicam, amaritúdo nostra dulcíssima. At postquàm únctio grátiæ hujus præcésserit, jam lucernam suam Christus non ponit sub módio, sed super candelábrum: quia tempus est ut lúceat lux nostra coram homínibus. Jam verò benedictiónem quidem expectámus ins fine, quando apériet manum suam, & implébit omne ánimal benedictióne. Nam in quátuor præmíssis mérita constant, in benedictióne sunt præmia. In benedictióne tota complébitur grátia sanctificatiónis, quando jam in domum transíbimus non manufactam, ætérnam in cœlis. Ipsa est quæ constrúitur vivis ex lapídibus, ángelis scílicet & homínibus. Simul enim ædificátio & dedicátio ipsa complébitur.

℟. Cùm intulísset Móyses arcam in tabernáculum, pósuit & mensam, & candelábrum è regióne mensæ,* Juxta præceptum Dómini. [ Allelúia, allulúia.] ℣. Lucernam ponunt super candelábrum, ut lúceat ómnibus qui in domo sunt: sic lúceat lux vestra coram homínibus. * Juxta. Glória Patri. * Juxta. *Exod.* 40. *Matth.* 5.

*IN III. NOCTURNO.*

*Ant.* 1. g. Majestas Dómini.

*Psalmus* 64.

TE decet hymnus, Deus, in Sion; * & tibi reddétur votum in Jerúsalem.

Exaudi oratiónem meam: * ad te omnis caro véniet.

Verba iniquórum prævaluérunt super nos; * & impietátibus nostris tu propitiáberis.

Beátus quem elegísti, & assumpsísti; * inhabitábit in átriis tuis.

Replébimur in bonis domûs tuæ; * sanctum est templum tuum, mirábile in æquitáte.

Exaudi nos, Deus salutáris noster, * spes ómnium finium terræ, & in mari longè;

Præparans montes in virtúte tua, accínctus poténtiâ; * qui conturbas profundum maris, sonum flúctuum ejus.

Turbabuntur gentes, & timébunt qui hábitant términos à signis tuis: * éxitus matutíni & vésperè delectábis.

Visitásti terram & inebriásti eam; * multiplicásti locupletáre eam.

Flumen Dei replétum est aquis, parasti cibum illórum; * quóniam ita est præparátio ejus.

Rivos ejus inébria, multíplica genimina ejus; * in stillicídiis ejus lætábitur gérminans.

Benedíces corónæ anni benignitátis tuæ; * & campi tui replebuntur uberráte.

Pingueſcent ſpecióſa deſerti, * & exultatióne colles accingentur.

Indúti ſunt aríetes óvium, & valles abundábunt frumento: * clamábunt, étenim hymnum dicent.

*Antiph.* Majeſtas Dómini implévit domum, nec póterant Sacerdótes ingredi domum Dómini, eò quòd impleſſet majeſtas Dómini templum Dómini. [ Allelúia. ] 2. *Paral.* 7.

*Ant.* 6. Verè Dóminus.

*Pſalmus* 83.

QUàm dilecta tabernácula tua, Dómine virtútum! * concupiſcit & déficit ánima mea in átria Dómini.

Cor meum & caro mea * exultavérunt in Deum vivum.

Etenim paſſer invénit ſibi domum, * & turtur nidum ſibi, ubi ponat pullos ſuos.

Altária tua, Dómine virtútum; * Rex meus & Deus meus.

Beáti qui hábitant in domo tuâ, Dómine! * in ſécula ſeculórum laudábunt te.

Beátus vir cujus eſt auxílium abs te; * aſcenſiónes in corde ſuo diſpóſuit, in valle lacrymárum, in loco quem póſuit.

Etenim benedictiónem dabit legiſlátor, ibunt de virtúte in virtútem: * vidébitur Deus deórum in Sion.

Dómine Deus virtútum, exaudi oratiónem meã; * áuribus pércipe, Deus Jacob.

Protector noſter, áſpice, Deus; * & réſpice in fáciem Chriſti tui:

Quia mélior eſt dies una in átriis tuis * ſuper míllia.

Elégi abjectus eſſe in domo Dei mei, * magis quàm habitáre in tabernáculis peccatórũ.

Quia miſericórdiam & veritátem díligit Deus; * grátiam & glóriam dabit Dñus.

Non privábit bonis eos qui ámbulant in innocéntia: * Dómine virtútum, beátus homo qui ſperat in te.

*Ant.* Verè Dóminus eſt in loco iſto: quàm terríbilis eſt locus iſte! non eſt hìc áliud niſi domus Dei, & porta cœli. [ Allelúia. ] *Geneſ.* 28.

*Ant.* 3. g. Ipſe.

*Pſalmus* 86.

FUndamenta ejus in móntibus ſanctis: * díligit Dóminus portas Sion ſuper ómnia tabernácula Jacob.

Glorióſa dicta ſunt de te, * civitas Dei.

Memor ero Rahab & Babylónis, * ſciéntium me.

Ecce alienígenæ & Tyrus, & pópulus Æthiopum; * hi fuérunt illìc.

Numquid Sion dicet: Homo, & homo natus eſt in ea; * & ipſe fundávit eam Altíſſimus?

Dóminus narrábit in ſcriptúris populórum & princípum, * horũ qui fuérunt in ea.

Sicut lætántium ómnium * habitátio eſt in te.

*Ant.* Ipſe qui habet in cœlis habitatiónem, viſitátor & adjútor eſt loci; & venientes ad

malefaciendum percutit ac perdit. [ Allelúia. ] 2. *Mach.* 3.

℣. Dómine, quis habitábit in tabernáculo tuo? ℟. Qui ingréditur sine mácula, & operátur justítiam. *Ps.* 14.

Léctio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

*Lectio vij.* Cap. 21.

IN illo témpore; Cùm intrásset Jesus Jerosólymam, commóta est universa cívitas, dicens: Quis est hic? Pópuli autem dicébant: Hic est Jesus Prophéta à Názareth Galilææ. Et intrávit Jesus in templum Dei. Et réliqua.

Homília sancti Basílii Epíscopi.

*In Psal.* 28.

*Ed. Ben.* 1721. *n.* 3.

NEcessária est adorátio, non ea quæ fit extra Eccléfiam, sed quæ in ipsa Dei aula perficitur. Ne mihi privátas aulas aut eccléfias excogitétis. Una est aula sancta Dei. Synagóga Judæórũ prius aula erat: sed post admíssum in Christum peccátum, facta est habitátio eórum desérta. Quapropter & Dóminus: Et álias oves hábeo, quæ non sunt ex hoc ovíli. Cùm autem loquátur de iis qui ex Géntibus ad salútem præordináti sunt, aulam própriam præter Judæórum aulam ostendit. Non igitur extra hanc aulam adorá re oportet, sed intra ipsam; ne quis extra ipsam consti tútus, aut ab iis qui extra illa m sunt, attractus, in aula Dómini esse désinat. Intersunt enim multi in hábitu quid em precatiónis; nec sunt tamen in aula ob mentis evagatiónem, & ánimi eórum aberratiónem, ex vanis ac inutílibus curis nascéntem. Qui ventrem, aut glóriam, aut argentum, aut quidvis áliud quod réliquis ómnibus pluris æstimat, deum fécerit, is neque adórat Dóminum, neque in aula sancta est; etiamsi videátur esse dignus, qui ad sensíbiles conventus admittátur.

℟. Exaltáte Dóminum Deum nostrum, & adoráte scabellum pedum ejus, quóniam sanctum est: adoráte in monte sancto ejus, * Quóniam sanctus Dóminus Deus noster. [ Allelúia, allelúia. ] ℣. Veri adoratóres adorábunt Patrem in spíritu & veritáte; nam & Pater tales quærit qui adórent eum; * Quóniam. *Ps.* 98. *Joan.* 4.

*n.* 7. *Lectio viij.*

IN templo adstant sancti Angeli: adest Dóminus, qui ánimum ingrediéntium intuétur. Preces uniuscujusque manifestæ Deo sunt, quis ex affectu, quis scitè exquírat cœléstia; quis perfunctóriè & extrémis labris verba pronúntiet, cor verò ipsius procul à Deo sit. Quòd si orat; carnis sanitátem, opesque terrestres, & humánam glóriam únicè efflágitat. Horum autem nihil sic petendum est, ut Scriptúra docet: sed in templo ejus unusquisque dicit glóriam. Creatúra omnis tum silens, tum loquens, tum cœléstis, tum terréna, dat glóriam Conditóri: miserábiles verò hómines, postquàm, ædibus suis relictis, ad tem-

plum concurrérunt, quasi quídpiã consecutúri emolumenti, tamen Dei verbis aures non præbent, suam ipsórum natúram non séntiunt : præoccupáti peccáto, non affliguntur : non mœrent, dum reminiscuntur peccatórum : non timent judícium ; sed arridentes, & inter se jungentes dextras, precatiónis domum in locum immódicæ loquacitátis vertunt.

℟. Qui adhærent Dómino ut colant eum, & díligant nomen ejus, lætificábo eos in domo oratiónis meæ ; * Quia domus mea domus oratiónis vocábitur cunctis pópulis. [ Allelúia, allelúia. ] ℣. Nolíte fácere domum Patris mei, domum negotiatiónis; * Quia. *Is.* 56. *Joan.* 2.

[ *Si sit Dominica, loco sequentis Lectionis, legitur Evangelium & Homilia Dominicæ occurrentis.* ]

*Lectio ix.*

CAve ne quando ábeas unà cum iis qui ímpia & contumelióſa verba in Dei nomen évomunt, condemnátus, cùm debuísses mercédem pro rerum divinárum celebratióne recípere. Habes Psalmum, habes Prophétiam, præcepta Evangélica, Apostolórum prædicatiónes. Lingua psallat : mens córum quæ dicta sunt, scrutétur intelligéntiam ; ut psallas spíritu, psallas item & mente. Deus enim mínimè índiget glóriâ : sed te vult esse dignum, qui glóriam consequáre. Quapropter quod séminat homo, hoc & metet. Sémina glorificatiónem, ut corónas, honoresque, & laudes in regno cœlórum metas. Hæc à nobis ideò dicta sunt, quòd sunt qui loquendi finem in Dei templo numquam fáciant, ac inutíliter ingrediantur. Utinam inutíliter, non cum detrimento !

℟. Tu, Dómine universórum, qui nullíus índiges, voluísti templum habitatiónis tuæ fieri in nobis : * Et nunc Sancte Sanctórum, Dómine, † Conserva in æternum impollútam domum istam. [ Allelúia, allelúia. ] ℣. Si quis templum Dei violáverit, dispérdet illum Deus : Templum enim Dei sanctum est. * Et nunc Sancte Sanctórum, Dómine. Glória. † Conserva. 2. *Mach.* 14. 1. *Cor.* 3.

Te Deum.

## AD LAUDES.

*Psalmi de Dominica.*

*Ant.* 3. *a.* DOmus Dei est Eccléſia Dei vivi, columna & firmamentum veritátis. [ *Tempore Paschali*, [ Allelúia. ] 1. *Tim.* 3.

*Ant.* 4. E. Christi domus sumus nos, si fidúciam & glóriam spei usque ad finem firmam retineámus. [ Alelúia. ] *Hebr.* 3.

*Ant.* 8. c. Ad Dóminum accedentes, lápidem vivum & electum ; & ipsi tanquam lápides vivi superædificámini, domus spirituális. [ Allelúia. ] 1. *Petr.* 2.

*Ant.* 5. a. Omnis ædificátio.

*Canticum.* Tob. 13.

JErúsalem cívitas Dei, luce splendidâ fulgébis, * & omnes fines terræ adorábunt te.

Natiónes ex longínquo ad te vénient : & múnera deferentes adorábunt in te Dóminum, * & terram tuam in sanctificatiónem habébunt ;

Nomen enim magnum * invocábunt in te :

Maledícti erunt qui contémpserint te ; & condemnáti erunt omnes qui blasphemáverint te , * benedíctique erunt qui ædificáverint te.

Tu autem lætáberis in fíliis tuis ; * quóniam omnes benedicentur & congregabuntur ad Dóminum.

Beáti omnes qui díligunt te, * & qui gaudent super pace tua.

Anima mea , bénedic Dóminum ; * quóniam liberávit Jerúsalem civitátem suam à cunctis tribulatiónibus ejus Dóminus Deus noster.

Beátus ero si fúerint relíquiæ séminis mei * ad vidéndam claritátem Jerúsalem.

Portæ Jerúsalem ex sapphíro & smaragdo ædificabuntur; * & ex lápide pretióso omnis circúitus murórum ejus.

Ex lápide cándido & mundo omnes platéæ ejus sternentur : * & per vicos ejus Allelúia cantábitur.

Benedíctus Dóminus qui exaltávit eam ; * & sit regnum ejus in sécula seculórum super eam. Amen.

*Ant.* Omnis ædificátio constructa in Christo Jesu, crescit in templum sanctum in Dómino ; in quo & vos coædificámini in habitáculum Dei in spíritu. [ Allelúia. ] *Ephes.* 2.

*Ant.* 1. a. Dei ædificátio estis , fundamentum pósui : unusquísque vídeat quómodò superædíficet ; fundamentum enim Christus Jesus. [ Allel. ] 1. *Cor.* 3.

*Capitulum.* 1. Cor. 6.

AN nescítis quóniã membra vestra templum sunt Spíritûs sancti qui in vobis est, quem habétis à Deo, & non estis vestri ? Empti enim estis prétio magno : glorificáte & portáte Deum in córpore vestro.

*Hymnus.*

PATRIS æterni Sóboles coæva,
Dum tuæ sacros pia plebs honóres
Ædis instaurat, Deus alme, nostris
Annue votis.

HIC sacri fontis látices ab ortu
Inditi purgant máculam reátûs :
Hîc & infúsum nova membra Christo
Chrisma coaptat.

HIC suâ pascit pópulos fidéles
Carne , qui mundi scelus omne tollit
Agnus, & fusi prétium cruóris
Ipse propínat.

HIC salus ægris ánimis parátur :
Hîc reos Judex fácilis relaxat,
Atque lethálem redivíva pellit
Grátia culpam.

CUJUS in cœlo thronus est perennis,
Incolit parvam Deus altus ædem :

Hîc adorátor sibi quisque sedem
Præparat astris.
NULLUS hanc turbo quatit, irruentis
Nulla vis nimbi, rapidive fluctûs:
Cedit hanc contra furor inferórum
Irritus omnis.
LAUS Deo, virtus, honor, & potestas
Una sit Patri, parilique Proli:
Par sit ambórum tibi nexus omni,
Spíritus, ævo. Amen.

℣. Domum tuam decet sanctitúdo, Dómine, ℟. In longitúdinem diérum. *Ps.* 92.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 7. a. Domus tua, Dómine, in sanctificatióne tua permáneat; & omnes gentes agnoscant quia tu es Deus, & non est álius præter te. [ Allel. ] *Judith.* 9.

[ *Ipso die Dedicationis, & per Octavam*

*Oratio.*

DEus, qui invisibíliter ómnia cóntines, & tamen pro salúte géneris humáni signa tuæ poténtiæ visibíliter ostendis: Templum hoc poténtiâ tuæ inhabitatiónis illústra, & concéde ut omnes qui huc deprecatúri convéniunt, ex quacumque tribulatióne ad te clamavérint, consolatiónis tuæ beneficia consequantur; Per Dóminum. ]

*In Anniversario Dedicationis, & per Octavam.*

*Oratio.*

DEus, qui nobis per síngulos annos hujus sancti Templi tui consecratiónis réparas diem, & sacris semper mystériis repræsentas incólumes: exaudi preces pópuli tui, & præsta ut quisquis hoc Templum beneficia petitúrus ingréditur, cuncta se impetrásse lætétur; Per Dóminum.

AD PRIMAM.

*Psalmi de Dominica, & sic ad alias Horas.*

*Ant.* Domus Dei.

*In* ℟. *br.* ℣. Qui magníficas in nobis locum tuum & Templum. [*Tempore Pasch.* *Allelúia, allel.] 2. *Mach.* 3.

AD TERTIAM.

*Ant.* Christi domus.

*Capitulum.* Hebr. 10.

HAbentes, Fratres, fidúciam in introítu sanctórum in sánguine Christi, quam initiávit nobis viam novam & viventem per velámen, ( id est, carnem suam, ) & Sacerdótem magnum super domum Dei; accedámus cum vero corde in plenitúdine fidei.

℟. *br.* In multitúdine misericórdiæ tuæ * Introíbo in domum tuam, [ *Tempore Pasch.* * Allelúia, allelúia. ] In multitúdine ℣. Adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo, [ * Allelúia, allelúia. ] Glória Patri. In. *Ps.* 5.

℣. Introíbo in domum tuã in holocaustis: ℟. Reddam tibi vota mea. *Ps.* 65.

[ *In Quadragesima, omisso* Allelúia. *resumptio sit ad primum asteriscum* *; *& sic ad alias Horas.* ]

AD SEXTAM.

*Ant.* Ad Dóminum.

*Capitulum.* Apoc. 3.

QUi vícerit, fáciam illum columnam in templo Dei mei, & foràs non egrediétur ámpliùs: & scribam super eum nomen Dei mei, & nomen civitátis Dei mei novæ Jerúsalem, quæ descendit de cœlo à Deo meo, & nomen meum novum.

℟. *br.* Beátus * Quem elegísti & assumpsísti, [ * Allelúia, allelúia. ] Beátus. ℣. Inhabitábit in átriis tuis, [ * Allelúia, allelúia. ] Glória Patri. Beátus. *Ps.* 64.

℣. Beáti qui hábitant in domo tua, Dómine: ℟. In sécula seculórum laudábunt te. *Ps.* 83.

AD NONAM.

*Ant.* Dei.

*Capitulum.* 2. Cor. 5.

SCimus quóniam si terréstris domus nostra hujus habitatiónis dissolvátur, quòd ædificatiónem ex Deo habémus, domum non manufactam, ætérnam in cœlis. Nam & in hoc ingemíscimus, habitatiónem nostram, quæ de cœlo est, superíndui cupientes.

℟. *br.* Replébimur * In bonis domûs tuæ, [ * Allelúia, allelúia. ] Replébimur. ℣. Sanctum est templum tuum, mirábile in æquitáte, [ * Allelúia, allelúia. ] Glória Patri. Replébimur. *Ps.* 64.

℣. Quàm dilécta tabernácula tua, Dómine virtútum! ℟. Concupíscit & déficit ánima mea in átria Dómini. *Ps.* 83.

AD II. VESPERAS.

*Ant.* 4. E. Unus.

*Psalmus* 121.

LÆtátus sum in his quæ dicta sunt mihi: * In domum Dómini íbimus.

Stantes erant pedes nostri * in átriis tuis, Jerúsalem.

Jerúsalem quæ ædificátur ut cívitas, * cujus participátio ejus in idipsum.

Illuc enim ascendérunt tribus, tribus Dómini, * testimónium Israel, ad confitendum nómini Dómini.

Quia illic sedérunt sedes in judício, * sedes super domum David.

Rogáte quæ ad pacem sunt Jerúsalem: * & abundántia diligéntibus te.

Fiat pax in virtúte tua, * & abundántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos & próximos meos, * loquébar pacem de te.

Propter domum Dómini Dei nostri, * quæsívi bona tibi.

*Ant.* Unus de septem Angelis sússtulit me in spíritu, & ostendit mihi civitátem sanctam Jerúsalem descendentem de cœlo à Deo. [ Allelúia. ] *Apoc.* 21.

*Ant.* 8. G. Erat structúra.

*Psalmus* 126.

NIsi Dóminus ædificáverit domum, * in vanum laboravérunt qui ædíficant eam.

Nisi Dóminus custodíerit civitátem, * frustrà vígilat qui custódit eam.

Vanum est vobis ante lucem súrgere: * súrgite, postquàm sedéritis, qui manducátis panem dolóris.

Cùm déderit dilectis suis

somnum : ecce hæréditas Dómini, filii : * merces, fructus ventris.

Sicut sagittæ in manu potentis, * ita filii excussórum.

Beátus vir qui implévit desidérium suum ex ipsis : * non confundétur, cùm loquétur inimícis suis in porta.

*Ant.* Erat structúra muri ejus ex lápide jáspide ; ipsa verò cívitas aurum mundum, símile vitro mundo. [ Allelúia. ] *Apoc.* 21.

*Ant.* 1. D. Templum.

*Psalmus* 131.

MEmento, Dómine, David, * & omnis mansuetúdinis ejus :

Sicut jurávit Dómino, * votum vovit Deo Jacob :

Si introíero in tabernáculum domûs meæ, * si ascéndero in lectum strati mei :

Si dédero somnum óculis meis, * & pálpebris meis dormitatiónem,

Et réquiem tempóribus meis, donec invéniam locum Dómino, * tabernáculum Deo Jacob.

Ecce audívimus eam in Ephrata : * invénimus eam in campis sylvæ.

Introíbimus in tabernáculum ejus : * adorábimus in loco ubi stetérunt pedes ejus.

Surge, Dómine, in requiẽ tuam, * tu & arca sanctificatiónis tuæ.

Sacerdótes tui induantur justítiã, * & sancti tui exultent.

Propter David servum tuũ, * non avertas fáciem christi tui.

Jurávit Dóminus David veritátem, & non frustrábitur eum : * de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

Si custodierint filii tui testamentum meum, * & testimónia mea hæc quæ docébo eos.

Et filii eórum usque in sæculum, * sedébunt super sedem tuam.

Quóniam elégit Dóminus Sion, * elégit eam in habitatiónem sibi.

Hæc réquies mea in sæculum séculi ; * hîc habitábo, quóniam elégi eam.

Víduam ejus benedícens benedícam : * páuperes ejus saturábo pánibus.

Sacerdótes ejus índuam salutári : * & sancti ejus exultatióne exultábunt.

Illuc prodúcam cornu David : * parávi lucernam christo meo.

Inimícos ejus índuam confusióne : * super ipsum autem efflorébit sanctificátio mea.

*Ant.* Templum non vidi in eâ ; Dóminus enim Deus omnípotens templum illius est, & Agnus. [ Allelúia. ] *Apocal.* 21.

*Ant.* 3. a. Cívitas.

*Psalmus* 136.

SUper flúmina Babylónis, illic sédimus & flévimus, * cùm recordarémur Sion.

In salícibus in médio ejus, * suspéndimus órgana nostra:

Quia illic interrogavérunt nos, qui captívos duxérunt nos, * verba cantiónum :

Et qui abduxérunt nos, * Hymnum cantáte nobis de cánticis Sion.

Quómodò cantábimus cánticum Dñi * in terra aliéna ?

Si oblítus fúero tui, Jerúsalem, * oblivióni detur déxtera mea.

Adhæreat lingua mea fáucibus meis, * si non memínero tui.

Si non proposúero Jerúsalē * in princípio lætítiæ meæ.

Memor esto, Dómine, filiórum Edom, * in die Jerúsalem;

Qui dicunt: Exinanite, exinanite * usque ad fundamentum in ea.

Filia Babylónis mísera, * beátus qui rerríbuet tibi retributiónem tuam; quam retribuísti nobis.

Beátus qui ténebit,* & allídet párvulos tuos ad petram.

*Ant.* Cívitas non eget sole neque luna ut lúceant in ea; nam cláritas Dei illumináv it eam, & lucerna ejus est Agnus. [ Allelúia. ] *Apoc.* 21.

*Ant.* 6. Non intrábit.

*Psalmus* 147.

Lauda, Jerúsalem, Dóminum: * lauda Deum tuum, Sion;

Quóniam confortávit seras portárum tuárum, * benedixit filiis tuis in te;

Qui pósuit fines tuos pacem, * & ádipe frumenti sátiat te;

Qui emittit elóquium suum terræ, * velóciter currit sermo ejus;

Qui dat nivem sicut lanam, * nébulam sicut cinerem spargit;

Mittit crystallum suam sicut buccellas: * ante fáciem frígoris ejus quis sustinébit?

Emittet verbum suum & liquefáciet ea; * flabit spíritus ejus, & fluent aquæ.

Qui annúntiat verbum suum Jacob, * justítias & judícia sua Israel.

Non fecit táliter omni natióni, * & judícia sua non manifestávit eis.

*Ant.* Non intrábit in eam áliquod coinquinátum, aut abominatiónē faciens & mendácium; nisi qui scripti sunt in libro vitæ Agni. [ Allelúia. ] *Apoc.* 21.

*Capitulum.* Isaïæ 33.

Respice Sion civitátem solemnitátis nostræ: óculi tui vidébunt Jerúsalem, habitatiónem opulentam, tabernáculum quod nequáquam transferri póterit: nec auferentur clavi ejus in sempiternum, & omnes funículi ejus non rumpentur; quia sólummodò ibi magníficus est Dóminus noster.

*Hymnus.*

Ecce sedes hîc tonantis,
Ecce cœli jánua:
Hîc sacerdos, ara, templum,
Hîc Deus fit hóstia:
Incruentâ morte jugis
Hîc amor litat Deum.

Qualis ara, quanta sedes
Ipsius capax Dei!
Quem nec universa terra,
Omne nec cœlum capit,
Orbe parvo se coarctans,
Hîc latére sústinet.

Quam libenter hîc pudícis
Inserit se córdibus!
Hîc amantis tota Christi
Exerit se cáritas:
Hîc Pater caros sedére
Gestit inter filios.

Hinc facesse quem profána
Pólluit contágio,
Neu sacrum transire limen

Inquinátus áudeas:
Ultor astat cum flagellis
Púniens sontes Deus.

Sit perennis laus Parenti,
Sit perennis Filio:
Laus tibi qui nectis ambos,
Sit perennis, Spíritus,
Chrisma cujus nos inungens
Viva templa cónsecrat.
Amen.

℣. Glorióſa dicta ſunt de te, cívitas Dei: ℟. Sicut lætántium ómnium habitátio eſt in te. *Pſ.* 86.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 5. C. Greſſus rectos fácite pédibus veſtris; acceſſiſtis enim ad civitátem Dei viventis Jerúſalem cœleſtem: itaque regnum immóbile ſuſcipientes, ſerviámus Deo cum metu & reveréntia. [ Allel. ] *Hebr.* 12.

*Oratio, ut ſupra ad Laudes.*

## AD COMPLETORIUM.

*Pſalmi & Capitulum de Dominica, cætera ut heri, &c.*

℟ ¶ *De Dominica (ſi occurrat intra Octavam Anniverſarii Dedicationis), ſit Officium ut in Pſalterio, & Proprio de Tempore, cum commemoratione Octavæ in utriſque Veſperis & Laudibus.* ]

## DIEBUS INTRA OCTAVAM.

[ *Tempore Paſchali.* ]

*Semiduplex.*

*Omnia ut in die, exceptis quæ ſequuntur.*

*Pſalmi de Feria in toto Officio.*

## AD NOCTURNUM.

*Tres Antiph.* ℣. & ℟℟. *ex Nocturno Feſti, juxta Feriam.*

*Lectio 1. de Scriptura occurrente; ij. & iij. ut habentur infrà pro qualibet die.*

## AD LAUDES.

*Ant. ſola.* 5. a. Omnis ædificátio conſtructa in Chriſto Jeſu, creſcit in templum ſanctum in Dómino; in quo & vos coædificámini in habitáculum Dei in Spíritu. [ Allelúia. ] *Epheſ.* 2.

*Canticum*, Jerúſalem. c.

## AD VESPERAS.

*Antiph. ſola.* 4. E. Unus de ſeptem Angelis ſúſtulit me in ſpíritu, & oſtendit mihi civitátem ſanctam Jerúſalem deſcendentem de cœlo à Deo. [ Allelúia. ] *Apoc.* 21.

## SECUNDA DIE.

Sermo S. Auguſtini Epíſcopi. *Serm.* 336. *in Dedic. Tom.* 5.

*Lectio 1j.*

Celébritas hujus congregatiónis, dedicátio eſt domûs oratiónis. Domus ergo noſtrárum oratiónum, iſta eſt; domus Dei, nos ipſi. Si domus Dei nos ipſi, nos in hoc ſéculo ædificámur, ut in fine ſéculi dedicémur. Ædificium, imò ædificátio habet labórem, dedicátio exultatiónem. Quòd hîc fiébat, quando iſta ſurgébant; hoc fit modò, cùm congregantur credentes in Chriſtum. Credendo enim, quaſi de ſylvis & móntibus ligna & lápides præciduntur. Cùm verò catechizantur, baptizantur, formantur; tanquam inter manus fabrórum & opíficum dolantur, collineantur, complanantur. Verúmtamen domum Dómini non fáciunt, niſi quando caritáte compaginantur.

*Lectio iij.*

LIgna ista & lápides si non sibi certo órdine cohærérent, si non se pacificè innécterent, si non se ínvicem cohærendo sibi, quodam modo amárent, nemo huc intráret. Dénique quando vides in áliqua fábrica lápides & ligna bene sibi cohærére, secúrus intras, ruínam non times. Volens ergo Dóminus Christus intráre, & in nobis habitáre, tanquam ædificando dicébat: Mandátum novum do vobis, ut vos ínvicem diligátis. Mandátum, inquit, novum do vobis; véteres enim erátis, domum mihi nondum faciebátis, in vestra ruína jacebátis. Ergo ut eruámini de vestræ ruínæ vetustáte, vos ínvicem amáte.

*TERTIA DIE.*

Sermo S. Cæsárii Episcopi.

*Sermo 229 qui est in Dedic. Ecclesiæ.*

*Lectio ij.*

QUotiescumque, Fratres caríssimi, altáris vel templi festivitátem cólimus, si fidéliter ac diligenter atténdimus, & sanctè ac justè vívimus; quidquid in templis manufactis ágitur, totum in nobis spirituáli ædificatióne compléctur. Non enim mentítus est ille qui dixit: Templum Dei sanctum est, quod estis vos; & ítemum: Nescítis quia córpora vestra templum sunt Spíritûs sancti? Quia verò nullis præcedéntibus méritis, sed per grátiam Dei merúimus fieri templum Dei, quantùm póssumus, cum ipsíus adjutório laborémus, ne Dóminus noster in templo suo, hoc est, in nobis ipsis, invéniat quod óculos suæ majestátis offendat: sed habitáculum cordis nostri evacuétur vitiis, & virtútibus repleátur; claudátur diábolo, & aperiátur Christo.

*Serm. 230. Lectio iij.*

QUia, Fratres, habitáre desíderat in nobis Deus, cum ipsíus adjutório ita cor nostrum studeámus bonis semper cogitatiónibus occupáre, & córpora nostra ab omni sorde luxúriæ munda custodíre, ut Deum in nobis delectet habitáre. In templo enim à Salomóne ædificáto légimus duo altária fuísse constitúta, unum foris, áliud intùs: in illo quod foris erat, animálium celebrabátur sacrifícium; in illo verò quod intùs erat, thymiámatis offerebátur incensum. Videámus ergo ne fortè in nobis duo sint altária constitúta; córporis scílicet, & cordis nostri. Dénique duplex à nobis sacrifícium quærit Deus: unum, ut simus casto córpore; áliud, ut mundo corde esse debeámus.

*QUARTA DIE.*

De Sermóne sancti Augustíni Episcopi.

*Serm. 337. de Dedic. Ecclesiæ. C. j. Lectio ij.*

BOna ópera fidélium de suâ temporáli terrenâque substántiâ cùm in thesauris cœléstibus reconduntur; fides hoc videt, quæ pietátis óculum habet in corde. Unde & ista ædificia, quæ congregandis religiosis cœtibus extruúntur, cùm óculo carnis inspéxerit, laudat intériùs quod

cernit extérius; & visíbili áccipit lúmine, ad quod gáudeat invisibili veritáte. Neque enim occupáta est fides inspícere quàm pulchra sint membra hujus habitatiónis, sed de quanta interióris hóminis pulchritúdine procédant hæc ópera dilectiónis.

*Lectio iij.*

RETríbuet ergo Dóminus fidélibus suis tam piè, tam hiláriter, tam devótè ista operántibus, ut eos quoque ipsos in suæ fábricæ constructióne compónat, quò currunt lápides vivi, fide formáti, spe solidáti, caritáte compacti: ubi sápiens ille architectus Apóstolus fundamentum pósuit Christum Jesum, summum ipsum lápidẽ angulárẽ; sicut & Petrus de prophética Scriptúra commémorat, ab homínibus quidem reprobátum, à Deo autem electum & honorificátum. Huic adhærendo, pacámur; huic incumbendo, firmámur.

*QUINTA DIE.*

De Sermóne sancti Augustíni Episcopi.

*Unde suprà. Lectio ij.*

CHristus simul est & lapis fundamentális, quia ipse nos regit; & angulàris, quia ipse conjungit. Ipsa est petra supra quam vir sápiens ædíficans domum suam, contra omnes hujus séculi tentatiónes tutíssimus persevérat; nec plúviâ irruente lábitur, nec flúmine inundante subvértitur, nec ventis flántibus commovétur. Ipse est & pax nostra, qui fecit útraque unum: in ipso enim neque circumcísio quidquam valet, neque præpútium, sed nova creatúra. Hi enim duo tanquam paríetes ex diverso venientes, longè ab invicem fúerant; donec ad illum, tanquam ad ángulum ducti, étiam in illo sibimet copulàti sunt.

*Cap. 2. Lectio iij.*

ITaque sicut hoc ædificium visíbile factum est nobis corporáliter congregandis; ita illud ædificium, quod nos ipsi sumus, Deo spiritáliter habitatúro constrúitur. Templum enim Dei sanctum est, inquit Apóstolus, quod estis vos. Sicut hoc terrénis mólibus constrúimus, sic illud bene compósitis móribus erigámus. Hoc enim nunc visitántibus nobis, illud in fine séculi, Dómino veniente, dedicábitur, quando corruptíbile hoc nostrum índuet incorruptiónem, & mortále hoc nostrum índuet immortalitátem; quia corpus humilitátis nostræ conformábit córpori glóriæ suæ.

*SEXTA DIE.*

Sermo sancti Joannis Chrysóstomi.

*Homil. 33. in Matth. Lectio ij.*

COmmúnis ómnium domus est Eccléfia, in quam vobis priùs ingressis, nos intrámus, discipulórum formam retinentes: ideóque commúniter ómnibus, statim atque ingressi fuerimus, ut illis datam legem sequámur, pacem offérimus. Nemo ígitur socórdiâ torpeat, nemo seculáribus rebus suspensum ánimum hábeat, cùm jam ad

prædicandũ Sacerdótes intráverint. Non enim parva huic rei ímminet pœna. Equidem millies pótiùs malim in domũ alicújus vestrũm ingressus destitui, quàm hîc prædicans non audíri. Hoc mihi moléstius esset quàm illud, quandóquidem hæc magis própriè domus nostra est, quàm illa.

*Lectio iij.*

HIc magnæ illæ nostræ opes pósitæ sunt, hîc spes nostra omnis. Quid enim hoc loco non magnum est & admirandum? Nam hæc mensa longè pretiósior est atque jucúndior; & lucerna hæc quam illa, ut nórunt qui cum fide óleo peruncti, à morbis liberáti sunt. Arca étiam hæc multò mélior, magisque necessária. Non enim vestes, sed misericórdiam inclúsam cóntinet; quamvis pauci sint qui eam possideant. Hîc & léctulus est valde illo præstántior; divinárum ènim Scripturárum réquies quovis lecto suávior est.

*SEPTIMA DIE.*

De Sermóne sancti Joannis Chrysóstomi.

*Homil. in* Vidi Dóminum.

*Lectio ij.*

CUm ánimi divítias considero in vobis augéscere, gáudeo semper, ut qui non frustrà sémentem fécerim, ut qui non incassùm labóres pertúlerim. Unde ígitur hoc lucrum conjício, unde perspício sermónes ad opus proficere? Nimirum, ex hoc concursu; ex eo quòd Ecclésiam ómnium matrem studiósè amplectímini; ex hac pernocte perpetuá-



que statióne; ex eo quòd angelicórum órdinum statiónem imitantes, sine cessatióne laudes & hymnos offertis Conditóri. O mira Christi dona! In supernis exércitus Angelórum canunt glóriam: in terris, hómines in Ecclésiis choros agentes, ad illórũ exemplum eamdem canunt glóriam. In supernis, Séraphim ter sanctum illum hymnum résonant: in terris, eumdem hymnum promit multitúdo; communiterque, tum cœléstium, tum terréstrium plaudit celébritas.

*Lectio iij.*

NUlla res tantum affert gáudii vitæ nostræ, quantum hoc, quod ex ánimo gaudétis in Ecclésia congregári. In Ecclésia gaudéntium conservátur gáudium. In Ecclésia, ánimo dejectórum est recreátio. In Ecclésia, doléntium est voluptas. In Ecclésia, defatigatórum est respirátio. In Ecclésia, laborántium est réquies. Venite enim, inquit, post me, qui laborátis & onerati estis; & ego reficiam vos. Quid hâc voce potest esse desiderabilius? quid hâc invitatióne jucúndius? Ad épulum te vocat, qui in Ecclésiam te vocat.

*VESPER. dicuntur de die Octava, ut in primis Vesperis Festi.*

## OCTAVA ANNIVERSARII *DEDICATIONIS.*

[ *Tempore Paschali.* ]

*Duplex* I. *Ordinis.*

*Officium, dempto ritu solemni, ut in die, præter Lectiones.*

*

AD NOCTURNUM.

*Lectio prima de Scriptura occurrente; si plures sint, ex iis fit una.*

De Sermóne sancti Augustíni Episcopi.

*Serm. 133. in Dedic.*

*Lectio ij.*

DUm novam constructiónem sanctæ hujus Ecclésiæ libenter atténdimus, quam divíno nómini hódie dedicámus: invénimus à nobis debéri, & Deo nostro máximam laudem, & sanctitáti vestræ cóngruum de divinæ domûs ædificatióne sermónem. Tunc autem sermo noster cóngruus erit, si in se áliquid ædificatiónis hábeat, quod utilitáti animárum vestrárum, Deo vos intériùs ædificante, proficiat. Quod hîc factum corporáliter vidémus in pariétibus, spirituáliter fiat in méntibus: & quod hîc perfectum cérnimus in lapídibus & lignis, hoc, ædificante grátiâ Dei, perficiátur in corpóribus vestris. Principáliter ergo grátias agámus Dómino Deo nostro, à quo est omne datum óptimum, & omne *donum* perfectum; & ejus bonitátem totâ cordis alacritáte laudémus; quóniam ad construendam istam domum oratiónis, fidélium suórum visitávit ánimum, excitávit affectum, surrogávit auxílium; inspirávit necdum voléntibus ut vellent, adjúvit bonæ voluntátis conátus ut fácerent; ac per hoc Deus, qui operátur in suis & velle & perficere pro bona voluntáte, hæc ómnia ipse cœpit, ipse perfécit. Et quia ópera bona in conspectu suo nunquam esse permittit inánia; fidélibus suis, quibus operántibus præbuit virtútis suæ favórem, tríbuet condignam pro tanta operatióne mercédem. Adhuc ámpliùs agendæ sunt grátiæ Deo nostro: hanc enim Eccléfiam, quam fecit nómini suo cónstrui, fecit étiam sanctórum Mártyrum reliquiis ámpliùs honorári.

Léctio sancti Evangélii secundùm Joannem.

*Lectio iij.* Cap. 10.

IN illo témpore; Facta sunt Encænia in Jerosólymis; & hyems erat: & ambulábat Jesus in templo in pórticu Salomónis. Et réliqua.

Homília venerábilis Bedæ Presbyteri.

*Expositione in Evangelium S. Joannis.*

ENcænia vocabátur solémnitas Dedicatiónis templi, quam pópulus Dei ex antiqua patrum traditióne per annos síngulos celebráre consuéverat. Sed *notandum est quòd* hæc Encæniæ quæ hîc leguntur, non ad primam templi Dedicatiónem, sed ad ultimam pértinent: quod ex eo fácilè collígitur, quia hyeme facta referuntur. Prima siquidem ejusdem templi Dedicátio à Salomóne, témpore autumni: secunda autem à Zoróbabel & Jesus Sacerdóte, témpore veris; tértia à Juda Machabæo, témpore hyemis est facta; quando speciáliter constitútum esse légitur, ut

éadem Dedicátio per omnes annos in memóriam solémnibus renovarétur officiis: quæ étiam ad tempus usque Dominicæ Incarnatiónis obsérváta fuit, sicut modò, cùm legerétur Evangélium, audívimus. Quæ étiam Dedicátio salúbri consuetúdine in Ecclésiis Christi moderno témpore dignóscitur.

[*Si Octava Dedicationis in Dominicam inciderit, Lectio ij. erit Evangelium & Homilia præcedens; iij. verò Evangelium cum Homilia Dominica occurrentis.*]

---

# *OFFICIUM*

# BEATÆ MARIÆ,

## *IN SABBATO.*

[TEMPORE PASCHALI.

*SIMPLEX.*

[*Omnibus Sabbatis, præterquam in Adventu, Quadragesima, Vigiliis cujuscumque Festi; inter Octavas, & nisi occurrat Festum Semiduplex aut suprà, ac nisi Officium fieri debeat de Feria, propter Quatuor Tempora, fit Officium de Sancta Maria, ritu simplici.*]

*IN VESPERIS Feria sexta præcedentis.*

*Capitulum.* Genes. 3.

AIt Dóminus Deus ad serpentem: Inimicítias ponam inter te & mulíerem, & semen tuum & semen illíus: ipsa cónteret caput tuum.

*Hymnus.*

AVe, maris stella,
Dei mater alma,
Atque semper virgo,
Felix cœli porta.
SUMENS illud Ave
Gabriélis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Evæ nomen.
SOLVE vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.
MONSTRA te esse matrem;
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus,
Tulit esse tuus.
VIRGO singuláris,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solútos,
Mites fac & castos.
VITAM præsta puram;
Iter para tutum;
Ut videntes Jesum,

Semper collætémur.

Sit laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spíritui sancto;
Tribus honor unus.
Amen.

℣. Descendet sicut plúvia in vellus: ℟. Et replébitur majestáte ejus omnis terra. *Ps.* 71.

*Ad* Magníficat. *Ant.* 1. g. Egrediétur virga de rádice Jesse, & flos de rádice ejus ascendet, & requiescet super eum Spíritus Dómini. Allelúia. *Is.* 11.

*Oratio.*

Deus, qui per Resurrectiónem Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi, mundum lætificáre dignátus es: præsta, quæsumus, ut per ejus Genitrícem Vírginem Maríam perpétuæ capiámus gáudia vitæ; Per eumdem.

*Suffragia de Cruce, Tempore Paschali.*

COMPLETORIUM, *ut in Psalterio.*

*Hymnus.*

Virgo Dei génitrix, quem totus non capit orbis,
In tua se clausit víscera, factus homo.
Hinc mérito dicent te sécula cuncta beátam:
Hinc pópuli matrem te dominamque colunt.
Suscipe quos pia plebs tibi péndere certat honóres:
Annue, sollícitâ quam prece posci, opem.
Gloria magna Patri: compar sit glória Nato:
Ambórum tibi par, Spíritus alme, decus. Amen.

*Cùm in Vesperis Feriæ sextæ facta est commemoratio de B. & in sequenti Sabbato potest fieri de eâ Officium; tunc ad Completorium dictæ Feriæ sextæ in fine Hymni dicitur Doxologia.*

Qui natus es de Vírgine,
Jesu, tibi sit glória:
Cum Patre, cumque Spíritu
In sempiterna sécula. Amen.

AD NOCTURNUM.

*Invit.* Jesum de María natum, * Veníte, adorémus. Allelúia. *Matth.* 1.

*Ps.* 94. Veníte. 2.

*Hymnus.*

O Quam glorificâ luce coruscas,
Stirpis Davídicæ régia proles;
Sublímis résidens, Virgo María,
Supra Cœlígenas ætheris omnes!
Tu cum virgíneo mater honóre
Cœlórum Dómino péctoris aulam
Sacris viscéribus casta dedísti:
Humános Deus hinc índuit artus.
Quem cunctus vénerans orbis adórat,
Cui nunc ritè genu fléctitur omne;
A quo, te précibus súbveniente,
Æterni pétimus gáudia regni.
Divinæ Sóboli qui dare matrem
In terris vóluit, glória Patri:
Cujus Virgo parens, glória Nato;

Quo

Quò fœcunda, tibi glória, Flamen. Amen.

*Psalmi de Sabbato, notati in Proprio de Tempore sub sola Antiph.* 1. a. Ave, grátiâ plena; Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus. Allelúia. *Luc.* 1.

℣. Confiteantur tibi pópuli, Deus; ℟. Terra dedit fructum suum. *Ps.* 66. Pater noster.

*Absolutio*, Deus memínerit. *& Benedictiones de B. V. ut ordinantur post Psalt.* 149.

*Lectiones duæ priores de Scriptura occurrente.*

*Post j. Lectionem*, ℟. Audíte Domus David: Dabit Dóminus ipse vobis signum; * Ecce Virgo concípiet & páriet Fílium, & vocábitur nomen ejus Emmánuel. Allelúia, allelúia. ℣. Christi generátio sic erat: Mater ejus María inventa est in útero habens de Spíritu Sancto. Hoc autem totum factum est, ut implerétur quod dictum est à Dómino. * Ecce Virgo. *Is.* 7. *Matth.* 1.

*Post ij. Lect.* ℟. Quod in ea natum est, de Spíritu Sancto est: páriet autem Fílium; * Ipse salvum fáciet pópulum suum à peccátis eórum. Allelúia, allelúia. ℣. Creávit Dóminus novum super terram: fémina circumdábit virum. * Ipse salvum. *Matth.* 1. *Jerem.* 31.

*Pro tertia Lectione legitur una è modo assignandis secundùm diversitatem mensium.*

*Post iij. Lectionem*, ℟. Misericórdia & véritas obviavérunt sibi. * Véritas de terra orta est, & justítia de cœlo prospexit. Allelúia, allelúia. ℣ De María natus est Jesus qui vocátur Christus. * Véritas. Glória. * Véritas. *Ps.* 84. *Mat.* 1. Te Deum.

AD LAUDES.

*Psalmi de Sabbato, sub sola Ant.* 3. *a.* Beáta quæ credidísti quóniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Dómino. Allelúia *Luc.* 1.

*Capitulum.* Cant. 6.

QUæ est ista quæ progréditur quasi auróra consúrgens, pulchra ut Luna, elécta ut Sol, terríbilis ut castrórum ácies ordináta?

*Hymnus.*

NUNC auróra, novæ núntia lucis,
Tristes orbe procul dissípat umbras.
O quàm lucídior, nocte sepúltis
Portans ipsa diem, Virgo, refúlges!
O QUÆ nunc hábitas lúcida regna,
Mittas inde tuæ múnera lucis:
Te si terra dedit munus olympo,
Quæ non dona memor réddet olympus?
INTER perpétuos núminis haustus,
O Regina, tibi sánguine junctum
Ne dedísce genus: nostra fuísti,
Summi facta parens, Virgo, tonántis.
DIVINÆ Sóboli qui dare matrem
In terris vóluit, glória Patri:
Cujus Virgo parens, glória Nato;

Quo fœcunda, tibi glória Flamen.

Amen.

℣. Deus in médio ejus, ℟. Non commovébitur. *Ps.* 45.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 8. G. Multæ filiæ congregavérunt divítias, tu supergressa es universas. Allelúia. *Prov.* 31.

*Oratio.*

DEus, qui per Resurrectiónem Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi mundum lætificáre dignátus es: præsta, quæsumus, ut per ejus genitrícem vírginem Maríam perpétuæ capiámus gáudia vitæ; Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

*Suffragia de Cruce, Tempore Paschali.*

*AD HORAS.*

*Doxologia*, Qui natus es, &c. *Psal. de Sabbato.*

AD PRIMAM.

*Ant.* 7. d. In omni gente quæ audierit nomen tuum, magnificábitur super te Deus Israel. Allelúia. *Judith.* 13.

*In* ℟. *br.* Qui natus es de María Vírgine. *Matth.* 1.

*Cætera, ut ad calcem Psalteri.*

AD TERTIAM.

*Ant.* 1. f. Benedictus Dóminus, qui te direxit in vúlnera cápitis príncipis inimicórum nostrórum. Allelúia. *Judith.* 13.

*Capitulum.* Galat. 4.

UBi venit plenitúdo témporis, misit Deus Fílium suum, factum ex muliere, factum sub lege; ut eos qui sub lege erant redímeret; ut adoptiónem filiórum recipeémus.

℟. *br.* Recordátus est Dóminus * Misericórdiæ suæ. Allelúia, allelúia. Recordátus. ℣. Et veritátis suæ dómui Israel. * Allelúia., allelúia. Glória Patri. Recordátus. *Ps.* 97.

℣. Deus operátus est salútem in médio terræ. ℟. Tu confregísti cápita dracónis. *Ps.* 73.

AD SEXTAM.

*Ant.* 4. A. Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Allelúia. *Luc.* 1.

*Capitulum.* Eccli. 24.

PRæcépit & dixit mihi Creátor ómnium: & qui creávit me requiévit in tabernáculo meo.

℟. *br.* Homo * Natus est in eâ. * Allelúia, allelúia. Homo. ℣. Et ipse fundávit eam Altíssimus. * Allelúia, allelúia. Glória. Homo. *Ps.* 86.

℣. Elégit eam Dñus ℟. In habitatiónem sibi. *Ps.* 131.

AD NONAM.

*Ant.* 1. a. Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israel, tu honorificéntia pópuli nostri. Allelúia. *Judith.* 15.

*Capitulum.* Judith. 13.

NOmen tuum Dóminus ita magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminum, qui mémores fúerint virtútis Dómini in æternum.

℟. *br.* Vultum tuum * Deprecabuntur. Allelúia, allelúia. Vultum. ℣. Omnes dívites plebis * Allelúia, allelúia. Glória Patri. Vultum. *Ps.* 44.

℣. Mémores erunt nóminis tui, ℟. In omni generatióne & generatiónem. *Ps.* 44.

*Lectiones sequentes dicuntur singulis mensibus in Officio beatæ Mariæ in Sabbato.*

MENSE APRILI.

Ex Libro sancti Hierónymi Presbyteri adversùs Joviniánum.

*Apolog. ad Pammach.*
*Lectio iij.*

CHristus virgo, mater vírginis nostri virgo perpétua, mater & virgo. Jesus enim clausis ingressus est óstiis: & in sepulchro ejus quod novum & in petra durissima fúerat excísum, nec ánteà quis, nec póstea pósitus est. Hortus conclúsus, fons signátus: de quo fonte ille flúvius manat, juxta Joel, qui írrigat torrentem, vel fúnium, vel spinárum; fúnium peccatórum, quibus antè alligabámur; spinárum quæ suffócant sementem patrisfamílias. Hæc est porta orientális, ut ait Ezéchiel semper clausa & lúcida, opériens in se, vel ex se próferens Sancta Sanctórum, per quam Sol justítiæ & Póntifex noster, secundùm órdinem Melchísedech, ingréditur & egréditur. Respóndeant mihi quómodò Jesus ingressus est clausis óstiis, cùm palpandas manus, & latus considerandum, & ossa carnemque monstráverit, ne véritas córporis phantasma putarétur; & ego respondébo, quómodò sancta María sit & mater & virgo.

MENSE MAIO.

Ex Epístola sancti Athanásii Episcopi ad Epictétum.

*Lectio iij.*

NEquáquam fictítia res est salus nostra, neque solíus córporis, sed verè totíus hóminis, ánimæ scílicet & córporis salus in ipso Verbo facta est. Humánum natúrâ erat quod ex María pródiit, secundùm divinas Scriptúras, verumque erat Dómini corpus: verum, inquam, fuit, cùm idem atque nostrum extíterit. Soror étenim nostra est María, omnes quippe ex Adam orti sumus. Nam postquàm à mórtuis surrexísset, cùm quidã existimarent se non in córpore ex María génito Dóminum aspícere, sed illíus loco spíritum vidére, dixit ille: Palpáte me, vidéte quia spíritus carnem & ossa non habet, sicut me vidétis habére. Non dixit, Ut me vidétis carnem & ossa esse; sed, habére: ne ipsummet Verbum in res illas transformátum fuísse censerétur; sed illas & ante mortem & post resurrectiónem habére crederétur.

# OFFICIUM PARVUM
## BEATÆ MARIÆ.

[ *Dicitur in Choro secundùm consuetudinem locorum & juxta Rubricam parte 3. Rubricarum generalium præscriptam.* ]

AD OFFICIUM NOCT.

*Invit.* Jesum de María natum, * Veníte, adorémus.

[ *Tempore Pasch.* Allelúia. ]

*Matth.* 1.

*Ps.* 94. Veníte. 2.

*Hymnus.*

O Quam glorificâ luce coruscas,
Stirpis Davídicæ régia proles;
Sublímis résidens, Virgo María,
Supra Cœlígenas ætheris omnes!
Tu cum virgíneo mater honóre
Cœlórum Dómino péctoris aulam
Sacris viscéribus casta dedísti:
Humános Deus hinc índuit artus.
Quem cunctus vénerans orbis adórat,
Cui nunc ritè genu fléctitur omne;
A quo, te précibus súbveniente,
Æterni pétimus gáudia regni.
Divinæ Sóboli qui dare matrem
In terris vóluit, glória Patri:
Cujus Virgo parens, glória Nato;
Quo fœcunda, tibi glória, Flamen.
Amen.

[ *In Officio parvo dicuntur tantùm tres Psalmi, secundùm Feriarum ordinem, ut infrà notatur.* ]

*IN I. NOCTURNO.*

*Feria II. & V.*

*Ant. sola.* 1. a. Ave.

*Psalmus* 8.

Domine Dóminus noster, * quàm admirábile est nomen tuum in universa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua * super cœlos.

Ex ore infántium & lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum & ultórem.

Quóniam vidébo cœlos tuos, ópera digitórum tuórum; * lunam & stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quòd memor es ejus? * aut fílius hóminis, quoniam vísitas eum?

Minuísti eum paulò minùs ab Angelis, glóriâ & honóre coronásti eum: * & constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjeciísti sub pédibus ejus, * oves & boves universas, ínsuper & pécora campi.

Vólucres cœli, & pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dóminus noster, * quàm admirábile est nomen tuum in universa terra!

*Psalmus* 18.

CŒli enarrant glóriam Dei, * & ópera mánuum ejus annúntiat firmamentum.

Dies diei eructat verbum, * & nox nocti índicat sciéntiá.

Non sunt loquélæ, neque sermónes; * quorum non audiantur voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum, * & in fines orbis terræ verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum: * & ipse tanquam sponsus procédens de thálamo suo.

Exultávit ut gigas ad currendam viam; * a summo cœlo egréssio ejus.

Et occursus ejus usque ad summum ejus: * nec est qui se abscondat à calóre ejus.

Lex Dómini immaculáta, convertens ánimas: * testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.

Justítiæ Dómini rectæ, lætificantes corda: * præceptum Dómini lúcidum illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus, pérmanens in séculum séculi: * judícia Dómini vera, justificáta in semetipsa.

Desiderabília super aurum & lápidem pretiósum multum. * & dulcióra super mel & favum.

Etenim servus tuus custódit ea; * in custodiendis illis retribútio multa.

Delicta quis intélligit? ab occultis meis munda me: * & ab aliénis parce servo tuo.

Si mei non fuerint dominàti, tunc immaculátus ero, * & emundábor à delicto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei: * & meditátio cordis mei in conspectu tuo semper.

Dómine, adjútor meus, * & redemptor meus.

Glória Patri, &c.

*Psalmus* 44.

ERuctávit cor meum verbum bonum: * dico ego ópera mea regi.

Lingua mea cálamus scribæ * velóciter scribentis.

Speciósus formâ præ fíliis hóminum, diffúsa est grátia in lábiis tuis: * propterea benedíxit te Deus in æternum.

Accíngere gládio tuo super femur tuum, * Potentíssime.

Spécie tuâ & pulchritúdine tuâ, * intende, prósperè procéde, & regna.

Propter veritátem, & mansuetúdinem, & justítiam; * & dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagittæ tuæ acútæ, pópuli sub te cadent, * in corda inimicórum regis.

Sedes tua, Deus, in séculum séculi: * virga directiónis, virga regni tui.

Dilexísti justítiam, & odísti iniquitátem: * propterea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Myrrha, & gutta, & cásia à vestimentis tuis, à dómibus ebúrneis, * ex quibus delecta-

vérunt te filiæ regum in honóre tuo.

Astitit regína à dextris tuis in vestítu deaurato, * circúmdata varietáte.

Audi, filia, & vide, & inclína aurem tuam, * & oblivíscere pópulum tuum, & domum patris tui.

Et concupíscet rex decórem tuum, * quóniam ipse est Dóminus Deus tuus, & adorábunt eum.

Et filiæ Tyri in munéribus: * vultum tuum deprecabuntur omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus filiæ regis ab intus, * in fimbriis áureis, circumamicta varietátibus.

Adducentur regi vírgines post eam: * próximæ ejus afferentur tibi.

Afferentur in lætítia & exultatióne, * adducentur in templum regis.

Pro pátribus tuis nati sunt tibi filii: * constítues eos príncipes super omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui * in omni generatióne & generatiónem.

Propterèa pópuli confitebuntur tibi in æternum, * & in séculum séculi.

Glória Patri, &c.

*Ant.* Ave, grátiâ plena, Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus. [Alle.] *Luc.* 1.

℣. Audi filia, & vide, inclína aurem: ℟. Et concupíscet rex decórem tuũ *Ps.* 44.

*IN II. NOCTURNO.*

*Feria III. & VI.*

*Ant. Sola* 8. c. Ecce concípies.

*Psalmus* 45.

DEus noster refúgium & virtus: * adjútor in tribulatiónibus quæ invenérunt nos nimis.

Propterèa non timébimus dum turbábitur terra, * & transferentur montes in cor maris.

Sonuérunt & turbátæ sunt aquæ eórũ: * conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei: * sanctificávit tabernáculum suũ Altíssimus.

Deus in médio ejus, non commovébitur: * adjuvábit eam Deus manè dilúculo.

Conturbátæ sunt gentes, & inclinátæ sunt regna: * dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtútum nobíscum, * suscéptor noster Deus Jacob.

Veníte, & vidéte ópera Dómini, quæ pósuit prodígia super terram, * áuferens bella usque ad finem terræ.

Arcum cónteret, & confringet arma: * & scuta combúret igni.

Vacáte, & vidéte quóniam ego sum Deus: * exaltábor in géntibus, & exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobíscum, * suscéptor noster Deus Jacob.

*Psalmus* 71.

DEus, judícium tuum regi da, * & justítiam tuam fílio regis,

Judicáre pópulum tuum in justítia, * & páuperes tuos in judício.

Suscípiant montes pacem pópulo, * & colles justítiam.

Judicábit páuperes pópuli,

& salvos fáciet filios páuperum, * & humiliábit calumniatórem.

Et permanébit cum sole & ante lunam, * in generatiónē & generatiónem.

Descendet sicut plúvia in vellus,* & sicut stillicídia stillántia super terram.

Oriétur in diébus ejus justítia, & abundántia pacis, * donec auferátur luna.

Et dominábitur à mari usque ad mare, * & à flúmine usque ad términos orbis terrárum.

Coram illo procident Æthíopes, * & inimíci ejus terram lingent.

Reges Tharsis & ínsulæ múnera offerent; * reges Arabum & Saba dona addúcent.

Et adorábunt eum omnes reges terræ: * omnes gentes sérvient ei.

Quia liberábit páuperem à potente, * & páuperem cui non erat adjútor.

Parcet páuperi & ínopi; * & ánimas páuperum salvas fáciet.

Ex usúris & iniquitáte rédimet ánimas eórum: * & honorábile nomen eórum coram illo.

Et vivet, & dábitur ei de auro Arábiæ, & adorábunt de ipso semper: * totâ die benedícent ei.

Et erit firmamentum in terra in summis móntium, superextollétur super Líbanum fructus ejus: * & florébunt de civitáte sicut fœnum terræ.

Sit nomen ejus benedíctum in sécula: * ante solem pérmanet nomen ejus.

Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ: * omnes gentes magnificábunt eum.

Benedíctus Dóminus Deus Israël, * qui facit mirabília solus.

Et benedíctum nomen majestátis ejus in æternum; * & replébitur majestáte ejus omnis terra: Fiat, fiat.

*Psalmus* 84.

BEnedixísti, Dómine, terram tuam, * avertísti captivitátem Jacob.

Remisísti iniquitátem plebis tuæ, * operuísti ómnia peccáta eórum.

Mitigásti omnem iram tuā, * avertísti ab ira indignatiónis tuæ.

Converte nos, Deus salutáris noster, * & averte iram tuam à nobis.

Numquid in æternum irascéris nobis? * aut extendes iram tuam à generatióne in generatiónem?

Deus, tu conversus vivificábis nos, * & plebs tua lætábitur in te.

Ostende nobis, Dómine, misericórdiam tuam, * & salutáre tuum da nobis.

Audiam quid loquátur in me Dóminus Deus; * quóniam loquétur pacem in plebem suam.

Et super sanctos suos; * & in eos qui convertuntur ad cor.

Verúmtamen prope timéntes eum salutáre ipsius, * ut inhábitet glória in terra nostra.

Misericórdia & véritas obviavérunt sibi: * justítia & pax osculáta sunt.

Véritas de terra orta est, * & justítia de cœlo prospexit.

Etenim Dóminus dabit be-

nignitátem ; * & terra noſtra dabit fructum ſuum.

Juſtítia ante eum ambulábit ; * & ponet in via greſſus ſuos.

Glória Patri, &c.

*Ant.* Ecce concípies in útero, & páries Fílium ; & vocábis nomen ejus Jeſum. [ Allelúia. ] *Luc.* 1.

℣. Anima mea exultábit in Dómino ; ℟. Et delectábitur ſuper ſalutári ſuo. *Pſ.* 34.

*IN III. NOCTURNO.*

*Feria IV. & Sabbato.*

*Ant. ſol.* 2. D. Quod naſcétur.

*Pſalmus* 86.

FUndamenta ejus in móntibus ſanctis : * díligit Dóminus portas Sion ſuper ómnia tabernácula Jacob.

Glorióſa dicta ſunt de te, * cívitas Dei.

Memor ero Rahab & Babylónis, * ſciéntium me.

Ecce alienígenæ & Tyrus, & pópulus Æthíopum ; * hi fuérunt illic.

Numquid Sion dicet : Homo, & homo natus eſt in ea, * & ipſe fundávit eam Altíſſimus ?

Dóminus narrábit in ſcriptúris populórum & príncipũ ; * horum qui fúerunt in ea.

Sicut lætántium ómnium * habitátio eſt in te.

*Pſalmus* 96.

DOminus regnávit, exultet terra, * lætentur ínſulæ multæ.

Nubes & calígo in circúitu ejus ; * juſtítia & judícium corréctio ſedis ejus.

Ignis ante ipſum præcédet, * & inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ, * vidit, & commóta eſt terra.

Montes ſicut cera fluxérunt à fácie Dómini, * à fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cœli juſtítiam ejus ; * & vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundantur omnes qui adórant ſculptília, * & qui gloriantur in ſimulácris ſuis.

Adoráte eum, omnes Angeli ejus : * audívit, & lætáta eſt Sion.

Et exultavérunt fíliæ Judæ, * propter judícia tua, Dómine.

Quóniam tu Dóminus Altíſſimus ſuper omnem terram : * nimis exaltátus es ſuper omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odite malum : * cuſtódit Dóminus ánimas ſanctórum ſuórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta eſt juſto, * & rectis corde lætítia.

Lætámini, juſti, in Dómino ; * & confitémini memoriæ ſanctificatiónis ejus.

*Pſalmus* 97.

CAntáte Dómino, cánticum novum, * quia mirabilia fecit.

Salvávit ſibi déxtera ejus, * & bráchium ſanctum ejus.

Notum fecit Dóminus ſalutáre ſuum ; * in conſpectu géntium revelávit juſtítiam ſuam.

Recordátus eſt miſericórdiæ ſuæ, * & veritátis ſuæ dómui Iſraël.

Vidérunt omnes términi terræ, * ſalutáre Dei noſtri.

Jubiláte Deo, omnis terra ; *

* cantáte, & exultáte. & psállite.

Psállite Dómino in cíthara, in cíthara, & voce psalmi ; * in tubis ductílibus, & voce tubæ córneæ.

Jubiláte in conspectu regis Dómini, moveátur mare & plenitúdo ejus, * orbis terrárum, & qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu, símul montes exultábunt à conspéctu Dómini, * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in justítia, * & pópulos in æquitáte.

Glória Patri, &c.

*Ant.* Quod nascétur ex te Sanctum vocábitur Filius Dei. *Luc.* 1.

℣. Descendet sicut plúvia in vellus ℟. Et replébitur majestáte ejus omnis terra. *Ps.* 71.

Pater noster.

*Absolutio.* Judith. 13.

Nobíscum sit Deus, qui in Ancillâ suâ adimplévit misericórdiam suam quam promísit dómui Israel.

*Bened.* Deus, à quo missus est Angelus Gábriel ad Vírginem Maríam, mittat nobis de cœlis sapiéntiam. *Luc.* 1. *Sap.* 9.

*Lectio j.* Is. 7.

ADjécit Dóminus loqui ad Achaz, dicens: Pete tibi signum à Dómino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum suprà. Et dixit Achaz: Non petam, & non tentábo Dóminum. Et dixit: Audíte ergo, domus David: Numquid parum vobis est molestos esse homínibus, quia molesti estis & Deo meo? Propter hoc dabit Dóminus ipse vobis signum: Ecce Virgo concipiet, & páriet Fílium; & vocábitur nomen ejus Emmánuel. Tu autem.

℟. Audite Domus David: dabit Dóminus ipse vobis signum; * Ecce Virgo concipiet, & páriet Filium, & vocábitur nomen ejus Emmánuel. [ Allelúia, allelúia.] ℣. Christi generátio sic erat: Mater ejus María inventa est in útero habens de Spíritu sancto. Hoc autem totum factum est ut implerétur quod dictum est à Dómino: * Ecce Virgo. *Is.* 7. *Matt.* 1.

*Bened.* Filius Altíssimi quẽ Virgo concépit, & péperit, det nobis filios Dei fieri. *Luc.* 1. *Joan* 1.

*Lectio ij.* Ad Gal. 4.

QUanto témpore hæres párvulus est, nihil differt à servo, cùm sit Dóminus ómnium; sed sub tutóribus & actóribus est, usque ad præfinitum tempus à patre: ita & nos cùm essémus párvuli, sub elementis mundi erámus servientes. At ubi venit plenitúdo témporis, misit Deus Fílium suúm, factum ex mulíere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptiónem filiórum reciperémus. Tu autem.

℟. Quod in eâ natum est de Spíritu sancto est, páriet autem Filium: * Ipse salvum fáciet pópulum suum à peccátis eórum. [ Allelúia, allel. ] ℣. Creávit Dóminus novum super terram, fémina circúm-

dabit virum.* Ipse. *Matth.* 1. *Jerem* 32.

*Bened.* Spíritus sanctus de quo est quod in María natum est, sanctificet nos per ómnia. *Matth.* 1. 1. *Thess.* 5.

*Lectio iij.* Apoc. 11. & 12.

APertum est templum Dei in cœlo, & visa est arca testamenti ejus in templo ejus: & facta sunt fúlgura, & voces, & terræ motus, & grando magna. Et signum magnum apparuit in cœlo: Múlier amicta sole, & luna sub pédibus ejus, & in cápite ejus coróna stellárũ duódecim. Tu.

℟. Misericórdia & véritas obviavérunt sibi: * Véritas de terra orta est, & justítia de cœlo prospexit. [ Allelúia, allelúia. ] ℣. De Maríâ natus est Jesus qui vocátur Christus. * Véritas. Glória Patri. Véritas. *Ps.* 84. *Matth.* 1.

*Non dicitur*, Te Deum. *Si Laudes non sequantur, dicitur hic Oratio*, Concéde. *ut ad Sextam.*

## AD LAUDES.

℣. Deus, in adjutórium, &c. *Ant. sola*, 4. A. Benedicta.

*Psalmus 66.*

DEus miseréatur nostrî, & benedícat nobis; * illúminet vultum suum super nos, & miseréatur nostrî;

Ut cognoscámus in terra viam tuã, * in ómnibus géntibus salutáre tuum.

Confiteántur tibi pópuli, Deus, * confiteántur tibi pópuli omnes.

Lætentur & exultent gentes, quóniam júdicas pópulos in æquitáte, * & gentes in terra dirigis.

Confiteántur tibi pópuli, Deus, confiteántur tibi pópuli omnes: * terra dedit fructum suum.

Benedícat nos Deus, Deus noster, benedícat nos Deus; * & métuant eum omnes fines terræ.

Glória Patri, &c.

*Psalmus 92.*

DOminus regnávit, decórem indútus est: * indútus est Dñus fortitúdinem, & præcinxit se.

Etenim firmávit orbem terræ, * qui non commovébitur.

Paráta sedes tua ex tunc: * à século tu es.

Elevavérunt flúmina, Dómine: * elevavérunt flúmina vocem suam.

Elevavérunt flúmina fluctus suos, * à vócibus aquárum multárum.

Mirábiles elatiónes maris: * mirábilis in altis Dóminus.

Testimónia tua credíbilia facta sunt nimis: * domum tuam decet sanctitúdo, Dómine, in longitúdinem diérum.

*Psalmus 99.*

JUbiláte Deo, omnis terra, * servíte Dómino in lætítia.

Introíte in conspectu ejus, * in exultatióne.

Scitóte quóniam Dóminus ipse est Deus: * ipse fecit nos, & non ipsi nos.

Pópulus ejus, & oves páscuæ ejus, introíte portas ejus in confessióne, átria ejus in hymnis: * confitémini illi.

Laudáte nomen ejus, quó-

niam ſuavis eſt Dóminus, in æternum miſericórdia ejus, * & uſque in generatiónem & generatiónem véritas ejus.

Glória Patri, &c.

*Canticum.* Zach. 2.

LAuda & lætáre, fília Sion; * quia ecce ego vénio, & habitábo in médio tuî, ait Dóminus.

Et applicabuntur gentes multæ ad Dóminum in die illa, * & erunt mihi in pópulum, & habitábo in médio tuî.

Et ſcies quia Dóminus exercítuum * miſit me ad te.

Et poſſidébit Dóminus Judam partem ſuam in terra ſanctificáta; * & éliget adhuc Jerúſalem.

Síleat omnis caro à fácie Dómini, * quia conſurrexit de habitáculo ſancto ſuo.

Glória Patri, &c.

*Pſalmus* 150.

LAudáte Dóminum in ſanctis ejus: * laudáte eum in firmamento virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus: * laudáte eum ſecundùm multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in ſono tubæ: * laudáte eum in pſaltério & cíthara.

Laudáte eum in tympano & choro: * laudáte eum in chordis & órgano.

Laudáte eum in cymbalis beneſonantibus; laudáte eum in cymbalis jubilatiónis: * omnis ſpíritus laudet Dóminum.

Glória Patri, &c.

*Ant.* Benedícta tu inter mulíeres, & benedíctus fructus ventris tui. Allelúia. *Luc.* 1.

*Capitulum.* Cant. 6.

QUæ eſt iſta quæ progréditur quaſi aurora conſurgens, pulchra ut luna, elécta ut ſol, terríbilis ut caſtrórum ácies ordináta.

*Hymnus.*

NUNC auróra, novæ núntia lucis,
Triſtes orbe procul díſſipat umbras.
O quàm lucídior, nocte ſepultis
Portans ipſa diem, Virgo refulges!
O QUÆ nunc hábitas lúcida regna,
Mittas inde tuæ múnera lucis:
Te ſi terra dedit munus olympo,
Quæ non dona memor reddet olympus?
INTER perpétuos Núminis hauſtus,
O Regína, tibi ſánguine junctum
Ne dediſce genus: noſtra fuiſti,
Summi facta parens, Virgo, tonantis.
DIVINÆ Sóboli qui dare matrem
In terris vóluit, glória Patri:
Cujus Virgo parens, glória Nato:
Quo fœcunda, tibi glória, Flamen. Amen.

℣. Deus in médio ejus, ℟. Non commovébitur. *Pſ.* 45.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 8. G.

Multæ filiæ congregavérunt divitias, tu supergressa es universas. [ Allelúia. ] *Prov.* 31.

*Oratio.*

DEus, qui de Beátæ Maríæ Vírginis útero Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscípere voluísti: præsta supplícibus tuis, ut qui verè eam Genitrícem Dei crédimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur; Per eumdem Dóminum.

## AD PRIMAM.

*Hymnus.*

MEMENTO, de Deo Deus, Quòd matre natus Vírgine,
Nostri misertus, pérditi
Mundi redemptor véneris.

Et nos, Dei Virgo parens, Vultu benigno réspice:
Placábilem tuâ prece
Fac esse nobis Fílium.

Qui natus es de Vírgine, Jesu, tibi sit glória
Cum Patre, cumque Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.

*Ant.* 7. d. In omni.

*Psalmus* 53.

DEus, in nómine tuo salvum me fac, * & in virtúte tua júdica me.

Deus, exaudi oratiónem meam; * áuribus pércipe verba oris mei:

Quóniam aliéni insurrexérunt adversùm me, & fortes quæsiérunt ánimam meam, * & non proposuérunt Deum ante conspectum suum:

Ecce enim Deus ádjuvat me, * & Dóminus suscéptor est ánimæ meæ.

Averte mala inimícis meis, * & in veritáte tua dispérde illos.

Voluntáriè sacrificábo tibi; * & confitébor nómini tuo, Dómine, quóniam bonum est.

Quóniam ex omni tribulatióne eripuísti me, * & super inimícos meos despexit óculus meus.

*Psalmus* 95.

CAntáte Dómino cánticum novum: * cantáte Dómino omnis terra.

Cantáte Dómino, & benedícite nómini ejus; * annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Annuntiáte inter gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus;

Quóniam magnus Dóminus, & laudábilis nimis; * terríbilis est super omnes deos:

Quóniam omnes dii géntium dæmónia; * Dóminus autem cœlos fecit.

Conféssio & pulchritúdo in conspectu ejus, * sanctimónia & magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Afférte Dómino, pátriæ géntium, afférte Dño glóriam & honórem; * afférte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias, & introíte in átria ejus; * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commoveátur à fácie ejus universa terra: * dícite in géntibus quia Dóminus regnávit.

Etenim correxit orbem terræ, qui non commovébitur: * judicábit pópulos in æquitáte.

Lætentur cœli & exultet terra, commoveátur mare &

plenitúdo ejus : * gaudébunt campi, & ómnia quæ in eis sunt.

Tunc exultábunt ómnia ligna sylvárum à fácie Dómini, quia venit ; * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terræ in æquitáte, & * pópulos in veritáte sua.

*Psalmus* 116.

LAudáte Dóminum, omnes gentes:* laudáte eum, omnes pópuli.

Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus ; * & véritas Dómini manet in æternum.

Glória Patri, &c.

*Ant.* In omni gente quæ audíerit nomen tuum, magnificábitur super te Deus Israel. [ Allelúia. ] *Judith.* 13.

*Capitulum.* Eccli. 24.

IN Sion firmáta sum, & in civitáte sanctificátâ símiliter requiévi, & in Jerúsalem potestas mea, & in parte Dei mei hæréditas illíus, & in plenitúdine Sanctórum deténtio mea.

℟. *br.* Spécie tuâ, * Et pulchritúdine tuâ intende. * Allelúia, allel. Spécie. ℣. Próspere procéde, & regna : * Et pulchritúdine. *Temp. Pasch. Reclamatio fit ad* * Allelúia. Glória. Spécie.

℣. Omnis glória filiæ Regis ab intus ; ℟. In fimbriis áureis circumamícta varietátibus. *Ps.* 44.

*Oratio.*

PRótege, Domine, fámulos tuos subsídiis pacis, & Beátæ Maríæ semper Vírginis patrocíniis confidentes à cunctis hóstibus & periculis redde secúros ; Per Dominum.

AD TERTIAM.

*Hymnus.*

MEMENTO. *ut ad Primam.*

*Ant.* 1. f. Benedictus.

*Psalmus* 119.

AD Dóminum, cùm tribulárer, clamávi, * & exaudívit me.

Dómine, líbera ánimam meam à lábiis iníquis, * & à lingua dolósa.

Quid detur tibi, aut quid apponátur tibi * ad linguam dolósam ?

Sagittæ potentis acútæ, * cum carbónibus desolatóriis.

Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus est ! habívi cum habitántibus Cedar ; * multùm íncola fuit ánima mea.

Cum his qui odérunt pacem, eram pacíficus ; * cùm loquébar illis, impugnábant me gratis.

*Psalmus* 120.

LEvávi óculos meos in montes, * unde véniet auxílium mihi.

Auxílium meum à Dómino, * qui fecit cœlum & terram.

Non det in commotiónem pedem tuum ; * neque dormítet qui custódit te.

Ecce non dormitábit neque dórmiet, * qui custódit Israel.

Dóminus custódit te, Dóminus protéctio tua * super manum déxteram tuam.

Per diem sol non uret te, * neque luna per noctem.

Dóminus custódit te ab omni malo : * custódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus custódiat introítum tuum & éxitum tuum, * ex hoc nunc, & usque in séculum.

*Psalmus* 121.

LÆtátus sum in his quæ dicta sunt mihi: * In domum Dómini íbimus.

Stantes erant pedes nostri * in átriis tuis, Jerúsalem.

Jerúsalem quæ ædificátur ut cívitas, * cujus participátio ejus in idipsum.

Illuc enim ascendérunt tribus, tribus Dómini, * testimónium Israel, ad confitendum nómini Dómini.

Quia illic sedérunt sedes in judício, * sedes super domum David.

Rogáte quæ ad pacem sunt Jerúsalem, * & abundántia diligéntibus te.

Fiat pax in virtúte tua, * & abundántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos & próximos meos, * loquébar pacem de te.

Propter domum Dñi Dei nostri, * quæsívi bona tibi.

*Ant.* Benedíctus Dóminus qui te direxit in vúlnera cápitis príncipis inimicórum nostrórum. Allelúia. *Judith.* 13.

*Capitulum.* Galat. 4.

UBi venit plenitúdo témporis, misit Deus Fílium suum, factum ex muliere, factum sub lege; ut eos qui sub lege erant redímeret, ut adoptiónem filiórum recipémus.

℟. *br.* Recordátus est Dñus * Misericórdiæ suæ. * Allelúia, allelúia. Recordátus. ℣. Et veritátis suæ dómui Israel. * Misericórdiæ. *Tempore Paschali, fit Reclamatio ad* * Allelúia. Glória. Recordátus.

℣. Deus operátus est salútem in médio terræ. ℟. Tu confregísti cápita dracónis. *Ps.* 73.

*Oratio.*

DEus, qui salútis æternæ, Beátæ Maríæ virginitáte fœcundâ, humáno géneri præmia præstitísti: tríbue, quæsumus, ut ipsam pro nobis intercédere sentiámus, per quã merúimus auctórem vitæ suscípere Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum; Qui tecum.

## AD SEXTAM.

*Hymnus.*

MEMENTO. *ut ad Primam.*

*Ant.* 3. *a.* Beáta.

*Psalmus* 122.

AD te levávi óculos meos, * qui hábitas in cœlis.

Ecce sicut óculi servórum * in mánibus dominórum suórum:

Sicut óculi ancíllæ in mánibus dóminæ suæ: * ita óculi nostri ad Dóminum Deum nostrum, donec misereátur nostrî.

Miserére nostrî, Dómine, miserére nostrî; * quia multùm repléti sumus despectióne.

Quia multùm repléta est ánima nostra, * oppróbrium abundántibus, & despéctio superbis.

*Psalmus* 123.

NIsi quia Dóminus erat in nobis, dicat nunc Israel: * Nisi quia Dñus erat in nobis.

Cùm exúrgerent hómines in nos, * fortè vivos deglutíssent nos;

Cùm irascerétur furor eó-

rum in nos, * fórsitan aqua absorbuísset nos.

Torrentem pertransívit ánima nostra, * fórsitan pertransísset ánima nostra aquam intolerábilem.

Benedíctus Dóminus, * qui non dedit nos in captiónem déntibus eórum.

Anima nostra sicut passer erepta est * de láqueo venántium.

Láqueus contrítus est, * & nos liberáti sumus.

Adjutórium nostrum in nómine Dómini, * qui fecit cœlum & terram.

*Psalmus* 124.

QUi confidunt in Dómino sicut mons Sion : * non commovébitur in ætérnum, qui hábitat in Jerúsalem :

Montes in circúitu ejus ; * & Dñus in circúitu pópuli sui ex hoc nunc, & usque in séculum :

Quia non relínquet Dóminus virgam peccatórum super sortem justórum, * ut non extendant justi ad iniquitátem manus suas.

Bénefac, Dómine, bonis, * & rectis corde.

Declinantes autem in obligatiónes addúcet Dóminus cum operántibus iniquitátem; * pax super Israel.

*Ant.* Beáta, quæ credidísti quóniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Dómino. *Luc.* 1.

*Capitulum.* Eccli. 24.

PRæcépit & dixit mihi Creátor ómnium : & qui creávit me requiévit in tabernáculo meo.

℟. *br.* Homo * Natus est in ea. * Allelúia, allelúia. Homo. ℣. Et ipse fundávit eam Altíssimus. * Allelúia. Glória. Homo. *Ps.* 86.

℣. Elégit eam Dóminus, ℟. In habitatiónē sibi. *Ps.* 131.

*Oratio.*

COncéde, miséricors Deus, fragilitáti nostræ præsídium : ut qui sanctæ Dei Genitrícis memóriam ágimus, intercessiónis ejus auxílio, à nostris iniquitátibus resurgámus ; Per eumdem.

## AD NONAM.

*Hymnus.*

MEMENTO. *ut ad Primam.*

*Ant.* 1. a. Tu glória.

*Psalmus* 125.

IN convertendo Dóminus captivitátem Sion, * facti sumus sicut consoláti.

Tunc replétum est gáudio os nostrum, & * lingua nostra exultatióne.

Tunc dicent inter gentes : * Magnificávit Dóminus fácere cum eis.

Magnificávit Dóminus fácere nobíscum : * facti sumus lætantes.

Converte, Dómine, captivitátem nostram, * sicut torrens in austro.

Qui séminant in lácrymis, * in exultatióne metent.

Euntes ibant & flebant, * mittentes sémina sua.

Venientes autem vénient cum exultatióne * portantes manipulos suos.

*Psalmus* 126.

NIsi Dóminus ædificáverit domum, * in vanum laboravérunt qui ædificant eā.

Nisi Dóminus custodíerit civitátem, * frustra vigilat qui custódit eam.

Vanum est vobis ante lucem súrgere : * súrgite postquam sedéritis, qui manducátis panem dolóris.

Cùm déderit dilectis suis somnum : ecce hæréditas Dómini, filii ; * merces, fructus ventris.

Sicut sagittæ in manu potentis, * ita filii excussórum.

Beátus vir qui implévit desidérium suum ex ipsis ; * non confundétur cùm loquétur inimícis suis in porta.

*Psalmus* 127.

BEáti omnes qui timent Dóminum, * qui ámbulant in viis ejus.

Labóres mánuum tuárum quia manducábis ; * beátus es, & bene tibi erit.

Uxor tua sicut vitis abundans, * in latéribus domûs tuæ.

Filii tui sicut novellæ olivárum, * in circúitu mensæ tuæ.

Ecce sic benedicétur homo, * qui timet Dóminum.

Benedicat tibi Dóminus ex Sion ; * & vídeas bona Jerúsalẽ ómnibus diébus vitæ tuæ.

Et vídeas filios filiórũ tuórum, * pacem super Israel.

*Ant.* Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israel, tu honorificéntia pópuli nostri. *Judith.* 15.

*Capitulum.* Judith. 13.

NOmen tuum Dñus ita magnificávit ut non recédat laus tua de ore hóminum, qui mémores fuerint virtútis Dómini in æternum.

℟. *br.* Vultum tuũ * Deprecabuntur. * Allelúia, allelúia. Vultum. ℣. Omnes dívites plebis * Allelúia, allelúia. Gloria Patri. Vultum. *Ps.* 44.

℣. Mémores erunt nóminis tui. ℟. In omni generatióne & generatiónem. *Ps.* 44.

*Oratio.*

FAmulórum tuórum, quæsumus, Dómine, delictis ignósce ; ut qui tibi placére de áctibus nostris non valémus, Genitrícis Fílii tui Dómini nostri intercessióne salvémur ; Per eumdem.

AD VESPERAS.

℣. Deus in adjutórium meũ intende, &c.

*Ant. Jola*, 5. a. Benedicta.

*Psalmus* 109.

DIxit Dóminus Dómino meo : * Sede à dextris meis ;

Donec ponã inimícos tuos * scabellum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emittet Dóminus ex Sion : * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus Sanctórum : * ex útero ante lucíferum génui te.

Juravit Dóminus, & non pœnitébit eum : * Tu es Sacerdos in æternum secundùm órdinem Melchisedech.

Dóminus à dextris tuis, * confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas, * conquassábit cápita in terra multórum,

De torrente in via bibet, * propterèa exaltábit caput.

Glória Patri, &c.

*Psalmus*

*Psalmus* 112.

LAudáte, púeri, Dóminum, * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum, * ex hoc nunc, & usque in séculum.

A solis ortu usque ad occásum, * laudábile nomen Dómini.

Excelsus super omnes gentes Dóminus, * & super cœlos glória ejus.

Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat, * & humília réspicit in cœlo & in terra?

Súscitans à terra ínopem, * & de stércore érigens páuperem,

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui;

Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiórum lætantem.

*Psalmus* 121.

LÆtátus sum in his quæ dicta sunt mihi: * In domum Dómini íbimus.

Stantes erant pedes nostri * in atriis tuis, Jerúsalem;

Jerúsalem quæ ædificátur ut cívitas, * cujus participátio ejus in idipsum.

Illuc enim ascendérunt tribus, tribus Dómini; * testimónium Israel, ad confitendum nómini Dómini:

Quia illic sedérunt sedes in judício, * sedes super domum David.

Rogáte quæ ad pacem sunt Jerúsalem, * & abundántia diligéntibus te.

Fiat pax in virtúte tua, * & abundántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos & próximos meos, * loquébar pacem de te.

Propter domum Dómini Dei nostri, * quæsívi bona tibi.

*Psalmus* 126.

NIsi Dóminus ædificáverit domum, * in vanum laboravérunt qui ædificant eã.

Nisi Dóminus custodíerit civitátem, * frustrà vígilat qui custódit eam.

Vanum est vobis ante lucem súrgere: * súrgite postquam sedéritis, qui manducátis panem dolóris.

Cùm déderit dilectis suis somnum: ecce hæréditas Dómini, filii; * merces, fructus ventris.

Sicut sagittæ in manu potentis, * ita filii excussórum.

Beátus vir qui implévit desidérium suum ex ipsis; * non confundétur cùm loquétur inimícis suis in porta.

*Psalmus* 147.

LAuda, Jerúsalem, Dóminum: * lauda Deum tuũ, Sion;

Quóniam confortávit seras portárum tuárum; * benedixit filiis tuis in te.

Qui pósuit fines tuos pacem, * & ádipe frumenti sátiat te.

Qui emittit elóquium suum terræ, * velóciter currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut lanam, * nébulam sicut cinerem spargit.

Mittit crystallum suam sicut buccellas; * ante fáciem frígoris ejus quis sustinébit?

Emittet verbum suum, & li-

quefáciet ea; * flabit ſpíritus ejus, & fluent aquæ.

Qui annúntiat verbum ſuum Jacob, * juſtítias & judícia ſua Iſrael;

Non fecit táliter omni natióni, * & judícia ſua non manifeſtávit eis.

*Ant.* Benedícta tu à Deo tuo in omni tabernáculo Jacob. [ Allelúia. ] *Judith.* 13.

*Capitulum.* Apoc. 12.

SIgnum magnum appáruit in cœlo, múlier amícta ſole, & luna ſub pédibus ejus, & in cápite ejus coróna ſtellárum duódecim.

*Hymnus.*

AVE, maris ſtella,
Dei mater alma,
Atque ſemper Virgo,
Felix cœli porta.

SUMENS illud Ave
Gabriélis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Evæ nomen.

SOLVE vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala noſtra pelle,
Bona cuncta poſce.

MONSTRA te eſſe matrem;
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus,
Tulit eſſe tuus.

VIRGO ſinguláris,
Inter omnes mitis,
Nos culpis ſolútos,
Mites fac & caſtos.

VITAM præſta puram,
Iter para tutum;
Ut videntes Jeſum,
Semper collætémur.

SIT laus Deo Patri,
Summo Chriſto decus,
Spirítui ſancto;
Tribus honor unus. Amen.

℣. Aſtitit Regina à dextris tuis, ℟. In veſtitu deaurato circumdata varietáte. *Pſ.* 44.

*Ad* Magníficat. 3. a. Fecit mihi magna qui potens eſt; ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes. [ Allelúia. ]

*Oratio.*

COrdibus noſtris, quæſumus, Dómine, grátiam tuam benignus infunde; & intercedente ſanctiſſimâ Dei genitríce Maríâ, córpora noſtra caſtitáte, & mentes noſtras humilitáte & caritáte ſanctifica; Per eumdem.

AD COMPLETORIUM.

℣. Converte nos, Deus.
℣. Deus, in adjutórium.
*Ant.* 8. c. Ait Angelus ei.

*Pſalmus* 128.

SÆpe expugnavérunt me à juventúte meâ, * dicat nunc Iſrael.

Sæpe expugnavérunt me à juventúte meâ: * étenim non potuérunt mihi.

Supra dorſum meum fabricavérunt peccatóres, * prolongavérunt iniquitátem ſuam.

Dóminus juſtus concídit cervíces peccatórum: * confundantur & convertantur retrorſum, omnes qui odérunt Sion.

Fiant ſicut fœnum tectórum, * quod priuſquam evellátur, exáruit:

De quo non implévit manum ſuam qui metit: * & ſinum ſuum qui manípulos cólligit.

Et non dixérunt qui præteríbant: Benedíctio Dómini ſuper vos, * benedíximus vobis in nómine Dómini.

*Psalmus* 129.

DE profundis clamávi ad te, Dómine: * Dómine, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes * in vocẽ deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes obſerváveris, Dñe, * Dñe, quis ſuſtinébit?

Quia apud te propitiátio eſt, * & propter legem tuam ſuſtínui te, Dómine.

Suſtínuit ánima mea in verbo ejus: * ſperávit ánima mea in Dómino.

A cuſtódia matutína uſque ad noctem, * ſperet Iſrael in Dómino.

Quia apud Dóminum miſericórdia, * & copióſa apud eum redémptio;

Et ipſe rédimet Iſrael * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

*Psalmus* 120.

DOmine, non eſt exaltátum cor meum, * neque elati ſunt óculi mei.

Neque ambulávi in magnis, * neque in mirabílibus ſuper me.

Si non humíliter ſentiébam, * ſed exaltávi ánimam meam.

Sicut ablactátus eſt ſuper matre ſua, * ita retribútio in ánima mea.

Speret Iſrael in Dño, * ex hoc, nunc, & uſque in ſéculũ.

*Ant.* Ait Angelus ei: Ne tímeas, María: invenísti enim grátiam apud Deum. [ Allelúia. ] *Luc* 1.

*Hymnus.*

VIRGO Dei génitrix, quem totus non capit orbis,
In tua ſe clauſit víſcera, factus homo.

HINC mérito dicent te sécula cuncta beátam:
Hinc pópuli matrem te domínamque colunt,
SUSCIPE, quos pia plebs tibi péndere certat, honóres:
Annue, ſollicitâ quam prece poſcit, opem.

GLORIA magna Patri: compar ſit glória Nato:
Ambórum tibi par, Spíritus alme, decus.
Amen.

*Capitulum.* Eccli. 24.

EGO mater pulchræ dilectiónis, & timóris, & agnitiónis, & ſanctæ ſpei.

℟. *br.* Invoca Dóminum, * Lóquere Regi pro nobis. [ * Allelúia, allelúia. ] invoca. ℣. Et libera nos de morte. * Lóquere. [ *vel* Allelúia. ] Glória. Invoca. *Eſther.* 15.

℣. Diffúſa eſt grátia in lábiis tuis. ℟. Propterea benedixit te Deus in ætérnũ. *Pſ.* 45.

*Ad* Nunc dimittis. *Ant.* 7. d. Sub tuum præsídium confúgimus ſancta Dei Génitrix: noſtras deprecatiónes ne deſpícias in neceſſitátibus; ſed à perículis cunctis líbera nos ſemper, Virgo gloriósa & benedícta. [ Allelúia. ]

*Oratio.*

BEátæ & gloriósæ ſemperque Virginis Maríæ, quæſumus, Dómine, intercéſſio gloriósa nos prótegat, & ad vitam perdúcat ætérnam; Per.

*PROSA DE BEATA.*

INVIOLATA, integra & caſta es, María:
Quæ es effecta fúlgida cœli porta.

O MATER alma Chriſti caríſſima,
Súſcipe pia laudum præcónia.

NOSTRA ut pura péctora sint & córpora,
Te nunc flágitant devóta corda & ora.
TUA per precáta dulcísona,
Nobis concédas véniam per sécula.
O BENIGNA! O Regina! O María!
Quæ sola inviolata permansísti.

℣. Post partum, Virgo, inviolata permansísti: ℟. Dei Génitrix intercéde pro nobis.

*Oratio.*

FAmulórum tuórum, quæsumus, Dómine, delíctis ignósce; ut qui tibi placére de áctibus nostris non valémus, Genitrícis Fílii tui Dómini nostri intercessióne salvémur; Per eumdem Dóminum nostrum Jesum Christum, Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritus sancti, Deus; Per ómnia, &c.

*ANTIPHONA ad devotionem.*

BEáta Dei Génitrix María, Virgo perpétua: templum Dómini, sacrárium Spíritus sancti: sola sine exemplo, placuísti Dómino nostro Jesu Christo: succurre míseris, réfove flébiles, juva pusillánimes: ora pro pópulo, interveni pro Clero, intercéde pro devóto fæmíneo sexu: sentiant omnes tuum juvámen, quicumque célebrant tuam sanctam commemoratiónem.

℣. Dignáre me laudáre te, Virgo sacráta: ℟. Da mihi virtútem contra hostes tuos.

*Oratio.*

CONcéde, miséricors Deus, fragilitáti nostræ præsídium; ut qui sanctæ Dei Genitrícis memóriam ágimus, intercessiónis ejus auxílio, a nostris iniquitátibus resurgámus; Per.

# PSALMI PŒNITENTIALES.

*Psalmus 6.*

DOmine, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me.

Miserére mei, Dómine, quóniam infirmus sum: * sana me, Dómine, quóniam conturbáta sunt ossa mea.

Et ánima mea turbáta est valdè; * sed tu Dñe, úsquequò?

Convértere, Dómine, & éripe ánimam meam: * salvum me fac, propter misericórdiam tuam;

Quóniam non est in morte qui memor sit tui: * in inferno autem quis confitébitur tibi?

Laborávi in gémitu meo, lavábo per síngulas nóctes lectum meum, * lácrymis meis stratum meum rigábo.

Turbátus est à furóre óculus meus, * inveterávi inter ómnes inimícos meos.

Discédite à me, omnes qui operámini iniquitátem, * quóniam exaudívit Dóminus vocem fletûs mei.

Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam: * Dóminus oratiónem meam suscépit.

Erubescant & conturbentur vehementer omnes inimici mei: * convertantur & erubescant valdè velóciter.

*Psalmus* 31.

BEáti quorum remissæ sunt iniquitátes, * & quorum tecta sunt peccáta.

Beátus vir cui non imputávit Dóminus peccátum, * nec est in spíritu ejus dolus.

Quóniam tácui inveteravérunt ossa mea, * dum clamárem totâ die.

Quóniam die ac nocte graváta est super me manus tua, * conversus sum in ærumna mea, dum confígitur spina.

Delictum meum cógnitum tibi feci, * & injustítiam meã non abscondi.

Dixi: Confitébor adversùm me injustítiam meã Dómino; * & tu remisísti impietátem peccáti mei.

Pro hac orábit ad te omnis sanctus * in témpore opportúno.

Verúmtamen in dilúvio aquárum multárum, * ad eum non approximábunt.

Tu es refúgium meum à tribulatióne quæ circúmdedit me: * exultátio mea, érue me à circumdántibus me.

Intellectum tibi dabo, & ínstruam te in via hac quâ gradiéris: * firmábo super te óculos meos.

Nolíte fieri sicut equus & mulus, * quibus non est intellectus.

In camo & fræno maxillas eórum constringe, * qui non approximant ad te.

Multa flagella peccatóris, * sperantem autem in Dómino misericórdia circúmdabit.

Lætámini in Dómino, & exultáte justi; * & gloriámini, omnes recti corde.

*Psalmus* 37.

DOmine, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me;

Quóniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, * & confirmásti super me manum tuam.

Non est sánitas in carne mea à fácie iræ tuæ: * non est pax óssibus meis à fácie peccatórum meórum.

Quóniam iniquitátes meæ supergressæ sunt caput meum; * & sicut onus grave gravátæ sunt super me.

Putruérunt & corruptæ sunt cicatrices meæ, * à fácie insipiéntiæ meæ.

Miser factus sum, & curvátus sum usque in finem: * totâ die contristátus ingrediébar.

Quóniam lumbi mei implèti sunt illusiónibus; * & non est sánitas in carne mea.

Afflictus sum & humiliátus sum nimis: * rugiébam à gémitu cordis mei.

Dómine, ante te omne desidérium meum; * & gémitus meus à te non est abscónditus.

Cor meum conturbátum est, dereliquit me virtus mea; * & lumen oculórum meórum, & ipsum non est mecum.

Amíci mei & próximi mei * adversùm me appropinquavérunt & stetérunt,

Et qui juxta me erant, de longè stetérunt; * & vim faciébant qui quærébant ánimã meam:

Et qui inquirébant mala mi-

hi, locúti sunt vanitátes, * & dolos totâ die meditabantur.

Ego autem tanquam surdus non audiébam, * & sicut mutus non apériens os suum.

Et factus sum sicut homo non áudiens, * & non habens in ore suo redargutiónes.

Quóniam in te, Dómine, sperávi: * tu exáudies me, Dómine, Deus meus.

Quia dixi: Nequando supergáudeant mihi inimíci mei; * &, dum commoventur pedes mei, super me magna locúti sunt.

Quóniam ego in flagella parátus sum; * & dolor meus in conspéctu meo semper.

Quóniam iniquitátem meã annuntiábo; * & cogitábo pro peccáto meo.

Inimici autem mei vivunt, & confirmáti sunt super me; * & multiplicáti sunt qui odérunt me iniquè.

Qui retribuunt mala pro bonis, detrahébant mihi; * quóniam sequébar bonitátem.

Ne derelinquas me, Dómine Deus meus, * ne discésseris a me.

Intende in adjutórium meũ, * Dómine Deus salútis meæ.

*Psalmus 50.*

Miserére meî, Deus, * secundùm magnam misericórdiam tuam.

Et secundùm multitúdinem miseratiónum tuárum, * dele iniquitátem meam.

Ampliùs lava me ab iniquitáte mea, * & à peccáto meo munda me;

Quóniam iniquitátem meã ego cognósco, * & peccátum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi, & malum coram te feci; * ut justificéris in sermónibus tuis, & vincas cum judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus conceptus sum, * & in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexísti: * incerta & occulta sapiéntiæ tuæ manifestásti mihi.

Aspérges me hyssópo, & mundábor: * lavábis me, & super nivem dealbábor.

Auditui meo dabis gáudium & lætítiam; * & exultábunt ossa humiliáta.

Averte fáciem tuam à peccátis meis, * & omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me Deus; * & spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.

Ne projícias me à fácie tua: * & Spíritum sanctum tuum ne áuferas à me.

Redde mihi lætítiam salutáris tui; * & spíritu principáli confirma me.

Docébo iniquos vias tuas; * & impii ad te convertentur.

Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salútis meæ; * & exultábit lingua mea justítiã tuam.

Dómine, lábia mea apéries: * & os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam si voluísses, sacrifícium dedíssem útique; * holocaustis non delectáberis.

Sacrifícium Deo spíritus contribulátus: * cor contrítum & humiliátum, Deus, non despícies.

Benignè fac, Dómine, in bona voluntáte tua Sion, * ut

ædificentur muri Jerúsalem.

Tunc acceptábis sacrificiũ justítiæ, oblatiónes & holocaústa; * tunc impónent super altáre tuum vítulos.

*Psalmus* 101.

DOmine, exaudi oratiónem meam; * & clamor meus ad te véniat.

Non avertas fáciem tuam à me: * in quacumque die tríbulor, inclína ad me aurem tuam.

In quacumque die invocávero te, * velóciter exaudi me.

Quia defecérunt sicut fumus dies mei, * & ossa mea sicut crémium aruérunt.

Percussus sum ut fœnum, & áruit cor meum: * quia oblítus sum comédere panem meum.

A voce gémitûs mei * adhæsit os meum carni meæ.

Similis factus sum pellicáno solitúdinis: * factus sum sicut nyctícorax in domicilio.

Vigilávi, * & factus sum sicut passer solitárius in tecto.

Totà die exprobrábant mihi inimíci mei; * & qui laudábant me, adversùm me jurábant.

Quia cinerem tanquam panem manducábam, * & potum meum cum fletu miscébam.

A fácie iræ & indignatiónis tuæ; * quia élevans allisísti me.

Dies mei sicut umbra declinavérunt; * & ego sicut fœnum árui.

Tu autẽ, Dómine, in æternum pérmanes; * & memoriále tuum in generatiónem & generatiónem.

Tu exurgens miseréberis Sion, * quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus.

Quóniam placuérunt servis tuis lápides ejus, * & terræ ejus miserebuntur.

Et timébunt gentes nomen tuum, Dómine, * & omnes reges terræ glóriam tuam;

Quia ædificávit Dóminus Sion, * & vidébitur in glória sua.

Respexit in oratiónem humílium, * & non sprevit precem eórum.

Scribantur hæc in generatióne áltera: * & pópulus qui creábitur, laudábit Dóminum;

Quia prospexit de excelso sancto suo: * Dóminus de cœlo in terram aspexit;

Ut audiret gémitus compeditórum, * ut sólveret filios interemptórum;

Ut annúntient in Sion nomen Dómini, * & laudem ejus in Jerúsalem,

In conveniendo pópulos in unum, & reges, * ut sérviant Dómino.

Respondit ei in via virtútis suæ: * Paucitátem diérum meórum núntia mihi.

Ne révoces me dimídio diérum meórum: * in generatiónem & generatiónem anni tui.

Initio tu, Dómine, terram fundásti: * & ópera mánuum tuárum sunt cœli.

Ipsi períbunt; tu autem pérmanes: * & omnes sicut vestiméntum veterascent.

Et sicut opertórium mutábis eos, & mutabuntur: * tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.

Filii servórum tuórum habitábunt ; * & semen eórum in séculum dirigétur.

*Psalmus* 129.

DE profundis clamávi ad te, Dómine : * Dómine, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes * in vocé deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes obsérváveris, Dñe ; * Dñe, quis sustinébit ?

Quia apud te propitiátio est, * & propter legem tuam sustínui te, Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus, * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem, * speret Israel in Dómino ;

Quia apud Dóminum misericórdia, * & copiósa apud eum redémptio ;

Et ipse rédimet Israel * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

*Psalmus* 142.

DOmine, exaudi oratiónem meam; áuribus pércipe obsecratiónem meam in veritáte tua ; * exaudi me in tua justítia.

Et non intres in judícium cum servo tuo ; * quia non justificábitur in conspéctu tuo omnis vivens.

Quia persecútus est inimícus ánimam meam : * humiliávit in terra vitam meam.

Collocávit me in obscúris sicut mórtuos séculi, & anxiátus est super me spíritus meus : * in me turbátum est cor meũ.

Memor fui diérum antiquórum ; meditátus sum in ómnibus opéribus tuis ; * in factis mánuum tuárum meditábar.

Expandi manus meas ad te : * ánima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velóciter exaudi me, Dómine, * defécit spíritus meus.

Non avertas fáciem tuam à me, * & símilis ero descendéntibus in lacum.

Auditam fac mihi manè misericórdiam tuam, * quia in te sperávi.

Notam fac mihi viam, in quâ ámbulem, * quia ad te levávi ánimam meam.

Eripe me de inimícis meis, Dómine; ad te confúgi : * doce me fácere voluntátem tuam, quia Deus meus es tu.

Spíritus tuus bonus dedúcet me in terrã rectam : * propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me in æquitáte tua.

Edúces de tribulatióne ánimã meã : * & in misericórdia tua dispérdes inimícos meos.

Et perdes omnes qui tríbulant ánimam meam : * quóniam ego servus tuus sum.

*Ant.* Dómine, memor esto meî, & ne vindictam sumas de peccátis meis, neque reminiscáris delicta mea, vel parentum meórum. *Tob.* 3.

*LITANIÆ.*

KYrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison. Christe, audi nos. Christe, exaudi nos.

Pater de cœlis Deus, miserére nobis.

Fili Redemptor mundi Deus, miserére nobis.

Spíritus sancte Deus, miserére nobis.

Sancta Trínitas unus Deus, miserére nobis.

Sancta Maria, ora pro nobis.

Sancta Dei Génitrix, ora.

Sancta Virgo virginum, ora.
Sancte Michael, ora.
Sancte Gábriel, ora.
Sancte Ráphael, ora.
Omnes sancti Angeli & Archángeli, oráte pro nobis.
Omnes sancti beatórum Spirituum órdines, oráte pro nobis.
Sancte Joannes baptista, ora.
Sancte Jóseph, ora.
Omnes sancti Patriarchæ & Prophétæ, oráte pro nobis.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andréa, ora.
Sancte Jacóbe, (*Zebed.*) ora.
Sancte Joannes, ora.
Sancte Thoma, ora.
Sancte Jacóbe, ora.
Sancte Philippe, ora.
Sancte Bartholomæe, ora.
Sancte Matthæe, ora.
Sancte Simon, ora.
Sancte Thadæe, ora.
Sancte Matthía, ora.
Sancte Bárnaba, ora.
Sancte Luca, ora.
Sancte Marce, ora.
Omnes sancti Apóstoli & Evangelistæ, oráte.
Omnes sancti Discípuli Dómini, oráte.
Omnes sancti Innocentes, oráte pro nobis.
Sancte Stéphane, ora.
Sancte Maurici, cum sóciis tuis, ora pro nobis.
Sancte Saturnine, ora.
Sancte Clemens, ora.
Sancte Fabiáne, ora.
Sancte Laurenti, ora.
Sancte Vincenti, ora.
Sancte Sebastiáne, ora.
Sancte Victor, ora.
Sancte Irenæe, cum sóciis tuis, pro nobis.

Sancti Joannes & Paule, oráte.
Sancti Cosma & Damiáne, oráte pro nobis.
Sancti Gervási & Protási, oráte pro nobis.
Omnes sancti Mártyres, oráte pro nobis
Sancte Sylvester, ora.
Sancte Gregóri, ora.
Sancte Ambrósi, ora.
Sancte Augustine, ora.
Sancte Hierónyme, ora.
Sancte Hilári, ora.
Sancte Anastási, ora.
Sancte Básili, ora.
Sancte Gregóri Nazianzéne, ora pro nobis.
Sancte Joannes Chrysóstome, ora pro nobis.
Sancte Martíne, ora.
Sancte Nicolae, ora.
Sancte Remigi, ora.
Sancte Exúperi, ora.
Sancte Cárole, ora.
Sancte Francísce Salési, ora.
Omnes sancti Pontífices & Confessóres, oráte.
Omnes sancti Doctóres, oráte.
Sancte Antóni, ora.
Sancte Benedicte, ora.
Sancte Bernarde, ora.
Sancte Domínice, ora.
Sancte Francísce, ora.
Sancte Ludovice, ora.
Sancte Roche, ora.
Sancte Gauderice, ora.
Sancte Guillelme, ora.
Omnes sancti Sacerdótes & Levitæ, oráte.
Omnes sancti Mónachi & Erémitæ, oráte.
Sancta Anna, ora.
Sancta María Magdaléna, ora.
Sancta Tecla, ora.
Sancta Agatha, ora.
Sancta Lúcia, ora.
Sancta Agnes, ora.

Sancta Cæcília, ora.
Sancta Catharína, ora.
Sancta Anastásia, ora.
Sancta Camílla, ora.
Sancta Theréſia, ora.
Omnes ſanctæ Vírgines & Víduæ, oráte.
Omnes ſancti & ſanctæ Dei, intercédite pro nobis.
Propítius eſto, Parce nobis, Dómine.
Propítius eſto, Exaudi nos, Dómine.
Ab omni malo, Líbera nos, Dómine.
Ab omni peccáto, líbera nos.
Ab ira tua, líbera.
A ſubitánea & improvíſa morte, líbera.
Ab insídiis diáboli, líberà.
Ab ira & ódio, & omni mala voluntáte, líbera.
Ab immundis cogitatiónibus, líbera nos, Dómine.
A fúlgure & tempeſtáte, lib.
A morte perpétua, líbera.
Per myſtérium ſanctæ Incarnatiónis tuæ, líbera.
Per Adventum tuum, líbera.
Per Nativitátem tuam, líb.
Per Baptiſmum & ſanctum Jejúnium tuum, líbera.
Per Crucem & Paſſiónem tuã, líbera nos, Dómine.
Per Mortem & Sepultúram tuam, líbera.
Per ſanctam Reſurrectiónem tuam, líbera.
Per admirábilem Aſcenſiónem tuam, líbera.
Per adventum Spíritûs ſancti Paracléti, líbera.
In die judícii, líbera.
Peccatóres, Te rogámus, audi nos.
Ut ad veram pœniténtiam nos perdúcere dignéris, te rog.
Ut remiſſiónem peccatórum nobis dones, te rogámus.
Ut compunctiónem cordis, fontemque lacrymárum nobis dones, te rog.
Ut fidem, ſpem & caritátem nobis largíri dígneris, te rogámus, audi nos.
Ut Eccléſiam tuam ſanctam régere & conſervàre dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut inimícos ſanctæ Eccléſiæ humiliáre dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut domnum Apoſtólicum, & omnes gradus Eccléſiæ in ſancta Religióne conſervàre dignéris, te rogámus.
Ut Antiſtiti noſtro, Clero, & pópulo illi commiſſo cœléſtis grátiæ abundántiam largíri dígneris, te rog.
Ut Regem noſtrum incólumem ſervàre, & in ſancto religiónis obséquio ſtabilíre dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut Régibus & Princípibus Chriſtiánis pacem & verá concórdiam donáre dignéris, te rogámus.
Ut cuncto pópulo Chriſtiáno pacem & unitátem largíri dignéris, te rog.
Ut noſmetipſos in tuo ſancto ſervítio confortáre & conſervàre dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut mentes noſtras ad cœléſtia deſidéria érigas, te rogámus, audi nos.
Ut ómnibus benefactóribus noſtris ſempiterna bona retríbuas, te rogámus, audi nos.
Ut ánimas noſtras, fratrum,

propinquórum, & benefactórum nostrórum, ab æterna damnatióne eripias, te rogámus, audi nos.

Ut fructus terræ dare & conservare dignéris, te rogámus, audi nos.

Ut ómnibus fidélibus defunctis réquiem æternam donare dignéris, te rog.

Ut nos exaudire dignéris, te rogámus audi nos.

Fili Dei, te rog.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, Parce nobis, Dñe.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, Exaudi nos, Dñe.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, Miserére nobis.

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison. Pater. *Secretò.* ℣. Et ne nos inducas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Dómine, ne memíneris iniquitátum nostrárum antiquárum. ℟. Citò anticípent nos misericórdiæ tuæ quia páuperes facti sumus nimis. *Ps.* 78.

℣. Adjuva nos, Deus salutáris noster, & propter glóriam nóminis tui, Dómine, líbera nos. ℟. Et propítius esto peccátis nostris propter nomen tuum.

℣. Orémus pro infirmis, afflictis, & captivis. ℟. Líbera eos, Deus, ex ómnibus tribulatiónibus suis. *Ps.* 24.

℣. Pro frátribus nostris absséntibus. ℟. Bénefac, Dómine bonis & rectis corde. *Ps.* 124.

℣. Memor esto congregatiónis tuæ, ℟. Quam possedísti ab initio. *Ps.* 73.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam:

℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

DEus, cui próprium est miseréri semper, & párcere: súscipe deprecatiónem nostram; ut nos, & omnes fámulos tuos quos delictórum caténa constringit, miserátio tuæ pietátis clementer absólvat.

EXaudi, quæsumus, Dñe, súpplicum preces, & confiténtium tibi parce peccátis; ut páriter nobis indulgéntiam tribuas benignus & pacem.

INeffábilem nobis, Dómine, misericórdiam tuam clementer ostende; ut simul nos & à peccátis ómnibus éxuas, & à pœnis quas pro iis merémur, eripias.

DEus, qui culpâ offénderis, pœniténtiâ placáris, preces pópuli tui supplicántis propítius réspice; & flagella tuæ iracúndiæ, quæ pro peccátis nostris merémur, averte.

DEus, ómnium fidélium pastor & rector, fámulum tuum *N.* quem Pastórem Eccléſiæ tuæ præesse voluisti, propítius réspice; da ei, quæsumus, verbo & exemplo, quibus præest proficere, ut ad vitam unâ cum grege sibi crédito, pervéniat sempiternam.

OMnípotens sempiterne Deus, miserére fámulo tuo Pontífici nostro *N.* & dírige eum secundùm tuam cle-

méntiam in viam salútis æternæ; ut, te donante, tibi plácita cúpiat, & totâ virtúte perficiat.

OUæsumus omnípotens Deus, ut fámulus tuus Rex noster *N.* qui tuâ miseratióne suscépit regni gubernácula, virtútum étiam ómnium percípiat incrementa; quibus decenter ornátus, vitiórum monstra devitáre, hostes superáre, & ad te, qui via, véritas & vita es, gratiósus váleat pervenire.

DEus, à quo sancta desidéria, recta consília & justa sunt ópera: da servis tuis illam, quam mundus dare non potest pacem; ut & corda nostra mandátis tuis dédita; & hóstium sublátâ formídine, témpora sint tuâ protectióne tranquilla.

URe igne sancti Spíritûs renes nostros & cor nostrum, Dómine; ut tibi casto córpore serviámus, & mundo corde placeámus.

ACtiónes nostras, quæsumus, Dómine, aspirando præveni, & adjuvando proséquere; ut cuncta nostra orátio & operátio à te semper incípiat, & per te cœpta finiátur.

FIdélium, Deus, ómnium cónditor & redemptor, animábus famulórum famularumque tuárum remissiónem cunctórum tríbue peccatórum, ut indulgéntiam quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequantur.

OMnípotens sempiterne Deus, qui vivórum dominaris simul & mortuórum, omniumque miséreris, quos tuos fide & ópere futúros esse prænoscis: te súpplices exorámus, ut pro quibus effúndere preces decrévimus, quosque vel præsens séculum adhuc in carne rétinet, vel futúrum jam exútos córpore suscépit, intercedéntibus ómnibus Sanctis tuis, pietátis tuæ clementiâ, ómnium delictórum suórum véniam consequantur; Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

℣. Dóminus vobiscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Exáudiat nos omnípotens & misericors Dóminus. ℟. Amen.

---

# ORDO

## COMMENDATIONIS ANIMÆ.

*Primùm dicuntur Litaniæ breves in hunc modum:*

KYrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.
Sancta Maria, Ora pro *eo, [*vel* ea.]
Omnes sancti Angeli & Archángeli, oráte.
Sancte Abel, ora.
Omnis chorus Justórum, ora.

Sancte Abraham, ora.
Sancte Joannes Baptista, ora.
Omnes sancti Patriarchæ & Prophétæ, oráte.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andrea, ora.
Sancte Joannes, ora.
Omnes sancti Apóstoli & Evangelistæ, oráte.
Omnes sancti discípuli Dómini, oráte.
Omnes sancti Innocentes, or.
Sancte Stéphane, ora.
Sancte Laurenti, ora.
Omnes sancti Mártyres, oráte.
Sancte Silvester, ora.
Sancte Gregóri, ora.
Sancte Augustíne, ora.
Omnes sancti Pontífices & Confessóres, oráte.
Sancte Benedicte, ora.
Sancte Francísce, ora.
Omnes sancti Mónachi & Eremítæ, oráte.
Sancta María Magdaléna, ora.
Sancta Lúcia, ora.
Omnes sanctæ Vírgines & Víduæ, oráte.
Omnes Sancti & Sanctæ Dei, Intercédite pro eo [*vel* ea.]
Propítius esto, Parce ei, Dómine.
Propítius esto, Líbera eum, [*vel* eam,] Dómine.
Ab ira tua, líbera.
A perículo mortis, líbera.
A mala morte, libera.
A pœnis inferni, líbera.
Ab omni malo, libera.
A potestáte diáboli, libera.
Per Nativitátem tuam, líb.
Per Crucem & Passiónem tuam, libera.
Per Mortem & Sepultúram tuam, libera.
Per gloriósam Resurrectiónem tuam, líbera.
Per admirábilem Ascensiónem tuam, líbera.
Per grátiam Spíritûs sancti Paracléti, libera.
In die judícii, líbera.
Peccatóres, Te rogámus audi nos.
Ut ei parcas, te rogámus.
Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

*Deinde cùm in agone sui exitûs anxiatur anima, dicitur:*

PRoficíscere, ánima Christiána, de hoc mundo, In Nómine Dei Patris omnipotentis, qui te creávit: In nómine Jesu Christi Fílii Dei vivi, qui pro te passus est: In nómine Spíritûs sancti, qui in te effúsus est: In nómine Angelórum & Archangelórum: In nómine Thronórum & Dominatiónum: In nómine Principátuum & Potestátum: In nómine Chérubim & Séraphim: In nómine Patriarchárum & Prophetárum: In nómine sanctórum Apostolórum & Evangelistárum: In nómine sanctórum Mártyrum & Confessórum: In nómine sanctórum Monachórum & Eremitárum: In nómine sanctárum Vírginum, & ómnium Sanctórum & Sanctárum Dei. Hódie sit in pace locus tuus, & habitátio tua in sancta Sion; Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Orémus.

DEus miséricors, Deus clemens, Deus qui secundùm multitúdinem miseratiónum tuárum peccáta pœ-

niténtium deles, & præteritórum críminum culpas véniâ remissiónis evácuas: réspice propítius super * hunc fámulum tuum N. [ *vel* hanc fámulam tuam N. ] & remissiónem ómnium peccatórũ suórum totâ cordis confessióne poscentem, deprecátus exaudi. Rénova in * eo [ *vel* ea ] piíssime Pater, quidquid terrénâ fragilitáte corruptum, vel quidquid diabólicâ fraude violátum est: & unitáti córporis Eccléſiæ membrum redemptiónis annecte. Miserére, Dómine, gemítuũ, miserére lacrymárum ejus; & non habentem fidúciam, nisi in tua misericórdia, ad tuæ sacramentum reconciliatiónis admitte; Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

COmmendo te omnipoténti Deo, * caríssime frater [ *vel* caríssima soror; ] & ei cujus es creatúra committo: ut cùm humanitátis débitum persólveris, ad eum qui te de limo terræ formáverat, revertáris. Egredienti itaque ánimæ tuæ de córpore, splendidus Angelórum cœtus occurrat: judex Apostolórum tibi senátus advéniat: candidatórũ tibi Mártyrũ triumphátor exércitus óbviet: liliáta rutilántiũ te Confessórum turma circumdet: jubilántiũ te Vírginum chorus excípiat: beátæ quiétis in sinu Patriarchárum te complexus astringat: mitis atque festívus Christi Jesu tibi aspectus appáreat, qui te inter assistentes sibi júgiter interesse decernat. Ignóres omne quod horret in ténebris, quod stridet in flammis, quod crúciat in tormentis. Cedat tibi retérrimus sátanas cum satellítibus suis: in adventu tuo, te comitántibus Angelis, contremíscat, atque in æternæ noctis chaos immáne diffúgiat. Exurgat Deus, & dissipentur inimici ejus; & fúgiant qui odérunt eum, à fácie ejus. Sicut déficit fumus, deficiant: sicut fluit cera à fácie ignis, sic péreant peccatóres a fácie Dei: & justi epulentur, & exúltent in conspéctu Dei. Confundantur ígitur & erubescant omnes tartáreæ legiónes: & ministri sátanæ iter tuum impedíre non áudeant. Líberet te à cruciátu Christus, qui pro te crucifixus est. Liberet te ab æterna morte Christus, qui pro te mori dignátus est. Constítuat te Christus Filius Dei vivi intra paradísi sui semper amœna viréntia, & inter oves suas te verus ille Pastor agnoscat. Ille ab ómnibus peccátis tuis te absólvat, atque ad déxteram suam in electórum suórum te sorte constituat. Rememptórem tuum fácie ad fáciem vídeas; & præsens semper assístens, manifestíssimam beátis óculis aspícias veritátẽ. * Constitútus [ *vel* constitúta ] ígitur inter ágmina Beatórum, contemplatiónis divínæ dulcédine potiáris in sécula seculórum. ℟. Amen.

SUscípe, Dómine, * servum tuum [ *vel* famulam tuam ] in locum sperandæ sibi salvatiónis a misericórdia tua, ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam

* servi tui [ *vel* fámulæ tuæ ] ex ómnibus perículis inferni, & de láqueis pœnárum, & ex ómnibus tribulatiónibus.
℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam * servi tui [ *vel* fámulæ tuæ ] sicut liberásti Enoch & Elíam de communi morte mundi.
℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam * servi tui [ *vel* fámulæ tuæ ] sicut liberásti Noë de dilúvio.
℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam * servi tui [ *vel* fámulæ tuæ ] sicut liberásti Abraham de Ur Chaldæórum. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam * servi tui [ *vel* fámulæ tuæ ] sicut liberásti Job de passiónibus suis. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam * servi tui [ *vel* fámulæ tuæ ] sicut liberásti Isaac de hóstia, & de manu patris sui Abrahæ.
℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam * servi tui [ *vel* fámulæ tuæ ] sicut liberásti Lot de Sódomis, & de flamma ignis. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam * servi tui [ *vel* fámulæ tuæ ] sicut liberásti Móysen de manu Pharaónis regis Ægyptiórum. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam * servi tui [ *vel* fámulæ tuæ ] sicut liberásti Daniélem de lacu leónum. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam * servi tui [ *vel* fámulæ tuæ ] sicut liberásti tres púeros de camino ignis ardentis, & de manu regis iniqui. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam * servi tui [ *vel* fámulæ tuæ ] sicut liberásti Susannam de falso crímine.
℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam * servi tui [ *vel* fámulæ tuæ ] sicut liberásti David de manu regis Saül, & de manu Góliæ.
℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam * servi tui [ *vel* fámulæ tuæ ] sicut liberásti Petrum & Paulum de carcéribus.
℟. Amen.

Et sicut beatíssimam Theclam, vírginem & mártyrem tuam, de tribus atrocíssimis tormentis liberásti, sic liberáre dignéris ánimam hujus * servi tui [ *vel* fámulæ tuæ ] & tecum fácias in bonis cœléstibus congaudére.
℟. Amen.

COmmendámus tibi, Dómine, ánimam * fámuli tui [ *vel* fámulæ tuæ ] precamurque te, Dñe Jesu Christe, Salvátor mundi, ut eam propter quam ad terram descendísti, Patriarchárum tuórum sínibus insinuáre non rénuas. Agnósce, Dómine, creatúram tuam, non à diis aliénis creátam, sed à te solo Deo vivo & vero; quia non est álius Deus præter te, & non est secundùm ópera tua. Lætífica, Dómine, ánimã ejus in conspectu tuo, & ne memíneris iniquitátum ejus antiquárum, quas suscitávit furor mali desidérii. Licèt enim peccavérit, tamen Patrem, & Fílium, & Spíritum sanctum non negávit, sed crédidit; & zelum Dei in se hábuit; & Deum qui fecit ómnia, fidéliter adorávit.
℟. Amen.

Orémus.

DElícta juventútis, & ignorántias ejus, quæsumus, ne memíneris, Dómine: sed secundùm magnam misericórdiam tuam memor esto illíus in glória claritátis tuæ. Aperiantur ei cœli; collætentur illi Angeli. In regnũ tuum, Dómine, * servum tuum [*vel* famulam tuam] súscipe. Suscípiat * eum [*vel* eam] sanctus Míchael Archángelus Dei, qui milítiæ cœléstis méruit principátum. Véniant illi óbviam sancti Angeli Dei, & perdúcant * eũ [*vel* eam] in civitátem cœléstem Jerúsalem. Suscípiat * eum [*vel* eam] beátus Petrus Apóstolus, cui à Deo claves regni cœléstis tráditæ sunt. Adjuvet * eum [*vel* eam] beátus Paulus Apóstolus, qui dignus fuit esse vas electiónis. Intercédat pro * eo [*vel* ea] sanctus Joannes, electus Dei Apóstolus, cui revelàta sunt secréta cœléstia. Orent pro * eo [*vel* ea] omnes sancti Apóstoli, quibus à Dómino data est potéstas ligandi atque solvendi. Intercédant pro * eo [*vel* ea] omnes Sancti & Electi Dei, qui pro Christi nómine tormenta in hoc sæculo sustinuérunt; ut vínculis carnis exútus [*vel* exúta], pervenire mereátur ad glóriam regni cœléstis, præstante Dómino nostro Jesu Christo, qui cum Patre & Spíritu sancto vivit & regnat in sécula seculórum. ℟. Amen.

*Si anxiatur adhuc Anima, legi poterit super ægrotum cum signis Crucis consuetis sequens Evangelium secundùm Joannem.*

Joan. 17.

SUblevátis óculis in cœlũ Jesus dixit: Pater, Venit hora, clarífica Fílium tuum, ut Filius tuus clarificet te: sicut dedísti ei potestátem omnis carnis, ut omne quod dedísti ei, det eis vitam æternam. Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te, solum Deum verum, & quem misísti Jesum Christum. Ego te clarificávi super terram: opus consummávi, quod dedísti mihi ut fáciam: Et nunc clarífica me tu Pater apud temetipsum, claritáte, quam hábui priùs quàm mundus esset, apud te. Manifestávi nomen tuum homínibus, quos dedísti mihi de mundo: Tui erant, & mihi eos dedísti: & sermónem tuum servavérunt. Nunc cognovérunt, quia ómnia quæ dedísti mihi, abs te sunt. Quia verba, quæ dedísti mihi, dedi eis: & ipsi accepérunt, & cognovérunt verè quia à te exívi, & credidérunt quia tu me misísti. Ego pro eis rogo: Non pro mundo rogo, sed pro his quos dedísti mihi: quia tui sunt: Et mea ómnia tua sunt, & tua mea sunt: & clarificátus sum in eis. Et jam non sum in mundo, & hi in mundo sunt: & ego ad te vénio. Pater sancte, serva eos in nómine tuo, quos dedísti mihi: ut sint unum, sicut & nos. Cùm essem cum eis, ego servábam eos in nómine tuo. Quos dedísti mihi, custodívi; & nemo ex eis périit, nisi fílius perditiónis, ut Scriptúra

ptúra impleátur. Nunc autem ad te vénio: & hæc loquor in mundo, ut hábeant gáudium meum implétum in semetipsis. Ego dedi eis sermónem tuum, & mundus eos ódio hábuit, quia non sunt de mundo, sicut & ego non sum de mundo. Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos à malo. De mundo non sunt, sicut & ego non sum de mundo. Sanctífica eos in veritáte. Sermo tuus véritas est. Sicut tu me misísti in mundum, & ego misi eos in mundum. Et pro eis ego sanctífico meipsum: ut sint & ipsi sanctificáti in veritáte. Non pro eis autem rogo tantùm, sed & pro eis qui creditúri sunt per verbũ eórũ in me. Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint: ut credat mundus, quia tu me misísti. Et ego claritátem, quam dedísti mihi, dedi eis: ut sint unum, sicut & nos unum sumus. Ego in eis, & tu in me: ut sint consummáti in unum & cognoscat mundus quia tu me misísti, & dilexísti eos, sicut & me dilexísti. Pater, quos dedísti mihi, volo ut ubi sum ego, & illi sint mecum: ut videant claritátem meam, quam dedísti mihi: quia dilexísti me ante constitutiónem mundi. Pater juste, mundus te non cognóvit, ego autem te cognóvi: & hi cognovérunt, quia tu me misísti. Et notum feci eis nomen tuũ, & notum fáciam: ut diléctio, quâ dilexísti me, in ipsis sit, & ego in ipsis.

*Deinde Sacerdos Passionem legere poterit, stans & aperto capite, & ad ægrotum conversus.*

## PASSIO
## Dómini nostri Jesu Christi secundùm Joannem.

*Cap.* 18. & 19.

IN illo témpore; Egressus est Jesus cum discípulis suis trans torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introívit ipse & discípuli ejus. Sciébat autem & Judas, qui tradébat eum, locum; quia frequenter Jesus convénerat illuc cum discípulis suis. Judas ergo cùm accepísset cohortem, & à Pontificibus & Pharisæis minístros, venit illuc cum laternis, & fácibus, & armis. Jesus ítaque sciens ómnia quæ ventúra erant súpra eum, processit & dixit eis: Quem quæritis? Respondérunt ei: Jesum Nazarénum. Dixit eis Jesus: Ego sum. Stabat autem & Judas qui tradébat eum, cum ipsis. Ut ergo dixit eis: Ego sum; abiérunt retrorsùm, & cecidérunt in terram. Iterùm ergo interrogávit eos: Quem quæritis? Illi autem dixérunt: Jesum Nazarénum. Respondit Jesus: Dixi vobis, quia ego sum: si ergo me quæritis sínite hos abíre. Ut implerétur sermo, quem dixit: Quia quos dedísti mihi, non perdidi ex eis quemquam. Simon ergo Petrus habens gládium eduxit eum: & percussit Pontificis servum: & abscídit aurículam ejus déxteram. Erat autem nomen servo Malchus. Dixit ergo Jesus Petro: Mitte ergo gládium tuum in vagi-

nam. Cálicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum? Cohors ergo, & tribúnus & minístri Judæórum comprehendérunt Jesum & ligavérunt eum: & adduxérunt eum ad Annam primum; erat enim socer Cáiphæ, qui erat Póntifex anni illíus. Erat autem Cáiphas, qui consílium déderat Judæis: Quia éxpedit unum hóminem mori pro pópulo. Sequebátur autem Jesũ Simon Petrus & álius discípulus. Discípulus autem ille erat notus Pontífici & introívit cum Jesu in átrium Pontíficis. Petrus autem stabat ad óstium foris. Exívit ergo discípulus álius qui erat notus Pontífici, & dixit ostiáriæ: & introduxit Petrum. Dixit ergo Petro ancilla ostiária: Numquid & tu ex discípulis es hóminis istíus? Dicit ille: Non sum. Stabant autem servi & minístri ad prunas, quia frigus erat, & calefaciébant se: erat autem cum eis & Petrus stans, & calefáciens se. Póntifex ergo interrogávit Jesum de discípulis suis, & de doctrína ejus. Respondit ei Jesus: Ego palàm locútus sum mundo: ego semper dócui in synagóga, & in templo, quò omnes Judæi convéniunt: & in occulto locútus sum nihil. Quid me intérrogas? intérroga eos, qui audiérunt quid locútus sim ipsis: ecce hi sciunt quæ dixerim ego. Hæc autem cùm dixisset, unus assistens minístrórum dedit álapam Jesu, dicens: Sic respondes Pontífici. Respondit ei Jesus: Si malè locútus sum, testimónium pérhibe de malo: si autem bene; quid me cædis? Et misit eum Annas ligátum ad Cáipham Pontíficem. Erat autem Simon Petrus stans & calefáciens se. Dixérunt ergo ei: Numquid & tu ex discípulis ejus es? Negávit ille, & dixit: Non sum. Dicit ei unus ex servis Pontíficis, cognátus ejus, cujus abscídit Petrus auriculam: Nonne ego te vidi in horto cum illo? Iterùm ergo negávit Petrus: & statim gallus cantávit. Addúcunt ergo Jesum à Cáipha in prætórium. Erat autem manè: & ipsi non introiérunt in prætórium, ut non contaminarentur, sed ut manducárent Pascha. Exívit ergo Pilátus ad eos foràs, & dixit: Quam accusatiónem affertis adversùs hóminem hunc? Respondérunt, & dixérunt ei: Si non esset hic malefactor, non tibi tradidíssémus eum. Dixit ergo eis Pilátus: Accípite eum vos, & secundùm legem vestram judicáte eum. Dixérunt ergo ei Judæi: Nobis non licet interfícere quemquam. Ut sermo Jesu implerétur, quem dixit, significans quâ morte esset moritúrus. Introívit ergo iterùm in prætórium Pilátus & vocávit Jesum, & dixit ei: Tu es rex Judæórum? Respondit Jesus: A temetipso hoc dicis, an álii dixérunt tibi de me? Respondit Pilátus: Numquid ego Judæus sum? Gens tua & Pontífices tradidérunt te mihi: quid fecísti? Respondit Jesus: Regnum meum non est de hoc mundo: si ex hoc mundo esset

regnum meum, ministri mei útique decertárent ut non tráderer Judæis : nunc autem regnum meum non est hinc. Dixit ítaque ei Pilátus : Ergo rex es tu ? Respondit Jesus : Tu dicis quia rex sum ego. Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimónium perhíbeam veritáti : omnis qui est ex veritáte, audit vocem meam. Dicit ei Pilatus : Quid est véritas ? Et cùm hoc dixísset, íterùm exívit ad Judæos, & dicit eis : Ego nullam invénio in eo causam. Est autem consuetúdo vobis ut unum dimittam vobis in Pascha : vultis ergo dimittam vobis regem Judæórum ? Clamavérunt ergo rursum omnes, dicentes : Non hunc, sed Bárrabbam. Erat autem Bárrabbas latro. Tunc ergo apprehendit Pilátus Jesum, & flagellávit. Et milites plectentes corónam de spinis, imposuérunt cápiti ejus : & veste purpúrea circumdedérunt eum. Et veniébant ad eum, & dicébant : Ave Rex Judæórum : & dabant ei álapas. Exívit ergo iterùm Pilátus foràs ; & dicit eis : Ecce adúco vobis eum foràs, ut cognoscátis quia nullã invénio in eo causam. ( Exívit ergo Jesus portans corónam spineam, & purpúreũ vestimentũ.) Et dicit eis : Ecce homo. Cùm ergo vidíssent eum Pontífices & ministri, clamábant, dicentes : Crucifige, crucifige eum. Dicit eis Pilátus : Accípite eum vos, & crucifígite : ego enim non invénio in eo causam. Respondérunt ei Judæi : Nos legem habémus, & secundùm legem debet mori, quia fílium Dei se fecit. Cùm ergo audísset Pilátus hunc sermónẽ, magis tímuit. Et ingréssus est prætórium íterùm : & dixit ad Jesum : Unde es tu ? Jesus autem respónsum non dedit ei. Dicit ergo ei Pilátus : Mihi non lóqueris ? nescis quia potestátem hábeo crucifigere te, & potestátem hábeo dimíttere te ? Respondit Jesus : Non habéres potestátem adversùm me ullam, nisi tibi datum esset désuper. Propterèa qui me trádidit tibi, majus peccátum habet. Et exinde quærébat Pilátus dimíttere eum. Judæi autem clamábant, dicentes : Si hunc dimittis, non es amícus Cæsaris ; omnis enim, qui se regem facit, contradícit Cæsari. Pilátus autem cùm audísset hos sermónes, adduxit foràs Jesum : & sedit pro tribunáli, in loco qui dícitur Lithóstrotos, Hebráicè autem Gábbatha. Erat autem paraséve Paschæ, hora quasi sexta : & dixit Judæis : Ecce rex vester. Illi autem clamábant : Tolle, tolle crucifige eum. Dicit eis Pilátus : Regem vestrum crucifígam ? Respondérunt Pontífices : Non habémus Regem nisi Cæsarem. Tunc ergo trádidit eis illum ut crucifigerétur. Suscepérunt autẽ Jesum, & eduxérunt. Et bájulans sibi crucem, exívit in eum, qui dícitur Calváriæ locum, Hebráicè autem Gólgotha : ubi crucifixérunt eum, & cum eo álios duos, hinc & hinc, médium autem Jesum. Scripsit

autem & titulum Pilátus: & póſuit ſuper crucem. Erat autem ſcriptum Jeſus Nazarénus, Rex Judæórum. Hunc ergo titulum multi Judæorum legérunt: quia prope civitátem erat locus ubi crucifixus eſt Jeſus. Et erat ſcriptum Hebráicè, Græcè, & Latinè. Dicébant ergo Piláto Pontífices Judæórum: Noli ſcíbere, Rex Judæórum: ſed quia ipſe dixit: Rex ſum Judæórum. Reſpondit Pilátus: Quòd ſcripſi, ſcripſi. Mílites ergo, cùm crucifixíſſent eum, accepérunt veſtimenta ejus (& fecérunt quátuor partes: unicuíque míliti partem) & túnicam. Erat autem túnica inconsútilis déſuper contexta per totum. Dixérunt ergo ad invicem: Non ſcindámus eam, ſed ſortiámur de illa cujus ſit. Ut Scriptúra implerétur, dicens: Partíti ſunt veſtimenta mea ſibi: & in veſtem meã miſérunt ſortem. Et mílites quidem hæc fecérunt. Stabant autem juxta crucem Jeſu mater ejus, & ſoror matris ejus María Cléophæ, & María Magdaléne. Cùm vidiſſet ergo Jeſus matrem & diſcípulum ſtantem, quem diligébat, dicit matri ſuæ: Múlier, ecce filius tuus. Deinde dicit diſcípulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accépit eam diſcípulus in ſua. Póſtea ſciens Jeſus quia ómnia conſummáta ſunt, ut conſummarétur Scriptúra, dixit: Sitio. Vas ergo erat póſitũ acéto plenum. Illi autem ſpóngiam plenam acéto, hyſſopo circumponéntes, obtulérunt ori ejus. Cùm ergo accepiſſet Jeſus acétum, dixit: Conſummátum eſt. Et inclináto cápite trádidit ſpíritum. Judæi ergo, (quóniam paraſcéve erat) ut non remanérent in cruce córpora Sábbato, [erat enim magnus dies ille Sábbati] rogavérunt Pilátum ut frangerentur eórum crura, & tollerentur. Venérunt ergo mílites: & primi quidem fregérunt crura, & altérius qui crucifixus eſt cum eo. Ad Jeſum autem cùm veníſſent, ut vidérunt eum jam mórtuum, non fregérunt ejus crura. Sed unus militum láncea latus ejus apéruit, & continuò exívit ſanguis, & aqua. Et qui vidit, teſtimónium perhíbuit: & verum eſt teſtimónium ejus. Et ille ſcit quia vera dicit: ut & vos credátis. Facta ſunt enim hæc, ut Scriptúra implerétur: Os non comminuétis ex eo. Et íterum ália Scriptúra dicit: Vidébunt in quem transfixérunt. Poſt hæc autem rogávit Pilátum Joſeph ab Arimathæa [ eò quód eſſet diſcípulus Jeſu, occultus autem propter metum Judæórum ] ut tólleret corpus Jeſu. Et permíſit Pilátus. Venit ergo, & tulit corpus Jeſu. Venit autem & Nicodémus, qui vénerat ad Jeſum nocte primum, ferens mixtúram myrrhæ & áloës, quaſi libras centum. Accepérunt ergo corpus Jeſu, & ligavérunt illud línteis cum arómatibus, ſicut mos eſt Judæis ſepelíre. Erat autem in loco, ubi crucifixus eſt, hortus: & in horto monumentum novum, in quo nondum quiſ-

quam pósitus erat. Ibi ergo propter paraſcéven Judæórum quia juxta erat monumentum, poſuérunt Jeſum.

*Lectâ Paſſione, dicitur,* ℣. Adorámus te, Chriſte, & benedícimus tibi; ℟. Quia per crucem tuam redemiſti mundum.

Orémus.

DEus, qui pro redemptióne mundi voluiſti naſci, circumcídi, à Judæis reprobári, à Juda proditóre ósculo tradi, vinculis alligári, ſicut agnus ínnocens ad víctimam duci, atque conſpectibus Annæ, Cáiphæ, Piláti, & Heródis indecenter offerri; à falſis téſtibus accusári, flágellis & oppróbriis vexári, ſputis cónſpui, ſpinis coronári, cólaphis cædi, arúndine percuti, fácie velári, & véſtibus éxui, cruci clavis affigi, in cruce levári, inter latrónes deputári, felle & acéto potári, & lánceâ vulnerári: Tu, Dómine, per has ſanctíſſimas pœnas tuas, quas ego indignus récolo, & per ſanctam crucem & mortem tuam libera * fámulum tuum *N.* [ *vel* fámulam tuam *N.* ] à pœnis inferni, & perdúcere dignéris, quò perduxiſti latrónem tecum crucifixum; Qui cum Patre & Spíritu ſancto vivis & regnas in ſécula ſeculórum. ℟. Amen.

*Deinde dici poterunt Pſalmus* Confitémini Dómino, quóniam..... Dicat nunc. *& duo prima Octonaria Pſalmi*, Beáti immaculáti, *quæ habentur ad Primam Dominica.* 12, 13. *&* 14.

*Tres ſequentes Orationes, ſingulæ cum* Pater. *&* Ave. *à Sacerdote ſtante & aperto capite dicendæ ſunt, quando ægrotus in ultimis poſitus eſt.*

Kyrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kyrie, eléiſon. *Secretò*, Pater. *&* Ave.

Orémus.

DOmine Jeſu Chriſte, per tuam ſanctíſſimam Agóniam, & oratiónem quâ oraſti pro nobis in monte Olivéti, quando factus eſt ſudor tuus ſicut guttæ ſánguinis decurrentis in terram; óbſecro te ut multitúdinem ſudóris tui ſanguínei, quem præ timóris angúſtia copioſiſſimè pro nobis effudiſti, offerre & oſténdere dignéris Deo Patri omnipotenti contra multitúdinem ómnium peccatórum hujus * fámuli tui *N.* [ *vel* fámulæ tuæ *N.* ] & líbera * eum [ *vel* eam ] in hac hora mortis ab ómnibus pœnis & angúſtiis, quas pro peccátis ſuis ſe timet meruiſſe; Qui cum Patre & Spíritu ſancto vivis, & regnas Deus in ſécula ſeculórum. ℟. Amen.

*Rurſus dicet Sacerdos*, Kyrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kyrie, eléiſon. *Secretò*, Pater. *&* Ave.

Orémus.

DOmine Jeſu Chriſte, qui pro nobis mori dignátus es in cruce, óbſecro te, ut omnes amaritúdines paſſiónum & pœnárum tuárum, quas pro nobis míſeris peccatóribus ſuſtinuiſti in cruce, máximè in illa hora, quando ſanctíſſima Anima tua egreſſa eſt de ſanctíſſimo

córpore tuo, offerre & ostendere dignéris Deo Patri omnipotenti pro ánima hujus * fámuli tui *N.* [ *vel* fámulæ tuæ *N.* ] & líbera * eum [ *vel* eam ] in hac hora mortis ab ómnibus pœnis & passiónibus quas pro peccátis suis se timet meruisse; Qui cum Patre & Spíritu sancto vivis, & regnas Deus in sécula seculórum. ℟. Amen.

*Tertiò dicet*: Kyrie, eléison Christe, eléison. Kyrie, eléison. *Secretò*, Pater. *&* Ave.

Orémus.

DOmine Jesu Christe, qui per os Prophétæ dixísti: In charitáte perpétua diléxi te, ideò attráxi te miserans, obsecro te, ut eamdem charitátem tuam, quæ te de cœlis in terram, ad tolerandas ómnium passiónũ tuárum amaritúdines, attráxit, offerre & osténdere dignéris Deo Patri omnipotenti pro ánima hujus * fámuli tui *N.* [ *vel* fámulæ tuæ *N.* ] & líbera * eum [ *vel* eam ] ab ómnibus passiónibus & pœnis, quas pro peccátis suis timet se meruisse; & salva ánimã ejus in hac hora éxitûs sui. Aperi ei jánuam vitæ, & fac * eum [ *vel* eam ] congaudére cum Sanctis tuis in glória æterna. Tu, piíssime Dómine Jesu Christe, qui redemísti nos pretiosíssimo sánguine tuo, miserére ánimæ hujus * fámuli tui [ *vel* fámulæ tuæ ] & eam introdúcere dignéris ad semper viréntia & amœna loca paradísi, ut vivat tibi amóre indivisíbili, qui à te & ab electis tuis nunquam separári potest; Qui cum Patre & Spíritu sancto vivis & regnas Deus in sécula seculórum. ℟. Amen.

*Curabit Sacerdos ut moribundus, si possit, ter sanctissimum* Jesu *nomen pronuntiet; quod si moribundus nequeat, illud ejus loco ipse pronuntiabit, & sæpe hæc verba repetere satagat.*

In manus tuas, Dómine, commendo spíritum meum. *Ps.* 30.

Dómine Jesu, súscipe spíritum meum. *Act.* 7.

Sancta María, ora pro me.

MARIA, Mater grátiæ,
Mater misericórdiæ,
Tu nos ab hoste prótege,
Et mortis horâ súscipe.

*Egressâ animâ, dicitur*:

℟. Subvenite, Sancti Dei, * Occúrrite, Angeli Dómini, suscipientes ánimam ejus, offerentes eam in conspectu Altíssimi. ℣. Suscípiat te Christus, qui vocávit te, & in sinum Abrahæ Angeli dedúcant te. * Occúrrite, Angeli Dómini, suscipientes ánimã ejus, offerentes eam in conspectu Altíssimi

Réquiem æternam dona ei, Dómine, & lux perpétua lúceat ei. * Occúrrite, Angeli Dómini, suscipientes ánimã ejus, offerentes eam in conspectu Altíssimi.

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison. *Secretò*, Pater noster. *Altâ voce.* Et ne nos indúcas in tenta-

tiónem ; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Réquiem æternam dona ei, Dómine.

℟. Et lux perpétua lúceat ei.

℣. A porta inferi

℟. Erúe, Dómine, ánimam ejus. *Pſ.* 88.

℣. Requieſcat in pace.

℟. Amen.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam ; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Pſ.* 101.

℣. Dóminus vobiſcum,

℟. Et cum ſpíritu tuo.

Orémus.

TIbi, Dómine, commendámus ánimâ * famuli tui [ *vel* fámulæ tuæ ] *N.* ut * defúnctus [ *vel* defuncta ] ſéculo, tibi vivat : & quæ per fragilitátem humánæ converſatiónis commíſit, tu véniâ miſericordíſſimæ pietátis abſterge ; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

*FORMULA*
*Abſolutionis Sacramenti Pœnitentiæ.*

DOminus noſter Jeſus Chriſtus qui eſt ſummus Póntifex, te abſolvat. Et ego auctoritáte ipsíus abſolvo te ab omni vínculo excommunicatiónis ( ſuſpenſiónis ), & interdícti in quantùm poſſum, & tu índiges : Deinde, Ego te abſolvo à peccátis tuis, in nómine Patris, & Fílii, & Spíritûs Sancti. Amen.

*Si Pœnitens ſit Laïcus, omittitur vox*, Suſpenſiónis.

Páſſio Dómini noſtri Jeſu Chriſti, mérita beátæ Maríæ Vírginis, & ómnium Sanctórum, & quidquid boni féceris & mali ſuſtinúeris, ſint tibi in remiſſiónem peccatórum, augmentum grátiæ, & præmium vitæ æternæ. Amen.

# *OFFICIUM*
# DEFUNCTORUM.

*Quælibet Hora ſequentis Officii incipitur abſolutè.*

AD VESPERAS.

*Ant.* 3. c. O Dómine.

*Pſalmus* 114.

DIlexi quóniam exáudiet Dóminus * vocem oratiónis meæ.

Quia inclinávit aurem ſuâ mihi, * & in diébus meis invocábo.

Circumdedérunt me dolóres mortis, * & perícula inferni invenérunt me.

Tribulatiónem & dolórem invéni ; * & nomen Dómini invocávi.

O Dómine, líbera ánimam meam : miſéricors Dóminus, & juſtus * & Deus noſter miſerétur.

Cuſtódiens párvulos Dóminus ; * humiliátus ſum, & liberávit me.

Convértere, ánima mea, in réquiem tuam, * quia Dóminus benefécit tibi;

Quia erípuit ánimam meã de morte, * óculos meos à lácrymis, pedes meos à lapsu.

Placébo Dómino * in regióne vivórum.

*In hoc Officio, in fine omnium Psalmorum & Canticorum dicitur:*

Réquiem æternam dona eis, Dómine, * & lux perpétua lúceat eis.

*Ant.* O Dómine, líbera ánimam meam.

*Ant.* 2. D. Heu mihi.

*Psalmus* 119.

AD Dóminum cùm tribulárer clamávi, * & exaudívit me.

Dómine, líbera ánimam meam à lábiis iníquis, * & à lingua dolósa.

Quid detur tibi, aut quid apponátur tibi * ad linguam dolósam?

Sagittæ potentis acútæ, * cum carbónibus desolatóriis.

Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus est! habitávi cum habitántibus Cedar: * multùm íncola fuit ánima mea.

Cum his qui odérunt pacem, eram pacíficus; * cùm loquébar illis, impugnábant me gratis.

*Ant.* Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus est.

*Ant.* 8. c. Auxílium.

*Psalmus* 120.

LEvávi óculos meos in montes, * unde vénìet auxílium mihi.

Auxílium meum à Dño, * qui fecit cœlum & terram.

Non det in commotiónem pedem tuum; * neque dormítet qui custódit te.

Ecce non dormitábit neque dórmiet, * qui custódit Israel.

Dóminus custódit te, Dóminus protéctio tua * super manum dexteram tuam.

Per diem sol non uret te, * neque luna per noctem.

Dóminus custódit te ab omni malo: * custódiat ánimã tuam Dóminus.

Dóminus custódiat introítum tuum, & éxitum tuum, * ex hoc nunc, & usque in séculum.

*Ant.* Auxílium meum à Dómino, qui fecit cœlum & terram.

*Ant.* 8. G. Si iniquitátes.

*Psalmus* 129.

DE profundis clamávi ad te, Dómine: * Dómine, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes * in vocé deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes obsérváveris, Dómine: * Dómine, quis sustinébit?

Quia apud te propitiátio est, * & propter legem tuam sustínui te, Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus, * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem * speret Israel in Dómino;

Quia apud Dóminum misericórdia, * & copiósa apud eum redémptio;

Et ipse rédimet Israel * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

*Ant.* Si iniquitátes obser-

vâveris, Dómine: Dómine, quis sustinébit.

*Ant.* 2. D. Opera.

*Psalmus* 137.

COnfitébor tibi, Dñe, in toto corde meo, * quóniam audísti verba oris mei.

In conspéctu Angelórum psallam tibi: * adorábo ad templum sanctum tuum, & confitébor nómini tuo.

Super misericórdia tua & veritáte tua; * quóniam magnificásti super omne, nomen sanctum tuum.

In quacumque die invocávero te, exaudi me, * multiplicábis in ánima mea virtútem.

Confiteantur tibi, Dñe, omnes reges terræ, * quia audiérunt ómnia verba oris tui;

Et cantent in viis Dómini, * quóniam magna est glória Dómini;

Quóniam excelsus Dóminus, & humília réspicit, * & alta à longè cognoscit.

Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificábis me: * & super iram inimicórum meórum extendísti manum tuam, & salvum me fecit déxtera tua.

Dóminus retríbuet pro me: * Dómine, misericórdia tua in séculum: ópera mánuum tuárum ne despícias.

*Ant.* Opera mánuum tuárum, Dómine, ne despícias.

*Continuò dicitur:*

*Ad* Magnificat. *Ant.* 1. a. Omne quod dat mihi Pater, ad me véniet; & eum qui venit ad me, non ejíciam foràs. *Joan.* 6.

*Secretò*, Pater, *Clarâ voce*,

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed libera nos à malo.

℣. In memória æterna erunt justi; ℟. Ab auditióne malâ non timébunt. *Ps.* 111.

℣. A porta ínferi, ℟. Erue, Dñe, ánimas eórum. *Ps.* 88.

℣. Credo vidére bona Dómini, ℟. In terra vivéntium. *Ps.* 26.

*Psalmus* 145.

LAuda ánima mea, Dóminum: laudábo Dóminum in vita mea; * psallam Deo meo quámdiu fúero.

Nolíte confidere in princípibus; * in fíliis hóminum, in quibus non est salus.

Exíbit spíritus ejus, & revertur in terram suam: * in illa die períbunt omnes cogitatiónes eórum.

Beátus cujus Deus Jacob adjútor ejus, spes ejus in Dómino Deo ipsius, * qui fecit cœlum & terram, mare, & ómnia quæ in eis sunt.

Qui custódit veritátem in séculum, facit judícium injúriam patiéntibus, * dat escam esuriéntibus.

Dóminus solvit compedítos: * Dóminus illúminat cæcos.

Dóminus érigit elísos: * Dóminus díligit justos.

Dóminus custódit ádvenas: pupíllum & víduam suscípiet; * & vias peccatórũ dispérdet.

Regnábit Dóminus in sécula, Deus tuus, Sion, * in generatiónem & generatiónem.

℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.

℣. Dómine, exaudi oratió-

nem meã ; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101.

℣. Dóminus vobíscum, ℟. Et cum spíritu tuo.

*In depositione Defuncti.*

*Oratio.*

INclina, Dómine, aurem tuam ad preces nostras, quibus misericórdiam tuam súpplices deprecámur; ut ánimã fámuli tui *N.* quam de hoc século migráre jussísti, in pacis ac lucis regióne constítuas, & sanctórum tuórum júbeas esse consórtem.

*Pro Diacono, post litteram* N. *additur* Diáconi.

*In depositione Defuncta.*

*Oratio.*

QUæsumus, Dómine, pro tua pietáte miserére ánimæ famulæ tuæ *N.* & à contágiis mortalitátis exútam, in æternæ salvatiónis partem restítue.

*In depositione Sacerdotis.*

*Oratio.*

DEus, qui inter Apostólicos Sacerdótes famulum tuum *N.* Sacerdotáli fecísti dignitáte vigére: præsta, ut córum quoque perpétuo aggregétur consórtio; Per Dóminum nostrum.

*Pro Episcopo, loco* Sacerdotáli, *dicitur* Pontificáli.

*In Anniversariis dicuntur tres sequentes Orationes.*

DEus indulgentiárum, Dómine, da ánimæ * famuli tui *N.* [ Sacerdótis, *vel* Pontíficis ] [ *vel* fámulæ tuæ *N.* ] cujus [ *vel* animábus famulórum tuórum *N.* & *N.* quorum ] [ *vel* famulárum tuárum *N.* & *N.* quarum ] anniversárium depositiónis diem commemorámus, refrigérii sedem, quiétis beatitúdinem, & lúminis claritátem.

*Pro Benefactoribus.*

DEus, véniæ largitor, & & humánæ salútis amátor: quæsumus cleméntiam tuam, ut nostræ congregatiónis fratres, propinquos, & benefactóres, qui ex hoc século transiérunt, beátâ Maríâ semper, Vírgine intercedente cum ómnibus Sanctis tuis, ad perpétuæ beatitúdinis consórtium pervenire concédas.

*Pro omnibus Defunctis.*

FIdélium, Deus, ómniũ conditor & redemptor, animábus famulórũ famularumque tuárum remissiónẽ cunctórum tríbue peccatórum; ut indulgéntiam quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequantur; Qui vivis & regnas in sécula seculórum. ℟. Amen.

*Si aliud Officium non sequatur, dicitur:*

Requiescant in pace.

℟. Amen.

[ *Privatim pro patre & matre.*

*Oratio.*

DEus, qui nos patrem & matrem honoráre præcepísti: miserére cleménter animábus patris mei ac matris meæ, eorumque peccáta dimitte; meque eos in æternæ claritátis gáudio fac vidére; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuũ. ]

## AD VIGILIAS.

*Invit.* Deum cui omnes vivunt, * Veníte, adorémus. *Luc.* 20.

*Psalmus*, Veníte. *in cujus fine, loco* Glória Patri. *dicitur:*

Réquiem æternam dona eis, Dómine; & lux perpétua lúceat eis.

*Dicitur in Commemoratione omnium Fidelium, & quando recitantur tria Nocturna.*

*Vigiliæ dicuntur cum tribus Nocturnis in depositione corporis, & in omnibus Anniversariis ritu duplici celebrandis. In iis verò quæ ritu simplici fiunt, ubi dicitur unicum Nocturnum, Feriâ II. & V. dicitur primum; Feriâ III. & VI. secundum; Feriâ IV. & Sabbato, tertium.*

*IN I. NOCTURNO.*

*Ant.* 7. ç. Dómine.

*Psalmus* 5.

VErba mea áuribus pércipe, Dómine; * intéllige clamórem meum.

Intende voci oratiónis meæ, * Rex meus & Deus meus.

Quóniam ad te orábo, Dómine, * manè exáudies vocem meam.

Manè astábo tibi, & vidébo; * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malignus, * neque permanébunt injusti ante óculos tuos.

Odísti omnes qui operantur iniquitátem: * perdes omnes qui loquuntur mendácium.

Virum sánguinum & dolósum abominábitur Dóminus; * ego autem in multitúdine misericórdiæ tuæ,

Introíbo in domum tuam, * adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Dómine, deduc me in justítia tua: * propter inimícos meos dírige in conspectu tuo viam meam;

Quóniam non est in ore eórum véritas; * cor eórum vanum est.

Sepulcrum patens est guttur eórum, linguis suis dolósè agébant: * júdica illos, Deus.

Décidant à cogitatiónibus suis; secundùm multitúdinem impietátũ eórum expelle eos, * quóniam irritavérunt te, Dómine.

Et lætentur omnes qui sperant in te: * in æternum exultábunt; & habitábis in eis.

Et gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum, * quóniam tu benedices justo.

Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ * coronasti nos.

*Ant.* Dómine, deduc me in justítia tua: propter inimícos meos dírige in conspectu tuo viam meam.

*Ant.* 8. G. Salvum me fac.

*Psalmus 6.*

DOmine, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me.

Miserére mei, Dómine; quóniam infirmus sum: * sana me, Dómine, quóniam conturbáta sunt ossa mea.

Et ánima mea turbáta est valdè; * sed tu, Dómine, úsquequò?

Convértere, Dómine, & éripe ánimam meam: * salvum me fac propter misericórdiam tuam;

Quóniam non est in morte qui memor sit tuî: * in inferno autem quis confitébitur tibi?

Laborávi in gémitu meo, lavábo per síngulas noctes lectum meũ, * lácrymis meis stratum meum rigábo.

Turbátus est à furóre óculus meus, * inveterávi inter omnes inimícos meos.

Discédite à me, omnes qui operámini iniquitatẽ, * quóniam exaudívit Dóminus vocem fletûs mei.

Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam: * Dóminus oratiónem meam suscépit.

Erubescant & conturbentur vehementer omnes inimíci mei: * convertantur & erubescant valde velóciter.

*Ant.* Salvum me fac propter misericórdiam tuam; quóniã non est in morte, qui memor sit tuî.

*Ant.* 3. c. Illúmina.

*Psalmus* 12.

USquequò, Dómine, oblivíscéris me in finem? * úsquequò avertis fáciem tuam à me?

Quámdiu ponam consília in ánima mea, * dolórem in corde meo per diem.

Usquequò exaltábitur inimícus meus super me? * réspice, & exaudi me, Dómine Deus meus.

Illúmina óculos meos, ne umquam obdórmiam in morte, * nequando dicat inimícus meus: Præválui adversùs eum.

Qui tríbulant me, exultábunt si motus fúero; * ego autem in misericórdia tua sperávi.

Exultábit cor meum in salutári tuo, cantábo Dómino qui bona tríbuit mihi; * & psallam nómini Dómini Altíssimi.

*Ant.* Illúmina óculos meos, ne unquam obdórmiam in morte.

℣. Ne tradas béstiis ánimas confitentes tibi, ℟. Et ánimas páuperum tuórum ne obliviscáris in finem. *Ps.* 73.

*Secretò*, Pater. *Clará voce*, ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

*Lectiones leguntur sine Absolutione, sine Benedictionibus & sine Titulo.*

*Lectio j.* Job. 7.

PArce mihi, nihil enim sunt dies mei. Quid est homo, quia magníficas eum? aut quid appónis erga eum cor tuum? Vísitas eum dilúculo, & súbitò probas illum. Usquequò non parcis mihi, nec dimíttis me ut glútiam salívam meam? Peccávi: quid fáciam tibi, ô custos hóminum? Quare posuísti me contrárium tibi, & factus sum mihimetipsi gravis? Cur non tollis peccátum meum? & quare non aufers iniquitátem meam? Ecce nunc in púlvere dórmiam; & si manè me quæsíeris, non subsístam.

*In fine Lectionum nihil additur.*

℟. Defecérunt sicut fumus dies mei, & ossa mea sicut crémium aruérunt: * Dies mei sicut umbra declinavérunt. ℣. Quæ est vita nostra? Vapor est ad módicum parens. * Dies. *Ps.* 101. *Jac.* 4.

*Lectio ij.* Job. 10.

TÆdet ánimam meã vitæ meæ: dimittam adversùm me elóquium meum, loquar in amaritúdine ánimæ meæ. Dicam Deo: Noli me condemnáre; índica mihi cur me ita júdices. Numquid bo-

num tibi vidétur, si calumniéris me, & ópprimas me opus mánuũ tuárum, & consílium impiórũ ádjuves? Numquid óculi cárnei tibi sunt? aut sicut videt homo, & tu vidébis? Numquid sicut dies hóminis dies tui, & anni tui sicut humána sunt témpora; ut quæras iniquitátem meam, & peccátum meum scrutéris? Et scias quia nihil ímpium fécerim, cùm sit nemo qui de manu tua possit erúere. Manus tuæ fecérunt me, & plasmavérunt me totum in circúitu; & sic repentè præcípitas me? Memento, quæso, quòd sicut lutum féceris me, & in púlverem redúces me. Nonne sicut lac mulsísti me, & sicut cáseum me coagulásti? Pelle & cárnibus vestitísti me; óssibus & nervis compegísti me. Vitam & misericórdiam tribuísti mihi, & visitátio tua custodívit spíritum meum.

℟. Peccávi valde; sed * Precor, Dómine, ut tránsferas iniquitátem servi tui, quia stultè egi nimis? ℣. Deus, propítius esto mihi peccatóri. * Precor. 2. *Reg.* 24. *Luc.* 18.

*Lectio iij.* Job. 10.

QUare de vulva eduxísti me? qui útinam consúmptus essem, ne óculus me vidéret. Fuíssem quasi non essem, de útero translátus ad túmulum. Numquid non páucitas diérum meórum finiétur brevi? Dimitte ergo me, ut plangam páululùm dolórem meũ, ántequàm vadam, & non revertar, ad terram tenebrósam & opertam mortis calígine, terram misériæ & tenebrárum, ubi umbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhábitat.

℟. Ad Dóminum aspíciam, expectábo Deum salvatórem meum; consúrgam, cùm sédero in ténebris: * Iram Dómini portábo, quóniam peccávi ei. ℣. Flagellat Dóminus omnem filium quem récipit: * Iram. *Mich.* 7. *Hebr.* 12.

*IN II. NOCTURNO.*

*Ant.* 4. E. In médio.

*Psalmus* 22.

DOminus regit me, & nihil mihi déerit: * in loco páscuæ ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis educávit me: * ánimam meã convertit.

Deduxit me super sémitas justítiæ, * propter nomen suum.

Nam & si ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala, * quóniam tu mecum es.

Virga tua, & báculus tuus, * ipsa me consoláta sunt.

Parásti in conspéctu meo mensam, * adversùs eos qui tríbulant me.

Impinguásti in óleo caput meum; * & calix meus inébrians quàm præclárus est!

Et misericórdia tua subsequétur me * ómnibus diébus vitæ meæ;

Et ut inhábitem in domo Dómini, * in longitúdinem diérum.

*Ant.* In médio umbræ mortis non timébo mala, quóniam tu mecum es, Dómine.

*Ant.* 8. G. Delicta.

*Psalmus* 24.

AD te, Dómine, levávi ánimam meam; * Deus meus, in te confido, non erubéscam.

Neque irrídeant me inimíci mei; * étenim universi qui sústinent te, non confundentur.

Confundantur omnes iníqua agentes * supervácuè.

Vias tuas, Dómine, demonstra mihi, * & sémitas tuas édoce me.

Dírige me in veritáte tua, & doce me; * quia tu es Deus salvátor meus, & te sustínui totâ die.

Reminíscere miseratiónum tuárum, Dómine, * & misericordiárum tuárum quæ à século sunt.

Delícta juventútis meæ * & ignorántias meas ne memíneris.

Secundùm misericórdiam tuam memento meî tu, * propter bonitátem tuam, Dómine.

Dulcis & rectus Dóminus; * propter hoc legem dabit delinquéntibus in via:

Díriget mansuétos in judício, * docébit mites vias suas.

Universæ viæ Dómini misericórdia & véritas, * requiréntibus testaméntum ejus & testimónia ejus.

Propter nomen tuum, Dómine, propitiáberis peccáto meo; * multum est enim.

Quis est homo qui timet Dóminum? * legem státuit ei in via quam elégit.

Anima ejus in bonis demorábitur, * & semen ejus hæreditábit terram.

Firmamentum est Dóminus timéntibus eum; * & testamentum ipsius ut manifestétur illis.

Oculi mei semper ad Dóminum, * quóniam ipse evellet de láqueo pedes meos.

Réspice in me, & miserére meî, * quia únicus & pauper sum ego.

Tribulatiónes cordis mei multiplicátæ sunt, * de necessitátibus meis érue me.

Vide humilitátem meam, & labórem meum, * & dimitte universa delícta mea.

Réspice inimícos meos quóniam multiplicáti sunt, * & ódio iníquo odérunt me:

Custódi ánimam meam, & érue me; * non erubéscam, quóniam sperávi in te.

Innocentes & recti adhæsérunt mihi, * quia sustínui te.

Líbera, Deus, Israel, * ex ómnibus tribulatiónibus suis.

*Ant.* Delícta juventútis, & ignorántias ne memíneris, Dómine.

*Ant.* 7. b. Miserére meî.

*Psalmus* 26.

DOminus illuminátio mea, & salus mea; * quem timébo?

Dñus protector vitæ meæ; * à quo trepidábo?

Dum apprópiant super me nocentes, * ut edant carnes meas.

Qui tríbulant me inimíci mei, * ipsi infirmáti sunt & cecidérunt.

Si consistant adversùm me castra, * non timébit cor meum.

Si exurgat adversùm me prælium, * in hoc ego sperábo.

Unam pétii à Dómino, hanc requíram, * ut inhábitem in domo Dómini ómnibus diébus vitæ meæ:

Ut vídeam voluptátem Dómini, * & vísitem templum ejus;

Quóniam abscondit me in tabernáculo suo: * in die malórum protexit me in abscóndito tabernáculi sui.

In petra exaltávit me, * & nunc exaltávit caput meum super inimícos meos.

Circuívi, & immolávi in tabernáculo ejus hóstiam vociferatiónis: * cantábo, & psalmum dicam Dómino.

Exaudi, Dómine, vocem meam quâ clamávi ad te: * miserére meî, & exaudi me.

Tibi dixit cor meum: Exquisívit te fácies mea: * fáciem tuam, Dómine, requíram.

Ne avertas fáciem tuam à me: * ne declines in ira à servo tuo.

Adjútor meus esto; ne derelinquas me, * neque despícias me, Deus salutáris meus;

Quóniam pater meus & mater mea dereliquérunt me: * Dóminus autem assúmpsit me.

Legem pone mihi, Dómine, in via tua; * & dírige me in sémitam rectam propter inimícos meos.

Ne tradíderis me in ánimas tribulántium me; * quoniam insurrexérunt in me testes iníqui, & mentíta est iniquitas sibi.

Credo vidére bona Dómini * in terra vivéntium.

Expécta Dóminum, viríliter age; * & confortétur cor tuum, & sústine Dóminum.

*Ant.* Miserére meî, & exaudi me, Dómine; ne avertas fáciem tuam a me.

℣. Unam pétii à Dómino, hanc requíram, ℟. Ut inhábitem in domo Dñi. *Ps.* 26.

*Lectio iv.* Job. 13.

Quantas hábeo iniquitátes & peccáta, scélera mea & delícta ostende mihi. Cur fáciem tuam abscóndis, & arbitráris me inimícum tuum? Contra fólium quod vento rápitur, osténdis poténtiam tuam, & stípulam síccæ persequeris. Scribis enim contra me amaritúdines, & consúmere me vis peccátis adolescéntiæ meæ. Posuísti in nervo pedem meum, & observásti omnes sémitas meas, & vestígia pedum meórum considerásti; qui quasi putrédo consúmendus sum, & quasi vestiméntum quod coméditur à tínea.

℟. Ecce ánimam meam porto in mánibus meis: * Etiamsi occíderit me, in ipso sperábo, & ipse erit Salvátor meus. ℣. Sive vívimus, sive mórimur, Dómini sumus: * Etiamsi. *Job.* 13. *Rom.* 14.

*Lectio v.* Job 14.

Homo natus de muliére, brevi vivens témpore, replétur multis misériis. Qui quasi flos egréditur & contéritur, & fugit velut umbra, & nunquam in eódem statu pérmanet. Et dignum ducis super hujuscémodi aperíre óculos tuos, & addúcere eum recum in judícium. Quis potest fácere mundum de im-

mundo conceptum sémine? Nonne tu qui solus es? Breves dies hóminis sunt, número ménsium ejus apud te est; constituísti términos ejus, qui præteríri non póterunt. Recéde páululùm ab eo, ut quiéscat, donec optáta véniat sicut mercenárii dies ejus.

℟. Hi qui cum pietáte dormitiónem accepérunt, óptimam habent repósitam grátiam. * Sancta ergo & salúbris est cogitátio pro defunctis exoráre, ut à peccátis solvantur. ℣. Si quis superædíficat super fundamentum, & opus ejus árserit, detrimentum patiétur; ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. * Sancta ergo. 2. *Machab.* 12. 1. *Cor.* 3.

*Lectio vj.* Job 14.

QUis mihi hoc tríbuat, ut in inferno prótegas me, & abscondas me, donec pertránseat furor tuus, & constítuas mihi tempus in quo recordéris meî? Putasne mórtuus homo rursum vivat? Cunctis diébus, quibus nunc milito, expecto donec véniat immutátio mea. Vocábis me, & ego respondébo tibi: óperi mánuum tuárum pórriges déxterâ. Tu quidem gressus meos dinumerásti: sed parce peccátis meis.

℟. Dómine omnípotens, Deus Israel, * Audi nunc oratiónem mortuórum Israel: nóli meminísse iniquitátum patrum nostrórum; sed memento manûs tuæ & nóminis tui. ℣. Occísus es, Dómine, & redemísti nos Deo in sánguine tuo: * Audi nunc oratiónem. *Baruch.* 3. *Apoc.* 5.

*IN III. NOCTURNO.*

*Ant.* 2. D. Amove.

*Psalmus* 38.

DIxi: Custódiam vias meas, * ut non delínquam in língua mea.

Pósui ori meo custódiam, * cùm consísteret peccátor adversùm me.

Obmútui & humiliátus sum, & sílui à bonis; * & dolor meus renovátus est.

Concáluit cor meum intra me, * & in meditatióne mea exardéscet ignis.

Locútus sum in língua mea: * Notum fac mihi, Dómine, finem meum.

Et número rum diérum meórum, quis est; * ut sciam quid desit mihi.

Ecce mensurábiles posuísti dies meos; * & substántia mea tanquam níhilum ante te.

Verúmtamen universa vánitas, * omnis homo vivens.

Verúmtamen in imágine pertransit homo, * sed & frustrà conturbátur.

Thesaurízat, * & ignórat cui congregábit ea.

Et nunc quæ est expectátio mea? nonne Dóminus? * & substántia mea apud te est.

Ab ómnibus iniquitátibus meis érue me: * oppróbrium insipiénti dedísti me.

Obmútui, & non apérui os meum, quóniam tu fecísti: * ámove à me plagas tuas.

A fortitúdine manûs tuæ ego defíci in increpatiónibus, * propter iniquitátem corripuísti hóminem;

Et tabéscere fecísti sicut aráneam ánimam ejus: * verúmtamen

tamen vanè conturbátur omnis homo.

Exaudi oratiónem meam, Dómine, & deprecatiónem meam, * áuribus pércipe lácrymas meas.

Ne síleas, quóniam ádvena ego sum apud te, & peregrínus, * sicut omnes patres mei.

Remitte mihi ut refrigerer, priusquàm ábeam, * & ámplius non ero.

*Ant.* Amove à me plagas tuas, Dómine: áuribus pércipe lácrymas meas.

*Ant.* 3. b. Numquid qui dormit.

*Psalmus* 40.

BEátus qui intélligit super egénum & páuperem, * in die mala liberábit eum Dóminus.

Dóminus conservet eum, & vivíficet eum, & beátum fáciat eum in terra, & * non tradat eum in ánimam inimicórum ejus.

Dóminus opem ferat illi super lectum dolóris ejus: * universum stratum ejus versásti in infirmitáte ejus.

Ego dixi: Dómine, miserére meî, * sana ánimam meam, quia peccávi tibi.

Inimíci mei dixérunt mala mihi: * Quando moriétur, & períbit nomen ejus?

Et si ingrediebátur ut vidéret, vana loquebátur: * cor ejus congregávit iniquitátem sibi.

Egrediebátur foràs, * & loquebátur in idipsum.

Adversùm me susurrábant omnes inimíci mei: * adversùm me cogitábant mala mihi.

Verbum iníquum constituérunt adversùm me: * numquid qui dormit non adjíciet ut resurgat?

Etenim homo pacis meæ, in quo sperávi, * qui edébat panes meos, magnificávit super me supplantatiónem.

Tu autem, Dómine, miserére meî, & resúscita me; * & retríbuam eis.

In hoc cognóvi quóniam voluísti me, * quóniam non gaudébit inimícus meus super me.

Me autem propter innocéntiam suscepísti; * & confirmásti me in conspectu tuo in ætérnum.

Benedíctus Dóminus Deus Israel à século, & usque in séculum: * fiat, fiat.

*Ant.* Numquid qui dormit, non adjíciet ut resurgat? Dómine, miserére meî, & resúscita me.

*Ant.* 8. G. Sitívit.

*Psalmus* 41.

QUemádmodum desíderat cervus ad fontes aquárum, * ita desíderat ánima mea ad te, Deus.

Sitívit ánima mea ad Deum fortem, vivum: * quando véniam & apparébo ante fáciem Dei?

Fuérunt mihi lácrymæ meæ panes die ac nocte, * dum dícitur mihi quotídie: Ubi est Deus tuus?

Hæc recordátus sum, & effúdi in me ánimam meam; * quóniam transibo in locum tabernáculi admirábilis, usque ad domum Dei;

In voce exultatiónis & confessiónis, * sonus epulantis.

Quare tristis es, ánima mea? * & quare conturbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: * salutáre vultûs mei, & Deus meus.

Ad meipsum ánima mea conturbáta est; * propterèa memor ero tuî de terra Jordánis, & Hermóniim à monte módico.

A byssus abyssum ínvocat, * in voce cataractárum tuárum.

Omnia excelsa tua, & fluctus tui * super me transiérunt.

In die mandávit Dóminus misericórdiam suam, * & nocte cánticum ejus.

Apud me orátio Deo vitæ meæ: * dicam Deo: Suscéptor meus es;

Quare oblítus es meî, * & quare contristátus incédo, dum afflígit me inimícus?

Dum confringuntur ossa mea, * exprobravérunt mihi qui tribulant me inimíci mei;

Dum dicunt mihi per síngulos dies: Ubi est Deus tuus? * quare tristis es, ánima mea? & quare conturbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: * salutáre vultûs meî, & Deus meus.

Réquiem æternam dona eis, Dñe, * & lux perpétua lúceat eis.

*Ant.* Sitívit ánima mea ad Deum fortẽ, vivum: quando véniam & apparébo ante fáciem Dei!

℣. Quare tristis es, ánima mea? & quare conturbas me?

℟. Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi. *Ps.* 41.

*Lectio vij.* Job. 16. & 17.

BReves anni tránseunt; & sémitam per quam non revertar, ámbulo. Spíritus meus attenuábitur, dies mei breviabuntur, & solum mihi supérest sepulchrum. Non peccávi, & in amaritudínibus morátur óculus meus. Líbera me, Dñe, & pone me juxta te; & cujusvis manus pugnet contra me.

℟. Scio quòd Redemptor meus vivit, & in novíssimo die de terra surrectúrus sum, * Et in carne mea vidébo Deum meum. ℣. Oportet corruptíbile hoc indúere incorruptiónem, & mortále hoc indúere immortalitátem; * Et in carne. *Job.* 19. 1. *Cor.* 15.

*Lectio viij.* Job. 17.

DIes mei transiérunt; cogitatiónes meæ dissipátæ sunt, torquentes cor meum. Noctem vertérunt in diem, & rursùm post ténebras spero lucem. Si sustinúero, infernus domus mea est; & in ténebris stravi léctulum meum. Putrédini dixi: Pater meus es; mater mea & soror mea vérmibus. Ubi est ergo nunc præstolátio mea? & patiéntiam meam quis considerat?

℟. Qui dórmiunt in terræ púlvere, * Evigilábunt; álii in vitam æternam, & álii in opprobrium, ut vídeant semper. ℣. Omnes quidem resurgémus, sed non omnes immutábimur; * Evigilábunt. *Dan.* 12. 1. *Cor.* 15.

*Lectio ix.* Job. 19.

PElli meæ, consúmptis cárnibus, adhæsit os meum; & derelícta sunt tantúmmodo

lábia circa dentes meos. Miserémini meî miserémini meî, saltèm vos amíci mei; quia manus Dómini tétigit me. Quare persequímini me sicut Deus, & cárnibus meis saturámini? Quis mihi tríbuat ut scribántur sermónes mei? Quis mihi det ut exarentur in libro stylo férreo & plumbi láminâ, vel celte sculpantur in sílice? Scio enim quòd Redemptor meus vivit, & in novíssimo die de terra surrectúrus sum: & rursùm circúmdabor pelle meâ, & in carne mea vidébo Deum meũ; quem visúrus sum ego ipse, & óculi mei conspectúri sunt, & non álius. Repósita est hæc spes mea in sinu meo.

℟. Líbera me, Dómine, ab iis qui odérunt me: non absórbeat me profundum, neque úrgeat super me púteus os suum: Exaudi me, quóniam benigna est misericórdia tua: Intende ánimæ meæ, & líbera eam. ℣. Dómine Deus, Rex seculórum, solus pius es: *Chorus.* Exaudi me, quóniam benigna est misericórdia tua: Intende ánimæ meæ, & líbera eam. ℣. Miserére meî, Dómine fili David: Dómine, ádjuva me: *Chorus.* Benigna est misericórdia tua: Intende ánimæ meæ, & líbera eam. ℣. Propítius esto Deus propitiatiónem per fidem propter remissiónẽ delictorum: *Chorus.* Intende ánimæ meæ, & líbera eam. *Repetitur* ℟. Líbera. *usq; ad* ℣. Dómine. *Ps.* 68. *Apoc.* 15. *Matth.* 15. *Rom.* 3.

[*Quando Vigilia celebrantur manè, prætermissis quæ sequuntur, continuò inchoantur Laudes.*]

℣. Réquiem æternam dona eis, Dómine; ℟. Et lux perpétua lúceat eis.

℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

ABsólve, quæsumus, Dómine, ánimam * famuli tui *N.* [Sacerdótis *vel* Pontíficis] [*vel* famulæ tuæ *N.*] [*vel* ánimas * famulórum tuórum *N.* & *N. vel* famulárum tuárum *N.* & *N.*] & ánimas ómnium fidélium defunctórum, ab omni vínculo delictórum; ut in resurrectiónis glória inter sanctos & electos tuos resuscitáti respírent; Per eum qui ventúrus est judicáre vivos & mórtuos, & séculum per ignem. ℟. Amen.

℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.

## AD LAUDES.

*In Psal.* Miserére. 124.

*Ant.* 7. ç. Secundùm multitúdinem miseratiónum tuárum dele iniquitátem meam.

*Ant.* 8. G. Exaudi, Deus. *Psalmus* 64.

TE decet hymnus, Deus, in Sion, * & tibi reddétur votum in Jerúsalem.

Exaudi oratiónem meam: * ad te omnis caro véniet.

Verba iniquórum prævaluérunt super nos; * & impietátibus nostris tu propitiáberis.

Beátus quem elegísti, &

assumpsísti : * inhabitábit in átriis tuis.

Replébimur in bonis domûs tuæ; * sanctum est templum tuum, mirábile in æquitáte.

Exaudi nos, Deus salutáris noster, * spes ómnium finium terræ, & in mari longè;

Præparans montes in virtúte tua, accinctus poténtiâ : * qui conturbas profundum maris, sonum flúctuum ejus.

Turbabuntur gentes, & timébunt qui hábitant términos à signis tuis : * éxitus matutíni & vésperè delectábis.

Visitásti terram, & inebriásti eam : * multiplicásti locupletáre eam.

Flumen Dei replétum est aquis; paráti cibum illórum, * quóniam ita est præparátio ejus.

Rivos ejus inébria, multíplica genímina ejus; * in stillicídiis ejus lætábitur gérminans.

Benedíces corónæ anni benignitátis tuæ; * & campi tui replebuntur ubertáte.

Pinguescent speciósa desérti, * & exultatióne colles accingentur.

Indúti sunt aríetes óvium, & valles abundábunt frumento : * clamábunt, étenim hymnum dicent.

*Ant.* Exaudi, Deus, oratiónem meam : ad te omnis caro véniet.

*Ant.* 3. b. Propter.

*Psalmus* 142.

DOmine, exaudi oratiónem meam : áuribus pércipe obsecratiónem meam in veritáte tua; * exaudi me in tua justítia.

Et non intres in judícium cum servo tuo; * quia non justificábitur in conspéctu tuo omnis vivens.

Quia persecútus est inimícus ánimam meam : * humiliávit in terra vitam meam.

Collocávit me in obscúris sicut mórtuos léculi; & anxiátus est super me spíritus meus : * in me turbátum est cor meum.

Memor fui diérum antiquórum : meditátus sum in ómnibus opéribus tuis; * in factis mánuum tuárum meditábar.

Expandi manus meas ad te : * ánima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velóciter exaudi me, Dómine; * defécit spíritus meus.

Non avertas fáciem tuam à me; * & símilis ero descendéntibus in lacum.

Auditam fac mihi manè misericórdiam tuam; * quia in te sperávi.

Notam fac mihi viam in qua ámbulem; * quia ad te levávi ánimam meam.

Eripe me de inimícis meis, Dómine; ad te confúgi : * doce me fácere voluntátem tuã, quia Deus meus es tu.

Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam : * propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me in æquitáte tua.

Edúces de tribulatióne ánimam meam; * & in misericórdia tua dísperdes inimícos meos.

Et perdes omnes qui tríbulant ánimam meam; * quó-

niam ego servus tuus sum.

*Ant.* Propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me.

*Ant.* 4. *E.* Miserére.

*Canticum.* Baruch. 3.

DOmine omnípotens, Deus Israel, * ánima in angústiis, & spíritus ánxius clamat ad te:

Audi, Dómine, & miserére, quia Deus es misércors; * & miserére nostrî, quia peccávimus ante te.

Quia tu sedes in sempitérnum, * & nos perîbimus in ævum?

Dómine omnípotens, Deus Israel, * audi nunc oratiónem mortuórum Israel,

Et filiórum ipsórum qui peccavérunt ante te, & non audiérunt vocem Dómini Dei sui, * & agglutináta sunt nobis mala.

Noli meminísse iniquitátum patrum nostrórum; * sed memento manûs tuæ & nóminis tui in témpore isto:

Quia tu es Dóminus Deus noster; * & laudábimus te, Dómine.

*Ant.* Miserére, quia Deus es misércors.

*Ant.* 7. b. Omnis spíritus.

*Psalmus* 150.

LAudáte Dóminum in Sanctis ejus: * laudáte eum in firmamento virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus: * laudáte eum secundùm multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in sono tubæ: * laudáte eum in psaltério & cíthara.

Laudáte eum in tympano & choro: * laudáte eum in chordis & órgano.

Laudáte eum in cymbalis benesonántibus; laudáte eum in cymbalis jubilatiónis: * omnis spíritus laudet Dóminum.

*Ant.* Omnis spíritus laudet Dóminum.

*Ad* Benedictus. *Ant.* 1. a. Ego sum resurréctio & vita: qui credit in me, etiamsi mórtuus fúerit, vivet; & omnis qui vivit & credit in me, non moriétur in æternum. *Joan.* 11.

Pater. *& catera ut suprà in Vesperis*, cliij. *excepto quòd loco Psalmi* Lauda. *dicitur Ps.* De profundis. cxxxvj.

## COMMENDATIONES

*Pro pluribus dicuntur in plurali.*

℟. DOmine omnípotens, Deus Israel, * Audi nunc oratiónem mortuórum Israel. Noli meminísse iniquitátum patrum nostrórum, sed memento manûs tuæ & nóminis tui. ℣. Occísus es, Dómine, & redemísti nos Deo in sánguine tuo: * Audi nunc. *Baruch.* 3. *Apoc.* 5.

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison. *Secretò*, Pater. *Clarâ voce.* Et ne nos indúcas, &c.

TIbi, Dómine, commendámus ánimam * famuli tui *N.* ut defunctus [ *vel* famulæ tuæ *N.* ut defuncta ] século, tibi vivat: & quæ per fragilitátem mundánæ conversatiónis peccáta commísit, tu véniâ misericordíssimæ pietátis absterge; Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Orémus.

MIsericórdiam tuam, Dómine sancte, Pater omnípotens, æterne Deus, pietátis affectu rogáre pro áliis cógimur, qui pro nostris rogáre peccátis nequáquam sufficimus, tamen de tua confisi gratúita pietáte & inólita benignitáte, cleméntiam tuam depóscimus, ut ánimam * fámuli tui [ *vel* fámulæ tuæ ] ad te revertentem cum pietáte susc ípias : adsit ei Angelus testamenti tui Míchael, & per manus sanctórum Angelórum tuórum inter sanctos & electos tuos in sínibus Abrahæ, Isaac & Jacob Patriarchárum tuórum eam collocáre dignéris ; quátenus liberáta de principibus tenebrárum & de locis pœnárum, nullis jam primævæ nativitátis, vel ignorántiæ, aut própriæ iniquitátis seu fragilitátis confundátur erróribus ; sed agnoscátur à Sanctis tuis & beatitúdinis réquie perfruátur ; atque cùm magni judícii dies advénerit, inter sanctos & electos tuos * resuscitátus [ *vel* resuscitáta ] glóriâ manifestæ contemplatiónis tuæ perpétuò satiétur ; Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

*In Psal.* In éxitu. 24. *in cujus fine dicitur*, Réquiem. *Ant.* 7. ç. Qui timent Dóminum, speravérunt in Dómino; adjútor eórum & protector eórum est. *Ps.* 113.

Orémus.

OMnípotens, sempiterne Deus, qui humáno córpori ánimam ad similitúdinem tuam inspirâre dignátus es : dum, te jubente, pulvis in púlverem revértitur; tu imáginem tuam cum sanctis & electis tuis ætérnis sédibus præcípias sociári ; eamque ad te revertentem de Ægypti pártibus blandè leniterque susc ípias, & Angelos tuos sanctos ei óbviam mittas ; viamque illi justítiæ demonstra, & portas glóriæ tuæ áperi. Repelle, quæsumus, Dómine, ab ea omnes príncipes tenebrárum, & agnosce depósitum fidéle quod tuum est. Súscipe, Dómine, creatúram tuam, non à diis aliénis creátam, sed à te solo Deo vivo & vero ; quia non est álius Deus præter te, Dómine, & non est secundùm ópera tua. Lætífica, clementíssime Pater, ánimam ejus, & clarífica eam in multitúdine misericórdiæ tuæ. Ne memíneris, quæsumus, iniquitátum ejus antiquárũ quas susc itávit furor mali desidérii : licèt enim peccáverit, tamen te non negávit ; sed signo fidei insignita, te qui ómnia, & eam inter ómnia feciſti, fidéliter adorávit ; Qui vivis & regnas Deus. ℟. Amen.

*In Psalm.* Dilexi. 43. Crédidi. 89. Laudáte Dóminum, omnes gentes. 116. Confitémini. 12. *&* Beáti immaculáti. 13. *integrè. Ant. sola.* 8. c. Circumdedérunt me dolóres mortis, & perícula inferni invenérunt me. O Dómine, líbera ánimam meã. *Ps.* 114.

Orémus.

DIri vúlneris novitáte perculsi, & quodámmodò córdibus saucíati, misericórdiam tuam, mundi Redem-

ptor, flebílibus vócibus implorámus; ut * cari nostri *N.* [*vel* caræ nostræ *N.*] ánimã ad tuam cleméntiam, qui fons pietátis es, revertentem blandè leniterque susćipias; & quas ex carnáli commoratióne contraxit máculas, tu Deus, inólitâ bonitáte clementer déleas. *Chorus*, Amen: Piè indúlgeas, *Chor.* Amen: Oblivióni in perpétuum tradas, *Chorus*, Amen: Atque hanc laudem tibi cum céteris redditúram, & ad corpus próprium quandóquè reversúrã, Sanctórum tuórum cœtibus aggregári præcípias; Qui cum Deo Patre & Spíritu sancto vivis & regnas Deus, per ómnia sécula seculórum.

℟. Amen.

Pater, &c. ℣. Et ne nos indúcas, &c. ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Réquiem æternam dona eis, Dómine; ℟. Et lux perpétua lúceat ei.

℣. Anima ejus in bonis demorétur, ℟. Et semen ejus hæréditet terram. *Ps.* 24.

℣. Non intres in judícium cum * servo tuo, [*vel* ancilla tua,] Dómine; ℟. Quia non justificábitur in conspectu tuo omnis vivens. *Ps.* 142.

℣. A porta ínferi ℟. Erue, Dñe, ánimam ejus. *Ps.* 88.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101.

℣. Dóminus vobiscum, ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

PArtem beátæ resurrectiónis obtíneat, quæsumus, Dómine, ánima * fámuli tui [*vel* fámulæ tuæ] *N.* vitamque æternam habére mereátur in cœlis, per te, Jesu Christe, Salvátor mundi.

DEus, cui soli cómpetit medicínam præstáre post mortem: præsta, quæsumus, ut ánima * fámuli tui [*vel* fámulæ tuæ] *N.* terrénis exúta contágiis, in tuæ redemptiónis parte numerétur; Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

℣. Requiescat in pace.

℟. Amen.

---

# BENEDICTIO MENSÆ.

## *ANTE PRANDIUM.*

BEnedícite. ℟. Dóminus. Oculi ómnium in te sperant, Dómine; & tu das illis escam in témpore opportúno: áperis tu manum tuam, & imples omne ánimal benedictióne. *Ps.* 144.

Glória Patri, & Fílio, & Spíritui sancto: Sicut erat in princípio, &c. Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

*Secretò*, Pater. *usque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

Orémus.

BEnedic, Dómine, dona † tua, quæ de tua largitáte sumus sumptúri; Per

Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

*Si fiat Lectio, Lector dicit:* Jube, domne, benedícere.

*Bened.* Mensæ cœlestis participes fáciat nos Rex æternæ glóriæ.

℟. Amen.

*In fine Lectionis, dicitur:* Tu autem, Dómine, miserére nostrî. ℟. Deo grátias.

GRATIARUM ACTIO *post Prandium.*

CONfiteantur tibi, Dómine, ómnia ópera tua; & Sancti tui benedícant tibi. *Ps.* 144. Glória Patri, &c.

*Qui benedixit mensam, dicit:*

AGimus tibi grátias, omnipotens Deus, pro universis beneficiis tuis; Qui vivis & regnas in sécula seculórum. ℟. Amen.

*Deinde procedendo ad Ecclesiam, dicitur Psal.* Miserére. 124. *Si verò non procedatur, dicitur Psal.* Laudáte Dóminum, omnes gentes. 116. *Qui Psalmus semper dicitur, quando absolvitur Gratiarum actio in loco refectionis.*

*In fine Psalmi dicitur*, Glória Patri. *deinde* Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

Pater. *secretò usque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem: ℟. Sed libera nos à malo.

℣. Dispersit, dedit paupéribus; ℟. Justítia ejus manet in séculum séculi. *Ps.* 111.

℣. Benedícam Dóminum in omni témpore; ℟. Semper laus ejus in ore meo. *Ps.* 33.

℣. In Dómino laudábitur ánima mea: ℟. Audiant mansuéti, & lætentur. *Ps.* 33.

℣. Magnificáte Dóminum mecum; ℟. Et exaltémus nomen ejus in idipsum. *Ps.* 33.

℣. Sit nomen Dómini benedictum; ℟. Ex hoc nunc, & usque in séculum. *Ps.* 112.

RETribúere dignáre, Dómine, ómnibus nobis bona faciéntibus, propter nomen sanctum tuum, vitam æternam. ℟. Amen.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

*Secretò*, Et fidélium ánimæ per misericórdiâ Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

BENEDICTIO MENSÆ ANTE CŒNAM.

BEnedícite. ℟. Dóminus. Edent páuperes, & saturabúntur; & laudábunt Dóminum, qui requirunt eum; vivent corda eórum in séculum séculi. *Ps.* 21. Glória Patri. Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison. *Secretò*, Pater. *Clarâ voce.* Et ne nos, &c.

Orémus.

BEnedic, Dómine, dona † tua, quæ de tua largitáte sumus sumptúri; Per. *Ad Lect. Bened.* Ad cœnam perpétuæ vitæ perdúcat nos Rex æternæ glóriæ. ℟. Amen.

GRATIARUM ACTIO *post Cœnam.*

MEmóriam fecit mirabílium suórũ miséricors & miserátor Dóminus: escam dedit timéntibus se. *Ps.* 110.

Glória Patri, & Fílio, & Spirítui Sancto: Sicut erat in princípio, & nunc, & semper, & in sécula seculórum. Amen.

*Qui benedixit mensam, dicit:*

BEnedictus Deus in donis suis, & sanctus in ómnibus opéribus suis; Qui vivit & regnat in sécula seculórum.

*Psalmi & reliqua ut suprà.*

[In Jejuniis, *ad refectionem fit Benedictio Mensæ & Gratiarum actio, ut notatum est pro Cœna.*]

¶ *Prædictus modus benedicendi mensam, & agendi gratias mutatur diebus infrà scriptis, ut sequitur.*

Ad utramque Refectionem,

FERIA IV. V. & VI. Majóris Hebdomadæ.

BENEDICTIO.

CHristus factus est pro nobis obédiens usque ad mortem. *Philipp.* 2. 8.

Pater noster. *totum secretò. Deinde nihil dicendo, signo crucis benedicitur mensa; quæ benedictio Feriâ sextâ omittitur.*

*Ad Lect. non datur benedictio, nec dicitur* Tu autem.

GRATIARUM ACTIO.

CHristus factus est pro nobis obédiens usque ad mortem, mortem autem crucis. *Philipp.* 2.

*Psalm.* Miserére *sine* Glória. Pater. *totum secretò.*

RElpice, quæsumus, Dómine, super hanc famíliam tuam, pro qua Dóminus noster Jesus Christus non dubitávit mánibus tradi noténtium, & crucis subíre tormentum; *secretò*, Qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritus sancti Deus per ómnia sécula seculórum.

℟. Amen.

SABBATO SANCTO.

BENEDICTIO.

BEnedícite. ℟. Dóminus. Cùm transísset Sábbatum, Maria Magdaléne, & Maria Jacóbi, & Salóme emérunt arómata, ut veniéntes úngerent Jesum, allelúia. *Marc.* 16.

Kyrie, eléison. *& reliqua ut suprà.* clxvij.

GRATIARUM ACTIO.

VEspere autem Sábbati, quæ lucescit in prima Sábbati, venit Maria Magdane, & áltera Maria, vidére sepulchrum, Allelúia. *Matth. cap.* 28.

Benedictus Deus in donis suis, *ut suprà.*

*Ps.* Laudáte Dóminum omnes gentes. 116. Kyrie. Pater. ℣. Dispersit. *& reliqua, ut suprà.* clxviij.

IN DIE S. PASCHÆ,

*& usque ad prandium sequentis Sabb. inclusivè.*

BENEDICTIO.

BEnedícite. ℟. Dóminus. Hæc dies quam fecit Dóminus; exultémus, & lætémur in ea. Allelúia. *Ps.* 117. Glória Patri, & Fílio, &c.

Kyrie, eléison. *& reliqua ut suprà.* clxvij.

GRATIARUM ACTIO.

HÆc dies quam fecit Dóminus; exultémus, & lætémur in ea. Allelúia. *Psalmus* 117.

Glória. *& reliqua omnia ut suprà,* clxviij. *excepto quòd loco Psalmi* Miserére. *dicitur Ps.* Confitémini. 12.

## IN ASCENSIONE DOMINI,

*& usque ad Vigiliam Pentec.*

BENEDICTIO.

BEnedícite. ℟. Dóminus. Ascéndens Christus in altum, allelúia, captívam duxit captivitátem, Allelúia. *Ephes.* 4.

Glória. Kyrie. &c. clxvij.

GRATIARUM ACTIO.

AScendit Deus in júbilo, Allelúia, & Dóminus in voce tubæ, Allelúia. *Ps.* 46.

Glória. *& reliqua, ut supra.* clxviij. *excepto quòd loco Psalmi* Miserére. *dicitur Ps.* Omnes gentes. 40.

## IN PENTECOSTE, *& per Hebdomadam.*

BENEDICTIO.

BEnedícite. ℟. Dóminus. Spíritus Dómini replévit orbem terrárum, Allelúia; & hoc quod cóntinet ómnia, sciéntiam habet vocis, Allelúia. *Sap.* 1.

Glória. Kyrie. *&c. ut supra.* clxvij.

GRATIARUM ACTIO.

REpléti sunt omnes Spíritu sancto, Allelúia, & cœpérunt loqui, Allel. *Act.* 2.

Glória. *& reliqua, ut supra.* clxviij. *excepto quòd loco Ps.* Miserére. *dicitur Ps.* Magnus Dóminus 120.

---

# ITINERARIUM.

*Viator, in ipso itineris ingressu, si solus fuerit, dicat quæ sequuntur, in singulari: si cum sociis in plurali, ut sequitur.*

*In Cantic.* Benedictus. 12. *Ant.* 5. C. In viam pacis & prosperitátis dírigat nos omnípotens & miséricors Dóminus: & Angelus Ráphaël comitétur nobíscum in via, ut cum pace, salute & gáudio revertámur ad própria.

PRECES.

KYrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison. *Secretò* Pater. *usque ad.* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Salvos fac servos tuos, ℟. Deus meus sperantes in te. *Ps.* 85.

℣. Mitte nobis, Dómine, auxílium de sancto; ℟. Et de Sion tuére nos. *Ps.* 19.

℣. Esto nobis, Dómine, turris fortitúdinis, ℟. A fácie inimíci. *Ps.* 60.

℣. Nihil proficiat inimícus in nobis, ℟. Et filius iniquitátis non appónat nocére nobis. *Ps.* 88.

℣. Benedictus Dóminus die quotídie; ℟. Prósperum iter fáciat nobis Deus salutárium nostrórum. *Ps.* 67.

℣. Vias tuas, Dómine, demonstra nobis, ℟. Et sémitas tuas édoce me. *Ps.* 24.

℣. Utinam dirigantur viæ nostræ ℟. Ad custodiendas justificatiónes tuas! *Ps.* 118.

℣. Erunt prava in directa, ℟. Et áspera in vias planas. *Isa.* 40.

℣. Angelis suis Deus mandávit de te, ℟. Ut custódiant te in ómnibus viis tuis. *Ps.* 90.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam:

℟. Et clamor meus ad te véniat.

Orémus.

DEus, qui fílios Israel per maris médium sicco vestígio ire fecísti, quique Magis iter ad te, stellâ duce, pandísti: tríbue nobis, quæsumus, iter prósperum tempúsque tranquillum; ut, Angelo sancto tuo cómite, ad eum quò pérgimus locum, ac demum ad æternæ salútis portum perveníre felíciter valeámus.

DEus, qui Abraham púerum tuum de Ur Chaldæórum eductum, per omnes suæ peregrinatiónis vias illæsum custodísti; quæsumus, ut nos fámulos tuos custodíre dignéris: esto nobis, Dómine, in procinctu suffrágium, in via solátium, in æstu umbráculum, in plúvia & frígore tegumentum, in lassitúdine vehículum, in adversitáte præsídium, in lúbrico báculus, in naufrágio portus; ut, te duce, quò téndimus, prósperè perveniámus; & demum incólumes ad própria redeámus.

ADesto, quæsumus, Dómine, supplicatiónibus nostris: & viam famulórum tuórum in salútis tuæ prosperitáte dispóne; ut inter omnes viæ & vitæ hujus varietátes, tuo sèper protegámur auxílio.

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut familia tua per viam salútis incédat; & beáti Joannis præcursóris hortamenta sectando, ad eum quem prædixit secúra pervéniat, Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia sécula seculórum.

℟. Amen.

℣. Procedámus cum pace in nómine Dómini.

℟. Amen.

---

# PRÆPARATIO AD MISSAM,

## *AD LIBITUM SACERDOTIS.*

*Psalmi*, Quàm dilecta. 87. Benedixísti 50. Inclína, Dómine. *cum sua divis.* 124. Crédidi. 89. De profundis clamávi. 76.

*Ant.* Dómine, memor esto meî; & ne vindictam sumas de peccátis meis, neque reminiscáris delícta mea. *Tob.* 3.

PRECES.

KYrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison. Pater noster, &c.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Ego dixi: Dómine, miserére meî; ℟. Sana ánimam

meam, quia peccávi tibi. *Ps.* 40.

℣. Convértere, Dómine; úsquequò? ℟. Et deprecábilis esto super servos tuos. *Ps.* 89.

℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos, ℟. Quemádmodùm sperávimus in te. *Ps.* 32.

℣. Sacerdótes tui induantur justítiam, ℟. Et sancti tui exúltent. *Ps.* 131.

℣. Ab occúltis meis munda me, Dómine; ℟. Et ab aliénis parce servo tuo. *Ps.* 18.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101.

Orémus.

AUres tuæ pietátis, mitíssime Deus, inclína précibus nostris, & grátiâ sancti Spíritûs illúmina cor nostrum; ut tuis mystériis dignè minístráre, teque ætérnâ caritáte dilígere meréamur.

DEus, cui omne cor patet, & omnis voluntas lóquitur, & quem nullum latet secrétum: purífica per infusiónem sancti Spíritûs cogitatiónes cordis nostri, ut te perfectè dilígere, & dignè laudáre meréamur.

URe igne sancti Spíritûs renes nostros & cor nostrum, Dómine; ut tibi casto córpore serviámus, & mundo corde placeámus.

MEntes nostras, quæsumus, Dómine, Paracletus qui à te procédit illúminet, & indúcat in omnem, sicut tuus promísit Filius, veritátem.

ADsit nobis, quæsumus, Dómine, virtus Spíritûs sancti; quæ & corda nostra clementer expurget, & ab ómnibus tueátur adversis.

DEus, qui corda fidélium sancti Spíritûs illustratióne docuísti: da nobis in eódem Spíritu recta sápere, & de ejus semper consolatióne gaudére.

CONsciéntias nostras, quæsumus, Dómine, visitando purífica; ut véniens Dóminus noster Jesus Christus Fílius tuus, parátam sibi in nobis invéniat mansiónem; Qui tecum vivit & regnat, in unitáte....

---

# GRATIARUM ACTIO

## *POST MISSAM.*

*Psalmi*, Dóminus regit me. 87. Benedícam Dóminum. *cum sua divisione*, 87. Benedic, ánima mea, Dómino, & ómnia. *cum sua divis.* 72.

*Ant.* O quàm suávis est, Dómine, Spíritus tuus! qui ut dulcédinem tuam in fílios demonstráres, pane suavíssimo de cœlo præstito, esurientes reples bonis, divites dimittens inánes. *Sap.* 11. & 16 *Luc.* 1.

PRECES.

KYrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison. Pater noster, &c.

℣. Et ne nos indúcas, &c.

℣. Memóriam fecit mirabílium suórum miséricors & miserátor Dóminus : ℟. Escam dedit timéntibus se. *Ps.* 110.

℣. Quid est homo, quòd memor es ejus ? ℟. Aut filius hóminis, quóniã vísitas eum ? *Ps.* 8.

℣. Sicut ádipe & pinguédine repleátur ánima mea ; ℟. Et lábiis exultatiónis laudábit os meum. *Ps.* 62.

℣. Non nobis, Dómine, non nobis ; ℟. Sed nómini tuo da glóriam. *Ps.* 113.

℣. Nunc dimittis servum tuum, Dómine, secundùm verbum tuum, in pace ; ℟. Quia vidérunt óculi mei salutáre tuum. *Luc.* 2.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam ; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101.

Orémus.

VIsita, quæsumus, Dómine, famíliam tuam : & corda sacris dicáta mystériis pervígili tuére pietáte ; ut remédia salútis ætérnæ, quæ te miserante percípiunt, te protegente custódiant.

QUæsumus, Dómine Deus noster, ut quos divínâ tríbuis participatióne gaudére, humánis non sinas subjacére periculis.

COgnóscimus, Dómine, tuæ circa nos cleméntiæ largitátem : & ídeò fiduciáliùs implorámus, ut quos páscere non désinis imméritos, & dignè tibi servíre perficias, & donis uberióribus persequáris.

MAjestátem tuam, Dómine, supplíciter exorámus, ne perire patiáris quibus tanta remédia providísti ; sed cum divíni frequentatióne mystérii crescat nostræ salútis effectus.

ACtiónes nostras, quæsumus, Dómine, aspirando præveni, & adjuvando proséquere ; ut cuncta nostra orátio & operátio à te semper incípiat, & per te cœpta finiátur.

ADjuvet nos grátia tua, omnípotens Deus ; ut qui officium Sacerdotále suscépimus, dignè ac devotè tibi in omni puritáte & conscién-tia bona famulári valeámus : & si non póssumus in tanta innocéntia vitæ conversári ut debémus, concéde nobis tamen dignè flere mala quæ géssimus, & in spíritu humilitátis, ac bonæ voluntátis propósito tibi ferventiùs de céte-ro deservíre ; Per Christum Dñum nostrum.

℟. Amen.

# CANONES
## PER HEBDOMADAM LEGENDI
# AD PRIMAM,
## IN OFFICIO CAPITULI.
### PARS VERNA.

[ *Sequentes Canones in unâquâque Hebdomadâ leguntur singulis diebus quibus assignantur, nisi ubi notatur aliter in Proprio Sanctorum. Ubi autem Festum occurrit in quo Canon diversus ab eo qui Officio de Tempore competit, legendus est, is reperietur suo loco inter Canones secundùm ordinem mensium exhibitos & ordinatos.* ]

### *De Jejunio & observantiâ Quadragesimali.*

FERIA QUARTA CINERUM.

Ex Concilio Avenionensi.

*Anno* 1594. *Tit* 44.

PArochi & Concionatóres in Domínica Quinquagésimæ, & Féria quarta Cinerum pópulo demonstrent néminem absque legítima causa Jejúnium violáre posse absque lethali crímine, simulque jejúnii modo atque conditiónibus enucleátis, pleroſque ab erróre líberent.

FERIA QUINTA.

Ex Concílio Toletáno octávo.

*Anno* 653. *Can.* 9.

QUisquis absque inevitábili necessitáte, atque fragilitátis evidenti languóre, seu étiam ætátis impossibilitáte, diébus Quadragésimæ esum cárnium præsúmpserit attentáre, non solùm reus erit resurrectiónis Domínicæ, verùm étiam aliénus ab ejusdem diéi sanctæ communióne, & hoc illi cumulétur ad pœnam, ut ipsius anni témpore, ab omni esu cárnium abstíneat.

FERIA SEXTA.

Ex Concílio Toletáno octávo.

*Anno* 653. *cap.* 9.

ILli quos aut ætas incurvat, aut languor exténuat, aut necéssitas arctat, non antè prohíbita [ sacris diébus abstinéntiæ ] violáre præsúmant, quàm à Sacerdóte permíssum accípiant.

Tu autem, Dómine, miserére nostrî.

SABBATO.

Ex Concílio Mediolanensi quinto.

*An.* 1579. *Part.* 1. *Tit.* 3.

OMni témpore à jocis Christiánũ hóminẽ abstinére cónvenit; & Quadragésimæ ac jejúnii témpore tantò diligéntiùs, quantò frequéntiùs, studiosiúsque oratióni, abstinéntiæ, omnique pœniténtiæ géneri incumbendum est.

DOMINICA PRIMA QUADRAGESIMÆ.

Ex Concílio Mediolanensi quinto.

*An.* 1579. *Part.* 1. *num.* 3.

OMnis quicumque sit qui jejúnii lege astrictus est, síngulis Quadragésimæ diébus, Dominicis exceptis, jejúnium servet: alióqui enim peccáto mortáli alligátum se esse nosse debet.

FERIA SECUNDA.

Ex Concílio Vaurensi.

*Anno* 1368. *cap.* 89.

JUcosítatis excessum débito moderámine reprímere cupientes, sacro approbante Concílio prohibémus districtiùs: ne áliquis cujuscumque státus vel conditiónis exístat, in diébus jejuniórum per Ecclésiam indictórum, & præcípuè in Quadragésima, carnes cómedat nisi urgente necessitáte.

FERIA TERTIA.

Ex Concílio Avenionensi.

*Anno* 1594. *Tit.* 44

MÉdicos omnes Episcopi áliquot antè Quadragésimam diébus accersant, eósque diligenter móneant ne própriæ salútis immémores nímiâ facilitáte cujúspiam malè affectam valetúdinem affirment, iis indulgentes qui fingunt labórem in præcepto.

FERIA QUARTA.

QUATUOR TEMPORUM.

Ex Concílio Moguntíno.

*Anno* 813. *Can.* 34.

COnstitúimus ut Quátuor Témpora anni ab ómnibus cum jejúnio observéntur; id est, in mense Mártio Hebdómadâ primâ; & Fériâ quartâ & sextâ & Sábbato véniant omnes ad Eccléſiam horâ nonâ cum Litániis ad Missárum Solémnia.

FERIA QUINTA.

Ex Concílio Tolosáno.

*An.* 1590. *Part.* 2. *cap.* 3.

QUi carnem prohíbitis diébus ex licéntia cómedent, soli, ne ulli scándalo sint, locóque separáto cómedant

FERIA SEXTA QUATUOR TEMPORUM.

Ex Concílio Carthaginensi quarto.

*Anno* 398. *cap.* 1.

QUi ordinandus est ántea examinétur, si natúrâ sit prudens, si docíbilis, si móribus temperátus, si virâ castus, si semper suis negótiis cavens, si húmilis, si affábilis, si misericors, si litterátus, si in Lege Dómini instructus.

SABBATO QUATUOR TEMPORUM.

Ex Concílio Tridentíno.

*Sess.* 23. *cap.* 16.

CUm nullus débeat ordinári, qui judício sui Episcopi non sit útilis aut necessárius suis Ecclésiis; sancta Synodus, vestígiis sexti Cá-

nonis Concilii Chalcedonenſis inhærendo, ſtatuit, ut nullus in pósterum ordinétur, qui illi Eccléſiæ, aut pio loco, pro cujus neceſſitáte aut utilitáte aſſumitur, non adſcribátur, ubi ſuis fungátur munéribus, nec incertis vagétur sédibus.

Tu autem.

## *De Sacramento Pœnitentiæ, ejus partibus, & Off.*

### DOMINICA II.
### QUADRAGESIMÆ.

Ex Concílio Bituricenſi.

*An.* 1584. *Tit.* 1. *de Pœnit. Can.* 10.

QUi curam animárum habent, veram confitendi ratiónem pópulo ſuo expónant, præſertim témpore Quadrageſimæ & Adventûs Dómini; necnon circà ſolemnióres feſtivitátes anni. Ab initio Quadragéſimæ confeſſiónes incípiant audíre, ut, adveniente Feſto Paſchæ, omnes Fidéles Euchariſtiam ſúmant.

### FERIA SECUNDA.

Ex Concílio Tridentíno.

*Seſſ.* 14. *de Pœnit. Can.* 10.

SI quis díxerit in Cathólica Eccléſia pœniténtiam non eſſe verè & própriè Sacramentum pro Fidélibus, quóties poſt Báptiſmum in peccáta labuntur, ipſis Deo reconciliandis à Chriſto Dómino inſtitútum; anáthema ſit.

### FERIA TERTIA.

Ex Concilio Tridentíno.

*Seſſ.* 14. *de Pœnit. Can.* 4.

SI quis negáverit ad íntegram & perfectam peccatórum remiſſiónem, requíri tres actus in pœnitente, quaſi matériam Sacramenti Pœniténtiæ; vidélicet, Contritiónem, Confeſſiónem & Satisfactiónem, quæ tres Pœniténtiæ partes dicuntur; .... anáthema ſit.

### FERIA QUARTA.

Ex Concílio Tridentíno.

*Seſſ.* 14. *de Pœnit. cap.* 4.

DEclarat ſancta Synodus Contritiónem non ſolùm ceſſatiónem à peccáto, & vitæ novæ propóſitum & inchoatiónem, ſed véteris étiam ódium continére.... Docet prætéreà & ſi Contritiónem hanc aliquandò caritáte perfectam eſſe cóntingat, hominemque Deo reconciliáre, priuſquàm Sacramentum actu ſuſcipiátur; ipſam nihilóminùs reconciliatiónem ipſi Contritióni, ſine Sacramenti voto, quod in illo inclúditur, non eſſe adſcribendam.

### FERIA QUINTA.

De declaratióne generáli Cleri Gallicani.

*Anno* 1700. *Tit.* 1.

DE dilectióne Dei ſicut ad Sacramentum Báptiſmi in adultis, ita ad Sacramentum Pœniténtiæ quæ eſt laboriósus báptiſmus, requiſitâ, ne neceſsáriam doctrinam omittámus: hæc duo imprímis ex ſacro-ſancta Synodo Tridentína monenda & docenda eſſe díximus. Primum, ne quis putet in utróque Sacramento requíri ut prævíam Contri-

tiónem eam quæ sit Caritáte perfectâ, & quæ cum voto Sacramenti, ántequam actu suscipiátur, hóminem Deo reconciliet: álterum, ne quis se putet in utróque Sacramento secúrum, si præter fidei & spei actus, non incípiat dilígere Deum tanquàm omnis justítiæ fontem.

Tu autem.

FERIA SEXTA.

Ex Concílio Tridentíno.

*Sess. 24. de Pœnit. Can. 6.*

SI quis negáverit Confessiónem sacramentálem vel institútam, vel ad salútem necessáriam esse jure divíno; aut díxerit modum secrétè confitendi soli Sacerdóti, quem Eccléfia Cathólica ab initio semper obsérvávit, & obsérvat, aliénum esse ab institutióne & mandáto Christi, & inventum esse humánum; anáthema sit.

Tu autem, Dómine, miserére nostrî.

SABBATO.

Ex Concílio Tridentíno.

*Sess. 14. de Pœnit. Can. 7.*

SI quis díxerit in Sacramento Pœniténtiæ ad remissiónem peccatórum necessárium non esse jure divíno confitéri ómnia & singula peccáta mortália, quorum memória cum débita & diligenti præmeditatióne habeátur, étiam occulta, & quæ sunt contrà duo última Decálogi præcepta, & circumstántias quæ peccáti spéciem mutant... anáthema sit.

Tu autem, Dómine, miserére nostrî.

℟. Deo grátias.

*Br. Mir. Pars Verna.*

DOMINICA III.

QUADRAGESIMÆ.

Ex Concílio Lateranensi quarto Œcuménico.

*An. 1215. cap. 21. de Confess.*

SAcerdos sit discrétus & cautus, ut more periti Médici superinfundat vinum & óleum vulnéribus saucióti, diligenter inquirens & peccatóris circumstántias & peccáti: per quas prudenter intélligat, quale illi consílium débeat exhibére; & cujúsmodi remédium adhibére diversis experimentis utendo ad sanandum ægrótum.

FERIA SECUNDA.

Ex Synodo Mediolanensi primo.

*An. 1565. Part. 2. cap. 6.*

CConfessárii, sint pii, benè moráti, docti, prudentes, patientes, de animárum salúte sollíciti, & fidéles custódes sint eórum quæ in confessióne dicuntur.

FERIA TERTIA.

Ex Concílio Mediolanensi primo.

*An. 1565. Part. 2. cap. 6.*

CConfessóres Cánones pœnitentiáles benè nóverint; & de pœniténtia quam cuíque peccáto præscripsérunt, confitentes admóneant: ut tantò diligéntiùs à peccátis cavére stúdeant, quantò in pœniténtiis Cánonum mitigandis benigniórem in se Eccléfiam experiuntur.

FERIA QUARTA.

Ex Concílio Narbonensi.

*Anno 1609. cap. 16.*

JUdex constitútus cùm sit Sacerdos, ut solvat aut liget, pœnitentes non áudiat

nisi pro tribunáli sedendo : pœnitente génua flectente, palàm & intrà Ecclésiam, horâ diurnâ, nullisque subjectis pulvináribus, ut se reum agnoscat atque profiteátur, exceptâ ægrotántium necessitáte.

FERIA QUINTA.

Ex Concílio Mediolanensi primo.

*An.* 1565. *Part.* 2. *cap.* 6.

SAcerdótes, nisi ex causa necessária, mulíeres ante fólis ortum vel post ejus occásum confitentes, ne áudiant : neve in cellis, sed publicè in Ecclésia, in sédibus in quibus tabella omninò inter Confessórem & pœnitentem interjecta sit.

FERIA SEXTA.

Ex Concílio Trecensi.

*Anno* 1459. *lib.* 27.

COnfessóres debent semper pia gestáre víscera circa confitentes, exemplo beáti Ambrósii, de quo légitur, quod quotiescumque áliquis lapsus in peccátum, antè eum veniébat ob pœniténtiam percipiendam, tanquam esset offensus ità flebat, ut pœnitentem flere compélleret.

SABBATO.

Ex Concílio Lateranensi quarto Œcuménico.

*Anno* 1215. *cap.* 21.

CAveat omninò Sacerdos ne verbo vel signo vel álio quovis modo prodat aliquátenùs peccatórem, sed si prudentióri consílio indigúerit, illud absque ulla expressióne persónæ cautè requírat.

Tu autem, Dómine, miserére nostri.

℟. Deo grátias.

DOMINICA IV.

QUADRAGESIMÆ.

Ex Concílio Cabilonensi secundo.

*Anno* 813. *Can.* 32.

QUia constat, hóminem ex duábus esse substántiis, ánimâ vidélicet & córpore ; & interdum ánimi motu, interdum carnis fragilitáte peccátur, solerti indagatióne debent inquíri peccáta ; ut ex utrísque plena sit confessio : scílicet ut & ea confiteantur, quæ per corpus gesta sunt, & ea, quibus in sola cogitatióne delinquitur.

FERIA SECUNDA.

Ex Concílio Tridentino.

SI quis díxerit claves Ecclésiæ esse datas tantùm ad solvendum, non étiam ad ligandum ; & propterèa Sacerdótes dum imponunt pœnas confiténtibus ágere contra finem clávium & contra institutiónem Christi ; & fictiónem esse, quod virtúte clávium, sublátâ pœnâ æternâ, pœna temporális exolvenda remáneat ; anáthema sit.

Tu autem.

FERIA TERTIA.

Ex Concílio Carthaginensi quarto.

*Anno* 388. *cap.* 74. *&* 75.

SAcerdos pœniténtiam imploranti, absque persónæ acceptióne pœniténtiæ leges injunget, negligentióres pœnitentes tárdiùs recipiantur.

FERIA QUARTA.

Ex Concílio Cabilonensi.

*Anno* 813 *cap.* 43.

QUia, Apóstolo teste, non est personárum accéptio apud Deum & in óm-

nibus judiciis cavenda est ; multò magis in pœniténtiæ judicio præcavéri debet , ut nullus Sacerdótum unquam aut grátia aut ódio alicújus persónæ secùs júdicet , quam quòd in Canónibus sacris invénerit.

## FERIA QUINTA.

Ex Concílio Parisiensi sexto.

*Anno* 829. *lib.* 1. *cap.* 32.

SAcerdótes qui aut múneris , aut amóris , aut timóris , aut certè favóris causâ , témpora modumque pœniténtiæ ad libitum pœniténtium indícunt , áudiant quid Dóminus per Ezechiélem prophétam terribíliter dicat : Erit manus mea super prophétas , eò quòd decéperint pópulum meum , dicentes : Pax , pax , & non est pax.

## FERIA SEXTA.

Ex Concílio Aquisgranensi.

*Anno* 816. *cap.* 37.

PŒniténtium causæ pensándæ sunt , & tunc ligandi atque solvendi potestas exercenda : videndum est quæ culpa præcésserit , aut quæ sit pœniténtia secúta post culpam , ut quos omnípotens Deus per compunctiónis grátiam vísitat, illos pastóris sententia absólvat ; tunc enim vera est absolútio præsidentis , cum interni arbítrium séquitur júdicis.

## SABBATO.

Ex Synodo Ttecensi.

*Anno* 1452.

CAveant Sacerdótes ne à confitente quærant nómina persónárum cum quibus peccáverit ; sed circumstántias quæ quandóque tantam aggravatiónem peccáti fáciunt : quia sine hoc de peccáti gravitáte non potest bene judicári.

## DOMINICA PASSIONIS.

Ex Concílio Tridentino.

*Sess.* 14. *cap.* 8. *de Pœnitentia.*

MAgnópere à peccáto révocant & quasi fræno quodam coercent satisfactóriæ pœnæ , cautióresque & vigilantióres in futúrum pœnitentes efficiunt ; medentur quoque peccatórum relíquiis , & vitiósos hábitus male vivendo comparátos contrárii virtútum actiónibus tollunt. Neque verò ulla via in Eccléfia Dei unquam exístimáta fuit ad amovendam à Dómino pœnam ; quàm ut hæc pœniténtiæ ópera hómines cum veto ánimi dolóre frequéntent.

## FERIA SECUNDA.

Ex Régulis Sancti Cároli Mediolanensis Archiepíscopi.

*De observandis in ministerio Sacram. Pœnit.*

VIdeat diligenter Confessárius ne quem absólvat qui vel ódium , inimicitiamve depónere nolit , vel restitúere prò facultáte recúset aliénum , vel à statu peccáti mortális parátus non sit discédere , occasionemve similis peccáti vitáre : quâ de re doctrínas probátas stúdeat rectè cognóscere , & secundùm eas sese gérere.

## FERIA TERTIA.

Ex Concílio Tridentino.

*Sess.* 14. *cap.* 8.

HAbeant præ óculis Sacerdótes , ut satisfactio quam impónunt , non sit tan-

tùm ad novæ vitæ cuſtódiam, & infirmitátis medicamentum, ſed étiam ad præteritórum peccatórum vindictam & caſtigatiónem.

FERIA QUARTA.

Ex Concílio Tridentino.

*Seſſ.* 24. *C* 8. *de Reform.*

QUando ab áliquo públicè & in multórum conſpectu crimen commiſſum fúerit, unde álios ſcándalo offenſos, commotoſque fuiſſe non ſit dubitandum, huic condignam pro modo culpæ pœniténtiam injungi oportet.

FERIA QUINTA.

Ex Concílio Lateranenſi ſecundo Œcuménico.

*Anno* 1139. *Can.* 22.

QUia inter cétera unum eſt quod ſanctam máximè perturbat Eccléſiam, falſa vidélicet pœniténtia, Confrátres noſtros & Preſbyteros admonémus, ne falſis pœniténtiis Laicórũ ánimas & décipi & in inferniũ prótrahi patiántur. Falſam autem pœniténtiam eſſe conſtat, cùm ſpretis plúribus, de uno ſolo pœniténtia ágitur; aut cùm ſic ágitur de uno ut non dísceditur ab álio, ... Cùm pœnitens ab officio.... non recédit quod ſine peccáto agi nullâ ratióne prævalet; aut ſi ódium in corde geſtétur; aut ſi offenſio cuilibet non ſatisfiat; aut ſe offendenti offenſus non indúlgeat.

FERIA SEXTA.

Ex Concílio Cabilonenſi ſecundo.

*Anno* 813. *Can.* 38.

QUi pro peccátis grávibus leves quoſdam & inuſitátos impónunt pœniténtiæ modos, cónſuunt púlvillos ſub omni cúbito manûs, & fáciunt cervicália ſub cápite univerſæ ætátis ad capiendas ánimas.

SABBATO.

Ex Concílio Lateranenſi quarto Œcuménico.

*Anno* 1215. *cap.* 21.

QUi peccátum in pœnitentiáli judício ſibi detectum præſúmpſerit revelâre, non ſolùm à Sacerdotáli officio deponendum decérnimus; verùm étiam ad agendam perpétuam pœniténtiam, in arctum Monaſtérium detrudendum.

## *De Communione Paſchali.*

DOMINICA PALMARUM.

Ex Concílio Lateranenſi quarto.

*Anno* 1215. *cap.* 21.

OMnis utriuſque ſexûs fidélis, poſtquàm ad annos diſcretiónis pervénerit, ómnia ſua ſolus peccáta confiteátur fidéliter, ſaltem ſemel in anno, próprio ſacerdóti; & injunctam ſibi pœniténtiam ſtúdeat pro víribus adimplére, ſuſcípiens reverenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ Sacramentum: niſi fortè de conſílio próprii Sacerdótis ob áliquam rationábilem cauſam ad tempus ab ejus perceptióne dúxerit abſtinendum: alióquin & vivens ab ingreſſu Eccléſiæ arceátur, & móriens

christiánâ cáreat sepultúrâ.
Tu autem, Dómine.

FERIA SECUNDA,
*Majoris Hebdomadæ.*
Ex Concílio Tridentino.
*Sess.* 13. *can.* 8.

SI quis negáverit, omnes & singulos Christi fidéles utriusque sexûs, cum ad annos discretiónis pervénerint, teneri singulis annis, saltem in Paschâte ad communicandum juxtà præceptum sanctæ Eccléfiæ, anáthema fit.
Tu autem, Dómine.

FERIA TERTIA.
*Majoris Hebdomadæ.*
Ex Concílio Bituricensi.
*Anno* 1582. *tit.* 22. *can.* 9.

NEmo ad diem Paschæ Eucharístiam ab álio quàm à próprio Párocho seu Curáto súmere præsúmat; qui contrà fécerit, excommunicétur: Sacerdos qui contrà hoc decrétum administráverit, cujuscumque gradûs & órdinis fúerit, extraordinárie puniátur.
Tu autem, Dómine.

FERIA QUARTA.
*Majoris Hebdomadæ.*
Ex Concílio Bracarensi secundo.
*Anno* 563, *cap.* 13.

PLácuit, ut intrà Sanctuárium altáris ingredi ad communicandum non líceat Láicis viris, vel mulíeribus, nisi tantùm Cléricis; ficut & antíquis Canónibus státutum est.

FERIA QUINTA.
In Cœna Domini.
[*Hodie Canon legitur absolutè, fine Benedictione præmissâ, in fine non dicitur*, Tu autem, *nec respondetur* Deo grátias. *Idem observatur biduo sequenti.*]
Mónitum ex Pontificáli Románo.

PRæcipit & mandat sancta mater Eccléfia, síngulis Presbyteris ut attentè juxta canónicam traditiónem, Chrisma & Olea fideliter custódiant, & nulli, sub pretextu medicinæ, vel malefícii trádere præsúmant. Alioquin honóre priventur.

FERIA SEXTA.
*In Paraſceve.*
Ex Sancto Ambrósio.
*In Psalm.* 40.

INtéllige in vulnus Christi ut vúlnera tua curet: intéllige in mortem, ut acquíras vitam æternam: intéllige in sepultúram, ut invénias resurrectiónem.

SABBATO SANCTO.
Ex Sancto Hierónymo.
*In Matth. cap.* 27.

IN novo pónitur monumento, ne post resurrectiónem, céteris corporibus remanéntibus, resurrexisse álius fingéretur.

IN DIE SANCTO PASCHÆ.
Ex Concílio Matisconensi secundo.
*Anno* 585. *can.* 2.

PAscha nostrum in quo Summus Sacerdos & Póntifex pro nostris delictis, nullam habens obnoxietátem peccáti, immolátus est, debémus omnes festivíssimè cólere, & sédulæ observatiónis sinceritáte in ómnibus venerári; ut illis sanctíssimis diébus omnes simul coadunári, Hymnis

Paschálibus indulgentes, perseveratiónis nostræ præléntiam quotidiánis sacrificiis ostendámus, laudantes creatórem ac regeneratórem nostrũ vélperè, manè, & meridiè.

FERIA SECUNDA.

Ex Concílio Tridentíno.

*Anno* 1551. *Sess.* 13. *de Euch. cap.* 7.

COmmunicáre volenti revocandum est in memóriam Apóstoli præceptum, probet seipsum homo. Ecclesiástica autem consuetúdo declárat eam probatiónem necessáriam esse, ut nullus sibi cónscius mortális peccáti, quantumvis sibi contritus vidéatur, absque præmissâ Sacramentáli confessióne ad sacram Eucharístiam accédere débeat.

FERIA TERTIA.

Ex Concílio Mediolanensi sexto.

*Anno* 1582. *art.* 9.

PArochus si quem Parochiálem habet, qui ex morbo labórans, aliáve necessitáte verè impedítus non potest sacro Paschæ tempore ad Eccléstam convenire, ubi sanctíssimam Communiónem cum céteris fidélibus percípiat; ad illum, (etiam si paucis antè diébus perceperit) ipse, illo Paschali témpore, de more déferat.

FERIA QUARTA.

Ex Concílio Cabilonensi secundo.

*Anno* 813. *cap.* 46.

IN perceptióne Corpóris & Sánguinis Domínici magna discrétio adhibenda est. Cavendum est enim ne si nimium in longum differátur, ad perníciem ánimæ pertíneat, dicente Dómino, nisi manducavéritis carnem filii hóminis, & bibéritis ejus sánguinem, non habébitis vitam in vobis; si verò indiscrétè accipiátur, timendum est illud quod ait Apóstolus: qui mandúcat & bibit indignè judícium sibi mandúcat & bibit.

FERIA QUINTA.

Ex Concílio Aurelianensi quinto.

*Anno* 549.

NUllus Sacerdótũ quémpiam rectæ fidei hóminem pro parvis & lévibus causis à communióne suspendat præter eas culpas, pro quibus antíqui Patres ab Ecclésia arcéri jussérunt committentes.

FERIA SEXTA.

Ex Concílio Tolosáno.

*Anno* 1590. *part* 2. *c.* 5.

QUæ tanto animárum dispéndio in locis quibusdam increbuit, serò nimium communicandi consuetúdo sanctiùs erit immutanda; adolescentesque ii, quos de sumendo Mystério satis discérnere posse Párochi vel Confessárii judicárint, ad communiónem sunt recipiendi, imò étiam impellendi.

SABBATO.

Ex Concílio Tolosáno.

*Anno* 1590. *Part.* 2. *cap. n.* 3.

COmmunicántium in Páschate Párochi nómina describent; quos Communióni defuísse percéperint notátos ad Episcopum déferent, quasque defectûs ratiónes extrà confessiónem cognovérunt eidem significábunt.

DOMINICA IN ALBIS.

Ex Concílio Mediolanensi tertio.

*Anno* 1573. *Tit.* 7.

QUicumque in Paſcha â Diœcéſi abfuerit, is reverſus, ſe eo témpore ſacram communiónem ſumpſiſſe teſtátum fáciat ſcripto Sacerdótis à quo ſumpſerit. Alioquin ut Eccléſiæ præcepto páreat, confeſſus in Parochiáli Eccléſia, ſacram Euchariſtiam ſuſcípiat; quod niſi fécerit, prout juris eſt pœnâ afficiátur.

Tu autem.

## *De mediis ad obtinendam ſtatus Clericalis perfectionem.*

FERIA SECUNDA.

Ex Concílio Aquiſgranenſi.

*Anno* 816. *lib.* 1. *cap.* 19.

QUi ſe ab omnibus implicamentis negotiórũ ſeculárium removentes, non torpent ótio, ſed inſiſtunt perfectiónis ſuæ negótio, & ab ſtultítia ſapiéntiæ ſeculáris averſi, verbo Dei infatigabíliter vacant, ſapientes veráciter fiunt.

FERIA TERTIA.

Ex Concílio Mediolanenſi quarto.

*Anno* 1576. *P.* 3. *Tit.* 2.

ILlud unuſquiſque Cléricus ſæpè répetat, ſe non ad inértiam, neque ignáviam, ſed ad ſpirituális & Eccleſiáſticæ militiæ labóres vocátum eſſe. Sciat prætéreà, id in officio ſuo póſitum eſſe, ut cum in officiis obeundis, vel in frequentandis Eccléſiis, quod debet tempus conſumpſerit; ſi quid ſibi réliquum eſt, id omne non in ſeculárium rerum collóquiis; ſed in divinárum rerum ſtúdiis, & in cœléſtium rerum contemplatiónibus, & ſanctis piiſque officiis tradúcat.

FERIA QUARTA.

Ex Concílio Aquiſgranenſi ſecundo.

*Anno* 816. *lib.* 1. *cap.* 96.

AMa ſciéntiam Scripturárum, & carnis vítia non amábis: fácito áliquid óperis ut ſemper te diábolus invéniat occupátum. Memento quia Apóſtoli .... laborábant mánibus ſuis.

FERIA QUINTA.

Ex Concílio Mediolanenſi quarto.

*Anno* 1576. *Part.* 3 *T. monit.*

IN primis ſanctâ oratióne vos aſsiduè exercéte; tùm in meditatiónis, tacitæque piæ oratiónis ſtúdio ſingulis diébus certo témporis ſpatio, toto caſtiſſimi ánimi ſenſu incúmbite.

Tu autem, Dómine, miſerére noſtrî.

FERIA SEXTA.

Ex Concílio Aquiſgranenſi.

*Anno* 816. *lib.* 1. *cap.* 19.

QUi diligenter de vitâ contemplativâ conſíderat, & ſufficienter inſtructus intélligit, quando & ubi poſſit ejus perfectio comprehendi, non dubitábit Eccleſiá-

rum príncipes vitæ contemplativæ posse & debére fieri sectatóres.

SABBATO.

Ex Concílio Toletáno quarto.

*Anno 633. cap 25.*

SAcerdótes légere sanctas Scriptúras admonentur : Paulo Apóstolo dicente ad Timótheum : intende lectióni, exhortatióni, doctrínæ : semper pérmane in his.

Tu autem, Dómine, miserére nostrî.

DOMINICA II.

*Post Paschæ.*

Ex Concílio Tridentíno.

*Sess. 23. de reform. cap. 18.*

CUret Epíscopus ut (Cléríci) Missæ sacrificio síngulis diébus intersint, ac saltem síngulis ménsibus confiteántur peccáta, & juxta confessóris judícium súmant Corpus Dómini nostri Jesu Christi.

FERIA SECUNDA.

Ex Concílio Tridentíno.

*Sess. 23. de reform. cap. 13.*

SUbdiáconi & Diáconi... sciant máximè decére, si saltem diébus Domínicis & solémnibus, cum altári ministráverint, sacram communiónem percéperint.

FERIA TERTIA.

Ex Concílio Colonienſi primo.

*Anno 1536. part. 2. cap. 4.*

CLérici in Lege Dómini meditentur die ac nocte, ut judícia Domini.... totis præcórdiis amplectantur, exquírant, scrutenturque.

Tu autem, Dómine, miserére nostrî.

℣. Deo grátias.

FERIA QUARTA.

Ex Concílio Mediolanensi quarto.

*Anno 1576. p. 3. tit. monit.*

LEctióne librórum spirituálium & Clericálium qui probáti sint, ánimos menteſque vestras páscite... quotidie áliquid ex sacris Bibliis légite.... áliquid item ex Sanctórum Patrum opúsculis... & aliórum qui sanctitátis & doctrínæ laude in Eccléſia celebrantur.

FERIA QUINTA.

Ex Concílio Mediolanensi quarto.

*Anno 1576. part. 3. tit. monit.*

PRædiórum Eccleſiasticórum, quæ non avaritiæ præda, sed instrumenta caritáti relicta sunt, réditu & frúctibus non abutámini : humilitáti studéte ; caritátis opera præstáte ; induámini Dóminum nostrum Jesum Christum, Sanctorumque ejus facta imitémini, ut & horum imitátione, & illius imprímis divínis præceptis institutíſque confortáti, in vocatióne quâ vocáti estis, digné Deo ambulétis.

FERIA SEXTA.

Ex Concílio Turonensi tertio.

*Anno 813. can. 7.*

AB ómnibus quæcumque ad áurium & ad oculórum pértinent illécebras, unde vigor ánimi emollíri posse credátur, Dei Sacerdótes abstinére débent ; quia per áurium oculorumque *illécebras vitiórum turba ad ánimam íngredi solet.*

Tu autem, Dómine.

SABBATO.

Ex Concílio Mediolanenſi tertio.

*Anno* 1573. *tit.* 10.

UT in diſciplinâ morum Clerus ſe ſtudióſius contíneat, in dieſque magis ac magis ad Clericáles virtútes progrediátur: (Epíſcopus) ſíngulos ad ſe aliquando cónvocet; illorumque uniuſcujuſque vitæ ratiónes, chriſtianárum virtútum exercitatiónes & progreſſus cognoſcat.

Tu autem, Dómine, miſerére noſtrî.

*De ſcientia Clericis neceſſaria, & ſancto temporis uſu.*

DOMINICA III.

*Poſt Paſcha.*

Ex Concílio Toletáno quarto.

*Anno* 633. *cap.* 25.

IGnorántia mater cunctórum errórum, máximè in Sacerdótibus Dei vitanda eſt, qui docendi officium in pópulis ſuſcepérunt.

FERIA SECUNDA.

Ex Concílio Aquiſgranenſi.

*Anno* 816. *lib.* 1. *cap.* 20.

TAm doctrínâ quàm vitâ clarére debet Eccleſiáſticus Doctor: nam doctrína ſine vita arrogantem reddit, vita ſine doctrína inútilem facit.

Tu autem, Dómine, miſerére noſtrî.

℟. Deo grátias.

FERIA TERTIA.

Ex Concílio Bracarenſi ſecundo.

*Anno* 563. *cap.* 20.

PLácuit ut ex Láico ad gradum Sacerdótii antè nemo véniat, niſi priùs, anno íntegro, in officio Lectoráti, vel Subdiacónati diſciplinam Eccleſiaſticam diſcat: & ſic per ſíngulos gradus ad Sacerdótium véniat: nam ſatis reprehenſíbile eſt, ut qui necdum dídicit, jam docére præſúmat.

Tu autem, Dómine.

FERIA QUARTA.

Ex Concílio Aquiſgranenſi.

*Anno* 816. *lib.* 1. *cap* 16.

SIcut iníqui & peccatóres miniſtérium Sacerdotále áſſequi prohibentur, ità indocti & imperíti à tali officio retráhuntur. Illi enim exemplis ſuis vitam bonórum corrumpunt; iſti, ſuâ ignáviâ, iníquos corrígere néſciunt.

FERIA QUINTA.

Ex Concílio Pariſienſi ſexto.

*Anno* 829. *lib.* 1. *cap.* 12.

COnſídera Sacerdótum eſſe officii, de lege interrogátos reſpondére. Si Sacerdos eſt, ſciat legem Dómini: ſi ignórat legem, ipſe ſe árguit non eſſe Dómini Sacerdótem. Sacerdótis enim eſt ſcire legem. Item in Malachía: lex veritátis in ore ejus.

FERIA SEXTA.

Ex Concílio Aquiſgranenſi ſecundo.

*Anno* 836. *cap.* 2. *can.* 3.

MEdicínam ſpiritálem, conſíliumque ſalúbre animárum, Paſtóres pópuli ſcire oportet uti médicos ſpirituáles, aſſerente ſancto Pontífice Gregório, dicente: quia ártium ars eſt régimen animárum.

Tu autem.

SABBATO.

Ex Concílio Bituricensi.

*Anno* 1583. *tit.* 35. *de rector. Eccles. can.* 2.

RÉctores Ecclesiárum Parochialiũ manuále semper præ mánibus hábeant, quò possint de his quæ sunt sui ministérii ratiónem réddere.

DOMINICA IV.

*Post Paschæ.*

Ex Concílio Mediolanensi quarto.

*Anno* 1576. *part.* 3 *tit.* 2.

OMnis Sacerdos Clericúsve sciat id in officio suo pósitum esse, ut cum vel in officiis divínis obeundis, vel in frequentandis Ecclésiis, quod debet tempus, consúmpserit; si quid sibi réliquum est, id omne non in rerum seculárium colloquiis, profanísque actiónibus; sed in divinárum litterárum stúdiis, & in cœléstium rerum contemplatiónibus, & sanctis piísque officiis tradúcat.

FERIA SECUNDA.

Ex Concílio Colonienſi primo.

*Anno* 1536. *part.* 2. *cap.* 32.

EOs tantùm & re & nómine Clericos reputámus, qui legem Dei die noctúque meditantur, munus susceptum débitè exequuntur, ac vitam agunt sacerdótio dignam.

FERIA TERTIA.

Ex Concílio Mediolanensi quarto.

*Anno* 1576. *part.* 3. *tit.* 1.

NE omittant Sacerdótes, sacræ Theológiæ, sacrorumque Cánonum, aliarumque Ecclesiasticárum doctrinárum officio & múneri sacerdotáli próprie congrúentium stúdiis, quotidiè statis horis, óperam dare.

FERIA QUARTA.

Ex Concílio Aquisgranensi secundo.

*Anno* 816. *lib.* 1. *cap.* 123.

NOn ótio vacent Clérici, non vanilóquiis inserviant... sed pótius aut oratióni, aut lectióni, aut quibúslibet Ecclésiæ, aut certè próprius utilitátibus vacent; aut étiam doctrínis sanis, & diversárum ártium erudiantur disciplinis.

FERIA QUINTA.

Ex Concílio Moguntino.

*Anno* 813. *c.* 19.

CLérici in doctrína, in Lectiónibus, in Psalmis, Hymnis, & Cánticis exercítio jugi incumbant.

FERIA SEXTA.

Ex Concílio Mediolanensi quarto.

*An.* 1576. *P.* 3. *T. Monitiones.*

NE Clérici apud se libros hábeant aut legant, quorum lectióne bene agendi stúdium, morum disciplína & timor, caritasque Dei languéscere possit: quales libri sunt qui res vel inánes, vel jocósas, vel scurriles, ridiculasve, vel impúras cóntinent.

Tu autem, Dómine, miserére nostrî.

SABBATO.

Ex Concílio Mediolanensi quarto.

*Anno* 1576. *part.* 3. *tit.* 2.

EPíscopi si Cléricos áliquos otiósos esse compérerint, inítâ áliquâ ratióne,

ſalutáribus eos occupatiónibus & Eccleſiáſtico hómine dignis, incúmbere prócurent; hac prováideant ómninò, ne iſti ad ſuæ ſálutis diſcrímen, & aliórum offenſiónem ótio abutantur.

Tu autem, Dómine.

## *De Rogationibus & Litaniis.*

DOMINICA V.
*Poſt Paſcha.*
Ex Actis Eccléſiæ Mediolanenſis.

*Part. 4. inſtruct. pro ſupplicat.*

Dóminicâ aut Feſto Proceſſiónis diem immediátè præcedenti, Párochus quilibet fidéles móneat de hujus die & occaſióne: unde eos, ut interſint, proceſſionemque tàm ánimo quàm córpore comitentur, efficáciter adhortábitur... dicatque quanta modéſtia, devotióne & órdine hæ proceſſiónes celebrári débeant.

FERIA SECUNDA.
Ex Concílio Aurelianenſi primo.

*Anno 511. can. 27. 28.*

ROgatiónes, id eſt Litánias antè Aſcenſiónem Dómini ab ómnibus Eccléſiis plácuit celebrári: quo tríduo omnes abſtineant; & quadrageſimálibus cibis utantur. Clérici qui ad hoc opus ſanctum adeſſe contémpſerint, ſecundùm arbítrium Epíſcopi Eccléſiæ ſuſcípiant diſciplínam.

Tu autem, Dómine, miſerére noſtrî.

FERIA TERTIA.
Ex Concílio Colonienſi primo.

*Anno 1536. part. 9. cap. 7.*

LItániæ princípio inſtitútæ ſunt, ut tùm pópulus divinâ inſtitutióne admónitus cleméntiam Dei exóret; quò peſtes, clades, calamitátes, fames, bella, & id géneris adverſa quæ nobis juſtiſſimo Dei judício infliguntur..... avertat & tollat.

FERIA QUARTA.
Ex Concílio Colonienſi primo.

*Anno 1536. part. 9 cap. 7.*

LItánias, id eſt ſupplicatiónes, ſeu rogatiónes... antè Dómini Aſcenſiónem, Pátribus plácuit celebrári: quibus omnes intéreſſe jubentur; ut quemádmodùm omnes peccavérunt, ſic & omnes pro vénià súpplicent, omneſque ad Deum corda cum mánibus élevent.

Tu autem, Dómine.

FERIA QUINTA.
IN ASCENSIONE DOMINI.
Ex Conſtitutiónibus Apoſtólicis.

*Lib. 5. cap. 18. in fine.*

NUmerátis quádraginta diébus à primo Domínico die, celebráte diem Feſtum Aſſumptiónis Dómini, quo die aſcendit ad Deum, eumdemque Patrem ſuum, à quo miſſus fúerat; ad cujus déxteram virtútis ſedet; quique in conſummatióne ſéculi, véniet cum poteſtáte & glóriâ multâ ad judicándum vivos & mórtuos.

Tu autem, Dómine, miſerére noſtrî.

## *De Sacramentis in genere, & Sacramento Baptismi.*

FERIA SEXTA.
Ex Concílio Rhemensi.
*Anno 1583. tit. de Sac. n. 1.*

QUóniam septem Sacramentis, quasi médiis quibúsdam præstantíssimis cultus Deo sanctíssimus plenissimúsque pietátis exhibétur, inprímis Párœcis ómnibus, divínique verbi Minístris, præcépimus, ut sédulò dóceant quid sint Sacramenta, quorsùm instítúta, quam vim hábeant, seu quis sit eórum effectus, quæ utílitas, quæ virtus; ut símul intélligant fidéles, quamâ pietáte, fide & religióne ad eórum perceptiónem accédere débeant.

SABBATO.
Ex Concílio Bituricensi.
*An. 1584. tit. 19. de Baptismo.*

ADversùs peccátum originále in quo ómnes concípimur & náscimur, únicum est remédium Báptismus; cujus vim & necessitátem éxprimens Christus, ait: Nisi, quis renátus fúerit ex aquâ & Spíritu Sancto, non potest introíre in regnum Cœlórum.

Tu autem.

DOMINICA.
*Intra Oct. Ascens.*
Ex Concílio Tridentino.
*Sess. 7. can. 3. de Bapt.*

SI quis díxerit in Eccléfia Romána, quæ ómnium Ecclesiárum mater est & magístra, non esse veram de Baptísmi Sacramento doctrínam: anáthema sit.

Tu autem, Dómine, miserére nostrî.

FERIA SECUNDA.
Ex Concílio Narbonensi.
*Anno 1609. cap. 14.*

IN Dómino præcípimus, ut quàm citíssimè fieri póterit, parentes líberos suos baptizandos curent: neque diu susceptrices & patrínos spectent: in tali expectatióne ánimas pretióso Christi sánguine redemptas, máximo, gravissimóque æternæ mortis perículo, è quo emérgere nunquam possint, expónant.

Tu autem, Dómine, miserére nostrî.

FERIA TERTIA.
Ex Concílio Parisiensi sexto.
*Anno 829. lib. 1. cap. 7.*

QUicumque... de sacro fonte filios spirituáles susscépérunt, cognóscant se pro eis fidejussóres extitísse apud Deum; & in eo necesse est, ut semper illis sollicitúdinem veræ caritátis impendant, admóneant, & castígent, atque corrípiant.

Tu autem, Dómine, miserére nostrî.

FERIA QUARTA.
Ex Concílio Parisiensi sexto.
*Anno 829 lib. 1. cap. 10.*

MAgna ex parte Christiánum decus vilescit, quando renáti in Christo, ea; quibus in Baptísmáte renuntiárunt, nec intellígere curant, nec ab his se, ut Christo pollíciti sunt, abstinére satagunt.

Tu autem, Dómine, miserére nostrî.

℟. Deo grátias.

FERIA QUINTA.

Ex Concílio Tridentíno.

*Seſſ. 7. de Bapt. can.* 14.

SI quis dixerit párvulos baptizátos, cum adolúerint, interrogandos eſſe, an ratum habére velint quod Patríni eórum nómine, dum baptizarentur, pollíciti ſunt: & ubi ſe nolle reſpónderint, ſuo eſſe arbítrio relinquendos; nec áliâ ínterim pœnâ ad Chriſtiánam vitam cogendos, niſi ut ab Euchariſtiæ, aliorumque Sacramentórum perceptióne arceantur, donec reſipiſcant: anáthema ſit.

FERIA SEXTA.

Ex Concílio Moguntíno.

*Anno* 1549. *cap. ad fidem.*

NOn rarò ex impedimentis cognatiónum ſpiritálium, difficultátes & pericula ſolent evenire, ad quæ cohibenda decérnimus, ne cuiquam ſive ex ſacro fonte levando, ſive ad ſacram Confirmatiónem tenendo plures quàm unum patrínum liceat adhibére.

VIGILIA PENTECOSTES.

Ex Concílio Narbonenſi.

*Anno* 1609. *cap.* 14.

NE áliquis ſit qui ceremónias & ritus ſanctæ Románæ Eccléſiæ (quæ multum pietátis & utilitátis habent) négligat; ſed poſt eórum convaleſcéntiã, & quàm citiſſimè fieri póterit, infantes in domo baptizáti, ad Eccléſiam & Paróchum portentur, dictâ ceremoniárum causâ: ſub pœnâ contemptûs præcepti Eccléſiæ.

Tu autem.

## *De Sacramento Confirmationis.*

IN DIE SANCTO PENTECOSTES.

Ex Concílio Bituricenſi.

*Anno* 1584. *tit.* 20.

NOs pro igne viſíbili, qui die Pentecoſtes ſuper Apoſtólos appáruit, óleum ſanctum, matériam nempè ignis, ex Apoſtólorum traditióne ad confirmandum adhibémus, eoque frontes confirmandorum ſignantur, ne púdeat eos crucem Chriſti palàm & apertè profitéri, & in fronte ſicut & in corde geſtáre.

FERIA SECUNDA.

Ex Concílio Tridentíno.

*Seſſ. 7. de Confir. can.* 1.

SI quis dixerit Confirmatiónem Baptizatórum, otióſam ceremóniam eſſe, & non pótius verum & próprium Sacramentum, aut olim nihil áliud fuiſſe quàm catécheſim quamdam, quâ adóleſcéntiæ próximi fidei ſuæ ratiónem coram Eccléſia expónebant; anáthema ſit.

Tu autem.

FERIA TERTIA.

Ex Concílio Bituricenſi.

*Anno* 1584. *tit.* 20.

VIta hóminis militia eſt ſuper terram, ut habet ſcriptúra: ideò quotquot per Baptiſmum regenerati ſunt ad vitam, confirmandi ſunt ad pugnam, quod conſecúti ſunt Apoſtóli in die Pentecoſtes.

Tu autem, Dómine, miſerére noſtri.

## FERIA QUARTA.

QUATUOR TEMPORUM.

Ex Concílio Cloveshovienſi.

*Anno 747. cap. 18.*

JEjuniórum témpora, id eſt quarti, ſéptimi, & décimi menſis nullus negligere præſúmat; ſed antè horum inítia per ſingulos annos admoneátur plebs, quátenus legitima univerſális Eccléſiæ ſciat atque obſervet jejúnia.

Tu autem, Dómine.

## FERIA QUINTA.

Ex Concílio Bituricenſi.

*Anno 1584. tit. 20. de Confir. can. 4 & 8.*

NOn offerantur ad Sacramentum Confirmatiónis, niſi qui ſeptimum annum attigerint, ut ſymbolum fidei profitéri per ſe poſſint. Moneantur omnes confirmandi, ut ante hujus Sacramenti ſuſceptiónem peccáta confiteantur.

Tu autem, Dómine, miſerére noſtrî.

℟. Deo grátias.

## FERIA SEXTA.

QUATUOR TEMPORUM.

Ex Actis Eccléſiæ Mediolanenſis.

*Part. 4. tit. 11.*

MOneátur pópulus, ut ſtatis illis quátuor anni tempóribus, & privátim in ſuis quiſque ædibus, & publicè in Eccléſia oret; ad Litánias conveniat, Deum precatúrus pro iis qui Sacramento Ordinis initiantur.

## SABBATO.

QUATUOR TEMPORUM.

Ex Concílio Mediolanenſi quinto.

*Anno 1579. part. 3. cap. 2.*

QUi ſacris Ordínibus, ut pote Subdiaconátu, Diaconátu, Sacerdótio initiandi ſunt, cùm ornáti excultíque iis virtútibus eſſe débeant quæ in Cléricis inferiórum órdinum requiruntur; ſicut ad altiórem órdinis gradum aſcendunt, ita virtútum & probitátis & doctrínæ quodam quaſi aſcenſu præſtáre debent.

# CANONES PROPRII,

## IN ALIQUIBUS FESTIS,

## OMISSO CANONE OCCURRENTE,

## LEGENDI

## AD PRIMAM.

---

### Die XXV. Martii.

In Festo

### ANNUNTIATIONIS,

*seu*

### INCARNATIONIS *Domini.*

Ex Concilio Toletáno décimo.

*Anno 656. Can. 2.*

Nativitátis Dominicæ sacrum, quo evidenter de útero virgináli Verbum pródiit Caro factum, absque dúbio servat témporis cursum & spéciale diéi monimentum. Si ergo Nativitátis incarnáti hujus Verbi dies in toto terrárum orbe ab omni Eccléfia concórditer celebrétur, cur non Festivitas gloriósæ matris ejus eâdem observántiâ similíque habeátur honóre? Numquid est Festum Matris, nisi Incarnátio Verbi? Cujus Festum ita debet esse solemne, sicut est & ejusdem Nativitátis Verbi.

Tu autem, Dómine, miserére nostrî.

℟. Deo grátias.

### In Festo Solemni

### SS. PATRONORUM,

*Ubi non habetur Canon proprius.*

Ex Concílio Mediolanensi tértio, sub sancto Cárolo.

*Anno 1573. Tit. 1.*

Quò religiosiùs íncolæ uniuscujusque Paróchiæ festum diem colant illíus Sancti Sanctæve cujus patrocínio Parochiális Eccléfia dicáta est, cohortatiónibus agat Párochus, ut ánimo piè répetant religiósas ejus sanctárum virtútum exercitatiónes; quarum méritis in cœlum ille vocátus, cùm sempiternâ glóriâ perfruátur, pro caritáte quâ abundat, eórum quorum salútis patrocínium suscépit, preces Deo offert. Die Sancti qui Paróchiæ Patrónus est & custos, quò ad illíus imitatiónem magis fidéles inflammentur, id Párochus præstet: cùm frequéntior in Eccléfia pópulus adest, ut ipse aut álius in suggestu res ejus sanctè admirabiliterque gestas, morum disciplínam, pietátis stúdia ac virtútes pronúntiet.

Tu autem, Dómine.

## IN FESTO DEDICATIONIS *ECCLESIÆ.*

Ex Concílio Parisiensi sexto.

*Anno* 829. *Lib.* 2. *cap.* 11.

QUia Pontífices Basílicas Deo dédicant, ut omnes qui illuc deprecatúri véniunt, de quacumque tribulatióne ad eum clamáverint, consolatiónis ejus beneficia consequantur; oportet ut, remóto negligéntiæ torpóre, hujúsmodi loca ad Deum exorandum, sibique propítium faciendum, frequenter ac devótè ádeant (Christiáni); dignosque se aspéctibus Angelórum, quorum conventus mínimè ibi adesse dubitantur, exhíbeant.

Tu autem, Dómine, miserére nostrî.

℟. Deo grátias.

# INDEX PSALMORUM.


| *Psalmi.* | | *Paginæ.* |
|---|---|---|
| 119 | AD Dóminum cùm tribulárer. | 58 |
| 27 | Ad te, Dómine, clamábo. | 6 |
| 24 | Ad te, Dómine, levávi. | 39 |
| 122 | Ad te levávi óculos meos. | 74 |
| 28 | Afférte Dómino, fílii Dei. | 118 |
| 77 | Atténdite, pópule meus. | 64 |
| 48 | Audíte hæc, omnes gentes. | 109 |
| 118 | BEáti immaculáti in via. | 13 |
| 127 | Beáti omnes qui timent Dóminum. | 122 |
| 31 | Beáti quorum remíssæ sunt. | 61 |
| 40 | Beátus qui intélligit. | 108 |
| 1 | Beátus vir qui non ábiit. | 2 |
| 111 | Beátus vir qui timet Dóminum. | 24 |
| 33 | Benedícam Dóminum in omni témpore. | 87 |
| 103 | Bénedic, ánima mea, Dómino: Dómine Deus. | 29 |
| 102 | Bénedic, ánima mea, Dómino, & ómnia. | 72 |
| 143 | Benedíctus Dóminus Deus meus. | 123 |
| 84 | Benedixísti, Dómine, terram tuam. | 50 |
| 91 | Bonum est confitéri Dómino. | 34 |
| 95 | CAntáte Dómino cánticum novum: cantáte. | 40 |
| 149 | Cantáte Dómino cánticum novum, laus ejus. | 119 |
| 97 | Cantáte Dómino cánticum novum, quia. | 41 |
| 18 | Cœli enarrant glóriam Dei. | 46 |
| 74 | Confitébimur tibi, Deus. | 110 |
| 110 | Confitébor tibi, Dómine..... in concílio. | 23 |
| 9 | Confitébor tibi, Dómine..... narrábo. | 62 |
| 137 | Confitébor tibi, Dómine....quóniam audísti. | 90 |
| 104 | Confitémini Dómino, & invocáte. | 30 |
| 135 | Confitémini Dómino quóniam....Confitémini. | 34 |
| 106 | Confitémini Dómino quóniam...Dicant qui. | 48 |
| 117 | Confitémini Dómino quóniam....Dicat nunc. | 12 |
| 105 | Confitémini Dómino quóniam..... quis loquétur. | 32 |
| 15 | Conserva me, Dómine, quóniam sperávi in te. | 77 |

| *Psalmi.* | | *Pagina.* |
|---|---|---|
| 115 | Crédidi, propter quod locutus sum. | 89 |
| 4 | Cùm invocárem, exaudívit me Deus. | 26 |
| 129 | DE profundis clamávi ad te, Dómine. | 75 |
| 43 | Deus, áuribus nostris audívimus. | 100 |
| 49 | Deus deórum Dóminus locútus est. | 55 |
| 62 | Deus, Deus meus, ad te de luce vígilo. | 9 |
| 21 | Deus, Deus meus, réspice in me. | 103 |
| 69 | Deus, in adjutórium meum intende. | 9 |
| 53 | Deus, in nómine tuo salvum me fac. | 96 |
| 71 | Deus, judícium tuum Regi da. | 47 |
| 108 | Deus, laudem meam ne tacúeris. | 57 |
| 66 | Deus, misereátur nostrî. | 85 |
| 45 | Deus noster refúgium & virtus. | 119 |
| 82 | Deus, quis símilis erit tibi? | 111 |
| 59 | Deus, repulísti nos. | 120 |
| 81 | Deus stetit in synagóga deórum. | 73 |
| 78 | Deus, venérunt gentes in hæreditátem tuam. | 61 |
| 93 | Deus ultiónum Dóminus. | 74 |
| 114 | Dilexi, quóniam exáudiet Dóminus. | 43 |
| 17 | Díligam te, Dómine, fortitúdo mea. | 4 |
| 38 | Dixi: Custódiam vias meas. | 91 |
| 109 | Dixit Dóminus Dómino meo. | 23 |
| 35 | Dixit injustus, ut delinquat. | 67 |
| 52 | Dixit insípiens....in iniquitátibus. | 41 |
| 13 | Dixit insípiens....in stúdiis suis. | 77 |
| 140 | Dómine, clamávi ad te. | 59 |
| 7 | Dómine, Deus meus, in te sperávi. | 45 |
| 87 | Dómine Deus salútis meæ. | 116 |
| 8 | Dómine, Dóminus noster. | 38 |
| 142 | Dómine, exaudi oratiónem meam áuribus. | 117 |
| 101 | Dómine, exaudi oratiónem meam, & clamor. | 102 |
| 20 | Dómine, in virtúte tua lætábitur rex. | 72 |
| 6 | Dómine, ne in furóre tuo....Miserére. | 45 |
| 37 | Dómine, ne in furóre tuo....Quóniam. | 106 |
| 130 | Dómine, non est exaltátum cor meum. | 76 |
| 138 | Dómine, probásti me. | 105 |
| 3 | Dómine, quid multiplicáti sunt. | 3 |
| 14 | Dómine, quis habitábit in tabernáculo tuo? | 46 |
| 89 | Dómine, refúgium factus es nobis. | 85 |
| 23 | Dómini est terra, & plenitúdo ejus. | 50 |
| 26 | Dóminus illuminátio mea. | 86 |
| 22 | Dóminus regit me. | 87 |
| 92 | Dóminus regnávit, decórem indútus est. | 89 |
| 96 | Dóminus regnávit, exúltet terra. | 51 |
| 98 | Dóminus regnávit, irascantur pópuli. | 41 |

*Psalmi.* *Pagina.*


133 ECce nunc benedícite Dóminum. 27
132 Ecce quàm bonum. 59
58 Eripe me de inimícis meis. 94
139 Eripe me, Dómine, ab hómine malo. 106
44 Eructávit cor meum verbum bonum. 118
144 Exaltábo te, Deus meus rex. 90
29 Exaltábo te, Dómine, quóniam. 6
19 Exáudiat te Dóminus in die tribulatiónis. 78
60 Exaudi, Deus, deprecatiónem meam. 94
63 Exaudi, Deus, oratiónem meam, cùm déprecor. 110
54 Exaudi, Deus, oratiónem meam, & ne. 93
16 Exaudi, Dómine, justítiam meam. 112
39 Expectans expectávi Dóminum. 100
80 Exultáte Deo adjutóri nostro. 82
32 Exultáte, justi, in Dómino. 78
67 Exurgat Deus, & dissipentur. 79

86 FUndamenta ejus in móntibus sanctis. 120

85 INclína, Dómine, aurem tuam. 124
125 In convertendo, Dóminus. 44
10 In Dómino confído. 76
113 In éxitu Israel de Ægypto. 24
70 In te, Dómine, sperávi.... & éripe me. 97
30 In te, Dómine, sperávi.... in justítia. 70

65 JUbiláte Deo, omnis terra, psalmum. 7
99 Jubiláte Deo, omnis terra, servíte. 10
34 Júdica, Dómine, nocentes me. 53
42 Júdica me, Deus, & discérne. 72
25 Júdica me, Dómine, quóniam. 54

121 LÆtátus sum in his. 59
145 Lauda, ánima mea, Dóminum. 99
147 Lauda, Jerúsalem, Dóminum. 85
148 Laudáte Dóminum, de cœlis. 11
150 Laudáte Dóminum in Sanctis ejus. 53
116 Laudáte Dóminum omnes gentes. 116
146 Laudáte Dóminum, quóniam bonus. 69
134 Laudáte nomen Dómini. 37
112 Laudáte, púeri, Dóminum. 24
120 Levávi óculos meos in montes. 43

47 MAgnus Dóminus, & laudábilis. 120
131 Memento, Dómine, David. 122

| *Psalmi.* | | *Pagina.* |
|---|---|---|
| 56 | Miserére meî, Deus, miserére meî. | 113 |
| 55 | Miserére meî, Deus, *quóniam.* | 107 |
| 50 | Miserére meî, Deus, secundùm. | 124 |
| 100 | Misericórdiam & judícium. | 48 |
| 88 | Misericórdias Dómini in æternum. | 80 |
| 126 | NIsi Dóminus ædificáverit domum. | 75 |
| 123 | Nisi quia Dóminus erat in nobis. | 44 |
| 36 | Noli æmulári in malignántibus. | 56 |
| 61 | Nonne Deo subjecta erit. | 109 |
| 75 | Notus in Judæa Deus. | 111 |
| 46 | OMnes gentes, pláudite mánibus. | 40 |
| 107 | PArátum cor meum, Deus. | 83 |
| 72 | QUàm bonus Israel Deus. | 42 |
| 83 | Quàm dilecta tabernácula tua. | 87 |
| 2 | Quare fremuérunt gentes. | 3 |
| 41 | Quemádmodum desíderat cervus. | 71 |
| 124 | Qui confidunt in Dómino. | 75 |
| 51 | Quid gloriáris in malítia. | 92 |
| 90 | Qui hábitat in adjutório Altíssimi. | 26 |
| 79 | Qui regis Israel, intende. | 88 |
| 128 | SÆpè expugnavérunt me. | 105 |
| 68 | Salvum me fac, Deus. | 95 |
| 11 | Salvum me fac, Dómine. | 91 |
| 57 | Si verè útique justítiam. | 102 |
| 136 | Super flúmina Babylónis. | 44 |
| 64 | TE decet hymnus, Deus, in Sion. | 68 |
| 94 | VEníte, exultémus Dómino. | 2 |
| 5 | Verba mea áuribus pércipe, Dómine. | 67 |
| 76 | Voce meâ ad Dóminum.....voce meâ ad Deum. | 38 |
| 141 | Voce meâ ad Dóminum....voce meâ ad Dóminum. | 60 |
| 12 | USquequò, Dómine. | 60 |
| 73 | Ut quid, Deus, repulísti. | 121 |


## *Index Canticorum Psalterii.*


| | | |
|---|---|---|
| AUdite, cœli, quæ loquor. | | 113 |
| Benedícite, ómnia ópera. | | 10 |
| Benedictus Dóminus. | | 14 |

| *Cantica.* | *Paginæ.* |
|---|---|
| Benedictus es, Dómine. | 84 |
| Cantémus Dómino. | 36 |
| Collaudáte cánticum. | 37 |
| Confitébor tibi. | 68 |
| Dómine, audivi. | 98 |
| Ego dixi: In dimídio. | 51 |
| Exultávit cor meum. | 84 |
| Incípite Domino in tympanis. | 115 |
| Magníficat ánima mea. | 25 |
| Magnus es, Domine. | 69 |
| Miserére nostrî, Deus. | 52 |
| Nunc dimittis. | 28 |
| Urbs fortitúdinis nostræ. | 99 |


*FINIS.*

# TABULA MODORUM CANTUS,

Reſpondens numeris ac litteris Alphabeticis in hoc Breviario diſtributis ante ſingulas Antiphonas.

*Non tantùm quiſque modus pſallendi quem vulgò ſed impropriè tonum vocant, ſuo numero notatur ad Antiphonas, ſed etiam uniuſcujuſque Modi terminationes litteris propriis deſignantur; quia variatio terminationum in cantu Gregoriano ſit juxta initium cantûs Antiphonæ, quod huic terminationi reſpondet, ſicut vice versâ initium cantûs Antiphonæ reſpondere debet terminationi pſalmodicæ ſecundùm varietates in ſyſtemate S. Gregorii Papæ admiſſas.*

*Terminationes verò in verſibus Pſalmorum aliæ ſunt completæ, aliæ incompletæ. Terminatio completa ea eſt cujus ultimus ſonus idem eſt ac ultimus ſonus totius Antiphonæ quæ præceſſit; verbi gratiâ, in primo & ſecundo Modo terminatio in* re *vel in* la *; in tertio Modo terminatio in* mi, *& ſic de ceteris. Terminatio autem incompleta ſeu ſuſpenſa ea eſt cujus ultimus ſonus alius eſt ac ultimus ſonus Antiphonæ ejuſdem modi; exempli gratiâ, in primo Modo cujus Antiphonæ terminantur in chorda* re, *terminationes in* la, *in* ſol, *in* fa.

*Terminationes completæ deſignantur litterâ majuſculâ, incompletæ verò litterâ minuſculâ.*


*Notandum eſt etiam, quod loco ſyllabarum,* ut, re, mi, fa, ſol, la, ſi, *hæ terminationes, compendii causa, per unam è ſeptem primis litteris Alphabeti in hocce Libro fuerunt deſignatæ; ita ut more Veterum* a *deſignet chordam* la; b *chordam* ſi; c *chordam* ut; d *chordam* re; e *chordam* mi; f *chordam* fa; g *chordam* ſol.

# I.


# PRIMUS MODUS DICTUS IN D.

*Id est cujus Antiphonæ desinunt in chorda* D; *aliter dicta chorda* re.

*Terminationes Psalmorum completæ.*





*Terminationes incompletæ.*





## *PRIMUS MODUS in* A.








## II.

*SECUNDUS MODUS dictus in* D *id est in* re, *in quo omnes terminationes sunt completæ.*




*SECUNDUS MODUS dictus in* A, *quia ejus Antiphonæ terminantur in chorda* la.











## III.

*TERTIUS MODUS, in quo Antiphonæ desinunt semper in chorda* E, *aliter dicta* mi.













*Hæc terminatio in* E *non annotata est in usu, nisi in Canticis Evangelicis.*













*In Cant.* Et exultavit.


# IV.


## *QUARTUS MODUS in* E, *id est cujus Antiphonæ terminantur in* E, *aliter in chorda* mi.
















## *QUARTUS MODUS in* A, *id est cujus Antiphonæ desinunt in chorda* A. *id est in* la *prævio* b *molli.*







## V.


*QUINTUS MODUS in* C, *id est cujus Antiphonæ desinunt in chorda* c *aliter dicta* ut.




Dixit Dominus Domino me-o:



Se-de à dextris me-is.



e u o u. a e. Magni- ficat, a- nima




me-a Do-minum. Et ex-ultavit.

*QUINTUS MODUS in* F, *id est cujus Antiphonæ terminantur in chorda* F *aliter dicta* fa.




Dixit Dominus Domino meo: Sede



à dextris me-is. 5. a. e u o u. a e.

## VI.

*SEXTUS MODUS. In eo omnes Antiphonæ terminantur in* fa, *sive in chorda* F. *& non est nisi unica terminatio psalmodica.*



Dixit Dominus Do-mino me-o:



Sede à dex-tris me-is.




6. e u o u. a e. Et ex-ul-tavit.

## VII.


### *SEPTIMUS MODUS.*



Dixit Dominus Domino meo :



Sede à dextris me-is.

7. G. 

e u o u. a e.

*Hæc terminatio quæ eſt completa, non adhibetur niſi in Canticis Evangelicis, ob grævitatem quâ exigit cantari.*

*Terminationes incompletæ.*

7. a. 

e u o u. a e.

7. b. 

e u o u. a e.

7. ç. 

e u o u. a e.

7. c. 

e u o u. a e.

7. d. 


e u o u. a e.

7. d. 


e u o u. a e.

# VIII.


## *OCTAVUS MODUS.*



Dixit Dominus Domino meo:




Sede à dextris meis.




8. G. e u o u. a e. 8. c. e u o u. a e.


*MODUS psallendi ad Horas minores & Completorium intra hebdom. integram Paschæ.*



Bea-ti imma-cu-la-ti in vi-a: qui am-



bulant in lege Domini. Seculorum. Amen.



*Ant.* Alle- lu-ia. Hæc di- es.

*Neumata (seu jubili) ut ex antiquis Eccles. Libris colligere est, instituta sunt ut cantentur in fine ultimæ Antiphonæ cujusque Nocturni Laudum & Vesperarum, & post Antiphonas Canticorum Evangelicorum.*


Jubilus ad Antiphonas 1. modi.




2. modi.



3. modi.



4. modi.



4. *in* A.



5. modi.



6. modi.



7. modi.



8. modi.



*Non cantantur Neumata triduo ante Paſcha, nec intra hebdomadam Paſchalem uſque ad Veſperas Sabbati excluſivè, neque in Officiis Defunctorum.*

# *ADDITIO AD BREVIARIUM MIRAPISCENSE.*

Psalmi selecti dicendi ad omnes, vel ad aliquas Horas quorumdam Festorum, loco Psalmorum qui in Breviario assignantur.

*Pars Verna.*

## IN DIE SANCTO PASCHÆ.

*AD LAUDES. Psalmi ut infrà. Canticum ut in Proprio.*
*AD II. VESPERAS. Psalmi ut infrà.*

## IN ASCENSIONE DOMINI.

*AD I. VESPERAS. Psalmi ut infrà.*
*AD COMPLETORIUM. Psalmi & Capitulum de Dominica.*
*AD LAUDES. Psalmi ut infrà. Canticum ut in Proprio.*

## IN DIE SANCTO PENTECOSTES.

*AD I. VESPERAS. Psalmi ut infrà.*
*AD LAUDES. Psalmi ut infrà. Canticum ut in Proprio.*
*AD II. VESPERAS. Psalmi ut infrà.*

## *DIE XXV. MARTII.*

## IN ANNUNTIATIONE ET INCARNATIONE DOMINI.

*Tempore Quadragesimæ ad I. Vesperas Psalmi ut infrà, nisi Festum occurrat Feriâ secundâ: tunc enim in I. Vesperis dicendi sunt Psalmi qui infrà pro II. Vesperis assignantur, [& sic in Festo sequenti.] Ad Completorium Psalmi & Capitulum de Dominica. Post Paschæ ad I. Vesperas Psalmi qui infrà pro II. Vesperis assignantur.*
*AD LAUDES. Psalmi ut infrà. Canticum ut in Proprio.*
*AD II. VESPERAS. Psalmi ut infrà.*

# DIE III. MAII.

## IN FESTO INVENTIONIS S. CRUCIS.

*AD I. VESPERAS. Psalmi ut infrà.*
*AD COMPLETORIUM. Psalmi & Capitulum de Dominica.*
*AD OFFICIUM NOCTURNUM. Tres Psalmi ex infrà designatis, secundùm Feriam occurrentem, scilicet Feriâ secunda & quintâ ex I. Noctur. Feriâ tertiâ & sextâ ex II. Noctur. Feriâ quartâ & Sabbato ex III. Noctur.*
*AD LAUDES. Psalmi & Canticum ut infrà.*
*AD HORAS. Psalmi de Dominica.*
*AD II. VESPERAS. Psalmi ut infrà.*
*AD COMPLETORIUM. ut heri.*

## AD I. VESPERAS.

*Psalmus* 144.

EXaltábo te, Deus meus rex; * & benedícam nómini tuo in séculum, & in séculum séculi.

Per singulos dies benedícam tibi; * & laudábo nomen tuum in séculum, & in séculum séculi.

Magnus Dóminus, & laudábilis nimis; * & magnitúdinis ejus non est finis.

Generátio & generátio laudábit ópera tua; * & poténtiam tuam pronuntiábunt.

Magnificéntiam glóriæ sanctitátis tuæ loquentur, * & mirabília tua narrábunt.

Et virtútem terribilium tuórum dicent, * & magnitúdinem tuam narrábunt.

Memóriam abundántiæ suavitátis tuæ eructábunt, * & justítia tua exultábunt.

*Divisio Psalmi* 144.

MIserátor & miséricors Dóminus; * patiens & multum miséricors.

Suávis Dóminus univérsis, * & miseratiónes ejus super ómnia ópera ejus.

Confiteantur tibi, Dómine, ómnia ópera tua, * & sancti tui benedícant tibi.

Glóriam regni tui dicent, * & poténtiam tuam loquentur;

Ut notam fáciant fíliis hóminum poténtiam tuam, * & glóriam magnificéntiæ regni tui.

Regnum tuum, regnum ómnium seculórum; * & dominátio tua in omni generatióne & generatiónem.

Fidélis Dóminus in ómnibus verbis suis; * & sanctus in ómnibus opéribus suis.

Allevat Dóminus omnes qui córruunt, * & érigit omnes elísos.

Oculi ómnium in te sperant, Dómine; * & tu das escam illórum in témpore opportúno.

Aperis tu manum tuam, * & imples omne ánimal benedictióne.

*Altera divisio Psalmi* 144.

JUstus Dóminus in ómnibus viis suis, * & sanctus in ómnibus ópéribus suis.

Prope est Dóminus ómnibus invocántibus eum, * ómnibus invocántibus eum in veritáte.

Voluntátem timéntium se fáciet, & deprecatiónem eórum exáudiet, * & salvos fáciet eos.

Custódit Dóminus omnes diligentes se, * & omnes peccatóres dispérdet.

Laudatiónem Dómini loquétur os meum; * & benedícat omnis caro nómini sancto ejus in séculum, & in séculum séculi.

*Psalmus* 145.

LAuda, ánima mea, Dóminum; laudábo Dóminum in vita mea: * psállam Deo meo quámdiu fúero.

Nolíte confídere in princípibus; * in fíliis hóminum, in quibus non est salus.

Exíbit spíritus ejus, & revertétur in terram suam: * in illa die períbunt omnes cogitatiónes eórum.

Beátus cujus Deus Jacob adjútor ejus, spes ejus in Dómino Deo ipsíus, * qui fecit cœlum & terram, mare, & ómnia quæ in eis sunt.

Qui custódit veritátem in séculum, facit judícium injúriam patiéntibus, * dat escam esuriéntibus.

Dóminus solvit compedítos: * Dóminus illúminat cæcos.

Dóminus érigit elísos, * Dóminus díligit justos.

Dóminus custódit ádvenas, pupíllum & víduam suscípiet; * & vias peccatórum dispérdet.

Regnábit Dóminus in sécula, Deus tuus, Sion, * in generatiónem & generatiónem.

*Psalmus* 146.

LAudáte Dóminum, quóniam bonus est psalmus: * Deo nostro sit jucunda decoráque laudátio.

Ædíficans Jerúsalem Dóminus, * dispersiónes Israélis congregábit;

Qui sanat contrítos corde, * & álligat contritiónes eórum;

Qui númerat multitúdinem stellárum, * & ómnibus eis nómina vocat.

Magnus Dóminus noster, & magna virtus ejus; * & sapiéntiæ ejus non est número.

Suscípiens mansuétos Dóminus; * humílians autem peccatóres usque ad terram.

Præcínite Dómino in confessióne: * psállite Deo nostro in cíthara;

Qui óperit cœlum núbibus, * & parat terræ plúviam;

Qui producit in móntibus fœnum, * & herbam servitúti hóminum;

Qui dat jumentis escam ipsórum, * & pullis corvórum invocántibus eum.

Non in fortitúdine equi voluntátem habébit; * nec in tíbiis viri beneplácitum erit ei.

Beneplácitum est Dómino super timentes eum, * & in eis qui sperant super misericórdia ejus.

## *IN I. NOCTURNO.*

*Psalmus 95.*

CAntáte Dómino, cánticum novum: * cantáte Dómino omnis terra.

Cantáte Dómino, & benedícite nómini ejus; * annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Annuntiáte inter gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus;

Quóniam magnus Dóminus, & laudábilis nimis; * terribilis est super omnes deos:

Quóniam omnes dii géntium dæmónia; * Dóminus autem cœlos fecit.

Conféssio & pulchritúdo in conspectu ejus, * sanctimónia & magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Afferte Dómino, pátriæ géntium, afferte Dómino glóriam & honórem; * afferte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias, & introíte in átria ejus; * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commoveátur à fácie ejus universa terra: * dícite in géntibus quia Dóminus regnávit.

Etenim correxit orbem terræ, qui non commovébitur: * judicábit pópulos in æquitáte.

Lætentur cœli & exultet terra, commoveátur mare & plenitúdo ejus: * gaudébunt campi, & ómnia quæ in eis sunt.

Tunc exultábunt ómnia ligna sylvárum à fácie Dómini, quia venit; * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terræ in æquitáte, * & pópulos in veritáte sua.

*Psalmus 96.*

DOminus regnávit, exultet terra, * lætentur ínsulæ multæ.

Nubes & calígo in circúitu ejus; * justítia & judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet, * & inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ: * vidit & commóta est terra.

Montes sicut cera fluxérunt à fácie Dómini, * à fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cœli justítiam ejus; * & vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundantur omnes qui adórant sculptília, * & qui gloriantur in simulácris suis.

Adoráte eum, omnes Angeli ejus: * audívit, & lætáta est Sion.

Et exultavérunt fíliæ Judæ, * propter judícia tua, Dómine;

Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram: * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum: * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum; de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, * & rectis corde lætítia.

Lætámini, justi, in Dómino, * & confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.

*Psalmus 97.*

CAntáte Dómino cánticum novum, * quia mirabília fecit.

Salvávit sibi déxtera ejus, * & bráchium sanctum ejus.

Notum fecit Dóminus salutáre suum ; * in conspectu géntium revelávit justitiam suam.

Recordátus est misericórdiæ suæ, * & veritátis suæ dómui Isræl.

Vidérunt omnes términi terræ * salutáre Dei nostri.

Jubiláte Deo , omnis terra : * cantáte, & exultáte, & psállite.

Psállite Dómino in cíthara, in cíthara , & voce psalmi ; * in tubis ductílibus , & voce tubæ córneæ.

Jubiláte in conspectu regis Dómini : * moveátur mare, & plenitúdo ejus ; orbis terárum , & qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu , simul montes exultábunt à conspectu Dómini, * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terárum in justítia , * & pópulos in æquitáte.

*IN II. NOCTURNO.*

*Psalmus 103.*

BEnedic ánima mea , Dómino : * Dómine Deus meus, magnificátus es vehementer.

Confessiónem & decórem induísti , * amictus lúmine sicut vestimento.

Extendens cœlum sicut pellem , * qui tegis aquis superióra ejus.

Qui ponis nubem ascensum tuum , * qui ámbulas super pennas ventórum ;

Qui facis Angelos tuos , spíritus , * & ministros tuos ignem urentem ;

Qui fundásti terram super stabilitátem suam : * non inclinábitur in séculum séculi.

Abyssus, sicut vestimentum, amictus ejus ; * super montes stabunt aquæ ;

Ab increpatióne tua fúgient ; * à voce tonítrui tui formidábunt.

Ascendunt montes , & descendunt campi , * in locum quem fundásti eis.

Términum posuísti , quem non transgredientur ; * neque convertentur operíre terram.

Qui emittis fontes in convállibus: * inter médium móntium pertransibunt aquæ :

Potábunt omnes béstiæ agri ; * expectábunt ónagri in siti sua :

Super ea vólucres cœli habitábunt ; * de médio petrárum dabunt voces.

Rigans montes de superióribus suis ; * de fructu óperum tuórum satiábitur terra :

Prodúcens fœnum jumentis , * & herbam servitúti hóminum :

Ut edúcas panem de terra, * & vinum lætíficet cor hóminis.

Ut exhílaret fáciem in óleo, * & panis cor hóminis confírmet.

Saturabuntur ligna campi , & cedri Líbani quas plantávit ; * illíc pásseres nidificábunt.

Heródii domus dux est córum ; * montes excelsi cervis ,

petra refúgium herináciis.

Fecit lunam in témpora : * sol cognóvit occásum suum.

Posuísti ténebras & facta est nox : * in ipsa pertransíbunt omnes béstiæ sylvæ.

Cátuli leónum rugientes, ut rápiant, * & quærant à Deo escam sibi.

Ortus est sol, & congregáti sunt ; * & in cubílibus suis collocabuntur.

Exíbit homo ad opus suum, * & ad operatiónem suam usque ad vésperum.

*Divísio Psalmi* 103.

QUàm magnificáta sunt ópera tua, Dómine ! * ómnia in sapiéntia fecísti : impléta est terra posséssióne tuâ :

Hoc mare magnum, & spatiósum mánibus ; * illic reptília, quorum non est número.

Animália pusilla cum magnis ; * illic naves pertransíbunt.

Draco iste quem formásti ad illudendum ei ; * ómnia à te expectant, ut des illis escam in témpore.

Dante te illis, cólligent ; * aperiente te manum tuam, ómnia implebuntur bonitáte :

Avertente autem te fáciem, turbabuntur ; * áuferes spíritum eórum, & deficient, & in púlverem suum revertentur.

Emittes Spíritum tuum, & creabuntur ; * & renovábis fáciem terræ.

*Altera divísio Psalmi* 103.

SIt glória Dómini in sæculum : * lætábitur Dóminus in opéribus suis ;

Qui réspicit terram, & facit eam trémere ; * qui tangit montes, & fúmigant.

Cantábo Dómino in vita mea : * psállam Deo meo quámdiù sum.

Jucundum sit ei elóquium meum : * ego verò delectábor in Dómino.

Deficiant peccatóres à terra, & iníqui, ita ut non sint ; * bénedic, ánima mea, Dómino.

*IN III. NOCTURNO.*

*Psalmus* 32.

EXultáte, justi, in Dómino : * rectos decet collaudátio.

Confitémini Dómino in cíthara, * in psaltério decem chordárum psállite illi.

Cantáte ei cánticum novum, * bene psállite ei in vociferatióne.

Quia rectum est verbum Dómini, * & ómnia ópera ejus in fide.

Díligit misericórdiam & judícium : * misericórdiâ Dómini, plena est terra.

Verbo Dómini cœli firmáti sunt ; * & spíritu oris ejus omnis virtus eórum.

Cóngregans sicut in utre aquas maris : * ponens in thesauris abyssos.

Tímeat Dóminum omnis terra : * ab eo autem commoveántur omnes inhabitantes orbem.

Quóniam ipse dixit, & facta sunt : * ipse mandávit, & creáta sunt.

Dóminus dissípat consília géntium : * réprobat autem cogitatiónes populórum, & réprobat consília príncipum.

Consílium autem Dómini in æternum manet ; * cogitatiónes cordis ejus in generatióne & generatiónem.

*Divisio Psalmi* 32.

BEáta gens, cujus est Dóminus Deus ejus : * pópulus, quem elégit in hæreditátem sibi.

De cœlo respexit Dóminus, * vidit omnes fílios hóminum ;

De præparáto habitáculo suo * respexit super omnes qui hábitant terram ;

Qui finxit singillátim corda eórum ; * qui intélligit ómnia ópera eórum.

Non salvátur rex per multam virtútem ; * & gigas non salvábitur in multitúdine virtútis suæ.

Fallax equus ad salútem ; * in abundántia autem virtútis suæ non salvábitur.

Ecce óculi Dómini super metuentes eum, * & in eis qui sperant super misericórdia ejus :

Ut éruat à morte ánimas eórum, * & alat eos in fame.

Anima nostra sustinet Dóminum ; * quóniam adjútor & protéctor noster est.

Quia in eo lætábitur cor nostrum, * & in nómine sancto ejus sperávimus.

Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos, * quemádmodum sperávimus in te.

*Psalmus* 92.

DOminus regnávit decórem indútus est ; * indútus est Dóminus fortitúdinem, & præcinxit se.

Etenim firmávit orbem terræ ; * qui non commovébitur.

Paráta sedes tua ex tunc, * à século tu es.

Elevavérunt flúmina, Dómine, * elevavérunt flúmina vocem suam.

Elevavérunt flúmina, fluctus suos, * à vócibus aquárum multárum.

Mirábiles elatiónes maris : * mirábilis in altis Dóminus.

Testimónia tua credibília facta sunt nimis : * domum tuam decet sanctitúdo, Dómine, in longitúdinem diérum.

## AD LAUDES MATUTINAS.

*Psalmus* 99.

JUbiláte Deo, omnis terra ; * servite Dómino in lætítia.

Introíte in conspectu ejus, * in exultatióne.

Scitóte quóniam Dóminus ipse est Deus ; * ipse fecit nos, & non ipsi nos.

Pópulus ejus, & oves páscuæ ejus, introíte portas ejus in confessióne, átria ejus in hymnis ; * confitémini illi.

Laudáte nomen ejus, quóniam suávis est Dóminus, in æternum misericórdia ejus, * & usque in generatiónem & generatiónem véritas ejus.

*Psalmus* 148.

LAudáte Dóminum de cœlis : * laudáte eum in excelsis.

Laudáte eum, omnes Angeli ejus ; * laudáte eum, omnes virtútes ejus.

Laudáte eum, sol & luna : *

laudáte eum , omnes ſtellæ & lumen.

Laudáte eum , cœli cœlórum ; * & aquæ omnes quæ ſuper cœlos ſunt , laudent nomen Dómini ;

Quia ipſe dixit , & facta ſunt ; * ipſe mandávit , & creáta ſunt.

Státuit ea in æternum , & in ſéculum ſéculi : * præceptum póſuit , & non prætéribit.

Laudáte Dóminum , de terra : * dracónes , & omnes abyſſi ;

Ignis , grando , nix , glácies , ſpíritus procellárum , * quæ fáciunt verbum ejus ;

Montes , & omnes colles , * ligna fructífera , & omnes cedri :

Béſtiæ , & univerſa pécora , * ſerpentes , & vólucres pennátæ :

Reges terræ , & omnes pópuli ; * príncipes , & omnes júdices terræ :

Júvenes & vírgines , ſenes cum junióribus , laudent nomen Dómini : * quia exaltátum eſt nomen ejus ſolíus.

Conféſſio ejus ſuper cœlum & terram : * & exaltávit cornu pópuli ſui.

Hymnus ómnibus ſanctis ejus , * fíliis Iſraël , pópulo appropinquanti ſibi.

*Pſalmus* 149.

CAntáte Dómino cánticum novum : * laus ejus in eccléſia ſanctórum.

Lætétur Iſraël in eo qui fecit eum , * & fílii Sion exultent in rege ſuo.

Laudent nomen ejus in choro , * in tympano & pſaltério pſallant ei ;

Quia beneplácitum eſt Dómino in pópulo ſuo ; * & exaltábit manſuétos in ſalútem.

Exultábunt ſancti in glória : * lætabuntur in cubilibus ſuis.

Exaltatiónes Dei in gúttur eórum , * & gládii ancípites in mánibus eórum.

Ad faciendam vindíctam in natiónibus , * increpatiónes in pópulis :

Ad alligandos reges eórum in compédibus , * & nóbiles eórum in mánicis férreis.

Ut fáciant in eis judícium conſcriptum : * glória hæc eſt ómnibus ſanctis ejus.

*Canticum* , ( *niſi proprium aſſignetur.* ) 1. Paral. 29.

BEnedíctus es , Dómine , Deus Iſraël patris noſtri , * ab æterno in æternum.

Tua eſt , Dómine , magnificéntia , & poténtia , & glória , atque victória ; * & tibi laus.

Cuncta enim quæ in cœlo ſunt & in terra , * tua ſunt :

Tuum , Dómine , regnum , * & tu es ſuper omnes príncipes.

Tuæ divítiæ , & tua eſt glória : * tu domináris ómnium.

In manu tua virtus & poténtia : * in manu tua magnitúdo , & impérium ómnium.

Nunc ígitur , Deus noſter , confitémur tibi , * & laudámus nomen tuum ínclytum.

*Pſalmus* 150.

LAudáte Dóminum in ſanctis ejus : * laudáte eum in firmaménto virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus: * laudáte eum secúndum multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in sono tubæ: * laudáte eum in psaltério & cíthara.

Laudáte eum in tympano & choro: * laudáte eum in chordis & órgano.

Laudáte eum in cymbalis benesonántibus; laudát eum in cymbalis jubilatiónis: * omnis spíritus laudet Dñm.

## AD II. VESPERAS.

*Psalmus* 109.

DIxit Dóminus Dómino meo: * Sede à dextris meis.

Donec ponam inimícos tuos, * scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emittet Dóminus ex Sion: * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum: * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, & non pœnitébit eum, * Tu es Sacérdos in æternum secúndum órdinem Melchísedech.

Dóminus à dextris tuis, * confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas; * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrente in via bibet: * propterea exaltábit caput.

*Psalmus* 110.

CONfitébor tibi, Dómine, in toto corde meo, * in consílio justórum & congregatióne.

Magna ópera Dómini; * exquisíta in omnes voluntátes ejus.

Conféssio & magnificéntia opus ejus; * & justítia ejus manet in séculum séculi.

Memóriam fecit mirabílium suórum, misércors & miserátor Dóminus: * escam dedit timéntibus se.

Memor erit in séculum testamenti sui: * virtútem óperum suórum annuntiábit pópulo suo,

Ut det illis hæreditátem géntium: * ópera mánuum ejus, véritas & judícium.

Fidélia ómnia mandáta ejus, confirmáta in séculum séculi, * facta in veritáte & æquitáte.

Redemptiónem misit pópulo suo: * mandávit in æternum testamentum suum.

Sanctum & terríbile nomen ejus: * initium sapiéntiæ timor Dómini.

Intellectus bonus ómnibus faciéntibus eum: * laudátio ejus manet in séculum séculi.

*Psalmus* 112.

LAudáte, púeri, Dóminum, * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum, * ex hoc nunc, & usque in séculum.

A solis ortu usque ad occásum, * laudábile nomen Dómini.

Excelsus super omnes gen-

tes Dóminus, * & ſuper cœlos glória ejus.

Quis ſicut Dóminus Deus noſter, qui in altis hábitat, * & humília réſpicit in cœlo & in terra?

Súſcitans à terra ínopem, * & de ſtércore érigens páuperẽ:

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli ſui.

Qui habitáre facit ſtérilem in domo, * matrem filiórum lætantem.

*Pſalmus* 147.

LAuda, Jerúſalem, Dóminum: * lauda Deum tuum, Sion.

Quóniam confortávit ſeras portárum tuárum; * benedixit filiis tuis in te.

Qui póſuit fines tuos pacem, * & ádipe frumenti sátiat te.

Qui emittit éloquium ſuum terræ, * velóciter currit ſermo ejus.

Qui dat nivem ſicut lanam, * nébulam ſicut cinerem ſpargit.

Mittit cryſtallum ſuam ſicut buccellas, * ante fáciem frígoris ejus quis ſuſtinébit?

Emittet verbum ſuum, & liquefáciet ea; * flabit ſpíritus ejus, & fluent aquæ.

Qui annúntiat verbum ſuum Jacob, * juſtítias & judícia ſua Iſraël;

Non fecit táliter omni natióni, * & judícia ſua non manifeſtávit eis.

*Pſalmus* 116.

LAudate Dóminum, omnes gentes: * laudáte eum, omnes pópuli.

Quóniam confirmáta eſt ſuper nos miſericórdia ejus: * & véritas Dómini manet in æternum.

*Intrà Octavas ſupradictorum Feſtorum, quando fit de Octava, iidem in toto Officio dicuntur Pſalmi qui dicti ſunt in die; excepto quod in Nocturno ſumuntur tres Pſalmi ex ſupra aſſignatis juxta ordinem Feriarum ſuperiùs notatum. Dominica intra Octavam Aſcenſionis Pſalmi Nocturni ſumuntur de die.*

*Ad I. Veſperas diei Octavæ iidem dicuntur Pſalmi, qui dicti ſunt in I. Veſperis Feſti.*

¶ *Quando Paſcha occurrit die 22. Martii, die 31. Pſalmi Nocturni ſumuntur ex II. Noct. Officii parvi B. Mariæ, & Pſalmi ad I. Veſperas diei Octavæ aut ſupra deſignantur: die autem 1. Aprilis Pſalmi Nocturni ex III. Noctur. Officii parvi. Si verò Paſcha occurrat die 23. Martii, die 1. Aprilis Pſalmi Nocturni ſumendi ſunt ex III. Noctur. ejuſdem Officii parvi.*]

## *Addenda & corrigenda in parte Verna.*

### *IN CALENDARIO.*

17 Januar. Antonii Ægypt. Abb. *Semiduplex.* lege *Duplex II. Ordinis.*
24 Maii. 1642. *lege* 1640.
10 Jul. Septem Fratrum ac S. Felicitatis eorum Matris, *Simplex*, lege *Semiduplex.*
30 Jul. Germani Autiſſiodor. Epiſc. *Simplex*, lege *Semidupl.*
23 Auguſti. Helenæ Imperatoris, *lege* Imperatricis.
23 Septemb. Theclæ Virg. & Mart. *Simplex*, lege *Semidupl.*
15 Octob. Thereſiæ Virg. *Semiduplex*, *ſed propter occurrentiam Octavæ Dedicationis ſit tantùm Commemoratio duab. Lect. in unam coactis.*

### *IN RUBRICIS GENERALIBUS.*

*Pag.* 37. Caput XIV. Parte I. num. II. *col.* 2. *lin.* 49. *dele* tertii Ordinis, *lege* ſecundi Ordinis; *& adde* niſi Octava ſit Domini.
*p.* 38. Cap. XIV. P. I. n. III. *c.* 1. *l.* 10. *adde*, & Anniverſarii Dedicationis Eccleſiæ.
*p.* 39. Cap. XV. P. I. n. IV. *c.* 2. *l.* 23. Rogationem, *lege* Rogationum.
*p.* 46. Cap. III. P. III. n. I. *c.* 2. *l.* 27. poſt vocem Completorio, *adde* Vigiliæ.
*p.* 51. Cap. X. P. III. n. I. *c.* 2. *l.* 2. Feria ſecunda Rogationum excepta, *lege* Feriis Rogationum exceptis.

### *IN PSALTERIO.*

*Pag.* 2. *col.* 1. *lin. ult.* fit inſequitur, *lege* fit ut ſequitur.
*p.* 6. *c.* 1. *l.* 16. in meſeriam, *lege* & miſeriam.
*p.* 9. *c.* 1. ad Laudes, *adde* Matutinas *& ſic ubique.*
*p.* 10. *c.* 1. *l.* 23. *dele ſecundum* Alleluia. *& ſic in aliis Antiphonis ubi duplicatur.*
*p.* 26. *c.* 2. *lin.* 19. ſub pennis, *lege* & ſub pennis.
*p.* 28. *c.* 2. *l.* 25. adde [ *qui ſolus recitat loco* ómnibus vobis *dicat* ómnibus nobis.]
*p.* 34. *c.* 1. *l.* 22. *Exceptâ Feriâ ij. Rogat.* lege *Exceptis Feriis Rogationum.*
*p.* 38. *c.* 1. *l.* 35. conſtituiſti, *lege* & conſtituiſti.
*p.* 42. *c.* 2. *l. penult.* ego ad nihilum, *lege* & ego ad nihilum.
*p.* 43. *col.* 1. *l.* 11. àte, *lege* & à te.

*p.* 49. *c.* 2. *l.* 43. mirabilia, *lege* & mirabília.
*p.* 62. *c.* 2. *l.* 16. civitátes, *lege* & civitátes.
*p.* 69. *c.* 2. *l.* 14. poſt hæc verba *in populum ſuum providentia*, adde *laudatur.*
*p.* 108. *c.* 2. *l.* 36. retribuam, *lege* & retríbuam.
*p.* 117. *c.* 2. *l.* 18. in terram, *lege* in terra.
*p.* 118. *c.* 2. *l.* 22. & pulchritudine tua * intende, *lege* & pulchritúdine tua intende *.
*p.* 126. *c.* 2. *l.* 25. ad aſtia, *lege* ad aſtra.
*p.* 127. *c.* 1. *l.* 28. Chriſti, *lege* Chriſte.
*p.* 129. *c.* 2. *l.* 16. Deus ad ajutorium, *lege* Deus in adjutórium.
*p.* 132. *c.* 2. *l.* 40. ſobrii ſumus, *lege* ſóbrii ſimus.
*p.* 133. *c.* 1. *l.* 24. *poſt* Pater noſter. *adde*, *ſecretò.*
*p.* 134. *c.* 2. *l.* 22. adde [*qui ſolus recitat loco* ómnibus vobis *dicat* ómnibus nobis.]
*p.* 138. *c.* 1. *l.* 18. Jeſum à mortuis, *lege* Jeſum à mórtuis.

## *IN PROPRIO DE TEMPORE.*

*Pag.* 143. *c.* 2. *l.* 22. Jam ſolis, *lege* O fons.
*p.* 144. *c.* 1. *l.* 22. O fons, *lege* Jam ſolis.
*p.* 145. *c.* 2. *l.* 10. adde *Pſ.* 44.
*p.* 147. *c.* 2. *l.* 18. adde *Joel.* 2. *Matth.* 6.
*p.* 148. *col.* 1. *l.* 11. *Duplex*, adde *I. Ordinis.*
*p.* 149. *col.* 2. *lin.* 13. *dele* ℣. Tempus beneplaciti, &c.
*p.* 151. *c.* 1. *l.* 4. dele *Repet.* ℟. *uſque ad* ℣. *& lege* Quóniam.
*Ibid. l.* 12. *dele* ℣. Si iniquitates, &c.
*p.* 155. *c.* 2. *l.* 28. ut fructuósè, *lege* aut fructuósè.
*p.* 157. *col.* 2. *l.* 31. vigenti, *lege* viginti.
*p.* 179. *c.* 1. *l. penult.* multiplicetis, *lege* multiplicéris.
*p.* 200. *col.* 2. *l.* 26. diſtribuit, *lege* diſtribuit.
*p.* 222. *c.* 1. *l.* 40. *infrà* 230. lege *infrà* 224.
*p.* 228. *c.* 2. *l.* 8. 219. *lege* 220.
*p.* 241. *c.* 2. *l.* 11. adde [*à Sabbato ante Dominicam Palmarum incluſivè, uſque ad Sabbatum in Albis incluſivè non legitur Martyrologium, nec dicitur* Pretióſa; *ſed ſtatim poſt* Benedicámus, *dicitur ter* Deus in adjutórium, &c. *& legitur Canon.*]
¶ *In Dominica in Albis depoſitis legitur Martyrologium ſed non additur* Pretióſa, *& ſtatim ter dicitur* Deus in adjutórium, *ut ſuprà.*]
*p.* 252. *c.* 1. *l.* 26. ſe morte, *lege* ſe morti.
*p.* 253. *c.* 2. *l.* 38. trigenta, *lege* triginta.
*p.* 255. *c.* 1. *l.* 14. adde, *Qui ſolus recitat Orationem* Réſpice *omittat vocem*, hanc, *& ſic in Triduo.*
*p.* 257. *c.* 2. *l.* 32. iu Eccleſiam, *lege* in Eccléſiam.
*p.* 276. *c.* 2. *l.* 6. *adde* De Cruce & Latrone. *Homil.* 1.

*p.* 284. *c.* 2. *l.* 42. *dele impositionem Antiph.* Cum vidisset, *& aliarum ante alios Ps. Vesperar. quia non cantantur.*
*p.* 299. *c.* 2. *l.* 11. habitationem istam, *lege* habitatiónem nostram.
*p.* 304. *c.* 2. *l.* 43. dele, *quam sequitur lectio Martyrol.* & lege *quam sequitur statim*, Deus in adjutórium.
*p.* 316. *c.* 1. *l.* 15. justa, *lege* juxtà.
*Ibid. l.* 19. extreminabitur, *lege* exterminábitur.
*Ibid. c.* 2. *l.* 7. an è, *lege* antè.
*p.* 317. *c.* 1. *l.* 21. riquirenda, *lege* requirenda.
*p.* 320. *c.* 2. *l.* 5. principes, *lege* princeps.
*p.* 321. *c.* 2. *l.* 3. mórtuis, *lege* à mórtuis.
*p.* 325. *c.* 2. *l. penult.* sanguine *adde* (:)
*p.* 327. *c.* 2. *l.* 41. Deum Patrum, *lege* Deus Patrum.
*p.* 337. *c.* 1. *l.* 24. ℟. Visus est. 332. *lege* 327.
*Ibid. c.* 2. ℟. Quem vos. 332. *lege* 327.
*p.* 338. *c.* 1. ℟. Virtute magna. 333. *lege* 328.
*Ibid.* ℟. Certissimè sciat. 333. *lege* 328.
*Ibid. c.* 2. ℟. Hic est lapis. 334. *lege* 329.
*p.* 339. *c.* 1. ℟. Quæ ad patres. 334. *lege* 329.
*Ibid. c.* 2. ℟. Deus dedit. 334. *lege* 329.
*p.* 340. *c.* 1. ℟. Per Christum. 335. *lege* 330.
*Ibid. c.* 2. ℟. Principes. 331. *lege* 326.
*p.* 341. *c.* 1, ℟. Visus est. 332. *lege* 327.
*Ibid. c.* 2. *l.* 2. Victum, *lege* Vinctum.
*Ibid.* ℟. Quem vos. 332. *lege* 327.
*p.* 342. *c.* 1. ℟. Virtute magna. 333. *lege* 328.
*Ibid.* ℟. Certissimè. 333. *lege* 328.
*Ibid. c.* 2. ℟. Hic est lapis. 334. *lege* 329.
*Ibid. l.* 29. *Duplex*, lege *Semiduplex aut suprà.*
*p.* 343. *c.* 2. *l. penult. Hymnus.* Adeste. *ut suprà.* 327. *lege* 322.
*p.* 346. *c.* 1. *l.* 7. 324. *lege* 322.
*p.* 349. *c.* 2. *l. ult.* qui habet rem, *lege* qui habet aurem.
*p.* 354. *c.* 1. *l.* 32. patrem, *lege* partem.
*p.* 357. *c.* 1. *l.* 2. 328. *lege* 324.
*p.* 358. *c.* 2. *l.* 15. *Psalmi Feria V.* lege *Psalmi Feria III.*
*p.* 361. *c.* 2. *l.* 13. superbis, *lege* superbiis.
*p.* 363. *c.* 1. *l.* 10. differebat, *lege* dissertébat.
*p.* 368. *c.* 1. *l.* 3. 327. *lege* 322.
*p.* 370. *c.* 1. *l.* 5. dele *dicitur* Te Deum.
*p.* 371. *c.* 2. *l.* 16. dele *dicitur* Te Deum.
*p.* 373. *c.* 1. *l.* 2. vitam, *lege* viam.
*p.* 374. *c.* 1. *l.* 15. constituisti, *lege* & constituisti.
*p.* 381. *c.* 1. *l.* 6. emlestium, *lege* cœléstium.
*p.* 383. *c.* 2. *l.* 13. regni mei, *lege* regni tui.
*p.* 396. *c.* 1. *l.* 34. *Ps. de Feria*, lege *Ps. & Canticum de Feria.*
*Ibid. c.* 2. *l.* 44. *post ad Horas diei*, adde *Non fit Commemor. de Cruce, neque in Vesperis.*

*Ibid. post ult. lin.* adde [ *Non dicuntur Preces ad Primam & Completorium.* ]
*p.* 397. *c.* 2. *l.* 8. sectentur vitam, *lege* sectentur viam.
*Ibid. l.* 35. adde, *Nec legitur Martyrol. nec dicitur* Pretiósa. *sed statim post* Benedicámus Dómino, *ter dicitur* Deus in adjutórium, *& legitur Canon. In Dominicis SS. Trinitatis legitur Martyrologium, & non dicitur* Pretiósa, *sed statim dicitur ter* Deus in adjutórium, *ut suprà.*
*p.* 404. *c.* 1. *l.* 38. dicat vocem, *lege* dedit vocem.
*p.* 409. *c.* 2. *l.* 13. videbunt eos, *lege* vidébant eos.
*Ibid. l.* 14. *Psl.* 64. lege *Psl.* 63.
*p.* 410. *c.* 2. *l.* 23. 407. *lege* 403.
*Ibid. l.* 26. 407. *lege* 403.
*p.* 411. *c.* 1. *l.* 31. 403. *lege* 409.
*Ibid. l.* 36. 407. *lege* 403.
*p.* 423. *c.* 2. *l.* 37. caro nosta, *lege* caro nostra.

## *IN PROPRIO SANCTORUM.*

*Pag.* 425. *c.* 2. *l.* 3. adde *Ex Bullis Innocentii III.*
*p.* 433. *c.* 1. *In II. Nocturno.* lege *in III. Nocturno.*
*p.* 439. *c.* 1. *l.* 14. adde *Fit Commemor. Feriæ.*
*p.* 442. *c.* 2. *l.* 40. adde *Fit Commemor. Feriæ.*
*p.* 443. *c.* 2. *l.* 41. adde *Fit Commemor. Feriæ.*
*p.* 445. *c.* 2. *l.* 21. sit temporis, *lege* sit témporis.
*p.* 466. *c.* 2. *l.* 7. & ligent, *lege* & legem.
*p.* 467. *c.* 1. *l. penult.* Liurigildi, *lege* Leovigildi.
*p.* 469. *c.* 1. *l.* 33. adde *Ex Sophronio, ex vitis Patrum.*
*p.* 472. *c.* 1. *l.* 34. adde *Ex S. Greg. Turon. de Gloria Martyr. lib.* 1. *cap.* 56.
*p.* 480. *c.* 1. *l.* 23. levabit lignum, *lege* levábit signum.
*Ibid. l.* 26. dabit signum, *lege* dabit lignum.
*Ibid. c.* 2. *l.* 10. manum meum, *lege* manum meam.
*p.* 485. *c.* 2. *l.* 17. Dóminus, *lege* domus.
*p.* 495. *c.* 2. *l.* 10. de altatæ, *lege* dealbátæ.
*p.* 497. *c.* 2. *l.* 27. adde *Ex processu Canonizationis.*
*p.* 498. *c.* 1. *l.* 43. *è tribus una*, lege *è tribus duæ.*
*Ibid. l.* 44. adde *Ex ejus vita apud Bolland.*
*p.* 499. *c.* 2. *l.* 24. octogentesimo, *lege* octingentésimo.
*p.* 501. *c.* 1. *l.* 23. adde *Ex Eschen. apud Bolland.*

## *IN COMMUNI SANCTORUM.*

*Pag.* xij. *c.* 2. *l.* 29. *post* Glória Patri. *adde* probasti nos.
*p.* xv. *c.* 2. *l.* 16. *dele* Allelúia.
*p.* xxij. *c.* 2. *l.* 14. *dele* * *& lege* ℟.
*p.* xxviij. *c.* 2. *l. ult.* servus Dei, *lege* servum Dei.

*pag.* xxxvij. post titulum Commune Justorum, adde *seu SS. Laicorum, & sic ubique.*
*Ibid. c.* 2. *l.* 32. *in Duplicibus majoribus*, lege *in Duplicibus I. Ordinis.*
*p.* xlj. *c.* 1. *l.* 8. conservati, *lege* convetsáti.
*p.* xliij. *c.* 1. *l.* 36. *in Duplicibus majoribus*, lege *in Duplicibus I. Ordinis.*
*p.* lj. *c.* 2. *l.* 13. Rex noster est, *lege* Rex noster es.
*p.* liij. *c.* 1. *l.* 35. *adde* Allelúia.
*Ibid. c.* 2. *l.* 3. fidelium miserator, *lege* fidélium, Deus, miserátor.
*Ibid. l.* 4. beata, *lege* beátæ.
*p.* lv. *c.* 2. *l.* 5. *adde* Allelúia.
*p.* lx. *c.* 1. *l.* 6. ipso pateretur, *lege* ipse paterétur.
*p.* lxxij. *c.* 1. *l.* 2. cùm terrendo, *lege* cum terrenæ.
*p.* lxxiij. *c.* 1 *l.* 37. descessurus, *lege* discessurus.
*p.* lxxxiij. *c* 1. *l.* 26. & bit, *lege* & ibit.
*Ibid. l.* 27. & idicet, *lege* & dicet.
*p.* xc. *c.* 2. *l.* 14. adde [*qui extra Ecclesiam recitat Orationem in Anniversario Dedicationis Ecclesiæ, omittat in initio Orationis vocem*, hujus, *& in fine dicat*, ut quisquis templum sanctum tuum, &c.]
*p.* cxvij. *c.* 2. *l.* 27. & pulchritudine tua * intende, *lege* & pulchritúdine tua intende *.
*p.* cxxj. *c.* 1. *l.* 21. *post* Filius Deus, *adde* Allelúia.
*p.* cxxij. *c.* 1. *l.* 29. adde *Deinde dicitur* Dóminus vobíscum, &c. *& additur* Benedicámus Dómino. *& sic ad alias Horas.*
*p.* cxxvj. *c.* 1. *l.* 41. recipemus, *lege* reciperémus.
*Ibid. c.* 2. *l.* 3. adde *Ps.* 97.

## *IN CANONIBUS.*

*Pag.* clxxv. *col.* 1. *lin.* 29. iucositatis, *lege* gulositatis.
*p.* clxxx. *c.* 1. *l.* 16. pœnitentiam injungi oportet, *lege* pœniténtiam publicè injungi oportet.
*Ibid. col.* 2. *l.* 6. aut si offensio cuilibet non satisfiat, *lege* aut si offenso cuilibet non satisfiat.
*Ibid. l.* 7. aut se offendenti, *lege* aut si offendenti.
*p.* clxxxviij. *c.* 2. *l.* 9. spectent, *lege* expectent.